R. P. ANTONII
DE
ESCOBAR
ET
MENDOZA,
E SOCIETATE
IESV,
In Euangelia Temporis Commentarij.


CEDENTEM DE SEDE DEI ET AGNI EX VTRAQVE PARTE FLVMINIS LIGN VIT
OSTENDIT MIHI FL
R. P.
ANTONII
DE
ESCOBAR ET MENDOZA
Vallisoletani, è Societate IESV Theologi,
IN EVANGELIA TEMPORIS commentarij Panegyricis moralibus illustrati.
Volumen Primum.
Lignum Vitæ
CHRISTI
Miracula.
LVGDVNI
Sumpt. Hæred. Petri PROST, PHILIPI BORDE & LAVRENTII ARNAVD.
M.DC. XLVIII.
Cum Priuilegio Regis.



Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino,

D. FRANCISCO MANSO DE ZVÑIGA,

METROPOLITANÆ BVRGENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO.

IDEO Auctores Voluminum ſuis ſcriptis Mecœnates adoptant (ILLVSTRISSIME PRÆSVL) vt hominum dignitate præſtantium auctoritate, & patrocinio tecta, fultaque, ſe ſe in apertum dare, & luci committere minimè vereantur. Auctoritatis huiuſce ſic Auſonius Epiſc. conditiones expreſſit: *Authoritas ex generis nobilitate, ex maiorum gloria, ex propria ſapientia, præclariſque geſtis aſſolet comparari.* Profectò *ſi nobilitatis* lubeat monumenta deuoluere, à perilluſtri viro Ioanne Manſo de Zuñiga, eximiáque D. D. Magdalena de Sola auguſtum ſanguinem accepiſti, qui potuit dignè Riogenſium Equitum venas implere. *Si maiorum tuorum gloriam* rutilare cupiamus, Patruum ſor-

ritus es virum illuſtriſſimum D. D. Petrum Manſo de Zuñiga, iam Collegij Theologi Complutenſis, iam Archiepiſcopalis Salmanticenſis alumnum, Burgenſis Eccleſiæ Magiſtralem Canonicum, Regiorum apud Coruniam, Santandream, ac Aragonenſem expeditionem exercituum generalem Adminiſtratorem, Calaguritanum Epiſcopum: Fratrem autem D.D. Ioannem Manſo de Zuñiga patriæ domus hæredem, qui in Anglica expeditione, claſſeque Ferrolenſi, Santanderenſi Regibus Hiſpanicis miniſtrauit. Mirum planè, haud exactam fuiſſe arboris meritorum vim tot frondibus addictam. Frater enim D. D. Martinus Manſo de Zuñiga inſurgit, Collegij Archiepiſcopalis purpura indutus, Prior de Ronces-Valles, Ouetenſis Præſul, Comes de Noreña, Oſmenſiſque Antiſtes. Adhuc viget tantæ ſtirpis gloria ex fratre D. D. Petro Manſo de Zuñiga Regio Pampilonenſi, ac Granatenſi Senatore, rerum Prætore capitalium Madridenſi, Valliſoletani Senatus Præſide, Cæſarienſi Archiepiſcopo, Indorum Patriarcha, ſupremi Senatus Præſide meritiſſimo; à quo munere ſe ſe lubentet, & inſtantet: (pia nè conſcientiæ punctione, an mira huic tempeſtati humilitate?) expedire curauit, magni Regij Senatus repugnantia, incredibili Philippi III. Hiſpaniarum Regis contradictione; ratus, tantum munus egregiè adminiſtrari ab eo, qui ſe oneri parem minimè reputabat. At verò quot, quantiſque geſtis ſe ſe cuncti fratres oſtenderint muneribus agnatos, neque aſſequi poteſt, neque complecti breue hoc ſcribendi genus: quod neque hiſtoricum eſt, nec doctorum hominum reprehenſione caret, ſi longius ſit; cum eo ſit conſilio ſuſceptum, vt patronum ſibi, atque aram quærat; non vt de illius rebus laxiori ſtylo longam meditetur hiſtoriam.

Profectò ſi ex *propria ſapientia*, geſtiſque auctoritas exponenda occurrat: hinc annalium Volumini materies explicatur. At longos tractatus velut luteo in latere Ieroſolymam, ad vnicam Nazianzeni de Magni Baſilij elogio clauſulam perſtringam. *Adeſte iam* (inquit Orat. de eius funere,) *ac me circumſiſtite omnis illius chorus, tam qui ſacrarij eſtis, quàm qui inferioris ordinis: tam qui ex noſtris, quàm qui ex exteris; encomium mecum conficite, alius aliam illius virtutem exponentes, & conquirentes qui thronis inſidetis legiſlatorem; qui Rempublicam gubernatis, Ciuitatis Principem; plebei Moderatorem; litterarum ſtudioſi Præceptorem; calamitoſi ſolatium; ſenes baculum, iuuenes Pædagogum, pauperes largitorem, locupletes diſpenſatorem. Quin mihi quoque videntur, & viduæ Patronum ſuum laudaturæ, & orphani patrem, & pauperes pauperum amatorem, & ægrotantes Medicum cuiuſcumque voluе-*

ris

ris morbi,& medicina; & ſani ſanitatis cuſtodem,& peregrini hoſpitalem. Omnes demque eum,qui omnibus omnia factus eſt,vt omnes, aut certè quamplurimos lucriſaceret. Ergo & Eccleſiaſtica, & ſecularis œconomia circunſpicite Senatorem, Præſulem contemplamini. Ognatenſe ſancti Spiritus Collegium te (Præſul illuſtriſſime) toga circumdedit, Academiæ illius Rectorem egiſti, cathedram veſpertinam gerens, ipſis Iuriſprudentiæ luminaribus dogmata præſcripſiſti. Diœceſis Calaguritanæ Gubernator exurgis, Collegium S. Crucis Valliſoletanum togam ſuam tua nobilitate, ac ſapientia purpurauit auguſtiùs. Regia illa Curia, Granatenſiſque te potita eſt Senatore. Ad conuentum Regiorum Quæſtorum es ratiocinator electus, Concilio Indico addictus, inter bellorum Conſiliarios adnumeraris, iam Senatoribus res Cruciatæ decidentibus, iam negotia contentionum prouidentibus addiceris. Ad Hiſpalenſem Vrbem Philippi IV. iuſſu profectus es: vti grauiſſimam cauſam quorundam flectentium viam, vt ad aliena magnam vim argenti, merciumque deportarent, gereres: & trium dierum interſtitio rem perfeciſti veniens, videns, vincens: quæ ſex annorum terminum conſumpturam eſſe videbatur. Demùm ſine bonorum ſequeſtratione, ſine retentione librorum, ſeu reorum captura, ducatorum ducenta millia Regiis theſauris addidiſti. Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto decima quinta Ianuarij die, Mexicana in Vrbe oborta eſt ſeditio ex Marchionis de Gelues haud accepta gubernatione; poſtque immiſſos grauiſſimos viros, qui aduerſa fortuna curarunt ciues pace colligare; fæliciſſimo omine anno ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo commoda cuncta pedibus Regiis prouoluens, Senatorio Indorum munere retento, nauigaſti ſeptus,ornatuſque Regia munificentia, quæ ſecretis, publiciſque inſtrumentis ſupremam ad omnia munia gerenda tibi tradidit poteſtatem. Vix ad vlteriorem Hiſpaniæ recentioris ripam traieciſti cum Archiepiſcopus Mexicanus electus rem adeo difficilem tanta perfeciſti prudentia, vt nunquam Regio illa tanta fuerit pace conſtricta. Aëris infecti corruptio Dauidicam excitauit cladem, quæ exundantium aquarum adminiculo totam ferè Vrbem Mexicanam, obruit. Quid piiſſimus Antiſtes? Septem Xenodochia ad pauperum ciuium curationem erexiſti, plus ſeptuaginta millium vnciarum argentearum ſumptu ineuitabili prouidiſti vulneri. Porro munere Regio aſſignatus fuiſti Pacis Iuliæ Præſulatui, quem nunquam acceptaſti. At Guamangano Epiſcopo Mexicana Metropolis aſſignata, & Guamangana Diœceſis alij eſt adſcripta. Res quidem ad tam arctas tracta eſt anguſtias, vt neceſſum fuerit, te manificentiſſimum tuo iuri ceſſiſſe,

lubentemque Dignitati miſiſſe nuncium, vt tam difficilis nodus ſolueretur. Ad Philippi curiam ſimplex Sacerdos rediiſti omni annuo redditu ad ſuſtentationem carens, præter Indici Senatus auctoramentum. Huic rurſum miniſterio inſeruire iuſſus, Decanus Præſidis geſſiſti clauum, ob Comitis de Caſtrillo profectionem ad rei Pecuariæ conuentum. Tunc ſimul Regia ſpeciali commiſſione, Cruciatæ Senatum gubernaſti Præſes, ac Commiſſarius Generalis, illuſtriſſimi Generalis Inquiſitoris receſſu: grauiſſima interim expediens negotia. Carthaginis tunc Præſulatum accepiſti, quam cum inire curares Diœceſim, ad Murciam aduentans iuſſus à Rege ſeptuaginta millia modiorum tritici, & hordei ſine ciuium moleſtia ad Cataloniæ exercitui ſuccurrendum collegiſti, eduxiſti ad Carthaginem: indéque famulorum, ac curruum tuorum miniſterio, ſine Regalium facultatum ſumptu, æquoris ripæ tradidiſti, indéque octo nauigiis tua induſtria, atque expenſis comparatis Barcinone, Roſas, Colibre, aſpectante hoſte, claſſéque aduerſaria repugnante, nec oppugnare poti neceſſariam annonam tradidiſti. Communi plauſu Duces noſtri aſſeruere recuperationem ſalſaticam tuæ miræ induſtriæ deberi, tibique ſuccurrenti ceſſiſſe victoriam. Ad Regis in Aragoniam expeditionem aſſignatus magno ſumptu te expeditum oſtentaſti; cuius ſuſpenſione immiſſus ad Cantabros Senatui Regio inibi contracto præfuiſti, iam Metropolitanæ Eccleſiæ Burgenſis Antiſtes. At retractis hoſtium inuaſionibus, cum D. Rochij ſolemni terra contremuit, æthera mirum in modum fuere commota: turres fortiſsimæ æternitatis documentum terrea oſtenderunt fragilitate niti. Ad quarum reædificationem non mediocri ſubſidio accurriſti. Inibi commoratus eſt antiquorum Præſulum æmulator, donec te euocauit Sereniſsimi Infantis Cardinalis cadauer, quod ad Templum D. Laurentij Regio (vt par erat) tuo ſumptu humandum attuliſti. Quid, ô Princeps Illuſtriſsime, de tua in pauperes munificentia attexam? Exercitibus Regiis ſubſidia præſtantiſsima ſæpe erogaſti: tantam mendicis ſtipem publicè corrogas, vt nihil occultis eleemoſynis poſſe reliquum eſſe videatur. Neſciente tamen ſiniſtra tua (teſtis ſum oculatus) tantam occultis egenis dextera copiam impendit: vt vtraque largiſsima dextera ornatus appareas. Aiebat Adamus, *Sapiens, munificentia præditus nunquam non eſt.* Quonammodo vir ſapientiſsimus iuris vtriuſque decus *manus tornatiles* non haberes, *ſi plena hyacinthis* Sapientiæ ſymbolo (ex Richardo Laurent.) oſtentantur?

Recolite obſecro Baſilij panegyridem, &. Mecœnatis mei

auctori

auctoritate conſpicui auguſtiſſima geſta perpendite. An non ſacri ac ſecularis Ordinis chorus *tam ex noſtris* Hiſpanis, quàm *exteris* Indis encomium conficere valent? An non *qui thronis inſident*, ſapientiſſimum vbique terrarum Gubernatorem, Senatorem, Præſidem, Principem, Conſiliarium concelebrant? An non *literarum ſtudioſi* Magiſtrum laudibus proſequuntur? An non *calamitoſi* Hiſpaniæ nouæ incolæ ſolatium, baculúmque commendant? An non *pauperes* munificentiſſimum largitorem, viduarum patronum, orphanorum patrem, inopum amatorem efferunt? An non Mexicani *ægrotantes* Medicum norunt, pharmacopolium venerantur? An non denique *omnes* aſpectant vnum, qui Pauli in morem, *omnibus omnia* factus exponitur, vt omnes referat Conditori? Igitur, Præſul Illuſtriſſime, Maiorum meorum in te memor obſeruantiæ, tuam ſpecialiſſimam in me, meóſque benignitatem, munificentiámque expertus, experturus quidem: hoc opus auſpiciis tuis luci tradidi. Tu ſecundus aſpice, gratus accipe, atque id obſequij, quod tibi ex animo defero, boni conſule. Segouiæ octaua die Maij anno 1648.

Addictiſsimus tui ſeruus

ANTONIVS DE ESCOBAR
& MENDOZA.

AD

AD LECTOREM.

PRIMVM hoc virale lignum, duodecim fructibus ſuauiſſimum, Chriſti Seruatoris proponit miracula,

NIMIRVM:

1. Maris prodigia.
2. Templi prophanatorum vapulatio.
3. Cæcus natus.
4. Leproſi mundati.
5. Paralytici Sanati.
6. Socrus Simonis.
7. Muti, & Surdi.
8. Panis multiplicatio.
9. Hydropicus.
10. Mortui ſuſcitati.
11. Aqua in vinum.
12. Transfiguratio.

R. P.

R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ Caſtellanæ Facultas.

EGO FRANCISCVS ANTONIVS Societatis IESV in Prouinçia Caſtellæ Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Vincentio Carraffa Præpoſito Generali facultatem facio, vt Operis inſcripti *In Euangelia Temporis Commentarij, illuſtrationes, moraléſque obſeruationes circa literam: Authore* P. ANTONIO DE ESCOBAR *Valliſoletano noſtræ Societatis Theologo*, eiuſdem Societatis grauium, Doctorúmque hominum iudicio approbati typis mandentur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Valliſoleti in noſtro D. Ignatij Collegio die 28. Iulij 1646.

FRANCISCVS ANTONIVS.

APPROBATIO.

NOS infra ſignati Doctores in Theologia Facultatis Pariſienſis peruoluimus *in Euangelia Temporis Commentarios, illuſtrationes; moraléſque obſeruationes circa literam* R. P. ANTONII DE ESCOBAR & MENDOZA *è Societate* IESV, nihilque reperimus Orthodoxæ fidei nec bonis moribus contrarium; imò omnia planè & maximè Concionatoribus vtilia. In quorum fidem noſtrum chirographum appoſuimus hac vigeſima die Februarij, anni Domini 1647.

FR. STEPHANVS MOLIN Carmelita.
FR. PAVLVS LOMBARD Carmelita.

VISA per nos RR. Patrum in facultate Pariſienſi S. Theologiæ Doctorum authentica Approbatione & Atteſtatione, qua aſſerunt Paraphraſes, Obſeruationes & Panegyricos Morales in Euangelia Temporis, hoc primo & ſecundo Volumine contentos, R. P. Antonij de Eſcobar & Mendoza, è Societate IESV, eſſe orthodoxæ fidei, & bonis moribus ex toto conformes, prælo demandandos quoque meritò cenſemus. Lugduni 20. Februarij 1647.

DE VILLE Prouic. Gen.

FACVLTAS R. P. PRÆPOSITI Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi.

CLAVDIVS MAVCLER, Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. & Henrico IV. & Ludouico XIII. conceſſum, quo omnibus interdicitur editione ac diuenditione librorum ab hominibus eiuſdem Societatis conſcriptorum, niſi Superioris conſenſus accedat; annuo vt Hæred. Petri Proſt, Philip. Borde, & Laurentius Arnaud, excudant ac diuendant lucubrationes Antonij de Eſcobar & Mendoza, Societatis IESV, ad Euangelia Temporis Tom. I. & II. Scripſi Lugduni 10. Februarij, 1647.

CLAVDIVS MAVCLER.

PANE

PANEGYRICORVM MORALIVM SYLLABVS.

LIGNVM VITÆ, CHRISTI MIRACVLA, duodecim Fructus.

Fructus primus.

FRVCTVS PRIMVS.

Maris prodigia.

1. PANEGYRICVS PRIMVS.

Ex tempeſtate oborta.

Lib.1.ſect.1.num.15.pag.6.

OBSERVATIO I. IESVM tempeſtate iactandum Diſcipuli non deſerueruut. *Ille enim verus amicus, qui in proſperis non ſolum, ſed & in aduerſis dilectum ſequitur.* n.15. pag.6.

II. Non in nauem Dominus, ſed in naiculam dicitur aſcendiſſe. *Quia humilis cordis curru inuehitur, cum ſalutem hominum operaturus incedit, & mira excitaturus.* n.21 p.7.

III. Diſcipuli Dominum ſequuti in mundiali mari verſantur, ſed de mari minimè viuunt. *Aſſecla enim Chriſti vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, neceſſarys vtique contenti.* n 27. p 8.

IV. Amiciſſimus Eccleſiæ proceribus grauiora tentamina à Domino præparantur. *Documentum eſt enim vberioris Dei erga nos dilectionis, ſi grauioribus certaminibus agitemur.* n.31. pag.8.

V. Obdormiente Domino, ſæua Diſcipulis procella excitata eſt. *Quia præſule ſoporato vita commodis, ſubditi obortis periculis flagellantur.* n.36. p.9.

VI. Chriſtus in Crucis Nauicula obdormit. *Quia tamo amatori paſſio ſomnus, mortis tempeſtas requies eſt.* n.42. p.10.

VII. Diſcipuli præſente Domino tempeſtate agitantur. *Laboribus enim exerceri, ſignum eſt, non gratos exiſtere Conditori: pacatum enim pelagus malitiam arguit.* n.46. p.11.

VIII. Chriſtus, furente ſeculari pelago, nihil timet Dei verè filius expoſitus. *Ille equidem ſe diuinum oſtendit, qui perſequutiones pacato excipit animo.* n.50. p.11.

2. PANEGYRICVS II.

Ex tempeſtate ſedata.

Lib.1.ſect.2.num.16.pag.13.

OBSERVATIO I. MErito à Domino taxantur, quòd timeant diſcipuli cum ſint diui. *Bona enim conſcientia quando nouit corripi formidine?* n.10. p.13.

II. Dominus taxat Eccleſiæ proceres, quòd procella agitati rupem non imitentur. *Decet etenim Euangely miniſtros, Eccleſiaque præſules conſtantia.* n.16. p 14.

III. Carpuntur à Domino Diſcipuli, quòd Deo hærentes formidine afficiantur. *Nam qui ſecum Deum habet, inter procellas ſecuritate fruitur.* n.20. p.15.

IV. Reprehenduntur Diſcipuli à Domino, quòd videntes nauiculam fluctibus operiri, timerent. *Nam deſperatis rebus humanis certius caleſte auxilium aſſolet præſentari.* n.26. p 16.

V. Excitatus Dominus à Diſcipulis æquora pacauit. *Quia rogari vult, amat preces à fidelibus profundi, ad beneficiorum largitionem.* n.30 p.17.

VI. Magnâ Dominus tranquillitate tempeſtatem magnam compenſari curat. *Poſt laborem enim grauem ingens, conſolatio ſuccedit.* n 35. p.17.

VII. Venti, ac pelagus iubenti Domino quaſi intellectu præditi obſequuntur. *In confuſionem quidem rationalis hominis bruteſcentis, ne caleſti imperio ſubiaceat.* n.40. p.18.

PARS SECVNDA.

Ieſus ambulat ſupra mare.

3. PANEGYRICVS III.

Ex pelago ambulanti ipſi ſolidato.

Lib.1.ſect.2.n.7.p.22.

OBSERVATIO I. QVàm difficilè Apoſtoli à Domino ſeparantur. *Quia & dulcedine priuantur præſentia eius, & imminentium malorum amaritudine potantur.* n.7. p.22.

II. Videns Dominus Diſcipulos laborantes, non potuit contineri, niſi opem afferret. O luminibus Dei adnata pietas! *Edocemur peccatoribus miſereri, dum aduerſus peccata inſurgimus, Chriſto hic non tempeſtatem, ſed actos procellis piè aſpiciente.* n.12.p.13.

III. Chriſtus Diſcipulos actos procella comitatus, ſupra pelagus ambulat. *Nullus enim ad portum felicitatis pergens, ſæcularis pelagi effugit iras.* n.18.p.24.

IV. Liberaturus Diſcipulos à procella, addit timorem, dum phantaſmatis ſpecie obiicitur. *Signum enim terminationis laborum inſtantis eſt, eos ingraueſcere.* n.23.p.25.

V. Phantaſmate obiecto, (vero Ieſu) Apoſtolorum exterretur infantia. *Ediſce huiuſmodi confictis terroribus vti vir, validè repugnare.* n.27. pag.25.

4. PANEGYRICVS IV.

Ex eodem Ieſu Mari, Terræque ſalutari.

Lib.1. ſect.4. num.10. pag.28.

OBSERV. I. VBique Chriſtus ab hominibus cognoſcitur ex munificentia ſalutari. *Noſtra deſidia, hinc colligo, perire nos, ſi paratum ſemper apud ægrotos Medicum aduocare pigritamur.* n.10. p.28.

II. Chriſtus Diſcipulos remigantes, ſeu laborantes in obſequium Eccleſiæ naviculæ, ſeu in proximorum vtilitatem certius donat auxilio ne cadant, delinquentes benignius excipit. *Contra illos, qui caſum extimentes, à proximorum ſalute abſtinent.* n.14.p.29.

III. Non vocatus Dominus aſcendit in ſcapham, diſcipulos liberaturus. *Ac ſi ſibi ipſi in nobis nunquam non laboranti ferret opem. O ſi ſic in proximo laboremus.* n.19. p.30.

IV. Ad Vicos, Villas, & Ciuitates Dominus ſpontè properat quæſiturus ægrotos, quos ſanet. *Vt edoceat Euangelij miniſtros, non vocatos proximis ſuccurrere: ipſa enim ægritudines clamantes aduocant.* n.23.p.31.

V. Si ex fimbriæ veſtimenti Ieſu contactu cuncti ſanantur ægroti, quid ex totius corporis ad pectus immiſſione? *Profectò Eucharistia præſentiſſimum cunctis ægritudinibus medicamen eſt.* n.28. p.31.

PARS TERTIA.

Piſcium captura,

5. PANEGYRICVS V.

Ex inutili piſcatorum labore.

Lib.1. ſect.5.n.11.pag.36.

OBSERV. I. TVrbæ audiendi verbi deſiderio in dominum irruunt, & comprimunt, auſu quidem pio, irreuerentia quodammodo fideli. *Vbi oſtendo non taxandos omnino eſſe fidelium ad ſacra obſequia confluxus, eò quòd fortaſſe aliqualis caſualiter irreuerentia proſilit.* n.11.p.36.

II. Dominus miſerias vitæ humanæ in nauibus, & in pelago vidit. *Quid enim hominum vita niſi nauis, niſi mare eſt, quibus adnata procella.* n.16. p.37.

III. Feſtina auiditas verbum Dei audiendi commendatur, noſtri temporis taxabili pigritiâ. *Vbi oſtendo neceſſariam huiuſmodi verbi audiendi ſollicitudinem, ad ipſum verbum ſalubriter excipiendum.* n.21.p.38.

IV. Chriſtus præcipit Petrum naviculam puſillum à ripa reducere, vt doceat turbas. *Ipſos Concionatores, ac Doctores edocens, pro auditorum captu ſermonem profundendum.* n.26.p.39.

V. Chriſtus ſapientiſſimus Præſul ſubditum Petrum rogat à terra ſcapham reducere. *Rogans enim Prælatus, & manſuetudinis exhibet documenta, & cogit ſubditos obedire.* n.31.p.40.

PANEGYRICVS VI. 6.

Ex piſcium (è Chriſto) multitudine.

Lib.1. ſect.6.n.13.p.42.

OBSERV. I. CHriſti verbo Petrus nitens, piſcium copioſam multitudinem extrahit. *Nunquam enim à ſua cecidit ſpe, qui promiſſioni Dei, ineffabili quidem adhæſit.* n.13. pag.42.

II. Petrus humilitate egregius aptè ad præſulatum à Domino aduocatur. *Debet enim Princeps non minoribus ſubditis, ſed ſibi quaſi æqualibus leges, ſeu imperia præſcribere.* n.20 p.43.

III. Diſtulit Chriſtus piſcium capturam, vt dilata dona pluris æſtimarentur, & grato exciperentur animo. *Deſideria enim dilata animum reddunt cæleſtium munerum capaciorem.* n.25. pag.44.

IV. Iuſtè timet Petrus mali alicuius irruptionem ſe peccatorem agnoſcens, in conſpectu Domini ſanctiſſimi commorantem. *Sæpe enim probi ſocietas improbo eſt exitialis, ipſius planè nequitia.* n.29. p.45.

V. Nauis Eccleſiæ Petro ad expiſcationem hominum à Domino traditur. *Edocet Petrus Gubernator, quonammodo fidelis nauicula pelagi ſæcularis pericula vitare valeat.* n.33. p.46.

FRVCTVS SECVNDVS. Fructus ſecundus.

Templi prophanatores vapulant.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex vapulante contemptu.

Lib.2. ſect.1. num.15. pag.51.

OBSERV. I. A Minima Nazareth Dominus magnus Propheta exurgens proclamatur. *Ex fundamine etenim humilitatis auguſta exædificatio conſurgit.* n.15.p.51.

II. Rex à turbis Dominus appellatus, mox curat Templi immunitati, ac reuerentiæ prouidere. *Regius etenim eſt erga delubrorum reuerentiam Zelus.* n.19.p.52.

III. Taxaturus Dominus Sacerdotum auaritiam, & irreuerentiam, percutit ſeculares. *Edocens Concionatores, ne palam Sacerdotalis ſtatus, præcipuè præſulum vitia carpant: ſed prudenti aſtu in aliis corripiant.* n.24.p.52.

IV. In

IV. In templo lucris ſtudentes meritò à Domino flagellantur. *Iram etenim Dei ſubeunt, quicumque Eccleſiaſticâ dignitate, aut munere diſceſcere curant* n.27.p.53.

V. Inflicto vulnere Chriſtus auaros è templo deturbauit. *Auaritia etenim homines immutat in beſtias diuerberandas, percutiendas.* n.32.p.54.

VI. Ipſe Dominus Sacerdotes percuſſit auaros. *Nec enim ſecularis poteſtas in Chriſtos Domini debet inſurgere, aut aduerſus eos ſublatrare; ſed taxandos Deo, aut eius Vicario relinquere.* n.39 p 55.

VII. Vendentes ad ſacrificia boues, oues, columbas, & ementes ad ſacrificandum Dominus è templo, flagellis inflictis, deturbauit. *Acriter enim puniendi, qui deuotionis, aut ſacrificij prætextu, crimini alicui ſtudium impendunt.* n.45.p.56.

VIII. Orationis domus auguſta corruens in ſpecum latronum conuertitur. *Qui enim ex perfectionis gradu eleuatiori excidunt, inferiori baratro addicuntur.* n.51.p.57.

PANEGYRICVS II.

Ex Cæco ſanato.

Lib. 2. ſect. 2. num. 11. p. 59.

OBSERV. I. APtè à Domino poſt contemptores templi vulneratos, illicò cæci ſanitati reſtituuntur. *Cæcitate enim laborant, qui apud delubrum ſe irreuerenter gerunt.* n.11.p 59.

II. A Domino ſanantur & Claudi delubri contemptores. *Claudicant enim qui Templorum reuerentiam lædunt.* n.16.p.60.

III. Frementibus Sacerdotum Principibus, & Scribis in Dominum, infantium vox exaudiebatur. *Ea eſt enim veritatis vox, quæ, nulla vociferante calumnia, valeat confundi.* n.21.p.61.

IV. Qui templi contemptores ſolummodo à templo deturbauit, iudex, qui iuſtè poſſet capite plectere: miſericors cæcos, & claudos ſanat. *Vincitur enim à Dei miſericordia effectus iuſtitiæ expreſſio.* n.27.p.62.

V. Chriſti perfecta laus inuidis Iudæis cedebat in ruinam. *Inuidiæ etenim ſuimet eſt ſupplicium* n.33.p.63.

FRVCTVS TERTIVS.

Cæcus natus.

PANEGYRICVS I.

Ex dato lumine.

Lib. 3. ſect. 1. n. 16. pag. 72.

OBSERV. I. CVm Dominus lapidibus impeteretur, & fugeret, videt iuxta templi oſtium cæcum, cui impertit lumina. *Auguſtiſſimi etenim Præſulis eſt propria pericula ſubditorum calamitatibus prouidere.* n.16.p.72.

II. Videtur-ne caſu miſer ille? caſu ne lumine donatur à Domino? *Quàm miſeri, quorum ſalus æterna, aut mors ab incerta dependet euentu.* n.25. p.73.

III. Mirum fuiſſet, ſi videns cæcum, non illuminaret. *Deum enim reſpicere, idem eſt, ac hominum miſereri.* n.25.p.73.

IV. Quælibet animi cæcitas luti maſſa, ſeu collyrio ſanatur. *Vbi aſſero ſuperbiæ, auaritiæ, luxuriæque tenebras humanæ fragilitatis, ſeu mortalitatis memoria ablegari.* n 30.p.74.

V. Quæritant à Domino Apoſtoli, an ex aliquo peccato commiſſo cenſus, aut redditus ſit cæcitas illa? *Peccati etenim aſſolet Deus cenſum perſoluere, donec à pœnitudine redimatur.* n.41.p.76.

VI. Contemplati Apoſtoli homuncionem in tenebris ambulantem, illicò congruè peccati recordantur. *Peccator enim nunquam non verſatur in tenebris.* n.45.p.77.

VII. Incidentes Apoſtoli in peccatum cæci illius, mox ad parentum memoranda peccata pertexere. *Plerumque enim filiorum crimina aſſolent à parentum iniquitate deriuari.* n.49.p.77.

VIII. Licèt deliquiſſet cæcus, & eius parentes, Chriſtus curat eorum exceſſus diſſimulari. *Quàm Deificum proximorum exceſſus perire.* n. 54. pag. 78.

IX. Luto facto, appoſito oculis, lucem Dominus cæco reſtituit. *Per viliora enim inſtrumenta Deus glorioſiorem gerit triumphum.* num. 59. pag. 79.

X. Ex mundialis felicitatis puluere reliquo conficitur à Domino curandæ cæcitati medicamen. *Quis enim non videat, tenebris ablegatis, dum earumdem rerum, quas diligit terminum contemplatur.* n.64.p.79.

XI. Chriſtus lutum ſuper oculos cæci apponit, vt aſpiciat qualitatem bonorum quæ amauit. *Vbi innuo, præſentiſſimum medicamen eſſe, ad cæcitatem mentis ablegandam, amatæ voluptatis, aut boni vilitatem meditari.* n.69.p.80.

PANEGYRICVS II.

Ex Iudæorum cæcitate.

Lib 3. ſect. 2. n. 24 pag. 85.

OBSERV. I. QVàm appoſitè cæcus referens oculorum illuminationem, nominis IESV memoriam geſſit. *E nomine enim IESV ſalus omnium exoritur, cunctarum ægritudinum medicamine.* n.24.p.85.

II. Non ſolùm cæcus è fonte Siloë videt, ſed & totus abluitur, pulcher exurgens. *E fonte etenim pœnitentiæ animi pulchritudo.* n.28.p.85.

III. Dominus cæcum ad ſalutarem fontem immittit; cæcus autem ipſe abiit, lauit, & vidit. *Propria etenim ſalutis negotium alteri committendum non eſt.* n.32.p.86.

IV. Nullius momenti mendicus ſe magnæ æſtimationis virum oſtentat, ex nuda veritatis prolatione. *Homo enim verax rex eſt, imo cæleſte numen.* n.36.p.87.

V. Mendicus non reſpicit an Chriſtus ſanctus ſit, nécne; ſolummodo ſe beneficium accepiſſe recordatur. *Proprium etenim grati animi eſt, in benefactore nihil adſpicere, quod offendat, omnia commendabilia reputare.* n.40.p.88.

VI. Mendicus fallitur, aſſerens à Deo peccatores non exaudiri. *Audit enim & cum veniam peccatorum petunt, & quidquid attinens ad animum poſtulant.* n.44.p.88.

Fructus quartus. FRVCTVS QVARTVS.

Leproſi mundati,

1. PANEGYRICVS I.

Ex Leproſi adorantis ſanitate,

Lib.4. ſect.1.n.14. pag.93.

OBSERV. I. CHriſtum de cæleſti ſolio deſcendentem turbæ ſequuntur. *Præſulem enim humilem, ſubditorúmque præſeferentem fragilitatem illi conſequuntur velociſſimè.* n.14. pag.93.

II. Quem montanum ſiue auſterum turbæ ſequutæ non ſunt, deſcendentem, ſeu humanum, ac benignum propriè conſequuntur. *Præſulis enim comitas, & affabilitas ſubditos arripit ad eius imperium obſequendum.* n.18. p.94.

III. Non aptè leproſus de voluntate Domini dubitat, qui ſanandi potentiam profitetur. *Quidquid enim erga homines Deus poteſt, vult exequi ſi vaſa oleo decurrenti apponantur.* num. 23. pag.95.

IV. Tangit Dominus Leproſum; vt oſtendat ſuæ viuificæ carnis vim ad ſalutem impertiendum. *Vbi de vitali Euchariſtia contactu.* n.28. pag.96.

V. Diuina Ieſu natura innoteſcit, dum tangens leproſum, non inficitur. *Diuinum planè, inter improbos verſari, & eorum non infici conuerſatione.* n.33. p.97.

VI. Quàm ſine moleſtia, ſiue ſumptu; leproſus fuit à Domino mundatus. *Hoc enim cæleſtia munera habent, quòd ſine accipientis recipiantur incommodo; mundialia ſecus.* n.42. p.98.

VII. Corporis ægritudinem facillimè Dominus ablegauit, confeſtim ſanauit leproſum. *O animi lepra quanto labore cæleſtis medici ablata eſt!* n.48. p.99.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Leproſi munere.

Lib.4. ſect.2. num.7. pag.101.

OBSERV. I. CVrat Dominus miraculum ſilentio operiri, ne glóriam ſuam quærere videatur. *Virtus enim, quæ in abſcondito rutilat, dum profertur in publicum, tenebratur; abſcondendi autem ſtudium eam efficit exteriùs micare* n.7. p.101.

II. Dominus monet leproſum mundatum, ſanitatem ſuam ſoli Deò in Sacerdote reuelare. *Opera enim bona debent quidem hominibus manifeſtari; ſed eo affectu, vt tantum Deo præſtare intendamus obſequium.* n.12. p.102.

III. Dum curat Dominus, Leproſum lepram prætceritam abſcondere, iubet, illum ſeſe Sacerdoti manifeſtare. *Illud enim ipſum hominis peccata confiteri; tacere eſt, nemini eſt dicere.* n.16. p.102.

IV. Leproſum cæleſti munere affectum ad Sacerdotem Dominus immittit. *Edocens à Sacerdotum, ſeu ſpiritualium parentum conſilio, quæ ad ſpiritum pertinent gerenda.* n.21. p.103.

PARS SECVNDA.

Decem Leproſi.

PANEGYRICVS III. 3.

Ex decem Leproſis mundatis

Lib.4. ſect.3. num.16. p.109.

OBSERV. I. QVàm multi domino occurrunt leproſi, quàm pauci vera ſalute donantur! *Vbi increpo deſidiam illius Religioſi, ſeu Sacerdotis, qui poſtquam felix Domino occurrit, infelix æterna ſalute priuatur.* n.16. p.109.

II. Se leproſi aſpicientes grauiſſimè infectos, humilitatis causâ ad dominum non acceſſerunt. *Quàm gratus oculis numinis, qui poſt magna crimina magnam oſtentat humilitatem.* n.20. p.110.

III. Cuncti ægroti vnâ voce precantur, & illicò donãtur optatis. *Efficax enim oratio eſt.* n.24. p.110.

IV. Iudæi & Gentiles colligantur quaſi factâ manu, vt Deum ipſum debellare valeant. *Perſequor orationis in cõmunitate inſtituta efficaciã.* n.28. p.111

V. Non aptè leproſi poſtquam Chriſtum Ieſum Præceptorem appellarunt, addiderunt quod eorum miſereretur. *Iuxta nomen etenim quod Deo tribuimus, debemus (in huiuſce nominis gloriam) munera adnata poſtulare.* n.33. p.112.

VI. Quos leproſos Dominus ab hominum cœtu prohibuit, ne alij contaminarentur, ad Sacerdotes immittit. *Solus enim Sacerdos ſuo muneri incumbens, à lepra infici non poteſt.* n.38. p.113.

VII. Leproſi repentè præter Domini præſcriptum, & eorum opinionem mundantur. *Is enim eſt Deus, vt circa miſericordiæ elargitionem nulla quodammodo præſcripta ſeruet, nullas moras patiatur.* n.42. p.113.

PANEGYRICVS IV. 4.

Ex vnius alienigenæ gratitudine,

Lib.4. ſect.4. n.11. pag.116.

OBSERV. I. QVeritur Ieſus, quòd cùm decẽ ſanati fuerint, non cuncti decem referant de munere gratias. *Taxatur communitas, quæ poſtulans communiter, de beneficio accepto haud cõmuniter gratias referre curauit.* n.11. p.116.

II. De Iudæorum ingratitudine ſpeciali iure conqueritur Dominus. *Taxabilis enim ingratitudo, quæ Dei maiorem notitiam comitatur.* n.17. p.117.

III. Miratur Dominus nobilitate conſpicuos Iudæos ingratos oſtendi, vili alienigenâ redeunte. *Nobilium etenim ingenio adnatum, gratitudinis virtute decorari.* n.22 p.118.

IV. Gratias agenti pro beneficio accepto, ſalus æterna à Domino donatur. *Signum enim prædeſtinationis eſt, beneficiis Dei gratum animum exhibere.* n.27. p.118.

FRVCTVS QVINTVS. Fructus quintus.

Paralytici ſanati.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex piſcina ſalutari.

Lib.5. ſect.1. num.16. pag.124.

OBSERV. I. POtiùs Ieſu Feſtus dies poterat vocitari, quo Paralyticus donatur ſanitate. *Nullus enim Deo ſolemnior dies,* quàm

quam cùm peccator à nequitia recedit. n. 16. p. 124.

II. Commendat Euangeliſta porticuum erectionem ad ægrotantium commoditatem. *Vbi pietas extruentium Xenodochia ad exceptionem pauperum infirmorum laudatur* n. 21. p. 124.

III. Ex laboribus ægroti illi didicerant ſolius Dei niti præſidio. *Labores enim homines reformant, ad pœnitudinémque gerendam adducunt.* n. 25 p. 125.

IV. Quàm appoſitè Angelus ſanandi ægrotos miniſterio deputatur. *Angeli enim miſera hominum natura benefici ſemper oſtentantur.* n. 30 p. 126.

V. Certis temporis momentis hominibus incognitis piſcinæ ſalutaris vndæ mouebantur. *Vt euigilet, qui ignorat, è quonam inſtanti ſalutaris, aut exitialis dependeat æternitas.* n. 35. p. 127.

VI. Ex ægrotantium multitudine vnicus languidus ſanabatur. *Vt exprimeretur prædeſtinatorum paucitas, reproborum multitudo.* n. 39. p. 127.

VII. Omnium properantium ad Piſcinam poſt turbationem, vnus ſanitatem recipit. *Quia ex ijs, qui nouiſſimum tempus ad pœnitudinem expectant, vix vnus aut alter verè abluitur.* num. 43.
2. pag. 128.

PANEGYRICVS II.

Ex paralytici ſanitate.

Lib. 5. ſect. 2. num. 11. pag. 131.

OBSERV. I. VT hominem tam diu infirmitate preſſum ſanaret Chriſtus, ſuæ miſericordiæ mirabilis piſcinam excitauit. *Media enim extra ordinem, ſeu miraculoſa requiruntur, vt inueteratus dierum malorum conuertatur.* n. 11. p. 131.

II. Cognoſcens Ieſus inueteratæ infirmitatis ægrotum, rogat aptè, num ſanari velit? *Inueterata enim voluptatis, ſeu auaritia peccatores volunt ſanari, & non volunt ſanari.* n. 16. p. 132.

III. Rogat Dominus, vtrum ſanari velit, quem vidit addictum grabato. *Sunt enim quibus animi ægritudo, id eſt peccatum, ſiue mors ipſa commoditatem pariat: hi viuunt veneno, captiuitate regnant.* n. 23. p. 133.

IV. Paralyticum benigniſſimè Dominus ſanauit, eò quòd cognouiſſet, multum tempus habere ægritudinis. *Tam mirabilia etenim miſericordiæ opera ſunt, vt amplius te deliquiſſe, quodammodo vberioris meritum pietatis.* n. 27. p. 134.

V. Tunc Deus homo paralyticum viſitat, & ſanat, cùm ſe verè derelictum ab homine profitetur. *Nec enim cæleſti fruitur aſpectu, qui hominum nititur præſidio.* n 32. p. 135.

VI. Languidus ille, quia ſeruiebat hominibus, hominem ſubleuatorem non habebat. *Vbi inter ſeruire Deo, aut hominibus maximè diſtare oſtendo.* n. 37 p. 135.

VII. Iubet Dominus paralyticum ſanum, grabatum portare, & abire. *Vt omnino eum à loco, vbi æger iacuerat, cogat ablegare.* n 42. p. 136.

VIII. Languidus pœnitens aptè iubetur grabatum, quo iacuerat, deportare. *Vt ſcilicet animus, qui à corpore fuerat ad vitia portatus, corpus portet ad mandatorum obſeruationem.* n. 51. p. 137.

IX. Grabatum portare iubetur, vt vitiorum grauiſſimum pondus expertus, rurſum non implicetur ægritudine. *Ex obiectione enim laborum, quos ſuſtinuimus dum vitijs præſtaremus obſequium, velocius viam inimus ſalutarem.* n. 55. p. 138.

X. Languido inſigni ſanato, reliqui probabiliter ſanitate donati fuère. *Ex improbi etenim ſocietate ſæpe laboribus afficimur, à quibus abſtracti ab impio liberamur.* n. 59. p. 139.

PANEGYRICVS III. 3.

Ex Iudæorum inuidia.

Lib. 5. ſect. 3. num. 13. pag. 141.

OBSERV. I. IAm ſanus iam peccare nolit, quia iam ſano peccanti ira cæleſtis vberior imminet. *Exitialis omninò eſt poſt veniam in peccata recidentia.* n. 13. p 141.

II. Iam ſanum factum docet Dominus peccare rurſum non debere, ne grauiori ſupplicio afficiatur. *Ægritudines etenim, reliquaque corporis incommoda à peccatis habent exortum.* n. 18. p. 142.

III. Deterius cõtingit, cùm peccatore recidente, Deus eum permittit in grauiora crimina prolabi. *Deterrimum enim contingens eſt ſupplicium, cùm graue delictum grauius ſequitur.* n. 23. p. 143.

IV. Delinquenti poſt ſanitatem deterius contingit, aſſerente Domino. *Maius enim piaculum, poſt accepta beneficia delinquere* n. 19. p. 144.

V. Chriſti diuinitatem languidus Iudæis pergit manifeſtare. *Ex beneficentia enim in hominicionem collegit Paralyticus Chriſtum eſſe diuinitate conſpicuum.* n. 36. p. 144.

PARS SECVNDA.

Paralyticus in lecto.

PANEGYRICVS IV. 4.

Ex peccati Paralytici remiſſione.

Lib. 5. ſect. 4. n. 17. pag. 150.

OBSERV. I. DVm adhibetur portitorum diligentia, pene deſperato ægroto ſalutis patet aditus. *Nullus enim tam depranatus animi habitus, nulla tam deſperata conſuetudo, quæ non ſanetur, ſi hominis adſit pœnitentiæ diligentia.* n. 17. p. 150.

II. Ingenium quatuor portitorum paralytici ad ſalutem proximi procurandam commendatur. *Vbi de doctoribus, ſeu Euangelij operarijs, qui ingenioſa curà proximorum ſaluti incumbunt.* n. 21. p. 151.

III. Ob fidem portantium paralyticum, eum Dominus ſanitate donauit. *Vbi quàm ſæpe Deus ob fidem Catholici Principis totum Regnum penè è paralyſi deſperatum afficit valetudine.* num. 24. p. 152.

IV. Priùs dominus ægrotum liberauit à crimine quàm à languore eriperet. *Auguſtius namque Dei eſt beneficium, nos à peccato eripere, quàm à cunctis corporis tribulationibus abſtrahere.* n. 29. p. 153.

V. Corpus ab ægritudine liberaturus Dominus, priùs animum ſanitate donat *Iniquitas enim animi, fons aſſolet laborum exiſtere.* n. 34. p. 153.

VI. Dictione facilius fari: *dimittuntur tibi peccata tua*, quam, *Surge, & ambula*; opere difficilius hoc illud. *Facilius enim eſt, Mundum extruere, cunctaque miracula excitare, quam vnicum veniâ donare peccatorem.* n. 39. p. 154.

5. PANEGYRICVS V.

Ex languido corpore ſanato.

Lib.5.ſect.5.n.9.pag.156.

OBSERV. I. PAralytico ſanato iubet, Dominus, lectum abluendum lacrymis in domum deferre. *Pœnitens enim nunquam debet circa crimina præterita ſecuritate frui, amplius curet abluere.* n.9.p.156.

II. Præcipit Dominus, Paralyticum lectum portare, vt rectâ viâ in habitaculum tendat. *Studens ſcilicet, opus illud egregium ab oculis hominum occultari, inanem gloriam parui pendens.* n.14.p.157.

III. Oneratum lecto languidum Dominus iubet in domum abire. At dicit Matthæus abiiſſe domum, non lectum deportaſſe. *Innuitur, ſuauiſſimum eſſe pœnitentiæ onus.* n.19.p.158.

IV. Languidus in domum fortitudinis, tutiſſimam arcem à Domino immittitur. *Pœnitentia enim fortitudinis domus, arx tutiſſima eſt, ad hominis protectionem.* n.23.p.159.

Fructus ſextus.

FRVCTVS SEXTVS.

Socrus Simonis.

1. PANEGYRICVS I.

Ex ægrotantis fœminæ curatione.

Lib.6.ſect.1.n.14.pag.163.

OBSERV. I. DOminus non rogatus diuertit ad domum, vbi de ſocru laborante gener ſollicitudine afficitur. *Arguitur enim, domum Dei eſſe illam, vbi ſocrum & generum ſchiſmata non diuidunt.* n.14 p.163.

II. Indecorum eſſet Petro Chriſti amantiſſimo, pro ſocrûs valetudine ſollicitudine non commoueri. *Inuiſa etenim Domino in ſocrum aut ſocerum generi, aut nurûs impietas, quam grauiſſimo ſupplicio aſſolet vindicare.* n.22.p.165.

III. Petri ægrotans ſocrus non habebat febres, ſed ab ipſis vtique habebatur. *Innuit Euangeliſta, à cupiditatibus animum teneri, non ipſum tenere cupiditates.* n.26.p.165.

IV. Petrus curat de ſocrus ſanitate, poſtquam omnes alij à Domino curantur ægroti. *Princeps enim Eccleſiæ futurus propria commoda debebat communi ſupponere vtilitati.* n.31. p.166.

V. Chriſtus febricitantis fœminæ febrem increpat. *Quia egregij Præſulis, Patris, Concionatoris eſt, non peccatores, ſed peccata increpare.* n.35.p.167.

VI. Manus vetulæ piæ, qua ex contactu Domini ſalus ad corporis membra pertranſierat, obſequij miniſterio conſecratur. *Nec enim manus tanto munere donata, debuit exerí, niſi ad obſequium Domino impendendum.* num. 41. p.168.

VII. Fœminæ prius febricitantes manus Chriſto excipiendo hoſpitio impendunt miniſteria. *Exemplar exhibent pœnitentiæ perfectæ, quando membra, quæ ſeruierant iniquitati, ſeruiunt iuſtitiæ.* n.46. p.169.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex pluribus circa ægrotos miraculis.

Lib.6.ſect.2.num.11.p.171.

OBSERV. I. OCcidente Sole iuſtitiæ, cuncti ſanantur ægroti. *Vbi oſtendo, Chriſtum Præſulem optimum nece fuiſſe omnibus præcipuè ſalutarem, quem Paſtores quique imitari debent.* n.11.p.171.

II. Primo diluculo Dominus in deſertum iuit oraturus. *Edocens, primo manè orationi vacare, vberrimo quidem fructu.* n.16.p.172.

III. Non vult dominus illa in vrbe commorari, aliis Vrbibus Euangelium euulgaturus. *Edocens Euangelicos miniſtros, communes eſſe, non partiales verbi euulgatores.* n.22.p.173.

IV. Quàm piè, ac ſalubriter illi incolæ Chriſtum requirunt, & conantur detinere! *Cogendus etenim affectuoſo ſtudio Dominus, ne diſcedat ab homine, poſtquam conſtanter eſt requiſitus.* n. 26. p.174

FRVCTVS SEPTIMVS. Fructus ſeptimus.

Muti, & Surdi.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex diaboli pulſione.

Lib.7.ſect,1. num.8. pag.179.

OBSERV. I. QVaſi validè expugnantem Chriſti potentiſſimum brachium erat eiiciens è corpore dæmonem. *Adeò enim difficilè inueterati animi conſuetudo ablegatur, vt vel ipſi Deo hic labor, hoc opus eſſe videatur.* n.8. p.179.

II. Cæleſtis Medicus non per tranſennam, diuturno miniſterio, ægrotantis incumbit curationi. *Contra ſpirituales Medicos peccatorum inueteratam ægritudinem in inſtanti aboleri exiſtimantes.* n.14.p.180.

III. Stupendum miraculum, priùs dæmonem ablegatum eſſe, quàm mutus loquutus fuiſſet. *Aſſolet enim diabolus, cunctaque tribulationes à nobis ablegari, Deum inuocantibus, quæ apud mutos diu commorantur.* n.18. p.180.

IV. Diabolus fecerat hominem obmuteſcere, tyrannide linguam vſurpans, vt in miſeri exitium inflammaret. *Vbi oſtendo, linguam iniquam Vniuerſitatem eſſe iniquitatis, cuius diabolus Rector.* n.22.p.181.

V. Dum dæmoniacus tacet, ſignum euidens obiicit, ſe dæmonium habere. *Illud enim ipſum, to obticere delicta, idem eſt, ac præconis voce euulgare, quæ operis confitendo.* n.26. p.182.

VI. Non loquitur mutus, donec diabolus egrediatur. *Niſi enim priùs è pectore tuo delinquendi occaſio ablegetur, haud confeſſioni ſalutari operam dabis.* n.32.p.182.

VII. Pulſo dæmone, videt cæcus, audit ſurdus, mutus loquitur. *Nec ſufficit verè confitenti, cuncta peccata aperire, niſi ſimul ſtudeat, à praua conſuetudinis cæcitate omnino liberari, ab amore delicti perfectè eripi.* n.39.p.184.

VIII. Simul loquitur mutus, & cæcus videt,

ac dæmoniacus à diabolo liberatur. *quia erga eum qui delicta confitetur, Dominus ſeſe munificentiſſimum exhibet.* n.45.p.184.

IX. Exitialiter ille mutus erat, ſalobriter ac vitaliter loquutus eſt. *Viuit enim animus, dum lingua crimina profitetur; moritur dum obticere curat. Vnde in linguæ manibus vita, ac mors ſtatuitur.* n.49.p.185.

X. Mutus verba profert, vt benefactorem encomiis efferret. *Acceptis enim beneficiis laudis actio debetur.* n.53.p.186.

2. PANEGYRICVS II.

Ex calumniatorum iudicij repreſſione.

Lib.7.ſect.2.n.33.pag.191.

OBSERV. I. EDocet Dominus, ex ciuium diſcordia Regna, ac domos corruere, omninoque deperire. *Aſſolet enim fidelium charitas, ciuiúmque pax, mœnia eſſe Reipublicæ.* n.33.p.191.

II. Diuiſionem Regni eiuſdem deſolatio ſequitur. *Excidium enim fatale ibi, vbi animorum diuiſio reperitur.* n.38.p.192.

III. Reſpondet Dominus potiùs ad cogitationem calumniatorum, quàm ad verba. *Quia in prauis, aut rectis geſtis intentio, & affectus præcipuè à Domino aſpectatur.* n.43. p.193.

IV. Corda fidelium explorat diabolus, ſi greſsûs figendi locum inueniat. *At viri prudentes nullam paruulam imperfectionis dæmoni rimulam relinquunt, quâ poſſit intrare.* n.47.p.194.

V. Mulier laudans Phariſæos confundit, Chriſto ex fœmina Matre commendato. *Vt per infirma fortia quæque confundere Dominus oſtendatur.* n.53.p.195.

PARS ALTERA.

Surdus, & Mutus.

3. PANEGYRICVS III.

Ex medicamine adhibito ægroto.

Lib.7.ſect.3.n.14.pag.200.

OBSERV. I. NOn precantur, vt ſanet ægrotum, ſed vt ei manum dignetur imponere. *Nam apud dominicas manus tota adeſt miſerationum colligatio.* n.14.p.200.

II. Commendabiles illi, qui miſerum hominem adduxerunt ad Chriſtum, & pro illo deprecati ſunt; quidquid enim in illis fuit, pro ſalute proximi geſſerunt. *Edocentur Præſules, Patres familias, Concionatores, Magiſtri, eorum munus eſſe ſolum dirigere, & precari, ad Deum autem vim directioni addicere pertinere, ad directi reductionem.* n.20.p.201.

III. Vt ſurdi auriculas aperiret, mutique linguã ad loquendum exereret Dominus, nullam non operam impendit. *Solius enim Ieſu laboribus acti facinus eſt, ſurdum peccatorem ad confeſſionem criminum excitare.* n.24.p.202.

IV. Aſpiciens Dominus miſeri hominis calamitates, condolens ingemiſcit. *Quid enim mirum gemitum edi ab eo, qui cum ægrotante patiebatur: illius liberantis ſocius.* n.28. p.202.

V. Ingemiſcit Dominus, dum videt hominem cæleſtis patriæ filium tot in terra ærumnis diſturbari. *Hominis enim dies mali adeò, vt ſint omnium miſeriarum colligatio.* n.31.p.203.

VI. Vt mutus loqueretur rectè, non ſolum Dominus linguæ frænum ſuſtulit, ſed & ſpecialiſſimè oris ſui reliquiis inunxit. *Rota enim adnata linguæ iniquitas eſt.* n.40.p.204.

PANEGYRICVS IV. 4.

Ex Surdo muto audiente, & loquente.

Lib.7.ſect.4.num.7.pag.206.

OBSERV. I. POſt ligatam diù linguam, ipſa ſoluta, Mutus rectè loquitur. *Nec enim rectè loqui ſciet, qui non ſciuit tacere* n.7.p.206.

II. Curante Domino, ne miraculum glorioſè proferretur, ampliùs euulgatur. *Quia honor ſequitur fugientes.* n.12.p.207.

III. Rectè & mutus, & ſocij loquuntur, dum, gratis vocibus efferunt curationem. *Vox enim laudis inſequi debet beneficij acceptationem.* n.18. p.207.

FRVCTVS OCTAVVS. Fructus octauus.

Panis multiplicatio.

PANEGYRICVS I.

Ex Conuiuarum fame. 1.

Lib.8.ſect.1.num.16.pag.214.

OBSERV. I. CVpientes turbæ Chriſtum habere, eum ſequebantur. *Ad Chriſtum enim non perueniet, qui non ſequitur ipſum.* n.16.p.214.

II. Chriſtum præeuntem ad deſerta turbæ ſequuntur imitatrices. *Exemplum enim verbo eſt efficacius.* n.20.p.214.

III. Non imperatæ turbæ, non tractæ, ſed voluntariæ & vltroneæ celeriter, & alacriter, veniunt ad Chriſtum. *Voluntarios enim Dominus expetit ſectatores.* n.23.p.215.

IV. Turbæ Dominum ſequebantur non omnino ſpiritu vltroneo, quæ temporaria commoda expetebant. *Rarus enim ille, qui diuinum ſolummodo ſpectet obſequium.* n.32.p.216.

V. Adnotat Euangeliſta. Ieſum oculos ſubleuaſſe, innuens lumina pudicè, cuſtodienda. *Exitialiter enim oculi huc illucque diuagantur.* n.36. p.217.

VI. Cùm vidiſſet Dominus hominum indigentiam, non potuit non ſuccurrere miſeris. *Oportet præſules ſubditorum aſpectare tribulationem, vt efficaciùs ſuccurrant.* n.43.p.217.

VII. Sciens Dominus, quid facturus eſſet, adhuc alterius conſilium requirit. *Edocens Principes non ſcientes haud dedignari, alterius ſapientioris conſilio ſubiacere.* n.48. p.218.

VIII. Pium Dominus Philippum appoſitè adiit Conſiliarium. *Nec enim impius conſilium ſalutare exhiberet.* n.52. p.219.

IX. Non conſulit Chriſtus Rex, an pecunia à paupere ſit exquirenda, ſed vndenam ex propria

penu poſſint emi panes in ſubditorum ſubſidium. *Commendabilis Princeps ille, qui expenſis propriis ſubditos alit laborantes, ſeu dimicantes.* 57. p. 220.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Conuiuij inſtitutione.

Lib. 8. ſect. 2. num. 10. pag. 222.

OBSERV. I. CHriſtus eſuriens, Apoſtolique fame preſſi non diſcumbunt, vt reficiantur, ſed ſolummodo turbæ. *Præſules enim non ſua, ſed ſubditorum commoditati inſeruiunt.* n. 10. p. 222.

II. Sed Chriſtus verum Regē oſtendit, in laude Dei primus. *Primi enim in dignitate, primi in diuinis laude debent oſtendi.* n. 16. p. 223

III. Pauci panes, ac piſces vſque ad ſatietatem quinque hominum millibus cedunt. *Bona enim increſcunt, dum egentibus impenduntur.* n. 22. p. 224.

IV. Chriſti epulum humanæ voluntatis appetitum exſatiat. *Sola etenim cæleſtia dona perfectæ ſatisfactioni parent.* n. 28. p. 225.

V. Apoſtoli ex Chriſto panem & piſces accipientes, impertiuntur turbis, quidquid vellent. *Vnde laudantur miniſtri, qui ſubditos non fraudant muneribus, quæ impenduntur à Regibus.* n. 33. p. 225.

VI. Diuiditur cibus, vt turbæ ſatientur. *Panis enim ſeu doctrina integra audientibus oblata non proficit. Contra Concionatorum ambages, & inuolucra.* n. 36. p. 226.

VII. Ipſe Dominus panes diſtribuit turbis, licèt Apoſtolorum manibus vtebatur. *Aſſero hinc, hominem dantem pauperi ſubſidium, Deum habere ſecum: eum autem qui negat, longè à Deo commorari.* n. 42. p. 227.

3. PANEGYRICVS III.

Ex Conuiuij reliquiis.

Lib. 8. ſect. 3. num. 10. pag. 229.

OBSERV. I. PLus Apoſtoli Domino & panis, & piſcium reddidere poſt ſatietatem, quam ex ipſo turbæ acceperant. *Qui enim opera eleemoſyna gerit, non exhauritur, ſed minimum diteſcit.* n. 10 p. 229.

II. Poſt acceptum beneficium docet Dominus reliquias colligere. *Id eſt, nec minima obliuiſci beneficia.* n. 14. p. 229.

III. Panes, quos nundiales puer vnus afferebat, cæleſtes duodecim validiſſimi Apoſtoli vix valent ſuſtinere. *Sic cæleſtia dona exuberare aſſolent.* n. 20. p. 230.

IV. Accipientes turbæ ab Apoſtolis quinque panes reddunt duodecim cophinos fragmentorum. *Nec enim ſine lucro, ac commodo ſpirituali quidem proximorum ſaluti incumbes?* n. 24. p. 231.

V. Fugit Dominus quia turbæ curabant eum principem ſibi eligere, qui temporaria lucra eis conferebat. *Amat enim Dominus ditiſſimus propter ſeipſum ſolummodo requiri.* n. 28. p. 232.

VI. Meritò Dominus fugit, cùm ad temporarij Regni adminiſtrationem requiritur. *Gubernandi enim munus difficultatibus, ac incommodis redundans cordatus quilibet fugere ſatagit.* n. 32. p. 233.

VII. Vidit Dominus, ſe rapiendum ad ciuilem necem cùm ſe eligendum Principem populi illius ſpectauit. *Ipſa namque morte horribilius Imperium.* n. 37. p. 234.

PARS ALTERA

Septem panes.

PANEGYRICVS IV. 4.

Ex miſeratione Domini ſuper turbas.

Lib. 8. ſect. 4. num. 11. pag. 238.

OBSERV. I. TVrbarum aſpectata à Domino ſuſtinentia, eis conuiuium præparauit. *Hominum enim tribulatio, ac patientia eſſe diuinæ miſericordiæ aſſolet excitatrix.* n. 11. p. 238.

II. Vt vidit Ieſus turbas adeo propriis deſtitutas, vt nihil haberent, ſolo in Deo ſpem collocantes, eis ſuccurrit. *In ſe enim ſperantes Deus eripit à cruciatu.* n. 17. p. 239.

III. Quàm meritò regno aptus apparuit, qui non ſuper proceres, ſed ſuper turbas miſeratione afficitur. *Is enim commendabilis Princeps: qui deſpectis ſubditis ſuccurrere geſtit* n. 22. p. 240.

IV. Succurrit Dominus turbis eſurientibus non ex bonis communibus, ſed è panibus ex proprio penu emptis. *Edocens Principes, de communibus vrbium bonis donatores largiſſimos, ac vbilem iſtam munificentiam prorſus eſſe.* n. 28. p. 240.

V. Suſtinentibus Deum promptiſſima eius adeſt miſericordia. *Labores enim patienter tolerati numen reddunt pacatiſſimum.* n. 34. p. 241.

PANEGYRICVS V. 5.

Ex ſeptem panum multiplicatione.

Lib. 8 ſect. 5. num. 6. pag. 243.

OBSERV. I. PRiùs quàm Dominus panis multiplicati beneficium à Patre acciperet, gratias perſoluit. *Difficilis enim bonorum multiplicatio ex actione gratiarum exoritur.* num. 6. p. 243.

II. Quod à Domino accipiunt Apoſtoli, vt apponant turbis, nimium multiplicatum appoſuêre. *Quàm commendabiles prælati, qui plus dant egentibus, quàm accipiunt exhibendum.* n. 10. p. 244.

III. Accipientes Diſcipuli à Domino panes, comedunt, & apponunt egentibus *Ex acceptis enim bonis Eccleſiaſtici viri comedant quidem uſſatim, ſed quod ſuperat ex proprio ſumptu pauperi apponant.* n. 16. p. 245.

IV. Bona à Chriſto Rege è Præſulibus accepta vt diſtribuant; non vni danda, ſed cunctis impendenda. *Nam ſicut perſonarum acceptio taxatur in Præſule: ita ille commendatur, qui omnibus ſubditis ſe oſtentat æqualem.* n. 19. p. 246.

V. Dabat Ieſus panem Diſcipulis mox diſtribuendum ſubditis, non aliis miniſtris committebat, ipſe intererat conuiuantibus. *Edocens Præſules, vt circa munera diſtribuenda, & vniuerſam adminiſtrationem non nimium miniſtris fidant; ſed ipſi immediati ſint munerum largitores; aut adſint, dum aliorum manibus impenduntur.* n. 26. p. 247.

VI. Qui

VI. Qui eſurientibus panes appoſuere Chriſtus, & Apoſtoli; & retinent; quod dederunt, & mirabilibus donantur incrementis. *Nec enim eleemoſyna ſubſidia pereunt, ſed mirum in modum exaugentur.* n.31.p.247.

Fructus nonus.

FRVCTVS NONVS.

Hydropicus.

PANEGYRICVS I.
Ex Hydropico ſanato.

Lib.9.ſect.1.num.14.pag.252.

OBSERV. I. HYdrops eſt humoris redundantia aptè laſciuiæ gerens ſimulacrum. *Vbi aſſero, animum, cunctáque membra ex inundatione huiuſmodi liberanda lacrymarum profluuio.* n.14.p.252.

II. Hydropem auaritiæ deſcribo. *Inextinguibilis planè auarorum ſitis eſt.* n.19.p.253.

III. Apud conuiuium profanum, ſeu menſam ſecularem & aſpicitur à Domino Hydropicus, & inſidiæ præparantur iuſtis, & eorum imperfectiones minimæ excogitatæ iaxantur. *Vbi damno comeſſationes, conuiuiorumque ſecularium exceſſus, vitiorum illectamenta, quæ vt fugias, Ieſum inuita.* n.26.p.254.

IV. Phariſæi improbi Dominum obſeruabant, an aliquid diceret, faceretve, Vnde aduersùs eum, accuſationis materia ſumeretur. *Vbi aſſero improborum eſſe, proximorum defectum obſeruare, eiſque detrahere.* n.32.p.255.

V. Ignorantiam ſimulans Chriſtus edocet Phariſæos Sabbabato licere, ægrotanti apponere medicamen. *Sapientum enim eſt Magiſtrorum, ignorantiam aliquando prætendere, vt inſtruant ignorantes.* n.38.p.255.

VI Dimittit Dominus ſanatum Hydropycum, ne apud hydropicos phariſæos commorando, rurſum hydrope corriperetur. *Moneo peccatores ad meliorem mentem conuerſos, obſtare quidem propoſiti perſeuerantia iniquorum conſortia.* n.43. p.256.

VII. Dimittitur Hydropicus ſanatus ad templum vt actionem gereret gratiarum. *Ingratus quippe ille, cui beneficium acceptum non eſt impulſio, vt ad templum, acturus gratias, proficiſcatur.* n.48.p.257.

2.

PANEGYRICVS II.
Ex Iudæis confuſis & edoctis.

Lib.9.ſect.2.num.12.pag.260

OBSERV. I. DE luxuriei hydrope diſſerens Dominus, aptè bouis ac aſini exemplum attexuit. *Voluptatum etenim amatores brutalitate laborant.* n.12.p.260.

II. Domino requirenti, an liceret Sabbato curare, phariſæi iniqui reſpondere non poterant. *Stulta enim & elinguis iniquitas.* n.19.p.261.

III. Coram iniquiſſimis phariſæis de ſola ambitione frænanda Dominus appoſitè diſſeruit. *Omnium etenim criminum ambitio eſt radix.* n.24. p.262.

FRVCTVS DECIMVS. Fructus Decimus.

Mortui Suſcitati.

PANEGYRICVS I.
Ex Domini ad Bethaniam aduentu.

Lib.10.ſect.1.num.23.pag.272.

OBSERV. I. LAzarus peccatoris gerens perſonam, proprio Numine ægritudine afficitur. *Se etenim tunc hominis amicum Deus oſtendit, cum delinquentem corripit: inimicum autem, cùm nos impunè delinquere ſinit.* n.23.p.272.

II. Quàm illuſtre Lazari elogium eſt, à Domino amicum appellari. *Vnde iuſtus cuius vel vocari ſeruum, eximia laus eſt, ſuam dignitatem agnoſcat.* n.34.p.273.

III. Vt Lazarus valeát Chriſti amicus appellari, neceſſaria ne conditio eſt diuexari laboribus? *Vbi oſtēdo Diuos cunctos Confeſſores licèt, Martyres eſſe quodammodo.* n.41. p.274

IV. Lazarus laboribus præmiſſis, meruit Dei amicus à Domino appellari. *Vbi oſtendo, frequenter nec per inſtantis interſtitium cruciatus ſeparari à iuſtitia.* n.44.p.275

V. Ex hoſpitij frequentis operibus, ex eleemoſynæ frequentis obſequio Dominus Lazarum, & ſorores amabat. *Frequens enim Eleemoſyna licèt paruula, amoris diuini conciliatrix eſt.* o48.p.276.

VI. Qui lapidare conabantur Dominum Iudæi iam, horâ tranſactâ, non curabunt lapidibus vulnerare *Mundialium enim conditio continuâ laborat varietate; vno quidem ſtudio, & voto alterum aduerſante.* n.52.p.277.

VII. Amicum verè Lazari agit Dominus, dùm eum à ſeductionis ſomno conatur excitare. *Ille enim verè amicus qui veritate obiectâ, circa cuncta, quæ ad amicum ſpectant numquam aſſentationi ſtudet.* n 57.p 278.

VIII. Exiſtimauit Thomas Dominum iuſtè ſeſe lethali periculo ob leuandum amicum exponere: curatque Domini amicos ad periculum idem attrahere. *Nil enim amico dignius; quam propter amicum aduerſa pati.* n.62.p.278.

PANEGYRICVS II. 5.
Ex Domini Colloquio cum ſororibus Lazari

Lib.10.ſect.2.n.28.pag.283.

OBSERV. I. VAna ſecularium conſolatio circa proximi mortem eſt, curare vtique, vt à mente mortis memoriam omnino ablegent. *Quam imprudens, qui in alterum morte proprium non agnoſcit interitum* n.28.p.283.

II. Lazarus vt Dei amicus, adoleſcens moritur, vt peccatoris imaginem refert ad viuos reuocatur *Deo enim miſericorde, & iuſtus moritur, vt afficiatur præmio: & peccator viuit, vt pœnitentiam agat.* n.34.p.284.

III. Martha à Domini colloquutione recedit, vt ſororem Mariam ad ipſum Dominum aduocaret. *Laudantur qui à quiete, & ſecuritate recedunt, vt proximorum ſaluti operam expendant.* n.38.p.285.

IV. Ad peccatoris inueterati excitationem Mariæ nominis materni baiula aduocatur. *Quia ad pœnitudinem inueterati peccatoris pectori immutendam, Deipara neceſſaria eſt interceſſio.* n. 42. p.285.

V. Plorans Dominus Mariæ Iudæorúmque lacrymas commendauit. *Quam religiosè mentes piys lacrymis abluuntur.* n.48.p.286.

VI. Dominus ſe ad Lazari reſurrectionem accingit, rogatus lacrymarum vocibus. *Vocales enim lacrymæ nunquam non à Domino exaudiuntur.* n.55.p.287.

VII. Plorat Chriſtus, de morte Lazari amici exultans. *Mors etenim iuſti exaltatione eſt proſequenda.* n.62. p.288.

VIII. Vt celebret Dominus amici reſurgentis trophæum, lacrymas profundit. *Nihil enim piis lacrymis iucundius.* n.67.p.289.

3. ## PANEGYRICVS III.

Ex Lazari reſurrectione.

Lib.10.ſect.3.num.19.pag.290.

OBSERV. I. VT Lazarum laboribus actum, & adhuc peccatoris perſonam gerentem ad vitam gratiæ reuocet Dominus, acervat miracula. *Difficillimè enim ſe ad meliorem mentem peccator ille reuocat, qui actus calamitatibus ad id obuenientibus vt pœniteat, minimè reſipiſcit.* n.19.p.290.

II. Lazarus quatriduanus fœtorem neceſſariò exhalat. *Diuturni etenim criminis comes infamia.* n.23.p.290.

III. Lapidis Lazarum claudentis pondus immenſum oſtendo. *Vnde miror, peccatorem, per ſe viuere iam grauatū pondere iniquitatis.* n.27.p.291.

IV. Qui fuerat mortuus, qui fuerat ſepultus vincula peccatorum manifeſtauit. *Adnatum etenim iniquitati, protinus publicari, quia crimen nullum occultum.* n.33. p.292.

V. Lazarus viuus è ſepulchro proſilit, adhuc à funereis vinculis non expeditus. *Praui enim habitus frequenti ſacramentorum receptione ſunt abolendi.* n.39.p.292.

VI. Extra ſepulchrum Lazarus ſoluitur. *In occaſione enim delinquendi conſtitutus quomodo poteſt abſolutionis beneficio frui.* n.46. p.293.

VII. Lazaro reſurgenti indicitur omnimoda à domo, vbi peccarat receſſio. *Nec enim perſeuerans pœnitudo, ſi peccator criminum apud præcordia reliquias foueat.* n 51.p.294.

VIII. Lazarus recèns natus quaſi faſciatus egreſſus è cuna. *Vt ſpiritualem commendet infantiam.* n.58. p.295.

PARS SECVNDA.

Viduæ filius.

4. ## PANEGYRICVS IV.

Ex defuncti inuectione.

Lib.10.ſect.4.num.10.pag.198.

OBSERV. I. AD Ciuitatis portam humandum cadauer *Vt Ciuitatem ingreſſuris, inibique operaturis mors ante oculos obuerſetur.* n.10.p.198.

II. Solatium eſt miſeræ parenti viduæ vnico filio orbatæ, Ieſus vnicus Filius Patris, & viduæ Matris morti horribili tradendus. *Contra querelas eorum parentum, qui filiorum immaturum interitum lamentantur.* n.14.p.299.

III. Dicens Viduam, omnibus tribulationibus fœminam innuit exactam. *Vbi quam piura, viduis miſereri,* n.18.p.300.

IV. Ex viduæ miſeria Dominus mirum in modum commouetur. *Contra viduarum iniquos vexatores.* n.26.p.301.

V. Quum primum fœminæ lacrymas aſpexit Dominus, illicò eas abſtergere curauit. *Promptiſſima enim Dei miſericordia erga afflictos lacrymas profundentes.* n.32. p.301.

VI. Videns Dominus fœminam iuſtè plorantem, vehementer afficitur, vt filium reſtituat. *Lacrymæ etenim ex corde profluentes, & animi reſurrectionem, & qualibet cordis iuſta deſideria conſequantur.* n.36.p.302.

PANEGYRICVS V. 4.

Ex adoleſcentis reſurrectione.

Lib.10.ſect.5.num.6.pag.304.

OBSERV. I. TAngit Dominus feretrum, vt approbet funereæ pompæ pia obſequia. n.6.p.304.

II. Defunctus adoleſcens defunctum exprimit peccatorem. *Lethaliter enim delinquens animus letho traditur.* n.11.p.305.

III. Adoleſcens, fauente Domino, reſurgit priùs quàm ſepulchro recluderetur. *Mortuus enim peccator conſuetudinis praua pondere preſſus, difficulter reſurgit.* n.17.p.305.

IV. Manus Domini loculum tangens ſeu laboribus peccatorem conturbans, eum vitæ reſtituit. *Inflicta enim pœna nos à crimine reuocant.* n.21.p.306.

V. Cœpit loqui adoleſcens, vt de accepto reſurrectionis beneficio, eloquio pio, gratias Deo exhiberet. *Cæleſtia enim beneficia linguam noſtram pium excitant ad eloquium.* n.27.p.307.

VI. Datur à Domino filius matri à morte liberatus, quia saluti ſpirituali vtriuſque conſultum eſt. *Contra parentes nimium querulos è filiorum immaturo fato.* n.35. p.308.

PARS TERTIA.

Reguli filius.

PANEGYRICVS VI. 6.

Ex Regulo poſtulante filij ſanitatem.

Lib.10.ſect.6.num.14.pag.312.

OBSERV. I. PVer Reguli tunc incipiebat mori, cùm incipiebat viuere. *Mundus etenim morientium quidem, non viuentium eſt Regio.* n.14. p.312.

II. Regulus ad Chriſtum ex laborum filij ducatu magno ducitur beneficio. *Auerſos enim à Deo attrahit tribulatio filiorum.* n.18.p.313.

III. Febri Filius Reguli laborabat. *Vbi concupiſcentiæ lethalem deſcribo ægritudinem.* n. 23. pag.313.

IV. Vir ille Regulus appellatur, quia diem domini vidit, & gauiſus eſt. *Regnum enim eos ſequitur, qui ſocios ſeſe Saluatori committunt.* n.28.p.314.

V. Taxatur Regulus, quòd imminente filij morte, in eius conſpectu de temporariis rebus ſollicitus exhibeatur. *Mors enim aliorum nos omnino debet a ſæcularium cura præripere, vt ſoli inſtantis iudicij meditationi hæreamus.* n.32.p.315.

7. PANEGYRICVS VII.

Ex ipſo aſſerente ægrotantis valetudinem.

Lib.10.ſect,7.n.8.pag.317.

OBSERV.I. POſtulanti Regulo, vt Ieſus deſcenderet, Ieſus ei filij impertit ſanitatem. *Plus enim largiri aſſolet, quàm petatur.* n.8 p.317.

II. Viuit Reguli filius, quem pius pater domino tradiderat. *Bona enim æterna & temporaria eis filiis præparantur, quos parentes Dei curæ, & protectioni committunt.* n.13.p.318.

III. Ante credulitatem. *Regulus*, poſt fidem *homo* vocitatur. *Plus enim homo ex virtutibus, quàm ex dignitatibus eſt æſtimandus.* n.18.p.319.

IV. Petente Regulo, vt poſt deſcenſum in ſuam domum Ieſus filium donaret ſanitate, Chriſtum ſtatim contulit. *Dei enim in homines miſeros liberalitas prona moras minimè patitur.* n. 23. p. 319.

V. Statim ſerui fideles occurrunt, felix nuncium domino allaturi. *Homines enim fidi, ac recti gaudent felicia nuncia legare, horrent infelicia referre.* n. 28. p.320.

VI. Credente Regulo, filij & famuli in dominum crediderunt. *Actiones namque parentum ſchola ſunt, vbi filij edoceantur, quid gerendum.* n. 33. p.321.

PARS QVARTA.

Archiſynagogi filia.

8. PANEGYRICVS VIII.

Ex Archiſynagogo dominum aduocante.

Lib.10.ſect.8.n.12.pag.325.

OBSERV.I. PRinceps Synagogæ filiæ vnicæ obeuntis tribulatione vulneratus, properauit ad Chriſtum. *Aduerſitas enim Principibus, Regibus, Equitibus, Primatibus terra ſuadet, ad Ieſum reuocari.* n 12.p.325.

II. Cuilibet homini anima filia vnica debet eſſe dilecta. *Et quiſnam cordatus, vnicam non curet æternum cuſtodire.* n.20.p.326.

III. Quàm prudens Princeps ille, qui mortuam filiam quatriduanam eſſe non expectauit, ſed curauit illicò à Domino ad vitam reuocari. *Si peccato anima moriatur, non differenda cura reſurrectionis; ſed mox ei totum ſtudium impendendum.* num. 25. p.317.

IV. Mox poſt fidem Archiſynagogi expreſſam, Chriſtus miraculum patraturus, ad eius domum properat. *Fides enim feruens præproperam conſequitur votorum executionem.* n.30.p.328.

V. Quàm laudabiliter retro accedit pudore perfuſa, quæ tot annis fluxu ſanguinis laborauit. *Edocet meretrices, omnéſque veneris alumnos erubeſcere.* n.35 p.329.

VI. Timens fœmina numen propitium, pacatum, munificum metuit adire. *Erubeſcentis peccatoris, dum pœnitentiæ dat operam, commendo humilitatem* n.40.p.329.

VII. Poſtquam hemorrhoiſſa ſanguineo liberata fuerat à profluuio, de nouo aſſeritur ab ipſo ſanata. *Quia animus a ſordibus quantumuis dilutus poſt tergum domini, quaſi omnino ſordidus, & nouóque diluendus deprehenditur, ſi à tergo Dei eleuetur ad faciem.* n.45.p.330.

PANEGYRICVS IX. 9.

Ex puella reſurgente.

Lib.10.ſect.9.num.7.pag.333.

OBSERV.I. QVi curabat ſecretum miraculi claudi ſigillo, tres Diſcipulos tamen, ac patrem, & matrem puellæ ad clauſtrum admiſit. *Pudicitiæ enim Virginis conſulebat, quam non decebat cum viro aliàs ſanctiſſimo ſolam in cubiculo commorari; mordaci vulgo Chriſti Deitas reuelata non erat.* n.7.p.333.

II. Non ſolùm tres diſcipuli ad ſecretum reſurrecturæ puellæ admittuntur, & alibi non ſemel, ſed & puellæ parentes aduocantur, quaſi neceſſariò. *Nec enim poteſt viuere filia, quæ parentum præſentia non illigatur.* n.12.p.334.

III. Aptè puella duodecim annorum dormire, non mortua eſſe à Domino aſſeritur. *Quia virginitas neſcit occaſum.* n.17.p.334.

FRVCTVS XI. Fructus vndecimus.

Aqua in vinum.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Maria indicante meri defectum.

Lib.11.ſect.1.num.27.pag.341.

OBSERV.I. ILlæ nuptiæ, quæ inuitato Deo, colligantur, minimè diſſoluuntur. *Edocet fœminas coniugio illigandas præcedentem nuptias impudicitiam cauſam eſſe diuortij.* n.27.p.341.

II. Illicò apud nuptias vinum deficit. *Vbi de mundialium bonorum inanitate, mendacio.* n. 31.p.342.

III. Deipara, vino deficiente lætificante, procurat coniugibus mirabilem vini conuerſionem, ſeu Euchariſtiæ frequentiam. *Ad innumera enim matrimonij incommoda ſubeunda, neceſſarium ſubſidium frequentia Communionis.* n.36.p.343.

IV. Cùm vinum non omnino euacuatum eſſet, aſſerit Deipara, illos vinum non habere. *Etenim vel mundialis deliciarum abundantia carentia deliciarum eſt.* 41 .p.344.

V. Monet Virgo miniſtros, vt ipſi propriam cauſam gerentes miraculum cum ipſa efflagitent. *Oratio etenim multorum in propria cauſa efficaciſſima eſt.* n.46.p. 344.

VI. Miraculum dominus excitauit, precante ne matre, an ipſa neceſſitate poſcente? *Aſſero, neceſſitatis preces à domino exauditas, quia ipſi labores orationis locum exerunt.* n.53.p.345.

VII. Licèt

VII. Licèt hora nondum adueniſſet, tamen precibus dominus exoratur, vt ante tempus hora præſentetur. *Ea eſt enim vis orationis, vt non opportunè quodammodo exaudiatur.* n.57.p.346.

1. ## PANEGYRICVS I.

Ex miraculi patratione.

Lib.11.ſect.2.n.30.pag.350.

OBSERV.I. SEx hydriis dominus totidem cæleſtis doctrinæ documenta prælibat, quam quidem ſalutarem doctrinam miraculo intendit confirmare. *Vbi Euangelij miniſtri edocentur, cuncta opera in proximorum vtilitatē gerenda. Coniugati, dilectionis vinculo colligari. Virgines ſuum ſtatum coniugio præferendum. Sponſi, Chriſtum ad nuptias inuitare. Peccatores, Deiparæ neceſſariam protectionem. Chriſticolæ ex Gentibus mero gratiæ potari ex virtutum exercitamento.* n.30.p.350.

II. Non verbi externum ſonum, ſed internum præcipientis domini affectum obedientiæ magiſtra Maria exequitur. *Perfectus etenim obediens præcipientis paret ad nutum.* n.37.p.351.

III. Vilis aquæ commutatione, facili ſumptu magnum à domino conuiuæ munus acceperunt. *Si enim mundus magna commutatione vilia dona largitur. Deus commutatione nullâ, nullo ſumptu (leuiſſimo vtique pretio) dona magna largitus eſt.* num.42. p.352.

IV. Chriſtus quodammodo nolens, à Mariæ precibus coactus eſt. *Ea enim vis orationis, vt Deum quodammodo nolentem ad effectum alliciat.* num.46. p.353.

V. Mundus primò bonum vinum apponit, in fine fæces: (ſi ſic vocitandi labores) Deus autem primùm fæces, in fine meri ſuauitatem. *Vnde cæleſtium, ac terreſtrium bonorum diſſidio obiecto, ad cæleſtia inuitamur.* n.50.p.354.

Fructus duodecimus.

FRVCTVS XII.

Transfiguratio.

1. ## PANEGYRICVS I.

Ex transfigurati ſpecie.

Lib.12.ſect.1.n.1.pag.356.

OBSERV.I. EGregios teſtes Chriſtus adducit, vt poſſint aſſerere Transfigurationis gloriam. *Laudes enim proximi difficilè creduntur, etiam poſt teſtium aſſertionem; cùm opprobria, aut defectus ſine teſte credantur.* n.1.p.356.

II. Hi præcipuè ad Transfigurationis gloriam aſſumuntur amici, & propinqui Ieſu reliquis præſtantiores. *Nam ſi propinquus, & amicus celſioris meriti ſit, haud debet poſthaberi, quia propinquus, & amicus: ſed potiùs reliquis anteferri?* n.6.p.357.

III. Non omnes diſcipuli, ſed neceſſarij teſtes ad Chriſti gloriam intuendam aduocantur, vt Iudas ſine infamiæ nota poſſit abeſſe. *Ne videlicet cum excuſatione quodammodo delinqueret, ſe affectum à præſule ſuo infamia ſic fuiſſe operatum adſirmans.* n.11 p.358.

IV. A diſcipulis ſedentibus Petrus, Ioannes, & Iacobus ad montis ſuperandi laborem aſſumpti, non repugnant, dominum comitantes. *Qui enim videt Deum ſeu Præſulem laborum ſocium minimè de ſpecialibus tribulationibus, quas patitur (vel reliquis pace fruentibus) conqueritur.* n.17 p.358.

V. In conſpectu amicorum Dominus glorioſus apparet, ſine amicis conſortibus nolens externâ illâ felicitate frui. *Nec enim felicitatem appellarim, quæ amicis non communicatur.* n.23.p.359.

VI. Transfigurationis dies, inſtitutâ oratione, inchoatur. *Innuitur, lætitiam, felicitatem, diem bonum ex præmiſſa oratione auſpicandum.* n.27.p.360.

VII. Non ſolitarius Dominus transfiguratus eſt, ſed in diſcipulorum conſpectu. *Optat enim cæleſtis Dominus famulos gloriæ ſuæ ſocios adhiberi.* num.32. p.361.

VIII. *Ante eos*, quia dura erant certamina poſtmodum toleraturi, aptè Dominus gloriæ obiicit imaginem *Vt ſcilicet ſpe premij infallibilis, ac ineffabilis ad quæquæ ſubeunda roborarentur.* n.38.p.361.

IX. Cum Legiſlatore, & Propheta confert Dominus imminentis Paſſionis proceſſum. *Vt edoceat Principes res egregias geſturos, probos priùs adire conſiliarios.* n.45.p.363.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Patris commendatione.

Lib.12.ſect.2.n.1.pag.364.

OBSERV.I. SOlæ gloriæ à longè coruſcationes Petri animum videntur compleuiſſe. *Vbi de ineffabili prorſus cæleſtis beatitudinis præſtantia.* n.1.p.364.

II. Solis iuſtitiæ ſocij diſcipuli neceſſariò erant ſolari illuſtrandi fulgore. *Tanta vis bonæ, aut malæ ſocietatis, vt accedens ad ſolem Ieſum illumineris: hærens tenebris impio offuſo, tenebroſus appareas.* num.7. p.365.

III. Transfigurati Ieſu gaudia imminentis paſſionis opprobriis interſecantur. *Sic Deus dulcia amaris immiſcet, ne filij (iuſti videlicet) ſuperbiâ diſtrahantur.* n.13.p.366.

IV. Pater æternus Chriſtum aſpiciens in miſerationibus prædiuitem, Solis in morem effulgentem, Filium ſuum eſſe inclamauit ſpecialiſſimè. *Ille enim à parente affirmandus eſt Filius, qui eius virtutes imitatur.* n.19.p.367.

V. Corruunt diſcipuli tantæ gloriæ pondus humeris comportantes. *Vt contemplari valeas, quale, ac quantum gloriæ cæleſtis pondus diſcipulo fideli præparatur.* n.24.p.368.

VI. Imperantur diſcipuli, nemini viſionem reſerare, ne condiſcipuli conquererentur. *Edocentur Præſules, ſic digniores ſubditos præmio afficere, vt reliqui fideles quidem famuli querelas non excitent.* n.29. p.369.

PANEGYRICORVM MORALIVM SYLLABVS.

LIGNI VITALIS CHRISTI CONSILIARII, ſeu perſecutionibus acti, duodecim Fructus.

Fructus primus.

FRVCTVS PRIMVS.

Ieſus à Leuitis tentatur in Ioanne.

1. PANEGYRICVS PRIMVS.

Ex periculo de Ioanne facto.

Lib.1.ſect.1.num.16.pag.378.

OBSERVATIO I. IVDÆI ab Ieroſolymis, vbi medius illorum aderat Chriſtus, nuncios immittunt, quæſituros illum, vbi non commorabatur. *Vt innoteſcat, quàm ſtultum ſit, Deum intimè præſentem ſpernere; & peritura bona tot laboribus quæritare.* n.16.p.378.

II. Ieroſolyma Iſraëlis metropolis iniquitatis exponit magiſterium. *Ex Vrbibus etenim Regiis aſſolet inſolentior procedere iniquitas.* n. 22. p.379.

III. ad Ioannem Legati immittuntur, vt ei offerant Meſſiæ dignitatem. *Tanta enim procerum mundialium vanitas, vt vel Diuinitatem ſe poſſe elargiri præſumant.* n.27.p.380.

IV. Leuitæ inaniter rogant, quiſnam Ioannes eſſet, cùm de ſeipſis, déque mundialium eſſentia periculum facere deberent: *Tu quis es? Vbi edocemur periculum facere de rebus caducis, ac æternis; vt ſciamus, quænam ſint exquirenda.* n. 32. p.380.

V. Ioannes confitetur, ſe Chriſtum non eſſe, & minimè negat, quod profitetur. *Multi enim factis abnegant, quod verbis profitentur.* n. 39. p.381.

VI. Non otioſè Euangeliſta idem ſignificantes particulas aceruauit. *Vt innuat, magno impetu, non ſegniter, tentationibus repugnandum, præcipuè ad ſuperbiam attinentibus.* n.44.p.382.

VII. Ioannes non ſua, ſed quæ Ieſu conſtanter exquirit. *Sponſi enim amicus in cunctis non propria quidem, ſed dilecti commoda quærit.* n. 49. p.383.

PANEGYRICVS II.

Ex Ioanne voce in deſerto.

Lib.1.ſect.2. num.11.pag.385.

OBSERV. I. IOannes vox illuſtratur. *Vbi de ſacri Verbi Præconibus verbo, & actionibus vtentibus ad Orbis reductionem.* n.11 p.385.

II. Qui in omnis Iordanis vrbibus inclamabat, ſe in deſerto clamare affirmat. *Sic enim in vrbibus clamare debent Concionatores, ac ſi apud deſerta clamitarent, & agricolis ignorantibus verba proferrent; ne ob nimis artificioſum ſermonem Dei myſteria minimè calleantur.* n.24.p.386.

III. Sacerdotes & Leuitæ curantes Ioannis mores inueſtigare, ad Phariſaïcam iniquitatem pertinere dicuntur. *Vile etenim admodum, proximorum actiones curioſè requirere, crudele, iniquum.* n.32.p.388.

IV Edocet Ioannes dirigendam eſſe illam ipſam viam Domini, ſiue illam, quâ ad Dominum tendimus. *Per viam enim rectam incedentes plures greſſus perficimus. Qui ad rectitudinem huius viæ ſpectare minimè videntur, ad ſecularia commoda properantes non proficiunt in via.* n.38.p.389.

V. Iam audent reprehendere, quem paulò antè Prophetam, ſeu Meſſiam reputabant. *Vt innuatur, quàm citò mundialis hominum fauor, ſeu gratia euaneſcat.* n.43.p.389.

VI. Baptiſmi ſui Ioannes exprimit demortuam ablutionem, vt Dominici Baptiſmatis vitalitatem commendet. *Noſtrum enim Baptiſma parens ſpiritus vitæ fons.* n.49.p.390.

VII. Ieſus Ioannem ſibi proponit, quia Ioannes Chriſtũ ſibi proponendũ aperuit. *Iuſta enim à Domino humilitatis retributio exaltatio eſt.* n.55.p.395.

Fructus ſecundus.

FRVCTVS II.

Ieſus in ſignum, cui contradicitur.

PANEGYRICVS I.

Ex Simeonis vaticinio.

Lib.2.ſect.1.n.17.pag.395.

OBSERV. I. LIcet Virgo dignoſceret Filii Deitatẽ, adhuc miratur, eius huma-

humanitate contemplata, quia quodammodo Humanitas diuinitate admirabilior oſtenditur. *Vbi de admiranda prorſus Principum humilitate, ſiquidem honores animum extollere conſueuerunt.* num. 17. p.395.

II. Vbi Chriſtus collocatur, ibi appoſitus eſt in ſignum, aut ſcopum in quem perſecutionum iacula diriguntur. *Tunc enim verè Chriſtus noſter eſt, nobiſque commoratur, cùm laboribus defatigamur.* n.22. p.396.

III. Deiparentis gladium paucis illuſtro. *Vbi Virginis Martyrium expono ex amore, ſcientiáque laborem addente.* n.27.p.397.

IV. Adhuc gladium doloris Virginei in Filij paſſione confirmo. *Vbi Deiparentis erga hominum ſalutem ardentiſſimum affectum contemplemur oportet.* n.53.p.398.

V. Iniquæ hominum cogitationes ſalubriter in interitum reuelantur. *Confeſſione etenim fideli grauata conſcientia ab onere expeditur.* n.41.p.399.

PANEGYRICVS II.

Ex Annæ proloquio.

Lib.2.ſect.2.n.7.pag.401.

OBSERV. I. ANnæ Prophetiſſæ elogia præſtringuntur. *Vbi de illuſtri ornata virtutibus viduitate in viduarum documentum.* n. 7. p.401.

II. Senibus traditur recens natus Dominus, quia ſenectus diuino obſequio, dilectionique accommodatior. *Vbi illuſtre ætatis prouectæ (ſancta quidem) aptitudinem ad perfectionis opera; ne ex ſenectutis infirmitate quis excuſationem gerat.* n.13.p.402.

III. Anna non voce ſolà, ſed & ieiuniis exorabat. *Debilis enim oratio, quam recta opera non roborant,* n.19 p.403.

IV. Vtiliter Anna nocte deprecationibus ſeruiebat. *Efficaciſſima enim nocturno in tempore deprecatio eſt.* n.25.p.403

Fructus tertius.

FRVCTVS III.

Chriſtus à Diabolo tentatur.

1.

PANEGYRICVS I.

Ex eiuſdem ieiunio.

Lib.3.ſect.1.num.13.pag.408.

OBSERV. I. CHriſtus à ſpiritu ad tentamina adducitur; ſeptiformis enim Spiritus alumnos ſuos victuros quidem certamini addicit. *Vbi immo periculosè ad tentamina procedere, qui virtutibus Spiritus ſancti munitus non eſt.* n. 13.p.408.

II. Satanas ex vrbe recedit Dominum in deſerto tentaturus. *Quia apud vrbem relinquit fœminas ſui vicarias, homines illectamentis alligaturas.* n. 17. p.409.

III. Vt à diabolo tentaretur, ad deſertum adducitur appoſitè. Ad aliorum hoſtium certamina non apta ſolitudo. *Nam ſi cùm laſciuià pugnandum fuiſſe, deberet fortis vir fugere ſingularis certaminis ſolitudinem.* n.21.p.410.

IV. Chriſtus ſolitariam vitam ſuis commendauit victoribus. *Aptiſſima etenim ad hoſtes debellandos ſolitudo.* n.27.p.410.

V. Tentandus Dominus à diabolo appoſito ſe ieiunio, & eſorie muniuit. *Aduersùs enim tentamina ieiunium vires animo adiicit.* numer. 32. p.411.

VI. Chriſtus tempore primi veris Quadrageſimale ieiunium appoſitè inſtituit. *Tunc enim fortior hoſtis inſurgit, cùm pabula abundant.* num.40. p.412.

VII. Inſtitutum eſt tempore veris Quadrageſimale ieiunium, ad carnem, hoſtem horribilem, ieiunio ſuperandam. *Deficit enim caro in abſtinentia conſpectu.* n.44.p.413.

VIII. Tempore veris Quadrageſima inſtituta animum efficit virtutibus vernare. *Ieiunij ſcilicet munimento virtutum parente.* n.50.p.413.

IX. Tempore verno Quadrageſimæ Ieiunium corpori præparat medicamina. *Corporis enim exſiccandis humoribus ieiunium pharmacopolium eſt.* n.55.p.414.

X. Ieiunij Quadrageſimalis præceptum accuratiſſimè implendum, quia Quadrageſima à Domino nobis dedicata. *Vbi quam exitialiter Dei præcepta violemur.* n.60.p.415.

XI. Chriſtus diebus & noctibus ieiunauit. *Taxans eos, qui noctibus ieiunium ex ientaculi redundantia violant, poſtquam diebus ieiunarunt.* num.66. p.415.

XII. Vt Chriſtus perfecti ieiunij normam relinqueret, famem eſt paſſus. *Contra ieiunantium ſaturitatem, famis non tolerantiam cruciatus,* n.70. p.416.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Domini cum Diabolo conflictu.

Lib.3.ſect.2.num.42.pag.422:

OBSERV. I. COlloquij Ieſu cum Satana ſingula verba moraliter expendo. *Vbi varia ingero ad exercitamenta virtutum animo documenta, præcipuè circa tentamina diaboli, & mundi vanitatem.* n.42.p.422.

II. Tentamina, tribulationes, labores non copulatim irruunt in fideles, ſed ſeparatim temporis ſucceſſione; præmia autem coniunctim. *Tentaminibus agi cupias, ſi ſtilla paulatim affluentis tentamenti, gloria pelago muneranda ſunt.* n.55.p.423.

III. Diabolus Chriſti eſurientis fami parat inſidias, vt illudat laborantem, addátque afflictionem afflicto. n.59 p.424.

IV. Chriſtum diabolus memorat Dei Filium adoptione, aut naturâ, vt à paterna eum remoueat dilectione, innuens famem illam, diſponente patre aggrauari. *Curat enim diabolus, inter Deum & homines ſeminare diſcordias, vt eos erga Deum ſeparet ab affectu.* n.70.p.425.

V. Et vulnera, & ruinam, & pondus diabolus offert obſequentibus. *Cuncta enim mundi bona verè mala eſſe comperiuntur.* n.75.p.426.

VI. Aſperis famem, non blandis cibis diabolus palpare curat. *Si enim hoſtis te poteſt fame ad Tartarum exturbare, haud plenum adducet.* numer. 81. p.427.

VII. Ieiu-

VII. Ieiunantem Dominum diabolus incitat ad ſuperflua, quem Chriſtus neceſſariæ retudit alimoniæ obiectu. *Vbi quàm ingrata ſit Deo ſuperfluitas adnotatur, haud libera rapina.* numer. 85. p.428.

VIII. In pinnaculo conſtituto Domino conſequens erat, diabolum ſuadere præcipitium. *Adeò enim lubricus faſtigij locus eſt, vt caſus ſit illi adnatus.* n.92.p.428.

IX. Diabolus munera Domino promittit, vt faciat excidere. Et quando non hoſtium dona fallacia. n.97.p.429.

X. Diabolus poſt tentamina replicata, nihil proficiens, vt exigat difficilius, ſcilicet adorationem, accurrit ad munera. *Nil enim ad vincendum validiùs, quàm donum; in Iudicum eruditionem.* n. 104. p.430.

XI. Mundialia diabolus ac ſi ſua eſſent, Domino videtur offerre. *Profectò tam mala Mundi ſunt bona, vt quodammodo data ſint Diabolo ob ſupplicium iniquitatis, vt cui voluerit poſſit diſtribuere.* n. 112. p.431.

XII. Diabolo tentatori Dominus manſuetiſſimè reſpondit fragili quidem hoſti. *Solis enim hominibus horribilius impugnantibus acriter reſpondendum à Domino punituro.* n.118.p.432.

XIII. Sacræ ſcripturæ iaculis Dominus victor diabolum confixit. *Oſtendens quidem aduersùs ſpirituales hoſtes nos fortiſſimis Scripturæ armis eſſe protegendos.* n.124.p.433.

XIV. Sciens Dominus, quòd omnia illa dedit ei Pater in manus, ſolum Patrem adorandum eſſe aſſeruit. *Accepiſſe enim à Domino cuncta, ratio potentiſſima eſt, ne animus datorem contemnat, alij libans adorationem.* n.129.p.434.

Fructus quartus.

FRVCTVS QVARTVS.

Ieſus tentatur à Phariſæis ex Adulteræ iudicio.

1.

PANEGYRICVS I.

Ex Adulteræ adductione.

Lib.4.ſect.1.num.11.pag.438.

OBSERV.I. CÆleſtis Princeps hominum aptè apud Oliueti verticem frequenter commoratur. *Adnatum enim egregio Principi, feſſis, afflictis perſecutione, ac ægrotantibus ſubditis ſubuenire.* n.11.p.438.

II. Chriſtus pergit ad Deum, recurrit ad homines, verè Dei & hominum mediator. *Edocens Sacerdotes Dei & hominum mediatores, vtrorumque participes fieri, quorum mediatores exiſtunt.* numer.16. p.439.

III. Cùm iudicis geſturus eſt perſonam Dominus, pergit ad montem precaturus. *Iudices enim indigent orationis exercitamento, vt munus perfectè exequantur.* n.21.p 440.

IV. Deprehenditur in adulterio mulier. *Quia adnatum crimini luxuriei, illicò reuelari.* num.26. p.441.

V. Horror ſupplicij Adulterij ingentem innuit iniquitatem. *In adulteros inuectiuus exſurgo, adulterij malitiam parumper oſtendens.* numero 34. p.442.

VI. Sola adultera ad tribunal adducitur, nulla de adultero viro facta mentione. *Certè viri adulterium æquè, imò ſæpe magis crimінoſum lapidibus erat addicendum.* n.47.p.444.

VII. In ipſo adulterio ſemper iniqua fœmina deprehenditur, & ſupplicio afficitur lapidibus obruta. *Quia illud ipſum adulterij noxâ contaminari, dilapidatio, imo gehenna fuit.* num. 54. p.445.

VIII. Adultera in ipſo culpæ actu à diuino iudice deprehenditur. *Laſciuis enim ſæpe diuina vltio repentè preparatur.* n.60.p.446.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Adulteræ liberatione.

Lib.4.ſect.2.num.15.pag.449.

OBSERV.I. EGregius Iudex Chriſtus non tam in vili fœmina corrigenda ex fragilitate quidem delinquente, aut egeſtate: quàm in nobilibus & potentioribus Scribis, & Phariſæis oſtenditur. *Tunc enim rectè ius adminiſtratur, ac viuit Reſpublica, cùm potentibus inſolenter delinquentibus frænum apponitur.* n.15.p.449.

II. Phariſæi, & Scribæ Adulteræ peccatum indicabant. Ideò Dominus Phariſæorum ac Scribarum indicat crimina. *Eorum enim peccata reuelantur, qui curant proximorum delicta aperiri.* n.20. p.450.

III. Edocet Dominus puniendam peccatricem, ſed non à legis tranſgreſſoribus. *Interdicitur enim peccatori, de crimine, quo ipſe fœdatur, proximum carpere.* n.27.p.451.

IV. Inclinat ſe Dominus, & digito ſcribit, vt vel peccatoribus inſignibus etiam parcere videretur, & coactus eos carpere. *Vt doceat præſules, manſuetudinis melle aculeum reprehenſionis condire.* n.35.p.452.

V. Recedentibus Phariſæis, improbis quidem medicis, ſolus Ieſus adulteram laſciuientem donauit ſanitate. *Vt Euchariſtiæ efficaciam, ad luxuriei ignẽ extinguendum, innueret.* n.40.p.453.

VI. Homines accuſatores fœminæ tandem parcunt, Deus ipſe non condemnat eam, quæ non tam ex malitioſa affectatione, quàm ex fragilitate deliquit. *Quis homo non parcat humanæ fragilitati?* n.44. p.453.

VII. Non Dominus adulteram tradit lapidibus obruendam, ſed ſine legis pœna ei ſubeunda, abſoluit. *Infamia enim locum gerebat lapidationis.* n. 50. p.454.

FRVCTVS V. Fructus quintus.

Ieſum Iudæi extra ciuitatem deturbant.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex inuidia conciuium à Domino taxata.

Lib.1.ſect.1.num.10.pag.459.

OBSERV.I. PRouerbium hoc ſpirituales medicos taxat. *Hi quidem propria conſcientia prius debent medicamina adhibere, quam proximorum incumbant valetudini.* n.10.p.459.

II. Chriſtus apud Nazareth miracula non operatur. At non quia patriam oderit, ſed quia concines increduli. *Alias enim patria honoranda extraneos poſtponeret; quia erga propinquos prima pietas exhibenda* n.18.p.460.

III. Maximo Chriſtus patriam beneficio affecit, dum apud illam non primò miracula operatus eſt. *Non enim ſemper beneficia largiri, eſt præcipua ſignum dilectionis: nec documentum irati Numinis à muneribus abſtinere.* n.28.p.461.

IV. Patriam miraculis, ac doctrina Dominus ideò non illuſtrauit, quia debitâ reuerentiâ apud concives non recipiendum ſe, cognouerat. *Adnoto, neceſſariam auditorum æſtimationem circa miniſtros Euangelij, vt doctrina ſalubriter euulgetur.* num.39. pag.463.

V. Apud concives illuſtres quique minori pretio habentur, imo deſpiciuntur; quia virtutes non conſiderant, ſed fragilem infantiam recordantur. *Monentur Concionatores, patriæ fines fugere, auditorum profectus ſtudioſi*, n.45.p.464.

VI. Patriam Chriſtus miraculis minimè illuſtrauerat, quia aſpernator eſt inuidorum. *Vbi oſtendo, adnatum ciuibus eſſe, ciuibus illuſtrioribus effectis inuidere.* n.50.p.465.

2. ## PANEGYRICVS II.

Ex viduæ Sarephtanæ, & Naamani exemplo.

Lib.5.ſect.2.num.7.pag.467.

OBSERV. I. MVltæ viduæ in Iſraël, imo in vniuerſa terra, dum fames, ſiue gratiæ penuria graſſatur. *Quia æſtum criminum ſequitur deſolatio rerum.* n.7.p.467.

II. Quando cælum animo clauditur in laboribus conſtituto, tunc ei dies clariſſimus eluceſcit. *Quia tribulatio lucem nobis præſtat, qua miſerum delinquendi ſtatum dignoſcamus.* n.11.p.468.

III. Relictis Iſraëlis viduis contemnentibus, miſeratio Dei in Elia pergit ad indigenas illam recipientes. *Caueant Religioſi, & Sacerdotes, ne contemnentibus ipſis familiarem ſibi Dominum, & relictis: pergat Deus ad ſeculares reuerentius recepturos.* n.16.p.469.

IV. Extranei vocantur ad fidem, propriis dimiſſis, ob fidem egregiam Prophetis exhibitam. *Sæpè enim peccatores peſſimi donantur veniâ, & ad virtutis gremium adducuntur, quia apud eos quadam pietas, ſeu opus aliquod bonum moraliter reſidet.* n.21.p.470.

V. Iſraëlis leproſi mundati non ſunt, quia non petiere ſalute donari: At Naaman poſtulans ſanitatem, ſanitate afficitur. *Lepra enim criminis, præcipuè laſciuiæ, orationis exercitamentis curanda eſt.* n.24 p.471.

VI. Dies Eliæ vocitantur illi, in quibus egregia fuit operatus facinora. *Immo, illos Præſulis, Regiſue dies eſſe in quibus ciuium vtilitati vixit.* n.28. p.471.

VII. Elias à Domino immittitur ad regionem fame preſſam inuiſendam, vt videns calamitatem, miſericordiâ afficiatur, pluuiámque petat. *Edocentur Principes, conferre ad ſubditorum inopiam ſublevandam, miſeros propriis oculis aſpectare, Prouinciam percurrendo.* n.36.p.472.

PANEGYRICVS III.

Ex Iudæorum iracundia.

Lib.5.ſect.3.num.11.pag.475.

OBSERV. I. AVdientes Iudæi diuinæ miſericordiæ erga Gentiles documenta, excitari ad pœnitudinem deberent. *Nam ſi Deus grauiori crimine infectis pepercit, parcet leniori peccatoreis: ſi miſericorditer ſic excepit extraneos, quid non vberiori pietate domeſticos excipiat, propinquis parcat? Hinc ad pœnitudinem allici debuiſſent.* n.11 p.475.

II. Voluit Dominus extra Nazareth deturbari, vt Iudæi intra Ciuitatem patriam non conarentur iuſtum interficere. *Cuius ſanguine effuſo corrueret.* n.16.p.476.

III. Chriſtus vitæ ac mortis Dominus ibat, non cùm hoſtes conarentur: ſed pro libito moriturus. *Vt vltrò ſeſe morti pro te offerentem ardentiſſimo, debito quidem, amore proſequare.* n.21.p 477.

IV. Stultiſſimi Iudæi ex vrbe Saluatorem irâ ſuccenſi deturbauerunt. *Adnata planè iracundiæ ſtultitia nos ad cuncta crimina pronos efficient.* n.30. pag.478.

V. Cùm Chriſtus trahi à perſequutoribus videtur, planè pergit immunis. *Iuſti enim vel dum illigantur impiorum funibus, ſeu tribulationum catenis, ſemper liberi, ac ſoluti incedant.* n.35.p.479.

FRVCTVS SEXTVS.

Iudæi apprehendere tentant Saluatorem.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex tentatorum repreſſione.

Lib.6.ſect.1.n.21.484.

OBSERV. I. QVia Principes ſi non audeant accedere ob periculum imminens, ſubditos immittunt illo afficiendos incommodo. *At Principes probi ſcutum ſubditorum debent eſſe: improbi autem Principes ſubditos ſibi ſcutum apponunt vulnerandum quidem, vt ipſi protegantur.* n.21.p.484.

II. Principes Sacerdotum, & Phariſæi obſtinati in peccatis, non ſolùm non credunt, ſed & apprehendere curant Saluatorem. *Seculi enim amatores cæleſtis doctrinæ præſcripta recipere non valent.* n.26.p 485.

III. Hoſtes Chriſti eum non apprehendere decernentes, poſt eiuſdem laudes auditas apprehendere curant, quia prauus affectus non erat omnino extinctus. *Vbi aſſero vera pœnitudinis documentum, ſi animus non facilè priori accendatur affecta.* n.31.p.486.

IV. Deprehenduntur Sacerdotes Principum nomine gloriati. *Principi enim veraci adnatum, ſubditos Reipublicæ vtiles præmio afficere: ad iuſtitiam excitare, acceptáque à Deo poteſtate vti in iuſtitia protectionem.* n.36.p.487.

V. Iniqui hi Principes famulorum miniſterio curant Dominum illigari. *O quanto facinore! Taxabiles enim oſtenduntur Domini, famulis ad crimina*

miniſtris vtentes, & famulis ipſi miniſterium huiuſmodi exercentes adnati ſupplicio declarantur. n. 49. p.489.

VI. Piiſſimus Dominus reprimit miniſtros, ne illigationis perficiant actionem. *Miſericors enim impios continet, ne iniquitati operam impendant: ſicut iratus improbos in ſui conſilij manu relinquit, vt exequantur.* n.55. p.490.

VII. Diues in miſericordiis Dominus peccatoribus hiſce promittit vel modicum tempus. *Pretioſa etenim temporis particula, ad conuerſionem; vt innuatur peccatoris ſtultitia, qui tam longa tempora diſperdit,* n.62. p.491.

VIII. Cum ipſis crudeliſſimis perſecutoribus ſe Dominus adhuc moraturum affirmat. *Vt Dei, ac peccatoris, contentionem meditere, dum peccator infenſiſſimè deſpicit Deum, Deus impenſiſſimè diligit peccatorem.* n.67. p.492.

IX. Contempſere Iudæi quæterę opportuno tempore Saluatorem: quare dum quærere curant, non inueniunt. *Elapſæ enim circa ſalutem occaſionis ſupplicium eſt, non inuenire, quod requiritur.* n.74. p.493.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Ieſu ſitientes inuitante.

Lib.6. ſect. 2. num.9. pag.496.

OBSERV. I. SI quis mundialia ſitit, nouiſſimi diei dominicæ feſtiuitatis exhauriat effectus, & ab huiuſmodi ſiti liberabitur. *Paſſionis enim Dominicæ guſtu obiecto cuncta felle mundialia condiuntur.* n.9. p.496.

II. Neminem Chriſtus cæleſtium bonorum à fonte repellit, cunctos admittit. *Nec enim Principum mundi ingenio, dona recludit, vt pauciſſimis patere poſſint.* n.14. p.497.

III. Qui ſibi, & proximis ſpiritus aquam bibit, haurit quidem vndam, ſed flumina proximis profundere videtur. *Spiritus enim eorum, qui proximorum ſaluti incumbunt, non ſolùm non imminuitur, ſed dum effunditur, mirum in modum increſcit.* n.19. p.498.

IV. Poſt tranſactos ſeptem Feſtiuitatis dies, Dominus ſitientes agnouit homines, & ideo ad verum fontem aduocauit. *Quia gaudia terrena minimè præcordia valent implere.* n.24. p.499.

V. Qui cæleſtium bonorum è fonte potatur, venit ad Chriſtum, è mundialium memoria omninò abſtractus. *Quia participatio cæleſtis ſuauitatis mundi voluptatum animo ingerit obliuionem. Vbi de D. Ignatio P. N.* n.30. p.500.

VI. Qui Spiritum accipit Chriſti, curat externis operibus circa proximum oſtentare. *Nec enim ſufficit, ex corde credere, niſi operibus rectis te fidelem oſtendas.* n.37. p.501.

VII. Totus vbertatis Dominicæ fons ita ſingulariter vnius ſitientis ori apponitur, ac ſi omnibus non pateret. *Vt vnius animæ ineffabile pretium expendatur: ſi ſitit, ſufficiens eſt ad excipiendum totum.* n.42. p.502.

VIII. Spiritus ſanctus, qui *Flumina* appellatur, in præcordiis accipientium quaſi pelagi capacitatem requirit. *Vbi de Spiritus ſancti ditiſſimis donis, quæ non accipimus, quia incapaces ob iniquitatem reddimur.* num. 47. pagina 503.

FRVCTVS SEPTIMVS. Fructus ſeptimus.

Querimoniæ Iudæorum de non lotis Diſcipulorum manibus.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex Phariſæorum calumnia.

Lib.7. ſect.1. n.9. pag.508.

OBSERV. I. INiquiores erant Phariſæi, & Scribæ Ieroſolymitani, quia Metropolis Regiæ habitatores. *Vitia enim apud Vrbes Regias fronte perfricatiori diuagantur.* n. 9. pag.508.

II. Phariſæos nobilitate conſpicuos deſpicit Dominus, quia Diſcipulorum defectus (falsò quidem excogitatos) aperuère. *Viliſſimos enim ſe oſtendunt, qui aliorum maculas euulgare audent.* n. 14. pag.509.

III. Phariſæi mandata Dei iniquiſſimè tranſgredientes, taxant Diſcipulos, quòd ſeniorum præſcripta non ſeruarent. *Peſſimorum ingenium, in criminum ſuorum excuſationem aſſerere, etiam in Angelis, ſeu perfectis viris reperiri prauitatem.* n.19. p.510.

IV. Magiſtrum taxant Phariſæi ob Diſcipulorum incuriam circa moniti ſeniorum obſeruationem. *Nunquam non enim Magiſtro ſeu Præſuli defectus ſubditorum, aut diſcipulorum tribui aſſolent.* n.24. p.511.

V. Diſcipuli non materialiter, ſed ſpiritu ſeniorum ablutiones accuratè gerebant. *Vbi de crebra, neceſſaria animi ablutione diſſero; de mundiali enim puluere, vel religioſa corda ſordeſcunt.* n.29. p.512.

VI. Negligunt Apoſtoli externam illam ablutionem, quæ poſſit cum cordis immunditia copulari. *Spirituales viri abluendo, ac exornando cordi operam impendunt* n.36. p.513.

VII. Aptè adnotat Euangeliſta Scribas, ac Phariſæos hoſce omnium peſſimos eſſe: vtpote qui Diſcipulorum defectum (confictum quidem) euulgauerunt. *Peſſimorum enim proprium eſt, aliorum commiſſa reuelare.* n.43. p.514.

VIII. Apoſtolorum, Præſulum, ac principum Eccleſiæ quælibet leuis noxa patet cunctorum oculis, & ſtrictè taxatur. *Subditorum enim oculi acutiſſimi ad Prælatorum leues næuos agnoſcendos.* n.48. p.515.

IX. Diſcipuli egregiis virtutibus affecti, de paruulis piaculis reprehenduntur. *Vt edoceamur, quàm exacta debet eſſe magnorum (ſpiritualium ſpeciatim) virorum innocentia, in quibus minutiſſima piacula diſplicent.* n. 54. p.516.

X. Antiquorum ſanctiſſimorum patrum querela in indignè Communicantes, qui non dilutis manibus, ad Altare accedunt, panem cæleſtem ſumpturi. *Qui quidem crebrà præmiſſà diligentiſſimà ablutione accipiendus eſt.* n.60. p.517.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex conuictis Phariſæis.

Lib.7. ſect.2. n.12. pag.520.

OBSERV. I. CHriſtus pro Diſcipulis reſpondit, quia ipſi obticuere,

dum à Phariſæis accuſarentur. *Deus namque vindicator exſurgit, dum fideles actis iniuriis, patienter tolerant, parcúntque calumniatoribus.* n.12. p.520.

II. Defendit Magiſter diſcipulos hominum iuſſa, ſeu traditiones paruipendentes, vt Dei præcepta cuſtodirent. *Vbi taxo illos, qui Dei mandata violare non verentur, vt ſtatuta, ſeu conſuetudines hominum tueantur.* n.17.p.521

III. Sui, & Diſcipulorum taxatores Phariſæos Chriſtus arguit clauo clauum extrahens. *Innuens Sacerdotalem libertatem circa delinquentium correptionem.* n.21.p 522.

IV. Phariſæi leuem Diſcipulorum tranſgreſſionem aperiunt. Dominus autem ideò grauia Phariſæorum crimina manifeſtat. *Quonam putas, ſupplicio afficientur, qui grauia proximi peccata euulgant?* n.25.p.522.

V. Oſtendit Dominus præceptorum Dei tranſgreſſores eſſe qui diſcipulorum imperfectionem confictam indicarunt. *Indicamentum enim exhibet, conſcientia grauibus criminibus vulnerata, qui facilem ſe ad publicanda proximi piacula præbet.* n.32.p.523.

VI. Magnitudo ſtudij Phariſæorum, circa præcepta hominum obſeruanda præceptorum Dei læſione, à Domino taxatur. *Aulicos moneo, ne tantum Principum voluntati exequendæ ſtudium impendant, vt Dei præcepta tranſgrediamur.* n.37. p.524.

VII. Æterna pœna indicitur iis, qui parentes ſeu, cognatos honore, ſeu neceſſariis ad vitam ſubſidiis priuauerint. *Eleemoſyna quidem facta pauperi propinquo apprimè eſt ſalutaris, exitialis crudelitas in propinquos.* n.44.p.525.

VIII. Non dixit, *populus meus*, ſed, *populus hic*, velut à ſe extraneum eſſe oſtentans. *Deus enim morem ſolet gerere peccatori: accedenti ad ſe hæret, fugientem fugit.* n.50.p 526

IX Phariſæi hypocritæ non veram, ac ſimplicem virtutem, vt fideles Chriſticolæ; ſed fucatam ſectantur. *Hypocriſis enim aliud ſpecie viſibili indicat aliud animo gerit.* n.58.p.527.

3. PANEGYRICVS III.

Ex parabolæ expoſitione.

Lib.7. ſect.3. num.9. p.530.

OBSERV. I. PEccatores hi Phariſæi, & Scribæ, qui non habent fundamentum Chriſtum, eradicandi aſſeruntur. *Nullum enim fundamentum vitæ, aut felicitate peccatoris eſt, cùm diuturnitas vitæ ac felicitatis à conſcientiæ puritate procedat. Vita æterna piè viuere, vita impiorum vel hîc gehenna eſt.* n.9.530

II. Stulti Phariſæi, & Scribæ, qui cæci cùm eſſent, ſe putabant videntes plus aliis; vnde eis cæcitate laborantibus ducatum ſe præſtare præſumebant. *In indoctum Magiſtrum cæco Diſcipulo ducatum ferentem, vt ambo in foueam incidant.* n.15.p.531.

III. Phariſæi, & Scribæ ex libidinis tenebris cæci à Domino appellantur. *Nullum enim vitium ſic tenebras ingerit menti, quàm libido* n.20.p.532.

IV De corde prodeuntes prauæ cogitationes, verba & opera iniqua hominem commaculant. *Mala enim cogitatio, ſermo iniuſtus, opus prauum impuritate exundat.* n.26.p.533.

V. Ex nobis contra nos prodit exercitus pugnaturos. *Vbi oſtendo peccatorem ſibi inimicum eſſe, aduerſumque ſeipſum aciem producere.* n.37.p.534

VI. Petrum non taxat, qui phariſæos reprehenderat Dominus, hi enim inique de Diſcipulorum actionibus iudicabant, Petrus autem quod non intellexerat, minimè blaſphemauit. *Commendabiles exprimuntur, qui quod non intelligunt; benignè interpretantur: taxabiles admodum, qui quod ignorant, iniquà interpretatione detorquent.* n.44 p.535.

FRVCTVS OCTAVVS. Fructus octauus.

Murmur Iudæorum in Ieſum Scenopegiæ ſolemni.

PANEGYRICVS I.

Ex Fratrum Chriſti hortatione.

Lib.8. ſect.1. num.31. pag.544.

OBSERV. I. AGnoſcens Ieſus hoſtes in Iudæa ita aduerſus eum corripiendos Iudæam non iniit, licèt poſſet comprimere vulneratores. *Edocens vtique, nos curare, ne vlla licet inculpabiliter occaſio delinquendi proximo exhibeatur.* n.35.p.544.

II. Caput noſtrum Ieſus fugit periculum non vt proprium, ſed vt membrorum eius. *Se etenim fragilem, & querulum oſtentat, vt ex fragilitate humana exortas querimonias fidelibus ſuis vitio nullus adſcribat.* n.36.p.545.

III. Fratres Ieſu quærentes inani gloriolà affici ex eius operibus miris exitiale Domino conſilium exhibent. *Ex inani ex gloria exitium homini aſſolet præparari.* n.42.p.546.

IV. Chriſti cognati hortantes, vt in Iudæam Dominus aſcendat, non ſtudebant eius vtilitati, ſed proprio commodo. *Hoc cognatorum ingenium, nihil aliud ex te, quam proprio lucra quærere: ad alia quæque repellunt cognationis ius.* n 49.p 547

V. Fratres Domini eò quòd propinqui eius eſſent, credere in eum faſtidunt. *Acrior enim aſſolet propinquos inuidia pungere, dum iniquè ferunt, propinquum ipſis eminere.* n.55.p.548.

VI. Chriſti hoſtes curant, Ieſum ad Iudæam migrare; vt à Iudæis quærentibus necaretur. Iudæi quippe ſtudebant Chriſtum occidi, quia in eos vberiora beneficia contulerat. *Id eſt enim iniquorum ingratorum ingenium, vt ex accepto vberiori beneficio concipiant vberius male faciendi incitamentum* n.60 p 549.

VII. Quodammodo Chriſtus poteſtatem non habebat in Iudæa ambulandi. *Iniqui enim diuinæ potentiæ impedimento, ingratitudine, ſunt, ne gratiæ cæleſtis flumina diffundantur.* n. 68.p.550.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Chriſti ad cognatos Reſponſione

Lib.8. ſect.2. num.16. pag.553.

OBSERV. I. AFirmans Dominus ad proprium honorem tempus non dum aduentaſſe, aſſerit, ad honorem hominum, & gloriam ſemper tempus eſſe paratum. *Innuens, laudabile apud homines honoris deſiderium, ſi ad victo-*

rum fugam tuţúmque acquiſitionem dirigatur. n.16.p.553.

II. Si tempus ad glorificationem Chriſti non venit,,niſi poſt humiliationem : quodammodo poteſt tempus gloriæ hominum Ieſu fratrum præſens eſſe, quando humilitas non præceſſit. *Vbi oſtendo, debere nos per humiliationem incedere, ſi velimus ad Superos peruenire; via enim ad patriam humilitas.* n.20. p.554.

III. Tempus Chriſti, ad celebranda ſeſta nondum aduenerat, nati quidem paſſioni, & preſſuræ: tempus autem peccatorum ſemper adeſt, quia ex tẽporali feſto ad tartari æternam ærumnã deturbandi. *Iuſtorum temporalis labor, gaudium æternum; peccatorum autem feſtum temporarium, labor æternus exponitur.* n.27. p.555.

IV. Deſpicit Chriſtus temporarij feſti iucunditatem, quia mente voluebat æternam cæleſtis beatitudinis felicitatem. *In conſpectu enim cæleſtis gaudij aſſolet Mundi voluptas diſparere.* n.34.p.556

V. Non aſcendit Chriſtus ad diem feſtum, in quo aſſerebant fratres ipſum honoribus afficiendum fore. *Cordatus enim minimè eſt honores quaſiturus, ſed ab illis requirendus.* n.39.p.557.

VI. Licet fratres poſtularent enixè, vt aſcenderet, ad feſtum, non obtemperauit, patris voluntati obſequium præſtiturus. *Solum enim ſequendi cognati, propinqui, amici, familiares, dum ad Deum tendentia præſcripta indicere videntur.* n. 45. p.558.

3. ## PANEGYRICVS III.

Ex eodem ad diem feſtum aſcendente.

Lib. 8. ſect. 3. n. 10. pag. 561.

Observ. I. QVi manſit in Galilæa, vt impetum hoſtium furentium vitaret: curans animorum ſalutem, ſecurus aſcendit. *Innuens, Euangelij miniſtros tunc præcipuè ſecuritate ſpirituali frui, cùm inter deprauatos operam impendunt miniſterio.* n.10.p.561.

II. Qui dixerat, ſe non aſcenſurum ad diem feſtum, poſtea aſcendit: & tamen non aſcendiſſe probatur, quia quaſi occultus aſcendit. *Id enim, quod in occulto geritur, quaſi non factum poteſt affirmari.* n.26. p.562.

III. Cum fratribus noluit aſcendere, ne videretur ſtudioſus vanitatis; poſt fratres aſcendit, ne feſtorum violator haberetur. *Innuens, fideles ab omni mali ſpecie abſtinere, ne ſcandali detur occaſio.* n. 21. p.563.

IV. Chriſtus non manifeſtus, ſed quaſi occultus, feſtiuitati adfuit, quia dies feſtus ſibi non agebatur. *Iudæi enim murmure, iraque in ipſum inſurgebant, minimè de piaculis pœnitentes. Aſt ſola pœnitentia, & deuotio diem feſtum Domino gerunt.* n.26.p.564.

V. Iudæi murmuratores, dum iudicare dominum audent, falſam de illo opinionem exponunt. *Innuo hinc, ſoli Deo iudici, extremoque iudicio reſeruandum dignoſcere num quis bonus, aut malus ſit.* num. 31. p. 565.

VI. De Principibus Sacerdotum, & Phariſæis Euangeliſta fatur, *Propter metum Iudæorum.* Quos ideo Sacerdotes, aut Principes non appellauit, quia Ieſum curabant interficere. *Principis quidem, ac Sacerdotis vocabulum ſonat hominum cuſtodem, ædificatorem: non perſecutorem, ſeu perditorem.* n. 36. p.566.

FRVCTVS IX.

Fructus nonus.

Concilium Iudæorum.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex conſiliariorum ſuffragiis.

Lib. 9. ſect. 1. n. 12. pag. 571.

Observ. I. COnſiliariorum cæcitas, ac improbitas ponderatur. *Vbi cuiuſuis Cõſilij, è quo lex, aut mandata Dei ablegantur, exprimo exitium in Rempublicam.* n.12.p.571.

II. Pontificum horum, Phariſæorúmque collectione neceſſariò quodammodo contra Chriſtum agitur. *Quia licèt enim ſinis peccatoris flagitium contra Deum perpetratur, improborum collectio ad Deum dirigitur.* n.20.p.572.

III. Pontifices & Phariſæi non cogunt Concilium, vt, auditis vltrò citróque Senatorum ſuffragiis quid magis expediret, eligerent: ſed vt Ieſum occiſioni addicerent. *Moneo Senatores, non debere ad Concilium accedere, vt reſolutionem iam ſumptam exequantur: ſed vt, auditis ſociis, quid ſibi videatur, proferant, ad maiorem Reipublicæ vtilitatem.* num. 26. p.573.

IV. Pontifices, & Phariſæi prætextu diuini obſequij, ac vtilitatis Reipublicæ, propriæ vindictæ ſtuduere. *De Republica actum, cum ſpirituales perſonæ, aut Eccleſiaſtici viri, prætextu, aut ſimulatione virtutis, proprij affectus ſtudia ſequuntur.* n.32.p.574.

V. Vnde debuere Pontifices, & Phariſæi Domini liberationem concludere, eius exitium concluſerunt. *Ingrati enim immanis nequitia ex beneficiis Dei fit audacior ad maiora delicta.* n.37.p.575.

VI. Chriſtus iniquè iudicatur à Pontificibus, & Phariſæis; quia ab illis homo vulgariſſimus habebatur. *Apud iniqua enim tribunalia diues ſpectatur, & abſoluitur: pauper deſpicitur, & damnatur.* num. 45. p.576.

VII. Eo ipſo de plurali poſſint dicere, *Facimus, dimittimus*, iam de iuſto, iam de Republica optimè merito actum eſt. *Nam ſi improbi colligentur, neceſſariò innocentes coguntur deperire.* n.51.p.577.

VIII. Vt Romani non veniant, & locum ac gentem comminuant, Saluatorem curant de medio tollere, & ideò à Romanis gens, & locus dirutus eſt. *Cuncta enim comminuit iniquitas.* n.58.p.578.

IX. Prædicentibus ipſis qui Ieſum occiderunt, *Venient* Romani, illi quidem venerunt, facinus illud nequiſſimum vindicaturi. *Peccatores enim ipsâ delicti formâ Deum quaſi edocent, quonam modo ſit puniturus.* n.65.p.579.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Caïphæ Vaticinio.

Lib. 9. ſect. 2. num. 15. pag. 582

Observ. I. CAiphas qui ſocios ignorantes innuit, ſéque ſapientem aſſerit, verè ignorans oſtenditur, ſophiſmate vſus ad errorem. *Oſtendo ſapientiam in impio omnino eſſe & illi, & Reipublicæ exitialem.* n.15.p.582.

II. Deus vnus moritur homo ad omnium ſalutem. *Vnde Chriſtus hominum amantiſſimus ſocium nullum*

nullum admittit ad redemptionem Orbis , in noſtra ta-piditatis correptionem n.21.p.583.

III. Imprudens,& temerarius Pontifex oſtentatur , dum ex ſententia propria aſſerit expedire , vt Chriſtus è medio tollatur. *Nullatenus enim bonum, expedienſque hominibus eſſe poteſt, Deum a ſe relegare, in eúmque delinquere.*o.58.p.584.

IV. Caïphas improbus, quia erat Pontifex prophetauit. *Præſules enim circa Reipublica, aut communitatis Religioſa adminiſtrationem quaſi prophetico donantur ſpiritu.*n.43.p.585.

IV. Caiphas ſub communis boni prætextu (palliato iudicio) Chriſti ſibi inuiſi procurat exitium. *Quàm nefarium, quàm Reipublica lethale eſt , prætextu iuſta adminiſtrationis muneris , vindicta operam dare.*n.49.p.586.

VI. Nil abſurdius , quàm inſontem neci addici. Hoc autem expedire vel ſapiens Pontifex affirmauit. *Prauus enim affectus cacus omnino tenebras ponit lucem, mendacium exponit veritatem.*n.55. p. 587.

VII. Prophetat Caïphas moriturum Ieſum , vt cunctos ad ſe trahat electos, ſibi arctiſſimo vinculo illiget,& vniat. *Chriſti enim paſſio admodum valida, ad homines vinciendos , ipſique colligandos.*num.62. p.588.

VIII. Caïphæ Pontificis verba Spiritus ſanctus moderabatur, vt veriſſima eſſent, quę quidem Euangeliſta veneratur. *Edocens nos Prælatis licèt improbis promptè obedire.*o.67.p.588.

Fructus decimus.

FRVCTVS X.

Iudæ murmuratio in Deum.

PANEGYRICVS I.

P.

Ex Magdalenæ inunctione.

Lib.10.ſect.1.num.17.pag.594.

OBSERV.I. TOtum Bethaniæ Oppidum commouetur,& inſtat officio, ex miraculo ſuſcitati Lazari cunctis ciuibus affectis. *Vt taxent ingratos , qui poſt beneficia accepta non ſolùm opera pia non exerunt, ſed nec verbu profundunt.*n.17. p.594.

II. Lazaro pœnitentis perſonam gerenti (ſicut expreſſerat peccatoris) cum Domino locus in conuiuio datur. *Pœnitentia etenim peccatorum dignum efficit diuino conſpectu , imo in nuptiali conuiuio eum vti virginem caſtam Chriſto exhibet.*n.22.p.595.

III. Rurſum accedit Magdalena lacrymas profuſura ioxta dominicos pedes affectu pœnitudinis. *Nec enim poſt peccata multa leui pœnitentiâ iuſtus ſatiatur affectus; ſed curat multis lacrymis multa crimina obliterare.*n.26.p.596.

IV. Martha noo famulis miniſterium committit; ſed ipſa Chriſto pauperi impendit miniſterium. *Commendo viros illuſtres, ac nobiles fœminas, qua immediatè pauperibus impendunt obſequia.* n. 32.p. 597

V. Vocantur rurſum Mariæ capilli ipſi, quos iam Domino dederat. Id enim veracius eſt meum minimè conſumptum, quod Deo in pauperibus impendo. *Vbi eleemoſyna inconſumptibilis gloriam illuſtra.* n.38.p.598.

VI. Odor vnguenti diffunditur , dum Magdalenæ Charitas ſuperat reliquorum obſequia. *Quam perfectus ille, qui non ſolùm iniquos inter, ſed inter iuſtos curat charitatis perfectione præſtare.* num. 44. p.599.

VII. Soli Maria Magdalena Ieſu honorem impendit, accedens non vt ad hominem, ſed vt ad Deū; & ideò tam ſpecialiter nominatur. *Nomina enim fœminarum aſſolens à Domino exprimi in egregiarum virtutum documentum.*n.48.p.600.

VIII. Maria, quæ vnguentis, capillis deliqoerat, vnguentis & capillis placuit ſemel ; & perfectior effecta adhuc vnguentis & capillis vtitur , ad placendum. *Edocemur , criminis inſtrumenta poſſe nos virtuti litare , ne omninò repentè abſtracti ab indifferentibus, virtus fortè horribilis appareat.*n.53.p. 600.

IX. Magdalena & lacrymas profudit,& vnguenta libauit: opus è lacrymis egregium. *Quia opera ſine lacrymis quaſi ſiccitate laborant , lacryma ſine operibus inaniter profunduntur.*n.58.p.602.

PANEGYRICVS II. 2.

Ex Magdalenæ opere commendabili.

Lib.10.ſect.2.n.13.pag.605.

OBSERV.I. EX inuidiæ affectu Iudas oblatrat, ideo noo vidit, non agnouit geſti Magdalenæ præſtantiam. *Inuidus enim cacus eſt , vt proximi non videat gloriam , quam nullus non agnoſcit: nihil iuſtum putat, aut pulchrum de proximo, cuncta iniqua, fœdaque eſſe arbitratur.*n.13.p.605.

II. Iudas ab inuidia poſſeſſus meritò à Patribus inconuertibilis appellatur. *Tam enim difficiles inuidi conuerſio , vt pene impoſſibilis eſſe videatur ; quia quo alij viuunt, ipſe moritur.*n.20.p.606.

III. Iudam fæcem Dominus tolerauit Præſulum inſtructor prudentiſſimus. *Imprudentis Rectoris eſt, omnia ſubditorum piacula affectatè callere : prudentis autem multa diſſimulare.*o.27.p.607.

IV. Opus Magdalenæ ex charitatis , erga Ieſum pauperem excitatum affectu, ſemper hominum ſeruabitur io memoria. *Illa nunquam obruuntur ædificia, quæ curandis pauperibus eriguntur: illi te nummi præſentem poſt obitum ſemper reddent , qui ad pauperes alendos fuerint à te repoſiti.*n.33.p.608.

V. Egregium fuit planè inunctionis opus , dignum quod æternùm laudibus efferatur. *Quia pietas circa defunctorum obſequia Deo gratiſſima eſt, cantabilis, celebranda.*n.37 p.609.

VI. Innuitur Iudas permiſſus fuiſſe tradere Dominum, quia ſepulturæ eius honori, ac religionę detraxit. *Grauiſſimo enim ſupplicio afficitur, qui ius violat ſepulturæ* n.44.p.610.

VII. Iudas mentitur, dum ſe ex pauperum ſubleuandorum affectu curat oſtendere , vnguenti profuſionem taxauiſſe : ſed non ex auaritia. *Hæc planè alumnos ſuos mendaces exponit.*n. 50.p.611.

FRVCTVS XI.

Fructus vndecimus.

Subit Ieſus lapidationis periculum.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex ipſius impeccabilitate, veritate.

Lib.11.ſect.11.n.20.pag.619.

OBSERV.I. IVdæi impij Chriſtum innocentem arguere non poterant: innocens ipſe iniquos

iniquos valebat arguere. *Ad ſcholas enim argumentatura contra peccatores iniquitas non admittitur: vbi innocentia arguendi venia exhibetur.* n.19.p. 619.

II. Affirmat hic Chriſtus, ſe crimine nullo eſſe fœdatum; ſi enim crimen vllum haberet, proculdubiò de illo argueretur. *Conuersi enim inſeparabilis criminis manifeſtatio eſt.* n.32.p.621.

III. Iudæi non credentes veritati, Deo non credebant. *Quia veritas quid diuinum habet.* num.40. p.622.

IV. Non credunt homines veritati, quia bonorum mundi mendacio fidem exhibent. *Vbi quàm difficile locum obtinet apud mundialium corda veritas.* n.47.p.623.

V. Qui ad Ieſu pertinent ditionem, Dei verba libenter corde excipiunt. *Prædeſtinationis etenim documentum eſt, Dei verba affectu cordis exaudire.* n.54. p.624.

VI. Qui ad Dei ditionem non attinent, ingratum, inanem, & minimè ex corde impendunt auditum. *Reprobationis enim ſignum eſt, ſolis auribus corporis dominicam ſermonem exaudire.* n.64.p.625.

VII. *Samaritanus* Chriſtus vocatur à Iudæis eò quòd biduò apud Samaritanos manſit. *Vbi de improba ſocietatis vi ad ſocios conuertendos.* n.70. p.626.

VIII. Dum iniuſtè iudicant Iudæi Chriſtum Samaritanum eſſe, eum Dæmonium conſequenter habere affirmant. *Quia quem temerariè iudicas Tartaro iudicij temerary addicis.* n.77.p.627.

IX. Reſpondet, ſe dæmonium non habere, dum diſſimulat calumniam circa Samaritani genus. *Quia oportet, virum egregium muneri publico incumbentem calumniam minime diſſimulare, qua morum integritatem lædit.* n.82.p.628.

X. Seſe Chriſtus abnegat dæmoniacum, non negat Samaritanum, ſeu cuſtodem: vt gloria inter calumnias innoteſcat. *Dum enim calumniis vulneratur innocentia, ipſius gloria affulget rutilare.* num.87. p.629.

XI. Chriſtus, quia cum Samaritanis tempore exiguo degit, Samaritanus a Iudæis habitus eſt, ideóque odio habitus. *Cum peccatore enim ſocietatem iniens, eius cogeris ſubire infamiam.* n.92.p. 630.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Iudæorum confuſione.

Lib. 11 *ſect.*2.*n.*18 *pag.*633.

OBSERV.I. Iratis, lapidatoribúſque Iudæis ſeſe Chriſtus liberè opponit, & exponit, acria dogmata enuncians, quia ſe liberum à crimine agnoſcit. *Peccator enim ſolus timore perculſus, vocem efferre non audet.* n.18.p.633.

II. Dæmonium habere Chriſtum aſſerunt hoſtes ſe cognoſcere, cùm eum falſa loquutum eſſe ſuſpicantur. *Mendacium enim Dei virum, ſcilicet iuſtum, maximè dedecet.* n.26.p.635.

III. Ieſus proprias laudes negligit prædicare, gloriæ Patris producendæ operam impendit. *Diſcéſque edocet, de ſolo Dei nomine laudibus efferendo curare. Vbi D.P.N. Ignatij inſigne commendo. Ad maiorem gloriam Dei.* n.34.p.635.

IV. Hoſtes Chriſtus haud imbecilli voce, ſed interrito animo mendaces appellat. *Verax enim vir bello apertiſſimus eſt, non nouit formidare vti mendax.* n.40.p.636.

V. Iudæorum illorum Deus verè non erat, cui corde minimè cultum præſtabant. *Deus in veritate mentis ſicè corde obſequium impendo.* n. 44.p. 637.

VI. Mendaces, ſeu verſipelles Chriſtus Iudæos appellans, eos moribus profligatiſſimis aſſeruit. *Mendax enim plerumque deploratis moribus comperitur.* n.50 p.638.

PANEGYRICVS III. 3.

Ex Iudæis lapides arripientibus.

Lib. 11 *ſect.*3.*n.*9.*pag.*640.

OBSERV.I. Iudæorum iniquitas inſignis exponitur, dum eaſdem manus exerunt ad Dominum vulnerandum, quas Dominos ab Ægyptiacæ ſeruitutis operibus exemerat. *Hoſtem profectò ſibi conciliat, qui beneficia impendit ingrato.* n.9. p.640.

II. Quàm deplorati Iudæi, à quibus Dominus abſconditur, & recedit! *Nihil enim peccatori periculoſius, quàm ſine Domino viuere, ſeu (verius) mori.* n. 15. p.641.

III. Prius Iudæi lapides accipiunt ad Dominum vulnerandum, quàm ipſe fugam accipiat. *Neque enim recedit Dominus à peccatore, niſi delinquendo prius ipſe à Domino diſcedat.* n.25.p.642.

IV. Ingratos Iudæos aptè ad lapides accurriſſe aſſeritur. Semper enim ingratitudo ſe lapideam oſtentat. n.33.p.642.

V. Iudæi proculdubiò furentes, qui in templu ſacerrimo cutant Dominum lapidibus vulnerare. *Genus enim amentia eſt, delubri ſacra iura violare.* n.38.p.643.

FRVCTVS XII. Fructus duodecimus.

Lapidibus rurſum Iudæi conantur Dominum impetere.

PANEGYRICVS I. 1.

Ex circundantibus Iudæis.

*Lib.*12.*ſect.*1.*n.* 13.*pag.*649.

OBSERV.I. Religioſè quidem templi, aut Altaris colitur innouatio. *Vt ſpiritus fidelium ſuadeat renouationem. Vbi Societatis Ieſu morem ſpiritum innouandi bis ſingulis annis illuſtro.* n.13. p.649.

II. Quid ſi templum quod funditùs euerſum eſt, rurſum fuerit exædificatum? *Docebimur planè innouatione ſpiritûs non ſolùm robur adoleſcentis aeuitatis adſtrui, ſed & vetuſtatem innouari, ruinam reparari poſſe.* n.22.p.650.

III. Ambulabat Ieſus Encæniorum, ſeu renouationis die, vt edoceat, quonammodo ſpiritus innouandus ſit. *Fit enim ſpiritûs innouatio, dum qui rectè graditur, ad vlteriora progreditur: qui autem errauit, rurſum ad via recta initium recurrit.* n.26.p.651.

IV. Ambulabat Ieſus renouationis templi die, alumnos edocens renouatione progreſſuros. *Renouatione etenim ſpiritûs non ſolùm vetuſta innouantur, ſed & noua perfectionis facinora geruntur.* num.34 p.652.

V. Ambulans Ieſus in porticu ſeu atrio templi, in templo dicitur inambulare. *Vt innuatur, non ſolùm delubra, ſed & atria templi decere reuerentiam.* n. 40. p.653.

VI. Adula

VI. Adulatione Iudæi tentant, quem lapidibus mox intendunt vulnerare. *Semper enim adulatio exitiales ſibi pariet effectus.* n.47.p.654.

VII. Iudæi perſequutores conqueruntur, Chriſtus perſequutione affectus, ac vulneratus obticet. *Qui enim proximo infert iniuriam, ipſe patitur; haud ille, cui irrogatur.* n.53.p.655.

2. PANEGYRICVS II.

Ex Ouium Domini parabola.

Lib.12.ſect.2.num.12.pag.658.

OBSERV. I. ADuerſus hoſtium circumdantium tela Chriſtus vnico propitij Patris præſidio nitebatur. *Præſentiſſimum namque Dei auxilium ac protectio iis adeſt, qui in operibus vni addicuntur Conditori.* n.12. p.658.

II Interrogatur à Iudæis, num eſſet Chriſtus ſeu Rex? & reſpondet, ſe eſſe Paſtorem: *Vt innuat Regem, in morem Paſtorum totum ſeſe ad ſubditorum, ſeu ouium vtilitatem accommodare.* n.19. p.659.

III. Rogatus Dominus, an ſit Chriſtus reſpondet affirmatiuè, dum eos allicere curat ad frugem meliorem. *Nihil enim ſic Regium animum, ac nobilitatem ſanguinis exprimit, quam inimicos bonis operibus onerare.* n.25.p.660

IV. Operibus Chriſtus loquebatur, & aperiebat eſſe filium. *Efficacius enim opera, quàm ſermones aſſolent perſuadere.* n.31.p.661.

V. Chriſtus cæleſtis patris filius oſtenditur, quia virtutem, ſeu opera patris imitatur. *Dignoſcuntur etenim veri filij non tam ex ſanguinis propagatione, quàm in æmulatione paternæ pietatis.* n.38.p.662.

VI Oues Dominicæ paſtoris curam agnoſcentes, vix poſſunt illum non ſequi. *Quis enim benefactorem non ſequatur?* n.46.p.663.

VII. Chriſtus cognoſcit, ſeu intimè videt oues ſuas, & conſequenter vitam æternam, omnimodámque interea ſecuritatem impertitur. *Nec enim Dominus in morem temporarij Principis, ſcit reſpicere, & non bona largiri: Deus reſpiciendo miſeretur.* n.52.p.664.

PANEGYRICVS III. 3.

Ex Iudæis ad lapides accurrentibus.

Lib.12.ſect.3.num.12.pag.667.

OBSERV. I. SE Chriſtus aſſerit Iudæis vtiliſſimum extitiſſe, operibus diuinis exhibitis. *Vbi quàm debitores Ieſu exiſtant, confirmatur.* n.12.p.667.

II. Arguit acriter Chriſtus Iudæorũ ingratitudinẽ ſolummodo beneficia à ſe eis exhibita enarrãdo. Ingrato enim magnum (ſi agnoſceret) ſupplicium, eum ingratitudinis incuſare. n.20.p.668.

III Tam patienter ſoſtinet Dominus lapidationis paratæ ſcelus ſine repercuſſione, quia illos aſpexit ingratos. *Et conſequenter agnouit ſupplicio affectos iam eſſe, quia ingratitudo ſui ipſius ſupplicium eſt.* n.28.p.669.

IV. Cùm Dominus aſſeruiſſet ſe multa bona opera geſſiſſe: illi affirmant, bonum vnicum opus accepiſſe à Domino. *Quia ingratitudinis mos, beneficia minuere ne de retributione tantâ curet.* n.34. p.670.

FORMA




Claud' Sauary ex.

FORMA SPECIOSI PRÆ FILIIS HOMINVM ET EX FORMA, VITÆ, ACTIONVMQVE SIMVLACRVM.

Diarium vitæ Ieſu.

CECINIT Periander Græcus formam hominis eſſe quoddam vitæ, & actionum ſimulacrum: *pulchritudo* enim, *aut deformitas aſſolet præclara, aut obſcura geſta indicare.* Quòd ſi fallax plerumque in aliis ſententia exponatur, veriſſimam Chriſto in Domino recognoſco. *Specioſus* ille *forma præ filijs hominum.* Profectò ex formæ ſpecie, vitæ, actionumq; Domini pulchritudo mirabilis oſtentatur. Vnde addidit Vates: *Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna.* Pſal. 44. Id eſt, iuxta ſpeciem & pulchritudinem tuam ſit vitæ proceſſus, formæ pulcherrimæ geſta auguſta reſpondeant. Venerabili admodum Dominæ Marinæ de Eſcobar meæ Valliſoletanæ Vrbis decori, cui nexu ſanguinis ſum deuinctus fæliciter: Ieſus ſe ſe hoc habitu oſtendit aſpectandum. Imaginis, precor, recognoſce fulgorem. An non primo intuitu ex forma, ex pulchritudine totius vitæ, & actionum proceſſum intelligis? Pulchritudo ineffabilis tot miraculis ſpecioſitatis exundans non te ad manuum miracula contemplanda excitat? Non Perſecutionum indicat diritatem, ſi teſte Auſonio, *pulchritudinem crudelis inſectatur inuidia?* An non tanta formæ gratia *diffuſa in labijs* ad colloquiorum ſuauitatem, ad ſermonum efficaciam, ad Propheriarum arcana, ad Parabolarum myſteria, aſpicitur? Tota vultus mo-

Periand. Pſal. 44.

deſtia quid niſi cunctarum virtutum effictio. Vidiſti imaginem, vitæ Saluatoris facilè Hieroglyphicum: operæpretium duxi ſi ad calcem commentariorum meorum (quorum argumentum vnicum vitale lignum Chriſtus) omnes eius actiones, quoque ordine, & tempore contigerint exponerem, vt ſit veluti expreſſæ Imaginis Ieſu deſcriptio, Hieroglyphicæ eius pulchritudinis expoſitio, ac mea totius operis epilogatio.

CAPVT PRIMVM.

A Natalitio vſque ad annum trigeſimum.

Mat.1. *CHRISTVS Dei Filius conceptus eſt octauo Kalendas Aprilis die Veneris in Vrbe Nazareth. Natus in Vrbe Bethleemitica octauo Kalendas*
Luc.2. *proximi menſis Ianuarij die Dominica. Die octauo circumciſus, & vocatus Ieſus, vti Deus Gabrielis ore præceperat. Die tertio decimo à*
Mat.2. *Magis eſt adoratus. Quadrageſimo, Templo ſiſtitur. Indicitur Ioſepho fuga in Ægy-*
Luc.2. Mat.2. *ptum eadem Purificationis probabiliter nocte. Herode obeunte, Chriſtus, qui ob eius ſæuitiam fuerat in Ægyptum delatus, inde rediit anno quinto, à diſceſſu. Mat.2.*

Luc.2. *Anno duodecimo Paſchæ feſto Puer Ieſus inſciis parentibus in Ieruſalem manſit: vbi inuentus eſt poſt triduum in medio Doctorum. Vixit ſine noxa, & cuiuſquam querela, gratus Deo, hominibus admirabilis, obediens parentibus, Ioſephi artem ſatis eſt veriſimile exercuiſſe.*

CAPVT SECVNDVM.

Primus annus prædicationis Chriſti.

Mat.3. *NAtus erat Dominus nouem & viginti annos, & dies omninò tredecim cum à Ioanne Baptiſta eſt dilutus in Iordane.*

Mat.4. *Ieiunium Baptiſmum ſequitur. Poſt ieiunium triplex diaboli tentatio indicitur eſurienti. Victo diabolo in Galilęam reuerſus, in Synagogis docendo aliquod tempus abſumpſit.*

Ioan.1. *Baptiſta baptizans trans Iordanem dealtum ad ſe honorem Meſſiæ ablegauit ad Chriſtum. Eum ad ſe venientem digito demonſtrauit. Coram duobus Diſcipulis die altera id ipſum repetiit. Illi Chriſtum ſequuti ſunt; alterque eorum Andreas nomine Simonem fratrem ſuum ad Chriſtum adduxit. Die poſtero Philippus à Chriſto vocatus, & ipſe Nathanaeli perſuaſit, vt ad Chriſtum veniret.*

CAPVT TERTIVM.

Secundus annus Dominicæ prædicationis.

Ioan.2. *IN Cana Galilææ aquam vino mutauit in Nuptiis. Initium quidem ſignorum, quæ ad vitæ finem excitauit innumera. Inde Capharnaum, & paulo poſt ad Paſchæ feſtum*

ſtum Ieroſolymam profectus, è Templo primum expulit mercatores. Iudæi ſignum petunt, factum id ſine auctoritate idonea putantes. Reſpondet, ſi Templum diruant, ſe intra triduum illud reædificaturum.

Digreſſus Chriſtus ex ea Vrbe in Iudæa per ſuos Diſcipulos baptizabat. Quo tempore Ioannes Baptiſta in Ænon iuxta Salim idem gerebat. Concurſus, qui ad Chriſtum fiebat, Ioanni renunciatur. Ille in Chriſti laudes prorumpit. Ioan.3. Ioan.3.

Chriſtus autem Phariſæos magis, quam Herodis ſæuitiam Ioannem mittentis in carcerem, metuens, relicta Iudæa in Galilæam ire conſtituit. Erat iter per Samariam. Ad puteum Sichar cum fœmina Samaritana colloquitur. Erat quartus Menſis antè tempus meſſis, nempe Nouember. Ioan.4.

Samaria relicta, tertio poſt die Canam Galilææ profectus cuiuſdam Reguli filium abſentem à morte eripuit, morbo depulſo. At Nazareth propinquæ ciues docentem in Synagoga è cliuo præcipitare voluerunt. Sed inter manus elapſus, Capharnaum iuit, ibique docebat. Ibi Simonem, & Andream ſecundo ad ſe vocauit, tum filios Zebedæi Iacobum ac Ioannem adduxit. Ioan.4. Luc.4. Mat.4.

Iis delectis, vt gentis concurſum declinaret in vicinum montem ſeceſſit, vbi multa Diſcipulis docuit, ſcilicet Beatitudines, ſe legem non ſoluere, vxorem non temerè dimittendam, diligendos inimicos, formam orandi, orationem Dominicam, hypocriſim vitandam, multaque alia magno illo Sermone tradidit documenta. Mat.5.6.7.

E monte in planitiem demiſſus leproſum quendam donauit ſanitate. Ad cuius rei famam tantus hominum ad eum eſt actus concurſus, vt captare rurſum ſolitudinem cogeretur. Inde Capharnaum reuerſus in Synagoga dæmonem expulit. Centurionis famulum ægrotantem ſanauit, Simonis ſocrum liberauit à febre. Imbi multos alios adlatos ægrotos reddidit ſanitati. Mat.8. Mat.11. Luc.4. Mat.8.

Porro vt eam frequentiam vitaret, nocte in eremum abijt: Petroque, & aliis reuocantibus edixit, in alios pagos, & Ciuitates eundum. In ea peregrinatione hæc ordine contigere. Sabbatho in Synagoga quadam hominis areſactam manum priſtino vigori reſtituit. Phariſæi, & Herodiani, quaſi legem ſolueret in eius necem conſpirant. Secedit in lacum, ſeu mare Tyberiadis, & de nauicula Petri edocet turbas. Poſt concionem Petrus Chriſti iuſſu iactis retibus, qui tota nihil ceperat nocte, piſcium illigat multitudinem. Prope Vrbem Naim mortuum adoleſcentem ad vitam reuocat. Mat.1. Mat.3. Luc.5. Luc.7.

A Simone Phariſæo inuitati Ieſu pedes mulier peccatrix lacrymis abluit, inungit vnguento.

CAPVT QVARTVM.

Prædicationis Ieſu annus tertius.

Languido apud probaticam piſcinam diù commoranti in Paſchate vires reſtituit. Vt Iudæorum ex eo inſidias vitaret, in Galilæam ſecedit, & Capharnaum tertiò adit. Cognati eius de poteſtate mentis exiſſe putantes, eum vincere voluerunt. Phariſæi Beelzebub ope dæmonia pellere accuſant. Matri, & fratribus eum alloqui valentibus, nec volentibus præ turba, reſpondet Diſcipulorum pietatem omni cognatione ſibi exiſtere potiorem. Ioan.5. Mat.3.

Ad mare, ſeu lacum egreſſo, & vlteriorem cogitanti tranſmittere in ripam, Scri- Mat.8.

ba quidam ſe offert, cum ſequi paratus. Hunc fortaſſe fictum repellit. Contra Diſci-
Luc. 9. pulo cuidam id expetenti, ne funus quidem patris curare permiſit. Ne tertio quidem
dedit, vt ſuis vale diceret, quod petebat. Dum traijcit, turbati pelagi fluctus com-
Mat. 8. ponit. Ad fluctus Geraſenorum appulſus duobus hominibus dæmones pulſos abire per-
mittit in porcos, id concedi ſibi poſtulantes. Conuerſa retro nauigatione Capharnaum
Luc. 5. quarto adijt. Ad eum, re vulgata, tantus fit concurſus, vt paralyticum deportan-
tes, cum ad Chriſtum non valerent irrumpere, conſcenſo domus tecto, eum demit-
tere curarint. Haud inanis conatus.

Math. 9. Ad mare egreſſus Matthæum Publicanum ad ſe aduocat. Conuiuio ab eo excipi-
tur. Phariſæi conuictum cum peccatoribus accuſant. Dum cum illis diſputat, eoſque
arguit, Iairus Synagogæ Princeps petit, vt filiam agentem animam ac ferè mor-
tuam reſtituat valetudini, Chriſto annuente. Ex itinere fimbriæ contactus fœmi-
Luc. 8. nam multis annis fluentem ſanguine ſanat. Puellam Iairi filiam, quæ interim erat
mortua vitæ reſtituit.

Mat. 9. Illa ex domo Dominus egreſſus duobus viſum cæcis reſtituit. Quo tempore Apo-
ſtolos è Diſcipulorum numero ſelegit duodecim. Marcus cap. 3. & Lucas 6. per anti-
cipationem narrauere. Dat eis curandi, ac ſanandi ægrotos, ac pellendi dæmones
Mat. 10. poteſtatem. Monita adiungit, inter alia, ſe non veniſſe, vt pacem ferret, ſed gla-
dium, ac bellum indiceret. Comitatus Diſcipulis, pijſque mulieribus, quæ de ſuo ne-
Mat. 6. ceſſaria ſuppeditabant, Vrbes, & Caſtella inuiſebat. Nazareth ſecundò abit, ſed pro-
pter eorum hominum incredulitatem pauca inter eos excitauit miracula.

Mat. 6. Inde Apoſtolos per vicina dimiſit Oppida binos, vt docerent, dæmones pellerent,
Mat. 11. oleo vngerent ægrotantes. Exemplo efficaciter iubetur; ita ipſe continuo eſt ſubſecu-
tus Tunc Ioannes Baptiſta è vinculis duos è Diſcipulis mittit ad Chriſtum rogatum,
eſſet ne Meſſias in lege promiſſus. Ille operibus reſpondens, iubet, quæ audierant, &
viderant, renunciare. Laudat ſubinde Ioannem, Ciuitatum aliquot incredulitatem
increpat. Ibid. Nec multo poſt reor Ioannem occiſum.

Mat. 12. Poſt hæc per ſata Sabbatho ibat; & Diſcipuli ſpicas cœperunt vellere, & mandu-
care. Phariſæi accuſabant, id fieri Sabbatho. Chriſtus Diſcipulos Dauidis defendit
exemplo. Capharnaum quintò abit. In Synagoga aridam hominis manum reſtituit
Sabbathi ſolemni. Phariſæi legem violatam accuſant, coniurant in Chriſtum, cedens
furori inde diſcedit, in itinere multos ſanat ægrotos, Dæmoniaco cæco, & muto vo-
cem reſtituit ac lumen. Phariſæi rurſus Beelzebub ope fieri inclamant. Quidam ex his
adhuc ſignum petunt, vnde multis Iudæorum perfidiam accuſat. Mater ac fratres
ſuperueniunt, ipſe autem manu in Diſcipulos intenta, eos Matrem, & fratres ſuos
eſſe affirmat.

Mat. 13. Porrò ipſa die domo ad lacum egreſſus turbis ad litus circumfuſis multas para-
bolas proponit, nempe de ſeminante, de zizaniis, de grano ſinapis, de fermento. Qui-
bus exemplis tùm alia, tùm in Eccleſia bonis malos eſſe, ac fore permixtos oſtendit.
Mat. 14. Nazereth deinde tertio adit. Mirantur ciues tantam in fabri filio ſapientiam. Ibid.
Herodes Chriſtum ex operum fama putat eſſe Ioannem à ſe occiſum, qui à mortuis
Ioan. 6. eſſet excitatus. At Dominus nece Ioannis audita, in deſertum ſeceſſit ſibi, ac Diſci-
pulis requiri aliquid præparans. Secutæ ſunt hominum turbæ, quos ad quinque mil-
lia ex quinque panibus duobuſque piſcibus abunde refecit. Eo miraculo commoti hi
homines eum (fugientem quidem) eum conſtituere ſibi curarunt. Diſcipuli naui
diſceſſerunt. Chriſtus pedibus noctu lacum ingreſſus, Petro vt ſe in eo mitteretur con-
Mat. 14. ceſſit. Ad Geneſareth tractum appulſus, Capharnaumque repetens ægrotos varios
Ioan. 6. reddidit ſanitati, Poſtero die turbæ mirantes, Chriſtum ſine naui traieciſſe, conſcen-

ſis

ſis nauiculis Capharnaum eunt eum requirentes. Tunc multa de Euchariſtia Sacramento, feſto Paſchatis iam proximo diſſeruit.

CAPVT QVINTVM.

Prædicationis Ieſu annus quartus.

*Exiſtimo, Dominum ad hoc Paſcha minimè aſcendiſſe, ſed veritum Iudæorum
inſidias ſubſtitiſſe in Galilæa. Quidam tamen Scribæ, & Phariſæi eò ex Vrbe
profecti, accuſabant Diſcipulos, quod illotis manibus cibum abſumerent. Calumnia* Mat.15.
*taxata, Tyri & Sidonis Ieſus abiit in fines, vbi dæmonem Chananææ Gentilis expel-
lit ex filia. Retro conuerſus ad Decapolim muto ſoluit linguam, ei ſurdo ſimul aperit
aures. Aliis ſanatis ægris, quatuor millia hominum ſeptem pauit panibus in deſer-* Mat.7.
to. Iis dimiſſis, naui abit Magedam. Vbi Phariſæi ſignum de cælo petunt, ſa- Mar.8. Mat.15.
*ne irrita prece. Ad Bethſaïdam cæco nato ſputo & manuum impoſitione lumen inſi-
nuat. Ea in peregrinatione propè Cæſaream Philippi ex Diſcipulis rogat, & au-* Mar.8.
dit, quid de eo homines dictitarent, Petro egregium de Ieſu Diuinitate elogium pro- Mat.16.
fundente.

Poſt dies ſex apud Thabor Montem transfiguratur. Regreſſus inde, iuuenem (quod Mat.17.
*Diſcipuli non potuerant,) patris ad preces, à dæmonis eripit vexatione. Haud multo
poſt per Galilæam iter faciens, quæ Ieroſolyma paſſurus eſſet, renunciat Apoſtolis.
Illi non intelligentes, quæ dicebantur, & aliam Dominici Regni formam ſomnian-* Luc.9.
tes, importunè diſputant, quiſnam maior eorum. Profectò Dominus, vt Apoſtolo- Math.17.
*rum importunam de primatu quæſtionem, facto diſſolueret, ſeptimo Capharnaum
abiens, cenſum, qui per familiarum capita exigebatur, vnà ſecum Petrum exoluere
iuſſit, ſtatere in ore piſcis inuento. Ne domi quidem ab illa abſtinuere quæſtione, &* Mat.9.
rogati, quid in via tractaſſent, prius præ verecundia tacuerunt. At cum deinde, quis Mat.18.
*maior eſſet, Chriſtum rogaſſent, producto infante in medium, eum fore maiorem aſſe-
ruit, qui illum puerum modeſtia æmularetur.*

Ioannes renunciat, quendam, qui de contubernio non erat, Chriſti inuocato nomi- Ioan. 9.
ne dæmones effugare. At Dominus vetat illi, vt ita faceret, prohiberi. Suadent Ieſu Ioan. 7.
*neceſſarij Tabernaculorum feſto appetente, vt Ieroſolymam ineat; recuſat ille prius,
deinde eò occultus abit. Eo in itinere multa contigere. In Ciuitate quadam Samariæ* Luc.10.
*Chriſtum recipere noluerunt. Ex omni Diſcipulorum numero alios ſeptuaginta duos
aſſignat. Iordane tranſmiſſo, aliquandiu eo in tractu moratus eſt, turbæ ſequuntur,* Mat.19.
quas curauit. Phariſæi rogitant de libello repudij. Ad Mariam, & Martham in Be- Luc.10.
thaniam diuertit. Interea Iudæi multa de eo Ieroſolymæ obloquebantur, dum ecce re- Ioan.7.
pente apparet in Templo.

Poſt concionem habitam in Templo, montem precaturus ſcandit, à Diſcipulo quo- Luc.11.
dam formam peccandi rogatus orationem Dominicam illi repetiit. At cum in Tem- Ioan.8.
plum rediiſſet, ei ſiſtitur adultera fœmina, quam defendit. Egreſſus de Templo cęci Ioan.9.
nati oculos aperuit. Phariſęi Sabbatum violatum accuſant. Ieroſolyma profe- Luc.11.
*ctus, & in Iudęa tamen conſiſtens, dęmonem mutum expellit. Beelzebub ope qui-
dam de more calumniantur. Dum id refellit, beatum Mariæ ventrem & vbera mu-
lier exclamat.*

*A Phariſæo inuitatus, in eum ordinem inuectus, fore ait, vt ſanguis Propheta-
rum ab eis repetatur à ſanguine Abel, vſque ad ſanguinem Zacharię. Monetque Diſci-* Luc.12.

Luc.13. *pulos, vt Phariſæorum fermentum hypocriſim vitare curent. Illi Galilæorum cædes à Pilato Præſide facta renunciatur. Quandam in Synagoga mulierem decem & octo annos ægrotam ſanitati reſtituit. Grano ſinapis, & fermento Regnum cœlorum ſimile eſſe profatur. Obibat Ciuitates & vicos.*

Ioan.10. *Cum Ieroſolymam ad Encæniorum peteret feſtum, quod menſe Decembri celebratur, in Porticu Salomonis de ſua innocentia dicentem Iudæi lapidibus voluerunt opprimere. Digreſſus inde quendam rogitantem eſſent ne pauci ſalutem conſecuturi, monuit, vt per anguſtam portam intrare contenderet. Phariſæis monentibus, vt ſibi ab Herode caueret, negauit expedire reſſeque conſentaneum, vt Propheta extra Ieroſolymam moreretur. Mox ad Ieruſalem, quoties, inquit, volui congregare filios tuos?*
Luc.13.

Ioan.10. *Abit deinde Bethaniam trans Iordanem. Quo loci à Phariſæo quodam inuitatus Sabbatho ſanauit hydropicum, Iudæiſque id accuſantibus multa reſpondit. Lazari mendici, & diuitis vitam, & exitum explicuit.*
Luc.14.
Luc.16.

Luc.17. *A Lazari ſororibus reuocatus, & quoniam Paſcha proximum erat, in Iudæam redire conſtituens, ex itinere ad quoddam Caſtellum decem leproſos mundauit. Pueris oblatis manus ſalutares imponit. In eodem itinere iuueni opulento, & de ſalute ſolicito, vt diuitias abdicet, conſilium dat, neque obtinet.*
Luc.18.
Mat.19.

Mat.20. *De morte agit, (Ieroſolyma propinqua) quæ ipſi imminebat. Duo Zebedæi filij per matrem primos petunt honores. Prope Iericho cæci oculos aperit. Ad Zachæum in ea Vrbe diuertit, vbi parabolam de decem minis expoſuit. Duobus cæcis, ex ea Vrbe egreſſus lumen impertitur.*
Luc.18.
Luc.19.
Mat.20.

Ioan.11. *Bethaniam progreſſus Lazarum ſuſcitat. Iudæi re cognita, coacto concilio, Ieſum occidendum decernunt. Ille Ephrem vltra Iordanem diſcedit. Inde ſexto die ante Paſcha redit Bethaniam. Tunc cœnantis cum Lazaro Chriſti pedes Maria ſoror Lazari magni pretij inungit vnguento, factum Iudas accuſat, Dominus excuſat, & laudat.*
Ioan.12.

CAPVT SEXTVM.

Chriſti Mortis inſtantia.

Ioan.12. *MOx ſequenti die cum renunciatum eſſet in Vrbe, Ieſum in Bethania morari, multitudo hominum eò vſque proceſſit cum palmarum frondibus ingeminantes: Hoſanna. Ex Bethania ipſoque monte Bethphage duos mittit Diſcipulos, vt aſinam, & pullum eius adducerent; quibus inſidens, & via veſtibus & fronde conſtrata, ad Ieroſolymæ conſpectum memoria excidij profudit lacrymas. Templum ſcandens, inde ſecundo expulit mercatores. Cæcos ſanauit, & claudos. Iudæis, qui ex Græcia venerant, ſe vt cupiebant, adeundi facit poteſtatem. Vox de cælo amoris Paterni index auditur.*
Mat.21.
Ioan.12.

Sub veſperam redit Bethaniam. Die proxima veniens Ieroſolymam ficui maledicit. Quam areſactam videntes Diſcipuli die ſequenti, mirantur. Fidei vires magnas eſſe profatur. In Templo Sacerdotes rogitant, qua poteſtate quæ faciebat, & à quo data faceret. Deludit eos, de doctrina Ioannis Baptiſtæ interrogatione. Parabolas illis de duobus filiis, de vinea agricolis locata proponit. Videbant illi, ſe hiſce parabolis vulnerari, ſed plebis timore ſe continebant.
Mat.11.
Mat.21.
Mar.11.
Mat.21.

Mat.22. *Altera die tertia ante Paſcha populo parabolam de Rege, qui Nuptias fecit filio proponit. Phariſæis autem, & Herodianis rogantibus liceret nè cenſum Cæſari exhibere, cautè reſpondet. Sadducæos de immortalitate dubitantes cohibet. In Scribas, & Phariſæos inuehitur. At eis parendum admonet. Viduæ minutum donum maioribus diuitum præfert oblationibus.*
Luc.20.
Mat.23.
Mar.12.

Porrò

Porro Domino egreſſo, vt Bethaniam repeteret, Diſcipuli Templi molem oſten- Mat.24.
dunt. At Ieſus & Templi excidium inſtans, & orbis annunciat vaſtitatem. Vt au- Mat.25.
tem ſuos excitaret, parabolas exponit de furis aduentu, ficu germinante, vigili iani-
tore, decem virginibus, ac talentis; ſimul iudicij formam deſcribit extremi.

Biduo ante Paſcha in Bethania apud Simonem leproſum Lazari ſoror cœnantis Mat.26.
capiti optimi vim infudit vnguenti. Factum taxant Apoſtoli, Ieſus defendit. Ipſa
die Sacerdotes Chriſti necem decreuerant, tumultum tantum populi verebantur.
Iudas autem id cogitantibus ſuam operam ad capiendum Dominum pretio vendit.
Ille autem die Iouis Luna 14. Ieſus ex legis præſcriptione Paſcha celebrat.

Iudæi ob ſuas traditiones in diem alterum diſtulerunt. Apud cœnaculum pedes Ioan.13.
diluit Diſcipulorum, teſtamentum confecit, longum habuit ſermonem, hoſtijs veteri-
bus abrogatis, nouam ſubſtituit illis quidem expreſſam.

Iuda digreſſo, Apoſtoli diſputant; quis eorum maior eſſet. Chriſtus contentione Luc.22. Ioan.13.
ſedata, longo eos ſermone ſolatur. Ad mutuam hortatur charitatem, Petri prædicit ab- Ioan.17.
negationem. Pro ſuis denique ſe ſacrificium offerre profatur.

Hymno dicto ad gratias poſt cibum de more agendas, oliuarum recedit in mon- Math.26.
tem. Relictis aliis Apoſtolis in villa Gethſemani cum Petro, Iacobo, ac Ioanne in vici-
num hortum Patrem precaturus ſeceſſit.

CAPVT SEPTIMVM.

Paſſio, & Mors Saluatoris.

IVdas cum militari cohorte accurrit ad montem, & oſculo Saluatorem tradit. Mat.26.
Comprehenſum ad Annam primum deducunt, deinde ad Annæ generum Caïpham Ioan.18.
eius anni Pontificem. Ibi multa perpeſſum Petrus abnegauit. Cum luce vinctum Mat.26.
ad Præſidem Pilatum immittunt. Iudas proditionis pertæſus acceptum retulit ar- Mat.27.
gentum.

A Pilato Dominus mittitur ad Herodem. Ad ſe remiſſum liberare conatur. Id Luc.23.
vt aſſequeretur, populo dat optionem Chriſtum, an Barabbam dimitti mallent. Dein, Mat.27. Ioan.19.
vt populo ſatisfaceret, flagellis cæſum, & corona redimitum ſpinea, producit in pu-
blicum. Denique vt Cruci ſuffigeretur eum tradidit, Crucem prius ipſo portante.
Deinde poſt eum Simone Cyrenæo, qui fuit pater Alexandri, & Rufi. Mar.15.

Suffigitur, ſitit, conqueritur, Matrem Ioanni commendat, pro ſuffigentibus exo-
rat, clamat, occumbit. Dominicum corpus ob inſtantem Paſchatis celebritatem, Mat.27.
concedente Pilato, Ioſephus & Nicodemus è Cruce detractum in vicino, & nouo ſe-
pulchro recluſerunt. At Iudæi, ne qua fraus eſſet, cuſtodes adhibent, & oſtio ſi-
gillum.

CAPVT OCTAVVM.

Domini Reſurrectio, & Aſcenſio.

DIe Dominica antè lucem ſanctæ mulieres cum aromatibus properant ad ſepul- Mat.28.
chrum, vt ſacerrimum cadauer inungerent. Nempè ſepulchrum cuſtodibus eſſe
munitum neſciebant. Tunc Chriſto reſurgente extitit terræmotus, quo territi cuſtodes,
mulieres quoque, vna dempta Maria Magdalena, aufugerunt.

Hæc

Ioan.20. *Hæc intrepida ad ſepulchrum accedit, nondum orto Sole. Videt lapidem ſublatum, neque corpus adeſſe. Currit ad Petrum, & Ioannem, corpus furto ſublatum annunciat. Illi eo nuncio perciti accurrunt, ac præter linteamina nihil inueniunt.*

Mat.16. *Aliæ mulieres, metu ſedato accurrunt ad ſepulchrum orto iam ſole, ſolicitæ quis lapidem remoueret, quo oſtium claudebatur. Reuolutum lapidem inuenerunt, ſuper eum ſedente cælicola. Tum à dextris intra ſepulchrum alterum Angelum aſpectarunt. Ab vtroque Chriſtum ſurrexiſſe ediſcunt, idque iubentur Diſcipulis, ac Petro nuntiare.*

Luc.24. *Nunciant illæ, ſed ſomnia viſæ ſunt detuliſſe. Petrus tamen, qui prius cum Ioanne ad vocem vnius iuerat Magdalenæ, nunc ad vocem aliarum mulierum, ſolus properat ad ſepulchrum, neque præter linteamina quicquam inuenit.*

Ioan.20. *Poſt Petri diſceſſum ſola Maria perſtat plorans, curioſè ſepulchrum inſpiciens duos Angelos videt, quos viros rata, rogat, an ipſi corpus abſtuliſſent; deinde retro conuerſo capite Chriſtum, quem non nouerat, idem interrogat. Agnitus demùm iubet vti Apoſtolis viſa renunciet.*

Mat.28. *Cum iret, vt iuſſa gereret, alias mulieres obuias communicata lætitia, ad ſepulchrum adducit. Duo Angeli probibent eas viuentem cum mortuis requirere. Conuerſæ Chriſtum vident, & ad eius pedes proſtratæ iubentur, Apoſtolis nunciare, vti in Galilæam eant, viſuri Saluatorem. Porrò euntes interea milites in Ciuitatem, narrant, quod geſtum erat: ſed pecunia corrupti, ſpargunt in vulgus Chriſti corpus furto ſublatum, ipſis dormientibus.*

Mat.16. Luc.24. *Eadem die Dominica ſe Chriſtus in agro duobus Diſcipulis oſtendit, ſed neque illis Apoſtoli penitus credidere. Poſt meridiem Lucæ & Cleophæ Emaus euntibus apparet. Redeunt in Vrbem, narrant, Dominum in fractione panis agnouiſſe, Apoſtolis, iam quidem credentibus Dominum ſurrexiſſe, & à Simone viſum eſſe.*

Ioan.20. Luc.24. *Ad Diſcipulos mox intra conclaue, clauſis ianuis, ingreditur. Eos ſalutat. Turbatis iubet, manus, ac pedes contrectare. Cibum petit, ac comedit. Eos rurſum iubet ſalutari, inſpirat in eos, datque condonandi crimina poteſtatem. Aberat Thomas, neque viſa renuntiantibus credit. Quem vt ſanaret, rurſus poſt dies octo cunctis Apoſtolis oſtentatur: & ad Thomam conuerſus, manus & latus iubet contrectare, & incredulitatem deponere.*

Mat.28. *Apoſtoli iuxta Chriſti præceptum in Galilæam profecti, in monte quodam tum ipſi, tum fratres alij plures quingentis Chriſtum viderunt. Quo loco eos Euangelij præcones, & Eccleſiarum conſtituit Epiſcopos. Monet præterea, vt Ieroſolymam redeuntes, ibi Spiritus ſancti expectent illapſum.*

Ioan.21. *Ad lacum Tyberiadis Petrum, Zebedæi filios, & alios Diſcipulos piſcantes alloquitur. Rete vbi iacerent edocet. Petrus Chriſtum eſſe à Ioanne admonitus: vbi cognouit, ad eum natatu peruenit. Merces fidei, & dilectionis fuit ouium Chriſti ſummum Paſtorem, & Eccleſiæ Principem conſtitui. Rogat ille, quid de Ioanne futurum, ambiguo reſponſo.*

Reuerſis inde Apoſtolis Ieroſolymam, aliàs apparuiſſe, & Matrem inuiſiſſe ſæpius, etſi Euangeliſtæ ſileant ratio, & pietas conteſtantur. Porro Iacobo eſſe viſum Paulus affirmat.

1.Cor.15. Luc.24. Mar.16. *In Bethania tandem die à Reſurrectione Quadrageſimo, noua præcepta cum Apoſtolis dediſſet recumbentibus, & eorum incredulitatem increpaſſet, ire iubet in orbem, inſtruitque poteſtate excitandi miracula. Mox circumfuſa nube è monte Oliuarum aſcendit ad ſuperos. En opera Domini apprimè ſpecioſiſſimæ imagini reſpondentia. Profectò hæc cuncta ex Maldonato, Barradio, Ianſenio, Tyrino, Menochio, Toleto, Mariana, Saa, & aliis expreſſi.*

ANTONII DE ESCOBAR ET MENDOZA, E SOCIETATE IESV, IN EVANGELIA TEMPORIS.

VOLVMEN PRIMVM.

Et ordine ſeptimum.

LIGNVM VITÆ, CHRISTI MIRACVLA.

DVODECIM FRVCTVS.

LIGNI vitalis Chriſti mirabiles expendo virtutes ad vitam hominum conſeruandam. Ambroſius ad Geneſ. 2. *Chriſtus* Gen. 2. *eſt illud lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, cuius folium non defluet, quia totus in eo vitalis fructus*, vel veſtimenti fimbria morbos ablegante. Cur arbor illa vitalis vocitatur?

Theod. citatur ? Theodoretus, *Lignum vitæ dictum, quòd hominum vitam conferret, ſi mandatum Dei cuſtodir.nt.* Auguſtius miraculum Dominici ligni eſt, vel hominibus tranſgreſſoribus mandatorum vitam impertiri. Certè vitæ lignum vitales effectus, & ex pabuli ope, & ex incommodorum ablegatione, & ex conſeruatione vitæ. Dominica miraculoſa arbore pabula hominibus præparantur; piſcium captura inſolita, aqua in vinum mutata; quinque, ac ſeptem panum multiplicatione. Ablegantur incommoda, dum tempeſtas ſemel, ac iterum infrænatur, ſanantur claudi, vapulantibus Templi prophanatoribus, (Chirurgia etenim ad valetudinem confert.) Cæcus natus dum videt, lepra vndecim hominum ablegatur, Paralyticus & apud piſcinam, & Paralyticus emiſſus in lectulo medicamine donantur; ſocri Simonis febris extinguitur; ſurdus mutus audit, & loquitur; Hydropicus ſanitati reſtituitur; Diabolus à miſero pellitur. Mors denique fugatur, dum viduæ ſuſcitatur filius, Lazarus reſurgit, Archyſynagogi filia lethali excitatur à ſomno, & Reguli Filius iam moriturus à fati eripitur poteſtate. An non hi mirabiles Dominicæ arboris effectus?

LIBER

LIBER PRIMVS.

MARIS PRODIGIA.

PARS PRIMA.

NAVICVLA.

Paraphraſis, Commentariíque literales ad Caput octauum Matthæi.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum Pelago imperantem.

PROLVSIO.

NAVICVLA, in qua Ieſus erat, procul à littore tempeſtate agitatur immiti. Deſperata Diſcipulis ſalus, nullum nautis remedium. Chriſtus autem corpore ſopitus, animo vigil Diſcipulis exorantibus fert opem, eius imperio pelago obſequente, cunctíſque Ieſu potentiam efferentibus. Ambroſius lib. 6. in Luc. cap. 2. *Tempeſtas oritur etiam Apoſtolis, quia ſine tentatione eſſe nemo poteſt. At cur Chriſtus, qui pernoctabat in oratione, nunc dormiebat in tempeſtate? Quia alijs timentibus non timet edocens, qui hæret Deo perire non poſſe.* Quid plura? *Excitemus ergo*, profuſis precibus, *Saluatorem, quia nemini ſeruit, cui ſeruiunt omnia:* timentes ſolummodo, *cùm Chriſtus nunc non dormiat corporali ſomno, ne nobis dormiat.* Fuſæ equidem preces haud Dominum ſinunt dormitare Iſraëlis cuſtodem.

Vitalis ligni Chriſti Admirabilis, ſiue miracula gerentis, FRVCTVS PRIMVS.

Ambroſ.

MATTHÆI CAP. VIII.

VERS. 23. ET aſcendente Ieſu in nauiculam, ſequuti ſunt eum Diſcipuli eius.

24. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipſe verò dormiebat.

PARAPHRASIS.

23. *IESVS igitur dimiſſâ turbâ nauim comitantibus Diſcipulis ingreſſus eſt.*

24. *Inter nauigandum autem repentè tempeſtate coorta, ſic commotus eſt lacus, vt fluctus nauim operirent, Ieſu interea dormiente, capite innixo ceruicali.*

25. Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus.

25. Vndenam huiuſmodi in periculis ſit petendum auxilium Apoſtoli edocent, dum metu exanimati, Chriſtum expergefaciunt, ſe perituros credentes, niſi Dominus laturus opem euigilaret.

26. Et dixit eis Ieſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens, imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.

26. Curans Dominus Diſcipulos aduerſus cunctos malorum inſultus reddere intrepidos, Quid, inquit, ſic timetis, exiguæ fiduciæ homines? quid clamatis? An vos vſquam Dei auxilium deſtituit, ſi fiducia minimè defecit? Tunc elementorum Dominus ventos ac mare increpat, continuóque procella conquieſcit.

27. Porrò homines mirati ſunt, dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?

27. Profectò Diſcipuli, cæteríque qui erant in naui rem tam prodigioſam admirati, dixerunt: Maius homine ille, cuius non ſolùm morbi, ac dæmones; verum & venti ac pelagus iuſſis obtemperant?

SECTIO PRIMA.

Tempeſtas oborta.

TEXTVS.

VERS. 23. ET aſcendente Ieſu in Nauiculam, ſequuti ſunt eum Diſcipuli eius. 24. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt Nauicula operiretur fluctibus: ipſe verò dormiebat.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Quando aſcenderit in Nauiculam?

1. *An Parabolas ante tranſfretationem recitat?*

ET *aſcendente Ieſu in nauiculam.* Marcus ſcribit, Dominum è naui parabolas docuiſſe; poſt parabolas autem deſcriptas, adiungit hæc verba: *Et ait illis in illa die, cum serò eſſet factum: Tranſeamus contra.* Aſſerit ergo Euangeliſta, in illa die, qua Parabolas loquutus eſt, Dominum transfretaſſe; Pelagique factam commotionem.

2. *Negatiuè reſpondet.*

Aſſero Chriſtum poſt recitatas Parabolas minimè transfretaſſe; quia poſt Parabolas (vt Matthæus ſcribit) Chriſtus ſe domum recepit: ergo non transfretauit. *Tunc dimiſsis turbis,* (ad quas Parabolas dixerat) *venit in domum, & acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, dicentes: Ediſſere nobis Parabolam zizaniorum agri.* Matt. 13. (Matt. 13.) Præterea, vt liquet ex Marco, cùm Parabolas dixit, iam duodecim Apoſtolos elegerat: *Interrogauerunt eum, qui cum eo erant, duodecim Parabolam.* Mar. 4. (Mar. 4.) Iam ergo duodecim eum ſequebantur Apoſtoli, Chriſtus igitur antè expreſſas Parabolas ſeſe recepit in nauiculam.

3. Quid Marco reſpondebimus Lucas dixit: *Factum eſt autem in vna dierum & ipſe aſcendit in nauiculam.* cap. 8. Quod Lucas dixit; *in vna dierum*, Marcus, inquit, *in illa die*, non certa aliqua, ſed in vna quadam die, ac ſi diceret: *in illo tempore.* Sic expoſuit Euthymius. *In illa die, idem eſt ac ſi dixiſſet Marcus: in vna dierum, ſicut habet Lucas; neque enim illam innuit, in qua dixit Parabolas.* Et Chryſoſtomus hom. 25. in Matt. *Lucas, inquit, ne quis ab eo ordinem temporum quæras: Factum eſt in vna dierum & ipſe aſcendit in nauigium, & Diſcipuli eius. Marcus quoque ſimiliter. Matthæus verò conſequentiam quandam temporum obſeruat.* Si Marcus ſimiliter ac Lucas, idem eſt Marcum dixiſſe. *In illa die*, ac ſi dixiſſet: *in vna dierum.*

Marcum exponit.

Euthy.

Chryſ.

§. II.

De aſcenſu in Nauiculam.

4. *Euangeliſtarum varietas.*

ET *aſcendente eo in nauiculam, ſequuti ſunt eum Diſcipuli eius.* Marcus, *Et ait illis: Tranſeamus contra. Et dimittentes turbam, aſſumunt eum ita vt erat in naui: & aliæ naues erant cum illo.* Lucas autem, *Et ipſe aſcendit in nauiculam, & Diſcipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus*

fretemus trans ſtagnum, & aſcenderunt. Significat ergo Lucas Chriſtum Diſcipulis dixiſſe: *Transfretemus trans ſtagnum.* Poſtquam in nauiculam aſcendit. Idem aſſerit Marcus: *Aſſumunt eum ita, vt erat in naui.* At Matthæus noſter ſignificat hoc dictum antequam aſcenderet: *Videns turbas multas circum ſe, iuſſit ire transfretum.*

5. *Conciliantur.* Reſpondeo bis verba illa: *Transfretemus*, ſeu *Tranſeamus contra*, à Domino expreſſa. Primò, longius à pelago, vt ait Matthæus: *Videns turbas, iuſſit ire trans fretum.* Secundò, cum ad mare acceſſit. Imo & tertiò, cum iam in nauiculam receptus eſſet, vt Lucas affirmat.

6. *Difficultatem, aduerſus parabolas poſt tempeſtatē dictas, ſoluo.* Ianſen. Caiet. Inſurgit contrà §. 1. reſolutionem difficultas ex illa Marci particula: *Aſſumunt eum ita vt erat in naui.* Ianſenius enim arbitratur tunc Dominum è nauiculâ turbas docuiſſe. *Diſcipuli autem dimittentes turbas, & è littore ſoluentes, aſſumunt Chriſtum è littore in profundum pelagus ita vt erat in naui docens turbas.* Caietanus item, *Aſſumunt eum ita vt erat in naui, id eſt, antequam Chriſtus in naui mutaret ſitum*, equo ſcilicet docuerat. Si ergo ita vt erat in naui docens aſſumitur Dominus, cùm Marcus hæc verba ſubiiciat poſt dictas è puppi parabolas, planè ſignificabit poſt expreſſas parabolas Chriſtum trans mare petiiſſe. Nec enim alterius doctrinæ eò loci geſſit mentionem. Sic reſpondeo: Aſſumunt eum in pelagus ita vt erat in naui. Quomodo autem erat in naui exponit Euangeliſta. *Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens.* Etenim Dominus feſſus ambulando, & concionando ſe in puppim receperat, & ſuper ceruical quieſcebat. Hunc igitur ſitum Marcus indicat. In altum ducitur qui tunc iacebat capite hærente ceruicali, vt poſtea dormiret. Plures apud Barradium ſolutiones reperies.

7. *Naues erant cum illo, ſimul nauigantes.* Addit Marcus, *Et aliæ naues erant cum ille.* Caietanus è Græco potiùs vertendum arbitratur: *Et aliæ naues erant cum illa*, ſcilicet cum nauicula, in quam Chriſtus conſcenderat. Noſtra verſio probatior. Erant enim cum Chriſto aliæ puppes, quæ illius nauiculam comitabantur. An ſimul nauigarint? Perſpicuum non eſt. Nauigaſſe tamen, eandemque tempeſtatem ſubiiſſe exiſtimo Matthæi verbis illis hæreſcens: *Porro homines mirati ſunt*, &c. Homines hi erant, qui aliis cymbis vecti Chriſtum comitabantur? Inferius patebit.

8. *Quid aſcendere?* *Sequuti ſunt eum Diſcipuli eius.* Poſt aſcenſum Ieſu, & Diſcipulorum in puppim, eas iuſſit ad vlteriorem ripam petere. *Qui aſcenderunt*, ait Lucas. An ſignificat τὸ *aſcenderunt*, Diſcipulos ad nauiculam aſcendiſſe? Minimè quidem; iam enim id dixerat; ſed è portu ſoluiſſe, & nauigaſſe. Græcum enim verbum ἀνάγω, ſignificat è portu ſoluere. Ideo vertit Pagninus, *Et ſoluerunt.* Biblia Regia, *Et prouecti ſunt.* Dixerat Lucas Chriſtum in nauiculam aſcendiſſe comitantibus Diſcipulis: Chriſtumque præcepiſſe, vt nauigarent. Iam edocet Magiſtri præcepto Diſcipulos paruiſſe. Et aſcenderunt è littore in pelagus, è portu ſoluerunt. *Pagn.*

§. III.

De Tempeſtate.

Et ecce motus magnus factus eſt in mari. Ita vt nauicula operiretur fluctibus. Matthæus motum in ipſo pelago effectum ait, Marcus & Lucas ventorum adiiciunt effrænationem. *Et facta* (ille) *eſt procella magna venti. Deſcendit* (hic) *procella venti in ſtagnum.* Ventus equidem tempeſtatis cauſa fuit commouens vndas. 9. *De ventis.*

An naturæ vi oborta procella? Nondubium quin viribus naturæ potuiſſet tempeſtas contingere. Probabile tamen puto à Chriſto fuiſſe effectam, excitato miraculo. Plures habet hæc ſententia patronos. Strabus, inquit, Non ex ſe orta eſt tempeſtas, ſed Chriſti imperio. Origenes hom. 6. in diuerſ. *Tempeſtas non ex ſe orta eſt, ſed poteſtati paruit imperantis eius, qui educit ventos de theſauris ſuis.* Item, *Ingreſſus Dominus in nauiculam, fecit turbari mare, commouit ventos, concitauit fluctus. Corpore dormiebat, Diuinitate verò concitabat mare.* Beda, Carthu. & Abul. conteſtantur. 10. *A Domino excitata, miraculo, tempeſtas.* Strab. Orige.

Quorſum ergò à Chriſto tempeſtas excitata? Reſpondet Strabus, *Vt Diſcipuli magis timeant, & rogent, & rogantibus oſtendat potentiam.* Theophylactus, *Permiſit Dominus tempeſtatem oriri, vt Diſcipuli ad tentationes exercerentur: & vt per miraculum crederent.* At Beda ad Luc. 8. concitatam aſſerit procellam, quòd Iudas nauicula veheretur. *Diſcipuli cum Domino nauem conſcendunt, mare adeunt; ſed quia intererat & Iudas: & Dominus in puppi, quæ ſedes erat gubernantis, dormiſſe, & ventus pontuſque deforis ſæuiſſe perhibentur. Nam etſi multa illic Diſcipulorum merita nauigabant, tamen adhuc eam perfidia proditoris agitabat: & qui ſuis meritis firmi fuere, turbabantur alienis.* Accepit ex Ambroſio profante Luc. 5. *Non turbatur nauis, quæ Petrum habet; turbatur illa, quæ Iudam habet. Et ſi multa illic Diſcipulorum merita nauigabant: tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In vtraque Petrus, ſed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidiam, caueamus proditorem; ne per vnum plurimi fluctuemus.* Affirmo tamen Iudam eo tempore probum, vnde illius improbitati procella minimè tribuenda, ſed Diſcipulorum ex tentamine profectui, & ex miraculo ſequenti eruditioni, cui Dominus ſemper ſtudebat. 11. *Cur Chriſtus tempeſtatem excitarit?* Strab Theoph. Beda. Ambro.

Quàm longi temporis rogas, nauigatio illa? Exigui planè. Nam in vlteriorem lacus Galilææ ripam vltra lacum, & Iordanem fluuium nauigarunt. Lacus verò latitudo (vt didici ex Ioſepho) quadraginta ſtadiorum eſt, ſeu pluſquam leucæ. Leucæ ergo plus, minus, nauigationem confecere. 12. *Breuis illa nauigatio.* Ioſeph.

§. IV.

De Chriſti Somno.

Ipſe verò dormiebat. Marcus autem, *Et erat ipſe in puppi ſuper ceruicali dormiens.* Ingreſſus ſcapham Dominus, in extrema parte, id eſt, in 13. *Quonam in ceruicali requieuerit?*

puppi diſcubuit, ſomnúmque ſuper ceruical cæpit. Quod Euthymius ait ex ligno ipſa in puppi fuiſſe fabricatum. *Erat ceruical illud ligneum in puppi fabricatum.* Theophylactus, *ſuper ceruical dormit, quod in naui erat, nimirum ligneum.* Certè nomen Græcum προσκεφάλαιον, à capite deriuatum, & Latinum ceruical à ceruice deductum puluinar ſignificat, quod capiti, ſeu ceruici ſupponitur, & inibi caſu ad nautarum vſum eſt repertum. Vndenam autem Græci illi Auctores ligneum fuiſſe habuerint, Barradius ignorat. Ego autem exiſtimo ipſum puppis ſitum altius paulo reliquo ſpacio fabricatum probabiliter ab Euangeliſta ceruical appellatum, ex metaphora ad puluinar, quia ceruici Dominicæ obtulit requiem. Qua mente ceruical ligneum eos vocitaſſe non dubito.

Euthy. Theoph.

„Cur dormiuit Dominus? Chryſoſtomus hom. 29. in Matt. *Nam ſi vigilantem viderent Chriſtum, aut non adeo timuiſſent Diſcipuli, aut petere ab eo ſalutem, qui pericula eorum videret, neglexiſſent; aut non poſſe ipſum fluctus ſedare putaſſent.* Lyranus autem. *Dormit Dominus, vt veritas humanæ naturæ in eo oſtenderetur, & vt Diſcipuli in periculo poſiti ad ipſum recurrerent.* Hieronymus myſticè, *Huius ſigni typum in Iona legimus, quando, cæteris periclitantibus, ipſe dormiebat ſecurus; ita Chriſtus Sacramento Paſſionis ſuæ liberat eos, qui naufragantur.* Dormit quidem, vt & timoris maior cauſa Diſcipulis daretur, & ſenſus eorum redderetur apertior ad miraculum. 14.

Cur obdormiuit? Chryſ. Lyran.

IN IESVM PELAGO
IMPERANTEM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS
circa literam;

EX TEMPESTATE OBORTA.

Observatio I.

Ad illa verba:

Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſequuti ſunt eum Diſcipuli eius.

Ieſum tempeſtate iactandum Diſcipuli non deſeruerunt.

Ille enim verus amicus, qui in proſperis non ſolum, ſed & in aduerſis dilectum ſequitur.

15. INGRESSVM Pelagus Dominum comitantur Diſcipuli. Amici etenim ingenium eſt non per terras ſolum, vitæ commoda, ſed per tumentes maris fluctus, mediosque turbines, & procellas ſequi dilectum.

Rebus in aduerſis veri explorantur amici.

Didym. Didymus Cat. Græc. in Iob cap. 6. *Qui aſſimilata amicitia ſpecie fallunt, hos temporis procella facit ſegnes.*

16. Dum mare placidum iter exhibet, dum parent vndæ, dum ſubſident æquora, non tempus amicitiæ; ſed cum aquæ vndique tempeſtatis tempore commouentur. Sapiens aiebat, *Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis.* Eccli. 6. *Secundum tempus ſuum.* Id eſt, tempore æquoris placidi, non procellæ tempore inſtanti. *Omni tempore diligit, qui amicus eſt.* Prou. 17. Et æquore pacato, & turbato non deſerit. Iſidorus lib. 3. de ſum. bono, cap. 29. *Amicitia certa nulla vi excluditur, nullo tempore aboletur: vbicumque tempus ſe verterit, firma eſt. Citò per aduerſa fraudulentus patet amicus. In proſperitate incerta amicitia eſt; neſcitur, vtrum perſona, an fœlicitas diligatur.*

Verus amicus omni tempore ſequitur. Ecli. 6. Prou. 17. Iſidor.

17. Paulò antè turbata æquora, miracula munificentiæ ſigna ergà homines plura excitauit, ad quæ quidem turbas vidit: ad nauiculam, pelagi horribili procella agitandam ſolos amiciſſimos, fante Chryſoſtomo hom. 29. *Vbi miraculorum oſtenſio erat, plebem videt adeſſe, Vbi autem tentationum & timorum arreptio, athletas Orbis terrarum, quos exercitaturus erat, hos ſolos aſſumit.* Siuè hos ſolos videt ſe minimè deſeruiſſe de veræ amicitiæ conditione: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tribulatione.*

Ideo hominum ad miracula turba ſequuntur ad æquora turbanda Apoſtoli.

18. Iudith bonis affluebat, Ruth autem ſummâ premebatur inopiâ. An Iudith Deum ſecuta, dum proſperaretur tempus, oborta diſceſſit tempeſtate? Num Ruth ſemper experta procellarum rabiem Dominum dereliquit? ſequuta certè illa tempore placido ſequutura ad pelagus, ſi ferret occaſio: hæc autem immemor placidi temporis, quaſi nata labori procellarum, ſemper conditoris placidiſſimo ſibi ſinui adhæſit. Petrus Dam. lib. 8. epiſ. 14. *Vtraque, ſcilicet mente vna, licet diuerſa fortuna vni Deo non immeritò placuit; quia neque aduerſis iſta ſuccubuit, neque in proſpera ſui met obliuiſcens, ſe illa deiecit. Sed illa tolerabat, quibus abundabat: iſta fruebatur, quæ patiebatur.* Ac ſi diceret, Iudith proſperitas quaſi tempeſtas erat, ſic enim dilectiſſimum Numen in proſperis ſequebatur, ac ſi in

Amicus in proſperis, & in aduerſis æquè bonos ſui amato. Damia.

ſi in aduerſis ſequeretur, parata quidem ad nauiculam aſcendere ventorum rabie tentandam. Aſt Ruth tempeſtas erat placido æquore frui Dominum ſemper ſequuturæ.

19. *Abraham ſequutus placidum filium, ſequi curat turbandum procella.* Gen. 22. Ambro.

Iſaac riſus paternæ domui, exultatio exoritur, qua parens Abraham diu potitus eſt. Deus imperat è medio tolli riſum, ablegata æquoris pace, criſpatis vndis. Stringit gladium pater comitatus filium dilectum. An ad montem ſolummodo pergentem? Profectò ad necem properantem, ſolum cupiens vnico vulnere deperire. Ambroſius lib. de fide reſur. *Diſtrinxit ſuper dilectum, gladium paternâ manu, Ne periret pœna, trepidauit.* Et quodnam dilectionis veræ documentum exhibebo, ſi riſum excipiens ſequutus per ridentia gramina, ac fontes filium, per æquora intumentia non perſequor?

20. *Diſcipuli equi Domini cum pugnaturi ſequuntur.*

Pende illud. *Aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum Diſcipuli eius.* Vates Ieſu Diſcipulos equos ad pugnam paratos vocitauit. Caietanus ponderat Diſcipulorum promptitudinem ad ſequendum Magiſtrum ad æquora, ac ad oppida. An equos fortiſſimos belli ſtrepitus retardaret? De generoſo equo Iob loquutus, ait: *Cum audierit buccinam, dicit: Vah.* cap. 28. (Iob, 28.) Interiectio eſt *vah* animi geſtientis. Guillelmus Paris. lib. de mor. trac. de ſpe. (Guillel.) *Sicut gaudent equi, cum ſignum eminentis conflictus audierint, ſic & Dei amici huiuſmodi gaudio gaudent, cùm bellum tribulationis conſurgere cognouerint.* Aſcende Domine ſuper equos tuos, communi tribulatione equus & aſcenſor vulnerentur. Nec enim *amici* veri equitem deſeruut conflictanturum, quem triumphum agentem comitari fuere.

Observatio II.

Ad illa verba:

Aſcendente Ieſu in Nauiculam.

Non in nauem Dominus, ſed in nauiculam dicitur aſcendiſſe.

Quia humilis cordis curru inuehitur, cum ſalutem hominum operaturus incedit, & mira excitaturus.

21. IN nauiculam aſcendiſſe Dominum, non in nauim adnotatur, vt ſignetur Dei Filium vehiculo humilitatis gradi. Ex Chryſoſtomo hom. 29. (Chryſ.) *Quòd Diſcipulos Dominus dimiſſa turba in nauem receperit, honorus fuit. Ne ergo ſuperbirent, in nauiculam aſcendit, tempeſtate, &c.* Ac ſi diceret, vos mihi nauiculam, non nauem præparate, humilitatis ferculó terra, marique véhor.

22. *Chriſtus ferculo Dauidicæ humilitatis ad terras aduentauit.* Matt. 1. 2. Reg 7.

Matthæus de Domino noſtra induendo humanitatè venturo è cœlis ad lacrymarum vallem ſcribens, ait: *Fily David, fily Abraham: Virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus.* cap. 1. ſi Abrahamo facta promiſſio fuerat, cur Dauid Abrahæ filius priùs Chriſti parens nominatur? Certè, quia è cœleſti Regione Dominus diſceſſurus, humilitatis ferculo indigebat. Deo ſic Dauid loquitur ex Chryſoſtomi lectione: *Quis ſum ego Domine mi, quid talem gratiam inuenerim ante faciem tuam? Ego enim minimus ſui in Tribu mea.* 2. Reg. 7. Regio fulges ô Dauid, apparatu, & Paſtoritij muneris recordaris? Profectò futurus Chriſti Parens humilitatis ferculum venturo debuit præparare. Chryſoſtomus pulchrè, (Chryſ.) *Quod dixis: Minimus ſui in Tribu mea, ſignificat perfectam Domini humilitatem in Mundo venientis.* Ad Mundum ſi veniebat, quonam alio curru eſſet inuehendus? Nunquam enim non Chriſtus ferculo vehitur humilitatis.

23. *Saulus in Paulum, ſeu modicum exhibuit portaturum ſalutare nomen.* Act. 9. Auguſt.

Saulum excidentem Dominus ferculum ſibi conſtituens, ait: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum.* Act. 9. At Saulus nomen Regium à Saulè deriuatum in Paulum illicò commutauit. Quid Paulus? Audi Auguſtinum ſer. 93. in diuer. *Cum Saulus vocatus eſſet de cælo, vocatus, proſtratus, mutatus: vbi cœpit Apoſtolus, mutauit ſibi nomen, & dixit ſe Paulum. Et hoc quare elegit? Quia Paulus modicus eſt, & Paulus paruus eſt. Nos ſolemus ſic loqui: Videbo & poſt paulum, id eſt, poſt modicum.* Illud pende: *Vbi cœpit Apoſtolus.* Quia ſcilicet incipiebat ſeſe nomini ſalutari vehiculum exhibere: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum.* Dominus enim ſemper in humilitatis curru inuehitur, nunquam non in nauicula conſtitutus æquora verſat.

24. *Saluator modica Ciuitate veritus quaſi curru, ad ſalutem hominum.* Gen. 19.

Ad Angelum eductorem ſic Loth: *Eſt Ciuitas hæc iuxta, ad quam poſſum fugere, parua: & ſaluabor in ea. Nunquid non modica eſt, & viuet anima mea?* Gen. 19. Cur ad Ciuitatem paruam, modicam confugit, qui è munitiſſima Ciuitatis potentiſſimæ arce poterat ſalutem veracius ſperare? Porrò Saluatorem ad ſalutis operationem aduenturum contemplatur ille, cui è cœlo ſalus promiſſa eſt. At Ieſu vas, Saluatoris ferculum humilitas neceſſariò eſt. Vndè vt ſibi ſalutem promittat, priùs de paruitate ferculi, de modicitate currus facit periculum. *Nunquid, non modica eſt, & viuet anima mea?* O Domine, *quadriga tua ſaluatio.* Humilitatis curru vectus, quomodo ſaluare non venias? Chryſoſtomus hom. 6. de humil. (Chryſ.) *Vnum ergò minimum de Sodomiticis Vrbibus oppidum, ad ſalutis refugium, ſibi donari poſcit a Domino.* In magnis periclitaris, in exiguo ſalutem obtinet. Quia in Paulo Ieſus graditur, in modico habitat ſalute homines donaturus.

25. *Apoſtoli præclara facturi humilitati hæreſcunt.*

Adde Dominum operaturum mira, mari ac venti imperaturum: Diſcipuloſque docturum, quonam modo admirabilia patranda præpararentur inire nauiculam, Diſcipuloſque iubere inire, hoc eſt ſuam humilitatem imitari. Quæ quidem præmittenda ad egregias actiones proculdubio eſt. *Nolite timere* (Apoſtolis ait) *puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum.* Luc. 12. Quid gregi puſillo cum Regni Majeſtate? (Luc. 12.) Imo vt actionum Regiam Majeſtatem expenderet, neceſſarium fuit, profundiſſimam humilitatem præmittere. Chriſologus ſer. 22. (Chryſol.) *Grex puſillus Mundo, magnus eſt Deo. Puſillus, quia glorioſos vocat vos. quos inſtituit.* Ac ſi diceret: *Vocauit puſillos, quia vocauit glorioſos.* An puſillitas & gloria eodem vocabulo ſignantur. Ita planè. Præmiſſa enim humilitate, actionum gloria ſequatur neceſſe eſt.

26. *Moſes humilis petuit*

Quàm glorioſus actione Moſes, cui Dominus: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra*

 populum

Deum conti-nere, & di-mittere.

populum iſtum, faciámque te in gentem ma-gnam. Exo. 32. Moſes homo Deum aut tenet, aut dimittit? O humilitatis vis: Illam preme particulam: *Faciámque te in gentem magnam.* τὸ *quæ* reſpicit humilitatem Moyſis, qua in gentis magnæ populum aſſumi fugiebat. Exod. 3. *Quis ſum ego*, &c. Hic ergo Deum poteſt iratum comprimere, illigatum ſoluere. Richardus Victor. p. 1. de grad. char. cap. 1. *Audis: Dimitte, & Deum teneri non dubites: nec aliunde, quam amoris fortitudine. Quæris cuius? Illius vtique ſerui fidelis, qui in populum maiorem maior fieri, & glorioſior renuit.* Sed ex humilitate quidem glorioſiſſimus oſtentandus.

Exod. 32.

Richard.

Observatio III.

Ad illa verba.

Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum Diſcipuli eius.

Diſcipuli Dominum ſequuti in mundiali mari verſantur, ſed de mari minimè viuunt.

Aſſeclæ enim Chriſti vtuntur hoc Mundo tanquam non vtantur, neceſſarijs vtique contenti.

27.

Machar.

MACHARIVS hom. 44. Apoſtolorum ſic myſticam nauigationem expendit: *Sicut qui ſunt in naui, non bibunt ex mari, neque ex eo victum ſumunt, ſed aliunde important in nauem: hoc modo Chriſtianorum anima non à ſæculo iſto, ſed deſuper è cælo cibum cæleſtem capiunt.* In nauiculam cum Domino aſcendiſti, Mundi fluctibus ſuperatis, ad gloriæ portum tendis? Pelagus mundiale tibi viam præbet, non cibum. Quid ſiti tuæ cum amariſſimis æquoris aquis, minimè extinguendæ: cum fluctibus quid fami tuæ nunquam exſatiandæ? E cœlo pete nauigationis alimoniam.

28.

Seculi aquæ potabiles minimè ad refectionem.

Pſal. 22.

David canebat: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ, ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me.* Pſalm. 22. τὸ *aquā refectionis* adnota. Eſt ne aqua quæ non reficiat. Ita planè. Nec enim æquoris vndæ potabiles. Mundialis refectioni inutiles voluptates. Chryſoſtomus, *Magna iſta refectionis aqua. Eſt & alia aqua, quæ non eſt aqua refectionis, ſed aqua conſumptionis.* Voluptates conſumunt epotatores, non reficiunt; æquoris enim vnda eſt. Gillibertus ſerm. 4. in Cant. *Solus ille animæ refectio eſt, qui finis eſt omnium.* E cœlo tibi annona procuranda.

Chryſ.

29.

Biſcoctū neceſſarium nauigationi tibi Ieſus, ſeu eius imitatio.

Bernard.

Tibi ergo mare deſcendenti in nauicula Ieſus hæreſcat, nunquam ſine Ieſu pelagus tranandum ſubeas. Si vnum Ieſum (vt Apoſtoli) tenueris, animi ſortiris refectionem. Bernardus lib. de Paſ. Dom. cap. 43. *Præterire non poſſumus, quòd tranſituri mare panem bis coctum neceſſarium habent. Quicunque ergo ſe in hoc mari magno huius ſeculi eſſe cognouerit: ſi ſecurus vult eſſe, habeat panem bis coctum fortiſſimum Ieſum in naui crucis ſua, quem comedat, quo reficiatur, quo conſoletur, quo ab omnibus periculis eruatur.* Crux Chriſti cymba eſt? Ieſus indiuiduus nauigationis ſecularis comes tibi victum neceſſarium, ſpiritus quidem alimentum, miniſtrabit.

Quòd ſi bis cocti myſterium expendas, qui crucem nauiculam aſcendiſti ſocius ſuffixi Saluatoris, tunc vbertim potieris alimonia tibi neceſſaria, cum mortificationis exercitio duplici operam impenderis. *Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis.* Pſal. 106. Noſtra operatio ſit adnata eis, qui mare in naui Crucis deſcendunt. Biſcocto vtamur, dum Chriſti paſſionem mortificationis ſtudio referimus. Aiebat Paulus, *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs.* Gal. 5. ad internam & externam mortificationis curam excitamur, ſi nauigantibus bis coctus panis ſit exhibendus. Guarricus ſerm. 2. in Ram. *Nouerat vir multæ ſcientiæ, & experientiæ, multos eſſe, aut fore, qui crucifigerent concupiſcentias carnis, & ſinerent regnare vitia cordis. Multos è contrariò, qui fiducia pacati cordis negligerent mortificationem corporis. Eapropter vult Apoſtolus, vt, crucifixis tam vitijs interioribus, quam concupiſcentijs exterioribus, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus.* Qui igitur ſic externis pœnalitatis armis incumbit, vt ſimul cum animi paſſionibus confligat; ſic his expungendis inſiſtit, vt externas duritiës ſibi in auxilium aſſumat, *panem bis coctum neceſſarium habet.* 30.

Interna, externaque mortificationi ſtude.

Pſal. 106.

Gal. 5.

Guar.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.

Amiciſſimis Eccleſiæ Proceribus grauiora tentamina à Domino præparantur.

Documentum eſt enim vberioris Dei erga nos dilectionis, ſi grauioribus certaminibus agitemur.

A Domino excitatam vidimus tempeſtatem. An hominibus incredulis? An vulgari Diſcipulorum ſecularium cœtui? Certè Apoſtolis amiciſſimis. Ambroſius lib. 6. in Luc. cap. 2. *Tempeſtas oritur etiam Apoſtolis; quia amiciſſimus ſine tentatione eſſe non poteſt.* 31.

Ambroſ.

Bibite (ait ſponſus) *amici, & inebriamini chariſſimi.* Amicis communibus calix traditur epotandus: at chariſſimi hauriunt vſque ad ebrietatem. Vndarum flagella nauiculam Apoſtolorum vulnerantia Vates contemplatus, ait: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, torrente voluptatis* 32.

Toto mari potatur nauicula dilectiſſimorum.

luptatis tua potabis eos. Pſalm. 35. Et cuinam feliciſſimo tanta voluptas præparatur? Heſychius in Cat. Græca. *Voluptatis torrente chariſſimos potat.* At voluptas illa ſuperorum gaudia? Certè pelagi ſecularis deſæuientis ira eſt. *Torrens voluptatis fuere Chriſti pœnæ. Voluptatis meritò dictum eſt, nam Chriſtus in delicijs erat, cùm pro nobis pateretur.* Si procellarum ſuſtinentia Chriſti eſt voluptas, quid mirum chariſſimos huiuſmodi à Domino voluptate donari? Vnde Chryſoſtomus apud Cat. Palac. *Ad alia miracula etiam turba admittuntur: ad ſigna terroris ſoli Diſcipuli* chariſſimi; Beneficium enim laborum amiciſſimis exponendum. En nauicula operta fluctibus, tribulationibus dilectum ebriatum.

33. *Amiciſſimi Abrahæ nauem operuit tempeſtas.* Eccleſ. 9. De mundialium Regum amaſiis aiebat Eccleſiaſtes, *ſuper dolentium arma ambulabis.* Cap. 9. Ianſenius hinc oſtendit quot ſuſpiria, quot ægritudines Regius fauor pariat. Palatius appoſitè, Ambulabis inter pilas, & gladios hoſtium iratorum frementium, & in cædem tuam ruentium. En Regalis effectus dilectionis. An ſic qui à Regum Domino diliguntur? Reſpondeat Abraham. *Quem tentauit Deus* eo tentamine. (Gen. 22.) quo fortiſſimi quique nutarent. Iob tentatur, dum pereunt diuitiæ, dum corpus vlceribus affligitur: animo tamen ſeruato: *Verumtamen animam illius ſerua.* Attamen Abrahæ ſpiritus haud ſeruari iubetur, filio oblato. Quare amiciſſimus tanto dolore afficitur? Imo quia amiciſſimus eſt, turbato æquore, fluctibus vulneratur iratis. Baſilius Seleu. orat. 7. *Naturæ fluctus in virum amicum ſuſtollit; vt amicitiæ diuinæ nundinatorem mireris.* Ne putent homines Dei amicitiam gratis acquirendam, ſuæ Deus eſt amicitiæ nundinator. Vis diuina excipi dilectione? Cum fluctibus tibi dimicandum, æquore naturæ turbato, ventis horribiliter frementibus, carina fluctibus cooperta: *Ita vt nauicula operiretur fluctibus.*

Gen. 22.

Iob 1.

Baſil.

34. *Velut Apoſtolis, tempeſtas Ioſephi chariſſimis fratribus oborta eſt.* Fratres Ioſeph tibi ſint Apoſtoli Ieſu Dominum ad nauiculam ſequuti. Quemadmodum dilectis Chriſti à Domino fuit tempeſtas oborta: Ioſeph fratribus procella præparatur, qua nauicula diſturbaretur non furentium ventorum rabie, ſed leui Cyphi ſibilo. Gregorius hom. 21. in Ezech. *Cyphus in ſacco iunioris fratris abſconditur, furti poſt eos quæſtio mouetur,* (ſeu tempeſtas excitatur.) *Mittitur, vt reducantur addicti; in ſeruitutem decernitur, apud quem Cyphus fuiſſet inuentus: in ſacco vltimi fratris inuenitur. Tunc Benjamin reducitur, afflicti omnes fratres ſequuntur.* Nauis fluctibus operitur, dum Cypho chariſſimi ebriantur. *O tormenta* (addit) *Miſericordiæ! Cruciat, & amat.*

Gregor.

35. *Portus certiſſimus poſt tempeſtatem dilectiſſimis, quia ipſe ſanguis effuſus clauis paradiſi eſt.* Apoc. 6. Porrò, ſi certa eſt dilectis tempeſtas, certiſſima eſt ad portum acceſſio; quia ea ipſa procella portus eſt paradiſi: ſiue id ipſum ſanguine pelagus rubricare patientem, eſt aditum ad portum aperiri. *Vidi* (ait Ioannes) *ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Apoc. 6. Aliæ inibi animæ; ſed ſpecialiter interfectorum Martyrum ſeu Apoſtolorum egit memoriam. Hi Chriſtum ſequuntur procellis actum, crucis baiulatorem, pelago immerſum, ſanguine vndas rubricantem. Quo fructu? Certè ſanguis ipſe portus æterni clauis eſt. Tertullianus lib. de anima. *Ioanni paradiſi regio reuelata. Nullas alias animas apud ſe præter Martyrum oſtendit; quia nullis romphæa paradiſi ianitrix cedit (facilius vtique) niſi qui in Chriſto deceſſerint: ſi crucem tuam tollas, & ſequaris Dominum.* In nauiculam crucis authore Beda aſcendentem.) *vt ipſe præcepit, tota paradiſi clauis ſanguis tuus eſt.* Siue ſanguinem ex procellæ ſuſtinentia profundi idem eſt, ac portus cæleſtis aditum reſerari.

Tertull.

Beda.

Observatio V.

Ad illa verba:

Ipſe verò dormiebat.

Obdormiente Domino, ſæua Diſcipulis procella excitata eſt.

Quia Præſule ſoporato vitæ commodis, ſubditi obortis periculis flagellantur.

36. Iceat cuiuſdam perpendere adnotationem. *Ieſus dormiebat, quodam enigmate depingens, quantum immineat periculi rebus humanis, quoties ij dormiunt huius Mundi commodis deliniti, qui vices Chriſti ſuſceperunt.* Quàm ſæua ſubditi tempeſtate iactantur Præſule ſic obdormiente!

37. *Quantum periculi rebus ſubditorum immineat, dormiente Præſule, Deus enigmate quodam oſtendit.* Gen. 3. Rupert. Haud diſſimili enigmate primum Mundi Præſulem Rex ſummus edocuit. Tempeſtas horribilis toti humano generi (Chriſtum & Mariam ſi excipias) excitatur à diabolo, diſturbatur nauicula, fluctibus operitur, gubernatore interim myſticè obdormiente. *Cum audiſſent vocem Domini Dei ambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem.* Gen. 3. Vbi Rupertus. *Indignum Deo videtur comparari homini, qui dormierat in meridie. Sed ne mireris, nam re vera tunc homini Deus nimiùm dormierat. Si enim tunc non dormiſſet is, de quo dicitur: Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael, nequaquam tantum malum homini accidiſſet: Tum dormiiſſe toto meridie dicendus eſt, quando tantum malum vniuerſo generi humano partum eſt.* Quodam enigmate appingebat Dominus, *Quantum immineat periculi rebus humanis*, quoties dormit cuſtos.

38. *Quanta ſtrages Iſraeli accidit, cuſtode obdormiente.* Pſal. 77. Rupert. Capta olim Arca Dei Ophni, & Phinees Sacerdotes Domini, *in gladio ceciderunt.* Vndenam tanta ſtrages? Dominus cuſtos ſe obdormiiſſe ex ore Dauidico profitetur. *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.* Pſal. 77. Præſule obdormiente, ſæua ſubditis tempeſtas exoritur. Rupertus vbi ſup. *Pſalmiſta dicere licuit: Et excitatus eſt, tanquam dormiens Dominus. Capta quippe fuerat Arca Dei, & Sacerdotes eius in gladio ceciderunt Ophni, & Phinees. Tunc tanquam crapulatus à vino, dormiiſſe dicendus eſt, quando tantum malum partum eſt.*

Paſtor

39. *Lupus ouem centeſimam abſumpſit, dormiente Paſtore.* Luc. 15. Rupet.
Paſtor ille ouem centeſimam requirens, quam humeris reuocat Deus eſt, quo obdormiente, lupus in gregem fecit impetum, miſeram ouiculam, totum ſcilicet humanum genus deuorauit. Luc. 15. Rupertus. *Deo dormiente lupus ouem centeſimam tulit.* Certè eo ænigmate depingebat, quantum immineat periculi ſubditis, ob deſidiam Rectoris.

40. *Verè non obdormit verus gregis cuſtos.*
Ænigmate dixit: Verè etenim Dominus Præſul non obdormit. Indignum eſſet tanto gubernatori, apud puppim (vbi gubernaculum) obdormire deſidem. Vidiſtis quàm facilè ſuſcitatur, quàm agiliter vocatus ex ſurgit? Imo licet non vocaretur, ſubueniret; non enim mente obdormit Iſraëlis cuſtos: *Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Ne ſuſcitetis, nec euigilare faciatis Dilectam, donec ipſa velit,* Cant. 2. Philocarp. legit, *Ne euigilare faciatis Charitatem.* Nonne Deus Charitas eſt? Nonne Præſul omnium ſubditos dilectionis brachiis illigat? Haud igitur faciamus eum euigilare, quando videtur obdormire. Simulat ſomnium, ſed non dormit cuſtos, ſponte ſurrecturus vt offerat opem. Ambroſius Præfat. ad Pſal. 41. *Non eſt paſſus Deus ſe ab hominibus excitari, quia ſponte properabat.* Nec enim deceret Iſraëlis dormire cuſtodem.

Cant. 2. Philo. Ambro.

41. *Deo cuſtodi non ſicus mane; quia de more cuſtodis humani, non docet eum dormire.* Iſa 21. Richar.
Apud Iſaiam ſubditus Præſuli, ouicula cuſtodi: *Cuſtos, quid de nocte? Cuſtos, quid de nocte?* cap. 21. Vbi Richardus Vict. lib. de Verb, incar. Vox hæc ouis dilectæ. Cui cuſtos reſpondet. *Dixit cuſtos: Venit manè, & nox.* Ouis nihil de matutina cuſtodia curabat, ſciens cuſtodem manè ſurrecturum. De nocturna clamat: *Cuſtos, quid de nocte?* Siue, quonammodo te geras circa gregem noctis inſtantia. Reſpondet aptè cuſtos, venit manè, & nox. Ac ſi diceret: Ad me pariter nox & manè accedunt, quia ad vigiliam, ad cuſtodiam manè mihi nox eſt: cum nox aduenţat, arbitror manè iam eluceſcere, vt cuſtos nunquam dormiam; ne obdormiente cuſtode Lupus oues diſperdere aggrediatur, Cuſtodes cuncti Dei vigilantiſſimi virgam imitemur; *Virgam vigilantem ego video,*

Observatio VI.

Ad illa verba:

Ipſe verò dormiebat.

Chriſtus in Crucis Nauicula obdormit.

Quia tanto amatori Paſſio ſomnus, Mortis tempeſtas requies eſt.

42. Beda.
BEDA lib. 3. in Luc. cap. 31. ait: Nauis Crux Chriſti eſt, quam cum Dominus aſcendit, in ea dormiuit. Requies enim Domino crux, paſſio puluinar. Quam dulcem ſomnum captat, cum pro dilecto patitur.

43. Redeo ad ſomnum Conditoris. *Cùm audiſſent vocem Domini Dei ambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem.* Gen. 3. E ſomno Dominum ſurgentem Rupertus deſcripſit, & vidimus. Porrò Procopius eundem e cruce proſilientem expoſuit. *Nunc illud tempus, quando in cruce expirauit Chriſtus. Etenim amaram paſſionem perpeſſus eſt illis ipſis horis, quibus Adamus edit.* Toto illo tempore, quo paſſus Dominus à Procopio dicitur, dormiens aptè aſſeritur à Ruperto; quia Domino pati dormire eſt dulciter, molliter puluinari hæreſcere. *Toto eo Dominus tempore dormiit dulciter, qui patitur.* Gen. 3. Procop.

Propterea præmiſſum: *Compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat.* Gen. 2. Requieuit equidem, & dormiuit. Quando? Cùm paſſionis tempeſtate irruente, intrauerunt aquæ vſque ad animam eius. Ambroſius Hexam. cap. 10. *Tunc iam futura Dominicæ Paſſionis præceſſit myſterium, quo reuelatum eſt, quia requieſceret Chriſtus, ſecundum quod ipſe dixit: Ego dormiui, & requieui.* Iunilius autem magnum diem ſabbati prælignari aſſerit, *in quo Dominus in ſepulchro erat requieturus, completis ac perfectis in die ſexto Paſſionis operibus ſuis.* Ambroſius diem ipſum Paſſionis ſabbatum aptius appellauit. Quia Dominus non ſolùm poſt perfectam paſſionem requieſcit, ſed in ipſo paſſionis inſtante pelago deſæuiente in ceruicali obdormit. Pati enim amantis obdormire eſt, requieſcit cum tribulationibus agitatur. 44. *Ipſa dies ſexta Paſſionis Chriſto ſabbatum requiei eſt.* Gen. 2. Ambro. Iunil.

Angelis accedentibus Abraham dixit: *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum; ſed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore: ponámque buccellam panis,* &c. Gen. 18. Vbi Auguſtinus lib. 16. de Ciui. cap. 29. *Quidam exiſtimant vnum in tribus fuiſſe Dominum Chriſtum.* Ambroſius. *Vbi gratia largienda eſt, Chriſtus adeſt.* Adeſt quidem paſſionis exceptus hoſpitio. Eucherius. *Sub arbore ſediſſe, Dominicæ Paſſionis erat ſignum.* Profectò Chriſti paſſio aptius in Abrahæ anno centeſimo figuratur. *Hic annus* (ait Rupertus) *ætatis Abrahæ centeſimus ad illam reſpicit plenitudinem temporis, de qua Apoſtolus: Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, vt eos qui ſub lege erant redimeret.* Aptius in vitulo innuitur, Origene fante: *Apponitur vitulus bonus, tener; & quid tam tenerum, quid tam bonum, quàm eſt ille, qui humiliauit ſe pro nobis vſque ad mortem?* Quid autem requiei cum paſſione? Profectò illud ipſum Dominum Cruci ſuffigi, duriſſimámque paſſionis procellam ſuſtinere, idem eſt ac requieſcere, & ſupra ceruical obdormire. *Quia ſcilicet animam ſuam* (addit Doctor) *ponit pro amicis ſuis.* Amanti nihil dulcius, quàm pro dilecto tribulationes ſuſtinere. 45. *Chriſtus paſſus ſub arbore requieſcens.* Gen. 18. Eucho. Rupet. Origo

Observatio VII.

Ad illa verba.

Ecce motus magnus factus eſt in mari, ipſe verò dormiebat.

Diſcipuli præſente Domino tempeſtate agitantur.

Laboribus enim exerceri, ſignum eſt, nos gratos exiſtere Conditori: pacatum enim pelagus malitiam arguit.

46. NON tentari procellis quid eſt, niſi pelagus mortuum tranare. Viuum enim mare à ventis agitatum vndas mittit ad auras. Tibi mortuum eſſe ſeculum, animi malitiæ eſt argumentum, non ſignum tranquillitatis. Ah à te Dominus proculdubio recedit. Seneca fatur Epiſt. 67. *Demetrius vitam ſecuram, & ſine vllis incurſionibus mare mortuum vocat. Nihil habere, ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius incurſu firmitatem tui animi tentes: ſed in otio inconcuſſo iacere non eſt tranquillitas, malitia eſt.* Te mortuum deſerit huiuſce pelagi concitator Dominus.

Tranquillitas ſecularis maris, malitiam ſignat mant. Senec.

47. *Cum ipſo*, inquit, *ſum in tribulatione.* Pſal. 90. *Cùm tranſieris per aquas, tecum ero.* Iſai. 43. Miſer homo à Deo non vivi, ſed innumeris Dæmonibus permiſſus horribili ei oborta procella. *Quod tibi nomen?* rogat Dominus. *At ille dixit: Legio, quia multi ſumus.* Luc. 8. Rem contemplatur Baſilius Seleu. Orat. 8. Videns autem homuncionem tot procellis actum, & non penitus obrutum duo elicit documenta, vnum à Domino illum cuſtodiri, alterum gratum eſſe conditori laboribus quidem virtutem probantibus, non malitiam punientibus. *Non in præcipitia proiecerunt, non membratim diuiſerunt hominem tot Dæmones. Verùm occultiore virtute ſtetit, reſtititque contra excitatas à Dæmonibus procellas in ipſis etiam fluctibus cuſtoditus.* Certè *occultiori virtute ſtetit.* Haud ſupplicium malitiæ, ſed virtutis probatio, & præſente, & cuſtodiente Domino.

Dei eſſe arguitur qui ſubit procellas. Pſal. 90. Iſai 43. Luc. 8. Baſil.

40. A cuius facie fugitans Propheta ſeſe naui committit. *Facta eſt* autem *tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri. Et Ionas deſcendit ad interiora nauis, & dormiebat ſopore graui.* Ion. 1. En ſeculare pelagus cunctis præparat tempeſtates. Ipſi gubernatores Eccleſiæ Apoſtoli conturbantur Ambroſius Luc. 8. *œconomia ſeruatur in Apoſtolis, vt aduertas, ſine tentatione neminem poſſe ex hoc vita curriculo demigrare.* Euthymius, *Facta eſt tempeſtas, vt quaſi Orbis athleta periculo excitarentur ad timores, & tanquam Mundi gubernatores ad procellas tentationum.* Chryſologus ſerm. 20. *Gubernatoris peritiam probat procelloſa tempeſtas; blandienti aura, nauem regit vltimus nauta.* In communi periculo, vbi Apoſtoli gubernatores agitantur vnum Ionam dormire, ſolique ei mare mortuum oſtendi, *non eſt tranquillitas, malitia eſt.* Et à facie Domini fugiens obdormit, & iuſtorum probationibus non exercetur.

Pelagus mortuum Ionæ fugaci, eum iniquum arguebat. Ion. 1. Ambroſ. Euthym.

49. Iob proclamabat, *ſi peccauero, & ad horam pepercisti mihi.* Cap. 10. Profectò peccare, & illa hora non experiri fluctuum elationem, quaſi conſequens eſt. Dominus enim in peccati ſupplicium aſſolet pelagi ſæcularis vndas infrænare, ne grauius vulneratum percutiant, peccatorem. Hæc autem *non tranquillitas* planè, *ſed malitia eſt.* Auguſtinus in cat. Græca. *ſi peccauero, cuſtodis me.* Ac ſi diceret: ſi deliquero, me afficis grauiſſimo ſupplicio, dũ eruis me à procellarum agitatione.

Ob crimina pelagus, inſtar mortui, quieſcit. Iob 10.

Observatio VIII.

Ad illa verba.

Ipſe verò dormiebat.

Chriſtus, furente ſeculari pelago, nihil timet Dei verè filius expoſitus.

Ille equidem ſe diuinum oſtendit, qui perſequutiones pacato excipit animo.

50. QVÆRIT Ambroſius lib. 6. in Luc. Cap. 2. *Cur Chriſtus, qui pernoctabat in oratione Dei, nunc dormiat in tempeſtate:* Reſpondet, *ſcilicet, quia alijs timentibus, nihil ille timet.* Diuinitatis inſigne eſt, vultu impauido tolerare ſibilorum procellas, dulci ſomno ſolui, dum eſſet cum Diſcipulis inclamitãdum: *Salua nos, perimus.*

Ambroſ.

51. Patientiſſimus Iob ſibilorum ſecularium vi procellas excitatas cum tolerauiſſet, inclamauit. *Vſquequò affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus? Ecce clamabo vim patiens, & nemo audit: vociferabor, & non eſt qui iudicet.* Cap. 19. Cur Iudicem cœleſtem abeſſe affirmauit? Ambroſius lib. 2. de interpel. cap. 3. *Nunc enim ſi clamat, nondum iudicium. Adhuc in agone erat, adhuc luctabatur, adhuc certamen ſupererat illi. Non enim exiuit corona. Debebatur illi certamen tertium. Amiſerat omnia ſua, patrimonium cum filijs, patiebatur vulnera caro eius; manebat, vt tentationes verborum vinceret.* Profectò iam verborum tentamina ſuperarat, qui dixerat: *Vſquequo atteritis me ſermonibus?* Vnde ex aliorũ mente particulam illam: *Et non eſt, qui iudicet*, ad Iob gloriam ex verborũ procellæ ſecularis ſibilorum furentium tolerãtia partam adfero. Ac ſi diceret: Cum me video ſibilorum huiuſmodi actum, & minimè victum, *non eſt, qui iudicet*, quia iam quodammodò ad diuinitatis faſtigium elatus ſum Ieſu gerens imitatorem. Cùm Chriſtus ſe Deum curabat oſtendere, venturum Iudicem proclamabat: *Cùm venerit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ* Mat. 25. Obdormiens ergo Iob ad verborum ſæcularium ſibilos Chriſti imitator exurgit, ſe Iudicem quodammodo profitetur: *Et non eſt, qui iudicet.*

Iob ſe Iudicẽ viuorum, ac mortuorum oſtentat poſt ſibilorum procellas toleratas. Iob 19. Ambroſ. Matth. 25.

Stepha

52. *Stephanus obdormiuit inter ſibilorum ... Chriſtũ oſtendit.* Act. 7. Auguſt.

Stephanus inſtar nauiculæ ſcopulis addictæ in pelagi venerat altitudinem. At Ieſu gerens morem, quaſi hærens ceruicali, *Ne ſtatuas*, inquit, *illis hoc peccatum. Et cùm hoc dixiſſet, obdormiuit.* (Non poſtquam dixit hoc; ſed cum hoc dixiſſet, obdormiuit.) *in Domino.* Act. 7. Vbi Auguſtinus ſerm. 92. de Diuer. *O ſomnus pacis! Qui inter lapides inimicorum dormiuit, quomodo in ſuis cineribus vigilabit?* Ac ſi diceret, nunquam non viuit, immortalitate condecoratur, qui inter Pelagi tumultus obdormit, præcipuè cùm ſermonum ſibilis vulneratur. Pater æternus apparet, Filius oſtenditur. *Video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Ibid. cur non ſimul Spiritus ſanctus obiicitur? An non quia obdormiens inter huiuſmodi ſibilos Stephanus tertiæ quodammodo Perſonæ Trinitatis vices exerit?

53. *Dormiens Ionas Chriſtum exhibuit verborum probra tolerantem.* Ion. 1.

Rurſum memoro Ionæ naufragium. *Facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri. Et Ionas deſcendit ad interiora nauis, & dormiebat.* Cap. 1. An qui obdormit furentis Pelagi ſibilis eſt ille fugax Propheta, quem Dominus pertinacem fluctibus flagellauit? Minimè verò, ſed myſticus ſaluator obiiciebatur, ex quo capite impauidus dormiebat. Rupertus. *Quo modo in tanta inquietudine dormire potuiſſet, niſi quia in figura contingebat illi, & Dei nutu agebatur, vt dormiret: Denique futurum erat, vt inter Iudaicas tempeſtates Dominus noſter cùm eſſet fortiſſimus Deus valdè patienter ſeſe haberet; quod dormire quodam modo eſt.* Et quiſnam poteſt inter furentes verborum ſibilos. (*Qui deſtruit templum Dei. &c. Deſcendat nunc de cruce, &c.*) obdormire, niſi Deitate decoratus? Ruper.

Audierat Anna Samuëlis mater ab Heli: *Vſque quò ebria eris? Digere paulisper vinum, quo mades.* Imperturbata fœmina reſpondit. *Nequaquam Domine mi. Nam mulier infelix omninò ego ſum, &c.* Tunc Heli, *ait ei: vade in pace.* 1. Reg. 1. Auguſtinus, Deus pax eſt, pax Deitas eſt. Ergo vade in pace, vade in Deitate Mulier infelix acceſſiſti: ſed obdormiens ventorum inter ſtrepitus: *Vſquequo ebria eris?* redis quodammodo Deitate fulgens. 54. *Anna ſuſtinens opprobrium ſeceſſit Diua.* 1. Reg. 1.

SECTIO SECVNDA,

Tempeſtas ſedata.

TEXTVS.

VERS. 23. ET acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum dicentes: Domine, ſalua nos, perimus. 26. Et dicit eis Ieſus. Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens, imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. 27. Portò homines mirati ſunt dicentes: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?

COMMENTARII LITERALES.

§. I.

De Diſcipulorum clamore.

1. *Euangeliſtarum diuerſis verbis eadem ſententia.*

ET acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum dicentes: Cum mortem ſibi ante oculos Diſcipuli obuerſari viderent, dormientem excitant, obſecrantque, *Salua nos, perimus.* Marcus, *Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus?* Lucas autem, *Præceptor, perimus.* Vna ſententia eſt, fauente Auguſtino lib. 2. de Conſ. cap. 24. *Illud, quod excitantes Chriſtum Diſcipuli dixerunt, Matthæus ſic: Domine, ſalua nos, perimus, Marcus, Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus; & Lucas, Præceptor, perimus, vna, eademque ſententia eſt excitantium Dominum, volentiumque ſaluari. Nec opus eſt, quærere, quid potius horum Chriſto dictum ſit: ſiue enim aliquid horum trium dixerint, ſiue alia verba, quæ nullus Euangeliſtarum commemorauit, tantundem tamen valentia ad eandem ſententia veritatem, quid ad rem intereſt?* Ego opinor fieri potuiſſe, vt pluribus eum ſimul excitantibus omnia hæc, aliud ab alio dicerentur. Ad quæſtiones ſimiles deſeruientem conſulto totam Doctoris expreſſi ſententiam obſeruandam. Auguſt.

Et dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Quæſtioni do, num dicta hæc fuerint à Domino poſt ſedatam procellam, an ante? Matthæus namque annotat ante ſedatam tempeſtatem expreſſa; Marcus vero, ac Lucas poſt pacatum Pelagus prolata indicant. Reſpondeo Marcum, & Lucam temporis ordinem non ſeruaſſe, dictáque verba eſſe antè æquoris compreſſionem, Matthæo ordinis temporis obſeruatore. Chryſoſtomus hom. 29. *Antequam vndas aquarum Chriſtus deprimeret, nimios animorum fluctus ſedauit. Corripuit enim Diſcipulos, ac dixit: Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Barradius probabile exiſtimat bis Diſcipulos à Domino correptos, ſemel antè, iterum poſt compreſſum pelagus. Ego autem non facilè manſuetiſſimi Domini iras ſine neceſſitate duplicabo. 2. *Quando nam hæc dicta?* Chryſ. Barrad.

§. II.

De Pelagi tranquillitate.

3. *Se oſtendit Deum.* TVnc ſurgens imperauit ventis, & mari. Se pelagi, ventorumque Dominum oſtentauit. Solus enim Deus poteſt imperare elementis, fante Pſalmiſta: *Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Pſal. 88. *Dixit, & ſtetit ſpiritus procella.* Pſalm. 106. Porrò Ieſus vento vti ſeruo, *comminatus, dixit mari: Tace, obmuteſce*, vt Marcus ait. Continuóque abſq; tergiuerſatione vlla iubenti obtemperarūt. (Pſal. 88. Pſal. 106.)

4. *Repentè æquorā quieſcunt.* *Et facta eſt tranquillitas magna.* Poſt tempeſtatem ſcilicet magnam. Non enim paulatim ſedati ſunt fluctus, ſed ſubitò ita conquieuere, vt ne veſtigium quidem procellæ relinqueretur. Subitò Chriſtus morbos depulit ex ægrotis, vt vis miraculi appareret. Ideo repentè procellam aſſero compreſſiſſe.

5. *Quinam hic homines appellentur.* *Porrò homines mirati ſunt, dicentes:* Quinam hîc homines appellantur? An Diſcipuli? an nautæ? Reſpondet Hieronymus. *Non Diſcipuli, ſed nautæ, & cæteri, qui in naui erant, mirabantur.* Origenes. *Homines dicuntur habentes naviculam, aut ei intendentes.* Beda, & Druthmaro conſentientibus. Chryſoſtomus autem turbas homines exiſtimat aduocari. Quomodo turbæ quæ non aderant? Euthymius ait, hæc verba dixiſſe turbas, quæ miraculum non viderint, ſed poſtea audierunt à Diſcipulis. Hugo Card. De iis qui in littore maris erant, exponit. Approbat Barradius; ſed æquore turbato, ventis frementibus, quonammodo turbæ voces poſſent Domini mari ac ventis imperantis exaudire? (Hier. Orig & alij. Chryſ. Euth. Hug.)

6. *Diſcipuli haud appellati homines.* Nos ergo primò aſſerimus, Diſcipulos minimè homines appellatos. Origenes. *Hic per homines non putes Apoſtolos ſignificatos. Nuſquam enim inuenimus præter honorem cognominari Dominus Diſcipulos: ſed ſemper aut Apoſtoli, aut Diſcipuli nominantur.* An non Diſcipulis ſatis Chriſti nota potentia? Num non ideo obdormientem Dominum excitarunt? Ergo non hi clamitare poterant: *Quis eſt hic?* (Orige.)

7. *Prolata verba ab hominibus ſequentibus in nauibus Saluatorem.* Deinde affirmo, prolata illa verba ab hominibus, qui (vt ſect. 1. adnotaui) aliis in nauiculis Chriſtum ſequebātur, qui quidem eidem ſubiacentes tempeſtati non longè diſſiti imperantis Ieſu comminationem audierunt, ſedatāque procellam aſpexere. Sic Ianſenius, & alij. Addit non incongruè Titelmanus, non ſolum aliis nauigiis vectos, ſed eos, qui in nauicula Chriſti aderant cum Diſcipulis *homines* appellatos. (Ianſen. Titelm.)

8. *Difficultati ſit ſatis.* Inſurgit ex Marco, & Luca difficultas. Hic enim ait: Dixit autem illis: Vbi eſt fides veſtra? Qui timentes, mirati ſunt, dicentes: Quis putas, eſt iſte, quia & ventis, & mari imperat, & obediunt ei? Ille autem: *Et ait illis:* (nempe Diſcipulis clamantibus,) *quid timidi eſtis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas eſt iſte, quia & ventus, & mare obediunt ei?* Hinc Caietanus colligit Diſcipulos homines vocitatos. *Procul dubio Diſcipuli modicæ fidei homines appellantur, non ſolum naturâ, ſed defectu diuinæ fidei.* Et Hieronymus. *Si quis contentiosè voluerit eos, qui mirabantur, fuiſſe Diſcipulos, reſpondebimus, rectè homines appellatos, quia nondum nouerant potentiam Saluatoris.* Non abnego Diſcipulos ſimul cum nautis hæc protuliſſe verba: *Qualis eſt hic, quia mare, & venti obediunt ei?* (Quod concedit Barradius, & alij vi ſententiarum ex Marco, & Luca adducti.) Sed Chriſtum taxaſſe Diſcipulos, aſſero quod verba illa protuliſſent: *Salua nos, perimus.* Qui quidem turbis è nauibus clamantibus: *Quid putas hic eſt, &c.* etiam dixerunt: *Qualis eſt hic?* Non tamen Euangeliſta homines illos vocitauit, ſed prætericns Apoſtolorum admirationem, homines ſolos turbatos, & miratos affirmat. (Caiet. Hier.)

9. *Diſcipuli non perfectè Dominum agnoſcebāt.* *Qualis eſt hic, quia mare & venti obediunt ei?* Turbæ clamabant: *Quis eſt hic?* quia nullam de Chriſti habebant potentia cognitionem. At Diſcipuli non inquiunt Quis eſt? ſed, *Qualis eſt?* Exiſtimabamus potentiſſimum hominem eſſe, iam altiora ſuſpicamur: An Deus? Chryſoſtomus hom. 29. *Illud declarabat, Diſcipulos de Chriſto conuenientem opinionem non habere.* id eſt, nondum conſpicuum diuinitate exiſtimabant. Carthuſianus appoſitè. *Diſcipuli nondum cognouerant hoc tempore Domini diuinitatem.* Vnde adiicit Lucas poſt ſedatam tempeſtatem Diſcipulos magno timore correptos, ſcilicet reuerentiæ conceptæ ex noua opinione. (Chryſ. Carth.)

IN IESVM PELAGO IMPERANTEM.

Panegyricus moralis ſecundus circa literam.

EX TEMPESTATE SEDATA.

OBSERVATIO I.

Ad. illa verba:

Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius, & excitauerunt eum, dicentes, Domine, Salua nos, perimus. Et dicit eis: Quid timidi eſtis?

Eſcob.& Mend.in Euang.de Temp.T.I.

Merito à Domino taxantur, quòd timeant diſcipuli cum ſint diui.

Bona enim conſcientia quando nouit corripi formidine?

10. TImeant homines, turbæ fortaſsè ſcelere maculatæ timeant, vos ſanctos non decet formido. Proſper. lib. 2. de vita cont. cap. 18. clamat. *O quantum ſecuritatis ha-*

bene, qui ſibi benè ſunt conſcij.

11. *Suſannæ tranquillitas ex conſcientia.* Dan. 13. Horat. Hoc erat Suſannæ in illa horribili excitata procella puluinar. *Suſpexit in cœlum; erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Dan. 13. Scilicet propter conſcientiæ tranquillitatem. De qua Horatius lib. 1. epiſt. 1.

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Ac ſi diceret, Haud pallet, minimè turbatur, qui nullius culpæ conſcius eſt.

12. *Iuſtus Leo abſque terrore.* Prou. 28. Greg. Sapiens fatur, *Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit.* Prou. 28. Cur Leo Irruentibus beſtiis non trepidat? Quia ſe agnoſcit cunctis ſuperiorem. Haud aliter iuſtus ſcit nullo horrore ſuperandum ſe, ſi nulla fœdetur iniquitate. *Nulla ei nocebit aduerſitas, ſi nulla ei dominetur iniquitas.* Gregorius ad Iob. 39. *In occurſu beſtiarum ideo Leo non trepidat, quia prævalere ſe omnibus non ignorat. Vnde viri iuſti ſecuritas rectè Leoni comparatur, quia contra ſe cum quoſlibet ſurgere conſpicit, ad mentis ſuæ confidentiam redit & ſcit, quia cunctas aduerſantes ſuperat, quia illum ſolum diligit, quem inuitus nullo modo amittit.*

13. *Iuſtorum cor nunquam pauet.* Peluſ. Cur Daniel in lacu Leonum conſtitutus non timet? Cur Noë, properantibus ad arcam beſtiis horribilibus non pauet? Certè, quia conſcientia non accuſat. Peluſiota lib. 3. epiſt. 93. *Cum Noe iuſtitiam colendo, & amplectendo hanc Dei imaginem* (quam Adam delinquens fœdauerat) *repurgaſſet, feræ omnes ad impauidum ſe contulerunt, veterem virtutem confitentes. Quin etiam Danielem Leones reueriti ſunt*, impauidum vtique ex conſcientiæ ſecuritate.

14. *Iuſto nulla cauſa timendi.* Procop. Paulus à vipera inuadente exterritus-ne fuit? Minimè planè. Nam etiam cum os eius apertum videret ad morſum infligendum, è conſcientiæ ſecuritate ſciebat nullatenus ſerpentem habere, vnde poſſet iuſtum vulnerare. Pulchrè Procopius. *Vipera quæ mordicus inuaſerat Pauli non pauentis manum, hanc deſerit. Non enim inueniebat vipera cauſam, ob quam morſum infigeret.* Et ideo Paulus non inueniebat, cur timeret.

15. *Mala conſcientia pauet, ſemper in procella verſantis.* Sap. 7. Seneca. Tull. O conſcientiam perturbatam nunquam non meditantem procellas! *Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis. Semper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia.* Sap. 17. Seneca profitetur epiſt. 97. *Tuta ſcelera eſſe poſſunt, ſecura non poſſunt. Ipſa nequitia tenebras timet. Proprium* eſt nocentium trepidare. Et Tullius in Piſo. *Nolite putare Patres conſcripti, vt in ſcena videtis homines conſceleratos impulſu Deorum terreri furiarum tædis ardentibus. ſua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate, ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.* Pro Roſcio. *Sua quemque fraus, & ſuus error maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat amentiáque afficit, ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis domeſticæ, aſſiduæque furiæ.*

Iuuen. Cecinit denique Iuuen. ſat. 13.

Cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum;
Pœna autem vehemens, & multo ſæuior illis,
Quos & Caditius grauis inuenit, & Rhadamanthus,
Nocte, dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Quid timidi eſtis modicæ fidei?

Dominus taxat Eccleſiæ proceres, quòd procella agitati rupem non imitentur.

Decet etenim Euangelij miniſtros, Eccleſiæque Præſules conſtantia.

AMBROSIVS Luc. 8. contemplatus Dominum impauidum timidos Diſcipulos taxantem, ait: *Exprimitur ſecuritas poteſtatis, quod Dominus omnibus timentibus ſolus intrepidus quieſcebat.* Poteſtatis enim inſigne, non pauere. Ad ſui imitationem curat Dominus ſuos Diſcipulos futuros Mundi Præſules conformari. *Quid timidi eſtis*, ô viri, ô Præſules? 16. Ambr.

Nazianzenus Chriſtianum Procerem propoſiti tenacem rupem appellat procellis minimè cedentem. *Eorum* (inquit orat. 27.) *qui tentantur, alij mihi velut leuiſſima quædam corpora à mari abſtrahi, diſtrahique videbantur: ac ne tantillum quidem aduerſarum rerum impetum ſuſtinere. Alij petræ inſtar eſſe, quicumque nimirum philoſophica ratione vtuntur, ac ſupra vulgi humilitatem euecti, humana omnia immoto, & firmo animo ferunt.* Quam dulciter Lyricus lib. 3. Od. 3. 17. *Vir rupem debet imitari quid vir Præſul?* Horat.

Iuſtum, & tenacem propoſiti Virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolidâ: neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus;
Si fractus illabatur Orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Si viros conſtantia decet cunctos, quid futuros Præſules? Hos *ſecuritate* & conſtantia *poteſtatis* fulgere oportet. Cur exiſtimas Tribui Iudæ Imperium fuiſſe præſignatum. Certè quia conſtantior, quia, rupis in morem, procelloſa æquora deſpexit. Ideo *Catulus Leonis Iuda*, qui pauere non nouit. Gen. 49. Iudas quidem *erat fortiſſimus inter fratres ſuos.* 1. Par. 5. Audi Hieronymũ ad Oſe. 11. ex Hebræorũ traditione. *Hæc omnium Tribuum prima, cæteris reſiſtantibus, ac renuentibus, mare Rubrum ingredi auſa. Vnde & meruit Principatum.* Decet enim Principes, rupis inſtar, frementis æquoris fluctus non timere. 18. *Regnum datum Iudæ Tribui, quia, in morem rupis, procellas deſpexit conſtantiſſima.* Gen. 49. 1. Par. 5. Hier.

Vis Principem deſcribam: *Hæc nomina fortium David: ſedens in cathedra ſapientiſſimus inter tres, ipſe eſt quaſi teneriſſimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* 2. Reg. 23. Cur conſtantiſſimus Rex obiicitur? Porrò quia tribus viris fortiſſimis, facto per hoſtes itinere, aquam illi optatiſſimam afferentibus, & offerentibus *noluit bibere, ſed libauit eam Domino.* Ibid. Vbi Angelomus apud Strabum. *Exemplum fortitudinis, & conſtantiæ militibus præbuit vinceas naturam, ne biberes.* Facilius ille æquora turbata vinceret rupis ſoliditate, quam dulcis vndæ è fonte fluentẽ humorem calici appoſitum exhauriendum. Vnde Ambroſ. lib. 1. de Iacob & vita beat. c. 1. Dauidis facinus 19. *David à Deo iuxta cor ſuum Princeps eligitur quia rupis in morem conſtans.* 2 Reg. 23. Angelom. Ambr.

cinus ſuper trium fortiſſimorum geſtum meritò extollit. Quàm maioris fuerit fortitudinis appetitum vincere, quam Philiſthinorum exercitum ſuperare. Iuſtè huiuſmodi Princeps à Domino quæritur, & Iſraeli regendo inuenitur, vt *ſecuritate*, & conſtantia *poteſtatis* potiretur: *ſedens in cathedra.* Ideo Dominus Petrum, reliquóſque ſeſſuros in cathedra Diſcipulos carpit, quod cum deberent cautibus, ſaxis, rupibus præſcribere leges, arundinem ſibilo agitatam imitarentur.

Observatio III.

Ad illa verba:

Quid timidi eſtis, modicæ fidei?

Carpuntur à Domino Diſcipuli, quòd Deo hærentes formidine afficiantur.

Nam qui ſecum Deum habet, inter procellas ſecuritate fruitur.

20. Ambroſ. CVR eos timentes modicæ eſſe fidei affirmauit? Reſpondet Ambroſius lib. 6. in Luc. cap. 2. *O modica fidei, qui hæret Chriſto, perire non poteſt.* Cur ergo timore corripimini? An non documentum exhibetis, vos non fide magna circa Chriſti Magiſtri præſentiam decorari? ſi Deum præſentem me crederetis, minimè pauore concuteremini. Nam *qui hæres Chriſto, perire non poteſt.*

21. *Deum nauis refert Ieſum Margaritam non timeat procellarum incurſus.* Paulin. Ad memoriam reuoca illum mercatorem, qui pretioſam quærebat Margaritam. Vndis ille ſeſe tradat, vt ex Indis perquirat, inueniat, redeat, procellis crebro excitatis nauicula miſera concutiatur: an peribit? an timebit? Certè ſi firmiter Margarito hæreſcat, ſi pectore Chriſti à ſe inuenti præſentiam foueat, non erit formidinis occaſio. Paulinus epiſt. 4. *Ipſe Ieſus eſt Margarita, cui coemenda ſi facultas noſtra ſuffecerit; non deprimentem ſarcinam, ſed leuantem nos per hoc mare magnum, & ſpatioſum vehimus. Dormientem in nobis pro noſtra ſegnitie Dominum (ſi vel dormientem vectare mereamur) excitare audebimus, vt increpans ventos, ſaluos nos faciat à puſillo animo, & tempeſtate.* Quàm immunis à tempeſtate, Domino non obdormiẽte, ſi ipſum pondus alleuiatio eſt naiculæ: dormiente autem, ſi facillimè à nobis ventos increpaturus excitatur?

22. *Securus nauigat ſemen ſtelliferum Abrahæ ſecum adducens Ieſum, arenam æquori frangẽ.* Gen. 22. 3 Reg. 4. Poſt ſedatam Abrahæ pectore tempeſtatem, quâ iam progenies pene merſa conſpicitur, ad procellas huiuſmodi ſuperandum Deus Patriarchæ præſcribit documentum. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris.* Gen. 22. Quare ſemen Abrahæ cum ſtellis ſimul, & arenâ confertur? Quid ſtellis cum pelagi littoris arena? Certè increata ſapientia Chriſtus arenæ ab Spiritu ſancto comparatur. *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris.* 3. Reg. 4. Hoc in filio Salomonis Ieſu verificatum eſſe Sapientia ſcilicet incarnata doctus notat Interpres. Chriſtus itaque arenæ quæ in littore pelagi adeſt, comparatus eſt. Philo lib. de ſomn. *Progenies ſapientia cum arena confertur, quia marinas vndas littoralis arena obiecta repercutit.* Vbi Ieſus adeſt, ibi ſecuritas, tranquillitas, cedentibus fluctibus, æquore ridente. Arena igitur progeniei Abrahæ ſtelliferæ datur, Ieſus addicitur in conſeruationem, in munimen. Non obruentur Stellæ, ſi adhæſerint arenæ, ſi Ieſu fugerint ad præſidium, cui ſemper procella ſubiicitur, pelagi obſequuntur errores.

An *hoc mare magnum, &* ſpatioſum manibus ſecurè tranabimus, quod vel Ieſu in nauicula commoranti nouit deſæuire? Profectò Ieſu ſocio quaſi per ſiccum agrum curſum diriges. *Filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio maris.* Exod. 15. Quonam modo *in medio maris,* iter placidum, & amœnitate floridum Hebræis præparatur? Ex mente Origenis, quia Iſraelitæ virgam virtutis Domini, Chriſtum ſcilicet Verbum incarnatum fugantem quidem æquora ſequebantur. *Si fueris in medio nationis prauæ, & peruerſæ Verbum vitæ continens, poteſt fieri, vt medio peccatorum incedentem te non infundat humor peccati. Poteſt fieri, vt tranſeuntem te per hunc Mundum, nulla libidinis vnda reſpergat, nullus cupiditatis æſtus euerberet.* 23. *Filij Iſrael ſociam virgam virtutis Domini, ſeu Dei Filium ſortiti in medio maris pedites incedũt.* Exod. 15. Orig.

Cecinit Vates, *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* Pſalm. 72. Ex Hebræo. *Quis mihi in cœlo, & tecum non optaui in terra?* Quia ſi Chriſtum ſocium habeo, nullo alio præſidio videor indigere. Chaldæus, *Tecum ſocium non volui.* In terra in pelago, in cœlo, in tartaro, ſine te ſocio miſer, pauper; te ſocio diues, felix exiſto. Ambroſius, epiſt. 1. *Hic eſt theſaurus noſter, hic eſt vita noſtra. Vides quanta bona in vno bono. Hæc bona requirens Dauid ait: Quis oſtendet nobis bona? Ipſe Dominus Ieſus ſummum bonum, qui nobis tanquam tranquillitas aduenit, vt nihil acerbum, nihil ſit aſperum.* Si Ieſus noſtra *tranquillitas* ô Domine, non ſolùm à te quid volui in cœlo, & *ſuper terram,* ſed quid volui ſuper mare? 24. *Præter Ieſum nihil à Deo volumus ſuper terram, ac ſuper mare.* Pſal. 72. Ambroſ.

Admonet Angelus (oborta Herodianâ Dei familiæ tempeſtate) Ioſephum Deiparæ ſponſum, vt ad Ægyptum ſe recipiat: non tamen ſe eis comitem viæ offert. Si eis non ſolùm myſticum Herodianæ perſecutionis pelagus tranandum, ſed & materiale mare traiiciendum, (vt Tom. 3. vidimus) cur ad tot procellas ſuperandas non ſe eis Gabriel comitem obtulit? Et quærit, & ſoluit Chryſoſtomus hom. 8. in Math. fatus: *Cùm dicit Angelus: Fuge in Ægyptum, nequaquam ſe ſocium itineris futurum eſſe pollicitus eſt: neque illuc ſe euntibus, neque redeuntibus: proculdubio deſignans maximo ipſius, propter quem fugiebant, Paruuli eſſe munitos comitatu.* Si Ieſum ſocium nacti ſunt, à te ô Domine quid quærerent ſuper æquora? 25. *Ioſepho ac Mariæ pelagus tranaturis ſeſe Angelus comitem non offert, quia ſufficiebat illis Ieſus ad quæque ſuperanda.* Math. 2. Chryſ.

• Observatio IV.

Ad illa verba.

Quid timidi eſtis modicæ fidei?

Reprehenduntur Diſcipuli à Domino, quòd videntes nauiculam fluctibus operiri, timerent.

Nam deſperatis rebus humanis certius cæleſte auxilium aſſolet præſentari.

26. SI nauicula iactata iam pene demergitur, imo iam merſa obiicitur, fluctibus ſuperantibus: *Ita, vt operiretur fluctibus*, quomodo Diſcipuli non timerent? Imo cur formidine vllà tentarentur? An non ſciris ô Diſcipuli Dei auxilium deſperatis rebus illuceſcere?

27. *Super ſperat iuſtus pelago immerſus, quia periculum increſcere, eſt certius Dei auxilium apparere.* Pſal. 18. Ambroſ.

Dauid pelago immerſus canebat, *In verba tua ſuper ſperaui.* Pſal. 118. Pende *to ſuper ſperaui*, Ambroſius *ſpem ſpei adiunxit.* Quænam Dauidi ſuper ſperandi occaſio? Anguſtiæ horribilis procellà quatiebatur, nauiculam fluctus operiebant: Vndique pontus. Hiſpanè explicarim: *No ſolo con el agua a la boca, ſino hundido en el agua.* Ambroſius ſerm. 19. *Concluditur vnuſquiſque tumeſcentibus viſceribus, interniſve faucibus, cum intercluſo ſpiritus commeatu ſpirandi commercia coarctantur. (ya en el golfo no podia reſpirar)* Illa igitur deſperatio reſpirandi erat ſanctiſſimo Dauidi ſpei vberioris materia; ſciebat enim certius cœleſte auxilium illuceſcere, cum rerum deſperatio obiicitur. *Iuſtus ſemper ſperat,* (addit Pater) *& frequentibus afflictus ærumnis deſperare non nouit; ſed quò grauiora tolerauit, magis ſperat, & ſperandi ſumit profectum.*

28. *Addi procellam procellæ eſt tranquillitatem præſentari.* Ezech. 1. Iuſtin.

Ezechieli obiicitur currus ille, quo Dei gloria inuehitur. *Apparuit rota vna ſuper terram, & aſpectus rotarum, & opus earum quaſi viſio maris: & aſpectus earum, & opera quaſi ſit rota in medio rotæ.* Cap. 1. Nauis ſit tibi currus ille, cuius rotæ maris viſionem obiiciebant. Quid rota in medio rotæ? Iuſtinus quæſt. 34. *Oſtendit eis Prophetæ rotam in rota, eis enuncians Iudæorum in captiuitatem adductionem, & reductionem ad ſua.* Certe in rota vbi *viſio maris*, aptè tempeſtas captiuitatis exprimitur. Sed quonammodo in alia rota, cuius etiam *viſio maris* poterat reductionis tranquillitas indicari, & non potius procellæ incrementum? Profectò cùm ampliùs æquora intumeſcunt, cùm procella procellis adiicitur, aptè collegit Martyr Doctor reducendum populum ad ſua ſolutà tempeſtate captiuitatis. Quia illud ipſum homines vberiori tempeſtate premi, nauicula vndis operta, idem eſt, ac tranquillitatem præſentari. Apollinarius appoſitè. *Rota ad rotam ſignificat tum iudicia, tum miſericordiam quæ à Deo quaſi per orbem ſuccedunt ſiue procedunt.* Si procedunt *ſucceſſiuè* vna rota iuſtitia erit, altera miſericordia. Non abnego. Quomodo miſericordia, ſi adhuc eſt *viſio maris*, ſiue procella addita tempeſtati? Quia illud ipſum tempeſtatem augeri, vt nauicula fluctibus operiatur, idem eſt, ac æquora quieſcere, nauiculam portui præpræſentari. Quã verè cecinit ille li. 2. de Pon. El. 3. — Apoll.

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?
Sæpè creat molles aſpera ſpina roſas.

Ac ſi diceret, (fideli ſenſu.) Qui fatorum, ſeu procellarum vulneratur ictibus, requirit à Deo vberiorem fatorum afflictionem, vt certior ſit miſericordia, quò vberior afflictio.

Ieremias proclamat, *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.* Thre. 3. An in puteum, an in carcerem, an in pelagus Propheta lapſus? Omne id ſignificat vox Hebraica *Bor.* Deſcendit ille, Pharaonis inſtar, *in profundum quaſi lapis*: Certè adeo pelagi erroribus agitatus obiicitur, vt quaſi in profundum ſe immiſſum proclamitet, addito lapide, ne poſſet ad ſuperiora conſcendere nauicula. O miſeram ſcapham fluctibus opertam! quænam tibi ſpes tranquillitatis? Appoſuit Ieremias huic verſui & ſuperiori, litteram *ſade*, quæ authore Paſchaſio idem eſt, *ac Conſolatio*, & *Iuſtitia.* Si Iuſtitiæ ſeueritas quonammodo miſerationis conſolatio? Certè, quia dum adeo Iuſtitia excreuit, vt nulla ad miſericordiam aperiri rimula videatur, illud ipſum deſperari rebus, ſpes eſt iuſtorum, ſecura eſt conſolatio; adeſt enim præſentiſſimum Numinis auxilium. *Poſt lacrymarum diuiſiones, poſt graues torrentium fletus, poſt amaritudinem tanti doloris, poſt formidinem immenſi diſcriminis, poſt laqueos contritionis ſatis opportunè ſade littera, ſiue conſolatio anteceſſit.* Si anteceſſit conſolatio, quomodo ait: *poſt lacrymas &c.* ſi *ante*, quomodo *poſt*? Quia illud ipſum ingrueſcere tempeſtatem, addi procellas procellis. *Poſt lacrymas, poſt fletus, poſt amaritudines &c.* erat conſolatio, quæ nunquam non clariùs inter denſiores tenebras eluceſcit.

29. *Grauari procellarum incurſus conſolatio eſt: quia deſperatæ tempeſtati certa tranquillitas.* Thre. 3. — Paſch.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et ſuſcitauerunt eum dicentes: Domine, Salua nos.

Excitatus Dominus à Diſcipulis æquora pacauit.

Quia rogari vult, amat preces à fidelibus profundi, ad beneficiorum largitionem.

SImon de Caſſia lib. 5. cap. 2. *Mare Mundus eſt, nauis eſt artificium aliquod Spiritus ſancti, quo inhorreſcens mare tranſimus: non enim eſt natura noſtra in mari natare, opus Dei eſt. Cùm verò malis agitamur in mundiali pelago clamamus ad Dominum. Clamauerunt enim Diſcipuli dum tribularentur, & de neceſſitatibus illorum liberauit eos.* Excitemus ergo eum Diſcipulis Saluatorem. Author innominatus hom. 23. *Diſcipuli vero dicunt quod olim Dauid. Exurge, quare obdormis Domine?* Pſal. 43. Imo idèo obdormiſſe Dominum reor, vt Apoſtoli eum precibus excitarent. Marcus. *Non ad te pertinet, quod perimus?* Caſſia, *Imo ad ſolum eum pertinet, ſui enim ſumus, & illi perimus, ſi perire contingat. Iam excitatur, Dominus, & facilè excitatur, quia voluntate dormit.* Seu dormientis vult ſpeciem præ

30. Simon. de Caſ.

31. *Precibus excitemus Dominum.* Pſal. 43. Innom. Caſſia.

præſeferre Deus, vt curemus excitari. *Porrò excitatur oratione.*

31. *Vult Deus nos ſeruare, ſed vult rogari, vt ſeruet.* 2 Reg 24.

Si vult Dominus non perire Diſcipulos, quare eorum preces expectat? Quia & ſi vult ſeruare, vult etiam rogari: imo ſeruare rogatus ſatagit. *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael, & mortui ſunt ex populo à Dan vſque ad Berſabee ſeptuaginta millia virorum.* Dominus miſertus dixit *Angelo percutienti populum: ſufficit, nunc contine manum tuam. Dixitque Dauid ad Dominum cùm vidiſſet Angelum cadentem populum. Ego ſum, qui peccaui, &c.* 2. Reg. 24. Mandauit itaque Dominus Angelo vt parceret, ſed ipſe adhuc populum vulnerabat. An Angelus nequam? *Erat Angelus Domini*, ait Textus. Tantane cœleſtibus ira? Profectò adhuc Angelus percutiebat, quia Deus volebat ignoſcere, ſed à Dauidicis precibus excitatus. Pulchrè Ambroſius ad Pſal. 37. *Si mandauerat Dominus Angelo vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus? niſi quia Dominus & ſi vult ignoſcere, vult rogari. Et vt rogetur, hortatur.* Ideo Dauid deprecatur: *Dixitque Dauid ad Dominum.* Poſtquam Deus Angelo præceperat à vulneribus abſtinere.

33. *Iubet Dominus nos procellis tradi, vt eum precibus excitemus.* Mat. 18.

Teſtor illum, qui Domino mille talenta debebat. *Cùm autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi.* Matth. 18. An id ex crudelitatis affectu? Certe ex ineffabili miſericordia. Dormiebat pietas, vt ingraueſcente periculo pelagi miſer Dominum precibus excitaret. *Procidens autem ſeruus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Ibid. Ad quæ Chryſoſtomus. (Chryſ.) *Non ex crudelitate id fecit, ſed ex incredibili in eum cura. Volebat enim illum huiuſmodi terreri minis, quo ad ſibi ſupplicandum ne venderetur, excitaret.* Vt ſcilicet ipſe excitatus à Domino ad preces effundendas, Dominus ad tranquillandum pelagus oratione excitaretur.

34. *Tradidit Deus Iſraëlitas captiuitati, & non liberauit, donec eorū oratione ſaluator excitatus eſt* Iudi. 3.

Olim, *ſeruierunt filij Iſrael Eglon Regi Moab decem & octo annis.* Iud. 3. Hæc ſecunda Iſraelitarum ſeruitus priore grauior, ac diuturnior, vt qui Deo ſeruire neglexerant, homini ſeruire cogerentur. Cur tandiu Dominus tempeſtate agitato populo obdormiuit? Quia eum Iſraelitæ precibus minimè excitarunt. Liberare volebat Deus, ſed rogari. Ideo rogatus tandem mox tranquillitate pelagus donauit. *Et poſtea clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem.* Suſcitatus Dominus Saluatorem ſuſcitat. Quaſi ideo obdormiret ſalus, quia miſeri precibus Saluatorem minimè excitare ſatagebāt. Cyrillus lib. 3. in Ioa. (Cyril.) cap. 34. *Dicimus conuenienter petitionem, clamorémque illorum expectatum fuiſſe.* Si non occurrit Saluator, veſtra tacentium deſidia eſt. Expectat preces, vt illicò ſubueniat. Dominum excitare, & ſuſcitabit vobis Saluatorem Ieſum, qui ideo obdormit, vt excitetur: *Et Suſcitauerunt eum dicentes: Domine, Salua nos.*

Observatio VI.

Ad illa verba:

Imperauit ventis: & facta eſt tranquillitas magna.

Magnâ Dominus tranquillitate tempeſtatem magnam compenſari curat.

Poſt laborem enim grauem ingens conſolatio ſuccedit.

35. August.

Aiebat Auguſtinus ad Pſal. 63. *Ipſa pericula noſtra dulciorem nobis faciunt libertatem.* Faciunt inquam, dulciorem, dum ipſa pericula amariùs obueniunt, dum diutius intenſantur, dulcedo increſcit conſolationis. Obortâ ideo tempeſtate, Dominus dormiebat, vt tempeſtas adeo intumeſceret, vt fluctibus nauicula operiretur: & magnæ procellæ magna tranquillitas reſponderet.

36. *Magnam captiuitatis diuturnæ procellam ſequuta eſt magna liberationis trāquillitas.* Iud. 3.

Rurſum expendo Iſraelitarum diram captiuitatem ſub Eglon Rege Moab. *Seruierunt filij Iſrael decem, & octo annis. Poſtea autem clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem.* Iud. 3. Quæris, cur Deus citiùs non prouiderit Iſraeli, ſed tandiu expectaſſe, vt immitteret *eis* Saluatorem? Exiſtimo, quia tranquillitas maxima ex Saluatore ſuſcitato illis operanda requirebat magnam tempeſtatem præcedere, vt magnitudo tranquillitatis tempeſtatis magnitudini reſponderet. Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 34. *Dicimus conuenienter clamorem illorum diu expectatum fuiſſe. Tunc enim gratiſſimum beneficium obuenit, cum periculo maximo expectatur.* Gratiſſimum futurum eſt Dei beneficium, ingens tranquillitas: Maximū præcedat periculū tempeſtatis.

37. *Molliori Ieſus gremio excipitur à Patre quia duriori iniuria fuit affectus.* Mat. 26.

Pontifici Dominus. *A modo videbitis filium hominis ſedentem a dextris virtutis Dei.* Matt. 26. Cur tunc Dominus iudicandus tribunalis æterni, paternique ſinus fecit mentionem? *Principes Sacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent. Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, &c. Princeps tunc Sacerdotum ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur? Ieſus autem tacebat.* Ibid. Tacebat vtique, vt durior acceſceret hoſtiū impugnatio, & tunc dulcioris ſinus Patris recordaretur: *Videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei.* Taceo, ſuſtineo procellas, vt procedente duriore tempeſtate, mollior ſuccedat tranquillitas. Bellè Ambroſius, Serm. 61. (Ambroſ.) *Poſt iniurias Deus Pater recipit Filium, & occurſu quodam pietatis aſcendentem illum gremio molliore complectitur.* τὸ *molliore gremio*, proculdubio ſilentio illi Domini, è quo falſæ teſtificationis procella durius deſæuiit reſpondere quis dubitet?

38. *Contumelia Crucis reſpondet Iudicis gloria: vt iudicatus iudicet.*

Addit Dominus. *Et venientem in nubibus cœli.* Mat. 26. Quiſnam veniet in nubibus? Filius hominis: *Videbitis Filium hominis venientem.* Ex impio hoc iudicio Cruci contumelioſæ addicitur Filius hominis? Contumeliam iudicati iudicaturi gloria obruet, Cruci thronus ſuccedet. Hilarius lib. 10. de Trin. *Contumelioſa ei eſſe Crux dicitur. Atqui per hanc hominis Filius ſedere à dextris virtutis Dei videndus eſt: Ex partu Virginis homo natus in maieſtate ſua in cœli eſt nubibus reuerſurus*, vt iudicatus iudicet.

39. *Dies hæres tenebrarum noctu conſtituitur; quia quidquid dies ineſt gloriæ, iā præceſſit in tenebris. magna tranquillitate magna procella reſpondente.* Ierem. 33. Tertull.

Ieremiæ ex ore Deus, *Si irritum fieri poteſt pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies, & nox in tempore ſuo.* Cap. 33. Singulis diebus ſingulæ noctes, & ſingulis noctibus viciſſim ſinguli dies ſuccedunt. Tertullianus in Apolog. Cap. 48. *Lux quotidie interfecta reſplendet, & tenebræ pari vice decedendo ſuccedunt, ſydera defuncta viueſcunt.* Vberius autem lib. de Reſur. Cap. 12. *Dies moritur in noctem, & vſquequaque ſepelitur, funeſtatur Mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur, ſordent, ſilent, ſtupent cuncta: ita lux amiſſa lugetur. Eſt tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum Sole eadem & integra, & tota vniuerſo Orbi reuiuiſcit interficiens mortem ſuam, noctem, reſcindens ſepulturam ſuam, tenebras, hæres ſibimet exiſtens, donec nox reuiuiſcat cum ſuo & illa ſuggeſtu.* Quid lucem ſeu diem hæredem eſſe noctis? Diei bona poſſunt à nocturna accipi malitia? Pulchrè dies hæres noctis appellatur: Nullo etenim dies bono fulget, quod non eſſet expreſſum in noctis tenebris: Æquat enim lucis præſtantia fœditatis nocturnæ magnitudinem. *Sicut tenebræ eius ita & lumen eius.* Quòd quidem non tam materiali, quàm ſpirituali diei & nocti accommodandum. Magna tribulationum tempeſtas? Magna ſuccedit tranquillitas præmij.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Imperauit ventis, & mari; & facta eſt tranquillitas.

Venti, ac pelagus iubenti Domino quaſi intellectu præditi obſequuntur,

In confuſionem quidem rationalis hominis bruteſcentis, ne cœleſti imperio ſubiaceat.

40. Hieronym.

HIERONYMVS, *Omnes creaturæ, quæ nobis inſenſibiles eſſe videntur, Deo ſunt ſenſibiles, eique ad nutum obediunt.* Pacatur pelagus, obticent venti, fugiunt, Domino imperante. Inſenſibilia hominum ſenſibilitatem carpunt, irrationalia hominum taxant rationem, qui Conditori obſequium abnegant, cùm reliquæ creaturæ nutui parent Conditoris.

41. *Animantibus rationalitas quodammodo ineſt ad obediendum Deo: Hominis brutalitas ad non obtemperandum.* Ezech. 1. Hieron.

Ezechielis animantia quatuor vultus oſtentaſſe deſcribuntur. Leo, Bos, Aquila, ſimul Hominis obiiciebat ſpeciem. Cap. 1. Quare? Quia obediendi eis ad præceptum Domini ineſt promptitudo. *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* Irrationalia (Hieronymo adnotante) rationis vſu pollent, dum homo omni rationalitate exutus deprehenditur renuens imperanti Numini parere. Ideo homo ille currui Ezechielis alligatus faciebus Vituli, Leonis, & Aquilæ inſignitur, vt qui fortè humanum animans, rationale vtique renueret obedire, è brutis ratione indutis ediſceret obedientiæ perfectionē.

42. *Bruta, & inſenſibiles creaturæ in rationales quodammodo transfigurata ad obſequiū.* Sap 16.

Sapiens ad hæc, *Propter hoc & tunc omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deſeruiebant.* Cap. 16. Illa particula: *Omnia transfigurata* pendatur. Ac ſi diceret: Creaturæ omnes inanimatæ, animatæ, ſenſibiles & ſine ſenſu non aliter Conditori obediebant, quam ſi à propriis naturis abſtractæ eſſent. Transfiguratæ in ſenſibiles creaturæ ac bruta animantia in homines ratione pollentes. Iordanis aquas, quæ ſuapte naturæ impetu ferebantur in pelagus ſuſpenſas in äere ſi videres, nonne diceres à propria natura in humanam mentem transfiguratas? Ignem Babylonicum ſi contemplens diſcernentem à vinculis pueros, hos ſeruantem, illa comburentem, neceſſariò fateberis apud eum lumen vigere rationis, in hominemque transfiguratum.

43. *Cœli obedientes intellectuales vocitantur.* Ioſ. 10.

Olim Ioſuë, *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Haialon. Steteruntque Sol & Luna, obediente Domino voci hominis.* Ioſ. 10. Quis aſpiceret Solem & Lunam ſtare, & non profiteretur in intellectualia animantia transfigurata fuiſſe? David cecinit, *Qui fecit cœlos in intellectu.* Pſal. 135. Id eſt *cum intellectu*, iuxta vſitatiſſimam phraſim, qua *In* accipitur pro *Cum.* Ideo explicat Caietanus, *Qui fecit cœlos intellectuales.* Intellectu enim pollere videntur, ad diuina imperia exequendum. Alibi Vates, *Omnia in ſapientia feciſti.* Pſal. 103. Vbi Cardinalis, *Omnia ſapientia feciſti.* Ac ſi diceret, Feciſti inſenſibiles creaturas quaſi pollere ratione, ad præſtandum præcipienti numini obſequium. Pſal. 135. Caiet. Pſal. 104.

44. *Fulgurum diſcurſus, & loquela, ex obedientia perfectione.* Iob. 38. Gregor. Nicet. Hieron.

Iob Dominus, *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi: Adſumus?* Cap. 38. Non dicunt, *Adſumus*, cùm mittuntur, ſed poſtquam Dei imperia perficiunt, & complent, ne aliquam moram interponere videantur. Gregorius lib. 30. Moral. cap. 2. *Reuertentia dicunt, Adſumus, quia quāmuis per exteriora acta, parum quid deeſſe videantur: per ardorem tamen deſiderij obſequentia Deo ſuam præſentiam oſtendunt.* LXX. *Dicent tibi: Quid eſt?* Nicetas, *Quid eſt, quod optas facere?* Simul atque mittuntur iniunctum præceptum implent, & ſtatim de nouo interrogant, parati exequi, quidquid vlteriùs ipſis fuerit imperatum, O fulgurum intellectus, à quo homines receſſere, vt in bruta animantia, vt in inſenſibiles creaturas transfigurentur! *Omnes creaturæ,* (cum Hieronymo loquor) *quæ nobis inſenſibiles eſſe videntur; Deo ſunt ſenſibiles*, quia *ei ad nutum obediunt.* Solus homo renuens obedire, pigritat obſequium præſtare, irrationalis eſt, inſenſibilis eſt,

45. *Homo vincitur à creaturis inſenſibilibus putans Deum qualem.* Caſſia.

Ideo poſt æquora pacata clamitant *illi homines: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei?* Vbi Simon de Caſ. lib. 5. cap. 2. *Eſt incomprehenſibilis ingenijs hominum. Indocti illi credebant Chriſtum eſſe qualem, cùm tamen Deus qualis non ſit; nulla enim illi qualitas hæret, totus eſt ſubſtantia.* Aſt pelagus, venti illum non *qualem* dignouere, ſed *totum ſubſtantiam*, increatam obedientiam præſtando, profitentur. O homines indocti, imo in irrationalia transfigurati, dum irrationalia induunt quodammodo intellectum!

PARS

PARS SECVNDA.

IESVS AMBVLAT SVPRA MARE.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput ſextum Marci.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum ſuper æquora ambulantem.

PROLVSIO.

TRADVCERET dum Dominus apud montanam ſolitudinem ad quartam vſque vigiliam, noctem, in ſummo erant diſcrimine Diſcipuli marinæ tempeſtatis, ventis præter modum ſæuientibus,& nauim, quâ vehebantur, in diuerſum agitantibus. Cúmque Ieſus abſens corpore, præſens Deitate, in vndis perinde atque in ſolidâ terra pedibus nocturno tempore deambularet, illi nouitate rei deterriti, quod viderant, inane ſpectrum eſſe putabant. Verùm Dominus præſentiâ ſuâ mœſtos, & conſternatos ſolatur, & confirmat. Petrus morem gerens Magiſtro fide in Chriſtum ſuper aquas ambulat, incredulitate mergitur. Ventus equidem illicò vt nauim Dominus ingreſſus eſt, conquieuit, in petitam traiecit ripam, vbi variis languoribus affectos collectos vndique veſtis ſuæ contactu ſanauit. Dum adeſt Ieſus tranquillitas redit, ſanitas præſentatur: ipſo abſente ægri vexantur, Diſcipuli procellâ quatiuntur. *Iure ergo Diſcipuli* (cum Hieronymo loquor) *inuiti diſcedunt à Ieſu, ne naufragium patiantur. Tandiu enim venti ſurgunt, & periclitantur Apoſtoli,* aliique ægritudine diuexantur, *quandiu abeſt Ieſus.*

MARCVS CAP. VI.

VERS.47. ET cum ſerò eſſet, erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus in terra.

PARAPHRASIS.

47. *DVM craſſa multitudo iam ſatura, de Regno Ieſu deferendo cogitabat, compulit Diſcipulos Dominus, vt conſcenſanaui, transmiſſoque lacu Bethſaidam præcederent. Appetebat nox, & Ieſu in terra commorante, Diſcipuli nauigabant, tempeſtate obortâ.*

48. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare, & volebat præterire eos.

48. Quid ni nauis, in qua non erat Ieſus periclitaretur. Iam è monte deſcenderat, iam ſolus ſtabat in littore. Non viſus à Diſcipulis eos ipſe videbat laborantes in remigando, ventus enim erat aduerſus. Cùm ſic aliquandiu luctati eſſent, ſub diluculum venit ad eos Ieſus non vectus naui, ſed placidè ambulans ſuper vndas (ſuum elemento agnoſcente Conditorem) ac præferebat, quaſi vellet eos præterire. Patitur aliquando ſuos hærere in malis, quaſi negligat, cum illorum curam nunquam deponat.

49. At illi, vt viderunt eum ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt.

49. Apoſtoli credentes non poſſe fieri, ſolidum, ac graue hominis corpus liquido elemento ſuſtineri, ſuſpicati ſpectrum inane, quod oculos vanâ ſpecie deluderet, præ metu exclamauerunt. An poteſt agnoſci tot inter tenebras ſeculares Dominus, niſi ſeſe ipſe nobis inſinuet? His Deus formidabilis qui vltorem credunt, dum pergit ſalutaris.

50. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt: & ſtatim loquutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite, ego ſum, nolite timere.

50. Speciem quidem Ieſu videbant omnes, nec tamen Ieſum eſſe credebant. Nec paſſus Dominus ſuos diatiùs metu exanimari; ſed potiùs notâ voce profatur: Eſtote forti animo, ego ſum, nolite timere. Ad tempus videtur interdum deſtituere, vt rebus in aduerſis exerceat, & ad firmam de ſe fiduciam inſtituat.

51. Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupebant.

51. Et ingreſſus nauim ſuis ſeſe Diſcipulis iunxit, ac illico procella conſedit. Iam panori ſucceſſit admiratio, quomodo corpus humanum poſſet ſuper elementum fluidum ambulare.

52. Non enim intellexerunt de panibus; erat enim cor eorum obcæcatum.

52. Tanta enim Diſcipulorum tarditas, tantáque obliuio, vt non veniret illis in mentem vel illud miraculum, quod paulo ante viderant, tot millibus hominum cum tam exiguâ ſaturatis annonâ. Tarditas hac permittitur in Proceribus, vt noſtram illi perferant tarditatem?

53. Et cum tranſiſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicauerunt.

53. Peruentum eſt ad littus diluculo, appellentibus in terram Geneſareth ad portum deſtinatum.

54. Cúmque egreſſi eſſent de naui, continuò cognouerunt eum.

54. Vix ingreſſus eſt in terram, & iam aderant qui Ieſum cognoſcerent. Obſeruabatur enim à multis, quocumque ſe conferret. Iam etiam de facie plurimis innotuerat.

55. Et percurrentes vniuerſam Regionem illam cœperunt in grabatis eos, qui ſe malè habebant, circumferre, vbi audiebant eum eſſe.

55. Porrò qui viderant, & agnouerant, perinde quaſi velut exploratores veniſſent, continuò relicto eo, percurrentes totam illam Regionem, adeſſe Dominum renunciarunt. Ad quem rumorem plurimi cœperunt ægrotos in grabatis circumferre.

56. Et

56. Et quocumque introibat in Vicos, vel in Villas, aut Ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, ſalui fiebant.

56. *Et quocumque ſe conferret Ieſus, ſiue in Villas, ſiue in Vicos, ſiue in Ciuitates, aderat importuna turba magis ſollicita de morbis corporis, quàm animorum ablegandis: ac miſeranda varijs morbis laborantium in plateis ſpectacula exponebant, ac prætereuntem Ieſum deprecabantur, vt vel fimbriam veſtis eius liceret contingere. Quotquot contingebant Ieſum ſanabantur, quocumque genere morbi tenerentur. Deprecandus Ieſus, vt contingere liceat fideliter; fruſtra enim tangit, quem non priùs Dominus contigit.*

SECTIO SECVNDA.

Chriſto Pelagus ſolidatur.

TEXTVS.

VERS.47. ET cùm ſerò eſſet, erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus in terra. 48. Et videns eos laborantes in remigando. (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare, & volebat præterire eos. 49. At illi vt viderunt eum ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt. 50. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Tempeſtate oborta, recedente Domino.

1. *Compelluntur Apoſtoli aſcendere nauiculam, ægrè ſe vides à Chriſto abſtrahi.* Hieron.

ET *cum ſerò eſſet.* Poſtquam turbæ Chriſtus mirabiliter ſuppeditauit eſcas, Diſcipulos compulit cymbam conſcendere, & rurſum transfretum nauigare. *Compulit,* inquam; nolentes ſine Magiſtro proficiſci. Hieronymus, *Oſtenditur, inuitos eos à Domino receſſiſſe, dum amore Præceptoris ne ad punctum quidem temporis ab eo volunt ſeparari.* Chryſoſtomus, cum dicit Euangeliſta, *Compulit, declarat, quod magno ſui amore præſentia Diſcipuli tenebantur.* Et Theophylactus, *Nolebant Diſcipuli à Chriſto diuelli, ſed vi ſeparabantur: partim ob amorem erga illum, partim quòd dubitabant, quonam modo ad ipſos rediret, cùm abeſſet nauis.* Coëgit autem Diſcipulos abire, & præcedere trans mare ad Bethſaidam. Nam in vlteriori maris parte nauem conſcenderunt, inde in Bethſaidam iuſſi ſunt nauigare, quæ in parte aderat citeriore.

Chryſ.

Theoph.

2. *Tempeſtas oboritur, abſente Ieſu.* Hieron.

Poſtquam à Chriſto abſtracti Diſcipuli nauigare cœperunt, magna eſt exorta procella, quam timentes, Apoſtolos ægrè à Domino ſeparatos reor, fante Hieronymo; *Rectè quaſi inuiti, & retractantes Diſcipuli à Domino receſſerant, ne illo abſente, naufragia ſuſtinerent.* Quandonam ſeculare pelagus abſente Domino, conquieſcit? Voluit planè Dominus tempeſtate Apoſtolos agitari, vt pericula experti, accuratiùs futurum miraculum percallerent.

Cum igitur *ſerò eſſet, erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus in terra. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis.)* Videbat ex monte Chriſtus (quem precaturus aſcenderat) Diſcipulos aduersùs vndarum ventique contrarij vim magno cum labore remigantes. Habet lacus ille (authore Ioſepho lib.3. de Bel. Cap.18.) centum ſtadiorum longitudinem, quadraginta latitudinem. Octo ſtadia milliare efficiunt. Cum ergo (adnotante Ioanne) quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta remigâſſent, laborantibus Dominus attulit opem. 3. *Videt Dominus Apoſtolos procella agitatos.* *De ſtadijs.* Ioſeph.

§. II.

De Domini ſuper vndas apparitione.

ET *circa quartam vigiliam noctis, venit ad eos ambulans ſupra mare.* Nox quatuor in partes, militari vſu, interſecatur, quæ quidem vigiliæ quatuor appellantur, eo quòd quater vigiles mutarentur, aliique aliis ſuccederent: tres verò horas quæque vigilia continebat. Hieronymus ad Mat.14. *Stationes, & vigiliæ militares in terna horarum ſpatia diuiduntur.* Quarta itaque, id eſt, vltima noctis vigilia propè auroram Chriſtus ad Diſcipulos ſuper pelagus 4. *De noctis vigilijs.* Hieron.

lagus ambulans, ſolidatis vndis, acceſſit.

5. *De phantaſmate.* *Et volebat præterire eos. At illi, vt viderunt eum ambulantem ſupra mare; putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt.* Voluit Dominus cymbam præterire. At Diſcipuli hominem ſuper pelagus ambulantem cernentes, non Chriſtum, non hominem, ſed phantaſma, hoc eſt hominis ſpectrum eſſe exiſtimârunt, turbatique, ac exterriti ſpectri aſpectu in clamorem erupere. Ne etenim incommodi aliquid ab illo paterentur formidabant.

6. *De Petro ſuper vndas ambulante merſo, & liberato* Petrus tunc (addit Matthæus) petiit à Chriſto ſuper aquas venire, *quia feruentiſſima erat* (cum Theophylacto loquor) *erga Chriſtum eius charitas, & deſiderabat ſtatim prope illum eſſe.* At cùm ventum validum experiretur, horruit mergique cœpit, opem implorâti Domino porrigente manum. *O modicæ fidei, quare dubitaſti?* *Ardebat* (ait Hieronymus) *animi fides, ſed humana fragilitas in profundum trahebat.* Quâ de re dubitarit? Non quidem de potentia Chriſti, ſed num à vento valido, permittente Domino, eſſet demergendus? ſed cur Petrus dubitare permiſſus? Reſpondet Hieronymus, *Vt augeatur Petri fides, & intelligat, ſe non facilitate poſtulationis, ſed potentia Domini conſeruatum.* Theophylactus. *Hoc factum, ne Petrus ſuperbiret.* Theoph. Hieron.

IN IESVM PELAGO
IMPERANTEM.
PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS
CIRCA LITERAM.
EX PELAGO AMBVLANTI ipſi ſolidato.

Observatio I.

Ad illa verba.

Erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus in terra.

Quàm difficilè Apoſtoli à Domino ſeparantur.

Quia & dulcedine priuantur præſentiæ eius, & imminentium malorum amaritudine potantur.

7. Cyrillus. EXPONENS Cyrillus lib. in Ioan. cap. 24. illum Domini à nauicula iactata procellis diſceſſum, ait: *Mare magnum mundus eſt. Chriſtus aſcendens in montem, eſt ipſe aſcendens in cœlum. Iactatur tunc Eccleſia.* Abſente Domino procella oboritur? *Iuſtè ergo* (ait Hieronymus) *Diſcipuli inuiti diſcedunt à Ieſu,* (compelluntur enim nauiculam, receſſuro Domino, aſcendere) *ne naufragium patiantur. Tam diu enim venti inſurgunt, & periclitantur Diſcipuli, quamdiu abeſt Ieſus.* Hieron.

8. *Breuis Ieſu abſentia longa hominibus in pelago conſtitutis.* Ioa. 6. Diſcipulis Dominus ad Patrem præparans diſceſſum ait: *Modicum & videbitis me, iterum modicum & non videbitis me, quia vado ad Patrem.* Ioa. 6. Modicum & te videmus. Quam verè. Præſentia etenim tua adeo afficimur voluptate, ac ſecuritate donamur, vt vel mediis in vndis tranquillitate potiri, ac vnius inſtantis interſtitio te frui videamur. At modicum & te non videbimus? Quomodo *modicum*, ſi tuo dulciſſimo conſpectu orbandi? Bernardus ſer. 74. in Cant. *O modicum longum! Pie Domine, modicum dicis, quod non videmus te? Saluum ſit verbum Domini mei, longum eſt, & multum valdè nimis.* Dicebant ergo: *Quid eſt hoc, quod dicis: Modicum?* Dominus expoſuit fatus: *De hoc quæritis inter vos quia dixi: Modicum & non videbitis me. Amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos.* Ibid. Idem igitur te modicum non videre, ac plorare, & flere? Ita planè, quia *tandiu* (ait Hieronymus) *venti inſurgunt, & periclitantur Diſcipuli, quandiu abeſt Ieſus,* Ergo *ô modicum longum, & multum valdè nimis!* Bernard. Hieron.

10. *Mox poſt diſceſſum Ieſu ſponſa lethalibus laborum vulneribus ſauciа lecto addicitur.* Cant. 2. Cant. 3. Sponſa Ieſu clamat, *Reuertere, ſimilis eſto, Dilecte mi, capræ, hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel.* Cant. 2. In Bethel montibus dilectum abeuntem lacrymis proſequuta eſt amatrix, reuocare curans. Quod cùm aſſequuta non fuiſſet, mox adiungit, *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea, quæſiui eum, & non inueni.* Cant. 3. Cur non quæris in monte, ô Regina, quem in monte diſcedentem videras? Magdalena apud ſepulchrum cadauer Ieſu amiſerat, apud ſepulchrum quærens lamentatur. Vbi ſponſum in montibus abſcedentem aſpexit, quem non potuit lacrymis reuocare, mox ægritudine lethali confecta ſeſe lectulo addixit? Ita planè. Sciebat enim ſapiens ſponſa diſcedente Ieſu, animum neceſſariò horribilibus malis implicandum, vnde Iobi in morem, ad luctum ſe recipit illico ad tumulum

transfe

Gillib. transferenda. Gillibertus ſer. 1. *Elapſus erat dilecta ſua ſuper montes quaſi hinnulus vagus, & volitans; & ipſa ad ſe relapſa de montibus illis, in quibus mirabiliter erat illuſtrata viſione Dilecti; De montibus, inquam, illis ad conuallem lacrymarum, ad lectum doloris relapſa. Quidni ſic recideret ipſa, vbi ſic recedit dilectus ſuus: Recedente ipſo, illa recidit ad lectum doloris, & infirmitatis.*

10\. *Acerbitates ſponſa praſagiebant illius receſſum.* Cant. 5.

Alibi amatrix pia, *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Cant. 5. Manus Ieſu munificentiam ſponſa commendat ex mente Philonis Carpat. *Od idque cupida illius ſponſa quaſi dolendo narrat: At ille abierat.* Ego autem querulam contemplor ex Dilecti ſeceſſu, quod abſentia illius eam tradiderat plurium incommodorum poteſtati. Vnde priùs quàm cognoſceret Ieſum receſſiſſe, fata: *Peſſulum oſtij mei aperui Dilecto meo, at ille declinauerat, atque tranſierat:* Se cognouit procellis agitatam, *Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ diſtillauerunt myrrham.* Ibid. Immerſa amaritudine ex Dilecti abſentia ſepulchro meo vnguenta præparabam. Ignoraui, vndenam mihi mortis imagines cùm ad aperiendum Dilecto currebam. Heu! miſera, dignoui luctum meum lethalem eius diſceſſum præſagire: *Peſſulum aperui dilecto meo, at ille declinauerat.*

11\. *Diſcedente Ieſu, dolebant parentes eius ob abſentia adnata incommoda.* Luc. 2.

Particulam, *Modicum & non videbitis me*, accuratiùs expendo. *Romanſit Ieſus in Ieruſalem*, quem ſeceſſum adeò parentes eius lamentati ſunt, vt inuento dilecto inclamaret Maria: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc. 2. *τὸ dolentes* doloris tribulationis Mariæ & Ioſephi vim exaggerat. Et vndenam eis dolor & tribulatio? An ex incommodis famis, aut ſitis, quibus Ieſus poſſet agitari? Minimè, ſed quia animus fidelis abſente Ieſu, non poteſt non omnium malorum (apprehenſionis efficacia)
Aelred. congerie vexari. Aleredus hîc. *O Domina, quid dolebas? Non famem, non ſitim, non inediam timebas puero, quem Deum noueras: ſed tantùm ſubſtractum tibi vel ad modicum querebaris.* Cunctas tribulationes ſeculares ſuperat, *vel ad modicum* Ieſum non videre.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et videns eos laborantes in remigando: venit ad eos.

Videns Dominus Diſcipulos laborantes, non potuit contineri, niſi opem afferret. O luminibus Dei adnata pietas!

Edocemur peccatoribus miſereri, dum adversùs peccata inſurgimus, Chriſto hîc non tempeſtatem, ſed actos procellis piè aſpiciente.

VIDENS Dominus Diſcipulos laboribus actos, quomodo non illicò 12.
ſubueniret? Beda, *Prima Domini ſubuentio eſt, conceptum expellere timorem; ſecunda tempeſtatum furias compeſcere. Vbi verò Dominus viderit, in nauem cordis intrabit, vniuerſa vitiorum, & malignorum ſpirituum bella quieſcunt.* Quàm infallibiliter reſpectum Ieſu luminum tranquillitas conſequitur? Adnoto illam particulam: *Videns eos laborantes.* Non dixit: videns laborem illorum, (ſi myſticè vniuerſis vitiorum bellis agitabantur, iuxta Bedæ expoſitionem.) Sed, *videns eos.* Orandus Dominus vt nos reſpiciat, non peccata, dum ex conſcientiæ iniquitate procella exoritur. At ſi laboribus iuſtus exagitaris, ſiue te Deus aſpiciat, ſiue labores tuos, proculdubio videns illicò occurrit. Beda.

Ieremiæ Deus, *quid tu vides* Ieremia? Virgam, 13.
ait, vigilantem ego video. Mox olla ſuccenſa præparatur. *Ollam ſuccenſam ego video, & faciem eius a facie Aquilonis*, cap. 1. Tantane ira ex Domini luminum reſpectu? Virgáne illa oculi Domini minaces? Ita planè. Aliter enim alij legunt: *Virgam oculatam ego video.* Si oculi Domini ad crimina terminantur, (*nam ab Aquilone pandetur omne malum*) non minùs diuerberare, dum venia expectaretur. Vnde Dauid, qui clamauerat: *Ne proiicias me a facie tua*, precatur: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Pſalm. 50. Dum modò peccata non videas, ſed me miſerum peccatorem procellà agitatum, ſufficit, vt miſericordiæ, & liberalitatis tuæ diuitiæ in me confluant. Auguſtinus, *Peccatum vnde ſi Deus non auertit, aduertit: ſi aduertit, animaduertit.* Ideo Dauid: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Attamen Domine, *ne proiicias me a facie tua.* Bruno, *id eſt, non permittas, vt ego proiiciar à rectitudine faciei tuæ, quæ miſericorditer, vt ſaluemur, aſpicit.*

Si Deus peccata reſpicit, punit: ſi peccatorem miſeretur. Ierem. 1. Pſalm. 50. Auguſt. Bruno.

Alibi Dauid, *Oculi Domini ſuper iuſtos.* 14.
Pſalm. 33. *Aſpice in me, & miſerere mei.* Pſal. 118. Aduerſatur Amos, *Oculi Domini ſuper Regnum peccans, & conteram illum à facie terræ*, cap. 9. En Dei lumina plena miſericordiæ, & exitialia. Profectò, ſi reſpiciat in crimina, animaduertit: ſi in homines miſeros reſpiciat, ignoſcit. Reſpice in me, & reſpectum tuum miſericordia, meà ablegatà miſerià, comitabitur. Caſſiodorus, *Cùm dicit: Oculi Domini ſuper homines, continuam gratiam Diuinitatis oſtendit.* Hieronymus, *Oculi Domini ſuper vniuerſa ſunt Regna peccantia, de quibus Apoſtolus, Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.*

Aſpiciens Dominus nos parcit: peccata autem videns deſtruit. Pſal. 33. Pſal. 118. Caſſiod. Hieron.

Dominus igitur Apoſtolos laborantes vidit, 15.
& continuò procellam ablegauit. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. Vbi Rupertus, *Apoſtoli ſunt, & quippe ſimiles illis, quos qui tetigerit, tangit pupillam oculi mei; non vt ego cæcus fiam, ſed vt cæci ipſi ſint, qui tetigerunt. Et ego abſcondam faciem meam ab eis, quomodo abſcondit, & auertit quis pupillam oculi ſui, ictum vitans aduerſarij inſidiantis.* Ac ſi diceret, Deus videt Apoſtolos laboribus actos. *Oculi Domini ſuper iuſtos.* At Dei oculos ſequitur tranquillitas. Quia quidquid poſt aſpicientem Dominum incommodi tentat Diſcipulos, quaſi Dei luminum pupillam vulnerat. Porro auertit Deus pupillam luminum ſuorum ne vulnerentur, dum aſpiciens, illicò ſuos à tentamine liberat. *Abſcondam*

Apoſtolos, non tempeſtatem videt Dominus, vt miſereatur. Zach. 2. Rupert.

dam faciem meam ab eis ictum vitans, quia ictum minitantis hoſtis prohibebo, ne meos audeat Apoſtolos vulnerare. Apoſtolos, non tempeſtatem vidit.

16. Epiſcopos Chriſtus delinquentes aſpicit luminibus quidem flammas emittentibus: *Tanquam flammam ignis*. Apoc. 1. An vt delinquentes abſumat aſpiciendo? Certè Dominus non delicta, ſed homines aſpiciebat, ideo videns non abſumit, ſed illuſtrat. Richardus Vict. *Flamma ignis lucem, & calorem tribuit. Oculi igitur Domini veluti flamma ignis ſunt, quia reſpiciens illuſtrat.* Luce quidem Epiſcopos donat, igne crimina exurit, minimè peccatores. Auertens enim faciem à peccatis, in illos reſpiciebat, eorumque miſerebatur.

Epiſcopos videns Ieſus delinquentes, eos illuminat, crimina exurit.
Apoc. 1.
Richard. Victor.

17. Vidit Ezechiel rotas currûs illius oculatas. *Totum corpus rotarum oculis plenum*, cap. 1. Hæc Domini aſpicientis lumina ex Interpretum placito. *Fili hominis* (Deus clamat) *mitto ego te ad filios Iſrael, ad Gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me, &c.* Num reſpicit Dominus ad interitum peccatoris? *Hæc dicit Dominus Deus: ſi fortè vel ipſi audiant.* Cap. 2. Quare tam effrænati delinquentis miſeretur? Quia Propheta ad illud immittitur, quod aſpexerat Dominus. Mitto ego te ad filios Iſraël, quos reſpexi, non ad crimina, à quibus conſultò auerti lumina, ne cogerer vindicare. Reſpice igitur, ô Domine, *in me, & miſerere*. Cùm proximus in te deliquerit, ediſce naturam à crimine ſeparare. Ignoſce delinquenti, ſi quando à te iuſtè fuerit iniquitas vulneranda.

Aſpicit Deus ingratos, non ingratitudinem, vt eos ad ſe ſtudeat adducere.
Ezec. 1. & 2.

Observatio III.

Ad illa verba.

Venit ad eos ambulans ſuprà mare.

Chriſtus Diſcipulos actos procella comitatur, ſupra pelagus ambulat.

Nullus enim ad portum felicitatis pergens, ſæcularis pelagi effugit iras.

18. PROCELLA Apoſtoli quatiuntur, à qua Dominus apud montem verſans liber oſtendebatur. At vt oſtendat communem futurum procellarum, ſiue laborum ſuſtinentiam eis, qui ad portum cœleſtem properant, ſeſe immittit ad pelagus. Nullo grauatus criminis pondere, non mergitur, ſed tamen communis tempeſtatis (quo ad pœnam) non refugit vulnera.

19. Ioſeph Mariæ ſponſus è cœleſti monito, *accepit puerum, & Matrem eius, & ſeceſſit in Ægyptum, & erat ibi vſque in obitum Herodis; vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui Filium meum.* Matth. 2. Oſeæ ex ore Dominus dixerat: *Puer Iſrael, & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui Filium meum.* Cap. 11. Cur Dominus aſcendit in Ægyptum? Certè, quia Iſraël ad Ægyptum aſcenderat. Vt ſcilicet homo effectus Dei Filius communi humanitatis procellæ adduceretur. Rupertus, *Vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui Filium meum. Id eſt, vt aſſimilaretur per omnia fratribus, & pro illorum ſimilitudine per omnia tentaretur abſque peccato* (non enim vnde mergatur pondus ſuſtinet) *qui ad veram promiſſionis terram vocati, vel vocandi ſunt, oportuit illum in Ægyptum fugere, & illic peregrinari.*

Ieſus properat ad Ægyptum, vt communem (excepto crimine) procellam ſuſtineat.
Matth. 2.
Oſee 11.
Rupert.

20. Cuncti homines ex Ægypto vocantur? Quis dubitet? Teſtor Dominum Moyſi è rubo clamantem: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam illorum qui præſunt operibus. Et ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum.* Exod. 3. Porro in Iſraële cuncti homines, imo Protoparentes aduocantur ex Ægypto. An vllus homo ad terram promiſſionis properauit, qui vndis non quateretur? qui ex Ægypti procella non eſſet aduocatus? Audi Rupertū vbi. ſu. *Quis filius eſt de cunctis fratribus Ieſu, quem non de Ægypto vocauerit Deus? Cunctis filiis Dei Mundus iſte Ægyptus eſt. Præter vniuerſalem peregrinationem, quam vniuerſi peregrinamur in Ægypto huius ſeculi propter præuaricationem Adæ; hoc plus habemus, quod in luto, & latere ſeruimus.* Num ſoli peccatores? Certè & ille, qui peccatum non fecit, ſeruit in luto, & latere, quia frater noſter eſt. *Et quia debuit* (addit Pater) *Dei Vnigenitus per omnia fratribus aſſimilari, excepta dumtaxat participatione peccati, oportuit illum fugere, & in illa Ægypto peregrinari: & ita incipiendo, taliter peragere totum curſum vitæ præſentis in tentationibus.* Si filius es, ex Ægypto es aduocandus: *Quia filij ſunt, quotidie ex Ægypto vocantur.*

Nullus homo ex Ægypto tribulationis non aduocatur ad promiſſam terrã, ſi filius Dei ſit.
Exod. 3.
Rupert.

21. Conformari Vnigenito laboranti procuremus, ſi fratribus cunctis Dei filius neceſſariò tempeſtas exurgit. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. 1. Vndenam ſpeciatim homo ad Conditoris ſimilitudinem excitatus dicitur? An in homine nobilitatis aliquid reperiatur quo Angelica careat natura? Methodius apud Phot. *Quid ſit quòd ſolus homo ex omnibus a Deo creatis rebus dicatur factus ſecundum imaginem Dei? Nihil enim in homine reperiat quis nobile, quo careat Angelica natura.* Num immortalitas? *Angelus immortalis.* Num liberum arbitrium? *Si Angeli, vt ſentit Theologus, magis quam homines propendent in bonum*, libero arbitrio anguſtiori hoc ex capite decorantur. Num imperium? *Nec ſit quidem Angelos oſtendes eſſe diuerſos, dominari enim plures Angelorum gentibus, & Nationibus ſingulatim ex Scriptura didicimus.* Quid ergo illud: *Faciamus hominem ſecundum ſimilitudinem noſtram?* Chriſtus Dei Filius procellarum datus iræ, ſuſtinuit labores, cuius imaginem præ ſe ferunt homines fratri optimo conformandi, quòd Angeli, à quibus ablegantur ærumnæ minimè aſſequuntur. Pulchrè adiicit Doctor, *Angeli quamuis virtutem habeant, non dicuntur per laborem partam habere. Homo verò multis ærumnis, & laboribus exanthlatis hanc aſſequitur.* En Dei Vnigeniti imaginem.

Procellas ſuſtinens homo Deo ſpecialiter aſſimilari dicitur.
Gen. 1.
Method.

22. Dominus ad oſtendentes denarium inquit: *Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.* Matth. 22. Vbi Tertul

Vt Ieſu aſſimileris, moneta in morem, ſuſtine labores.
Matth. 22.

fuga perſec.c.13.quærit, *quomodo reddã, quæ ſunt Dei Deo?* Reſpõdet, *Vtique proinde imaginẽ, monetam ipſius inſcriptã nomine eius.* Ac ſi diceret, Homo eſt imago Dei, quia monetã imitatur, ſiue monetę morẽ gerit. Quidnã tribulationibus ęquè agitur ac denarius? Igne conflatur, contunditur malleis, cuditur, incarceratur, omnium manibus laſſatur, creſcit, minuitur, æſtimatur, vilipenditur. O monetæ ærumnas! Ergo pulchrè. Vnigeniti per omnia tentati abſque peccato, gerit imaginẽ. Bellè addidit, *Quid ergo debeo, ſicut denarium Cæſari, Deo, niſi ſanguinem, quem pro me ſudit Filius ipſius?* E filiis enim neceſſariò vulneratis ſanguinis vnda profluit. *Quia filij ſunt* (Rupertus) *quotidie ex Ægypto vocantur.* Vndis graditur abſque criminis pondere Chriſtus, ſed communi ſubiacet procellæ ad portum recipiendus: & putas te in nauiculã ad mare immiſſum ſine tempeſtate tolerata ad portum felicitatis properaturum?

Observatio IV.

Ad illa verba.

At illi vt viderunt eum ambulantem ſupra mare putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt.

Liberaturus Dominus Diſcipulos à procella, addit timorem, dum phantaſmatis ſpecie obiicitur.

Signum enim terminationis laborum inſtantis eſt, eos ingraueſcere.

23. CVM Dominus Diſcipulos liberaturus ad nauiculam properat, me iudice, deberet faciem, inſtar Solis ablegantis tenebras oſtentare. At in horroris incrementũ auolantis phantaſmatis oſtentat ſpeciem, Apoſtolis vociferantibus. Gloſſa ordin. *Cœperunt clamare. Indicium magni timoris eſt confuſus clamor.* Qui non conclamauerunt æquore perturbato, conclamant phantaſmate obiecto. Quorſum augetur tribulatio? Adiicit Doctor, *Statim Ieſus liberat. Prope eſt enim*; ſcilicet liberato, cum increſcit procella. Apertius Chryſoſtomus hom. 51. in Mat. *Semper hoc Dominus facit, cum ſoluturus ſit mala aliqua: difficilia, & terribiliora inducit.*

Gloſſa.

Chryſ.

24. Tẽtaminibus Deus Abrahæ fidem probauerat: cum è nido efficiens auolare paterno: *Egredere de terra tua, & de domo patris tui.* Proficiſcitur in Ægyptum. Gen.12. Redit inde in Chanaam Cap.13. Inito certamine, ex hoſtium manibus Loth liberat. Cap. 14. Cum autem Dominus æquora donare tranquillitate diſponeret, poſt acceptum ex promiſſione filium in holocauſtum offerre imperatur. *Tolle filium, quem diligis Iſaac, & offeres mihi in holocauſtum.* Gen.22. Quare Dominus adeo inualeſcere curauit procellam, vt nouiſſima tribulatio cunctos prælapſos labores euinceret? Exiſtimo, quia volebat terminari tempeſtatem. Cum enim Deus liberare molitur, aſſolet vulnera pergrauari. Pulchrè Chryſoſtomus, *Quia non eſt longo tempore tentari cum finiendi ſunt agones iuſtorum, volens*

Cum à tempeſtate Abrahãm liberãdus erat, ingrauatur procella nouo terrore.
Gen.12.13. & 14.

ampliùs eos lucrari, auget eorũ certamina. Quod in Abraham fecit, vltimum certamen, tentationem filij ponens. An maximum tentatio filij certamẽ Abrahæ? Quis dubitet? Profectò *vltimũ eſt.*

25. Futuram tempeſtatem Dominus Diſcipulis ſeculare pelagus tranaturis prædicens, ait: *Cum audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri. Oportet primùm hæc fieri, ſed nondũ ſtatim finis.* Poſt paruum interſtitium adiicit, *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuũ: areſcentibus hominibus præ timore.* Luc. 21. Cùm præliorum diram procellam prædicit, eos à timore repellit, cum grauiſſimã Orbis totius tempeſtatem deſcribit, formidini laxat habenas: Areſcentibus *hominibus præ timore*: Quare: Non vult primùm ex timore grauari procellam, *quia nondum ſtatim finis.* At poſtmodum curat tempeſtatis labori addi horribilis formidinis vim, quia redẽptio tribulationis finis appropinquabat: *Quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Lipomanus ad Cap.2. Exo. *Tunc maximè animus affligitur, quando propinqua eſt ſalus.*

Non pergrauatur tempeſtas ex timore, niſi cum finienda eſt.
Luc.21.
Lipom.

26. Teſtor à Pharaone Hebræorum populum agitatum. Moſes Ieſus alter venit ad eos ambulans ſuper pelagus. At Iſraëlitæ quaſi viſo phantaſmate, conclamãrunt. Præcepit enim Pharao in illa die præfectis operum, & exactoribus populi, dicens. *Nequaquam vltra dabitis paleas populo, ad conficiendos lateres, ſicut prius; ſed ipſi vadant, & colligant ſtipulas.* Exo.5. Proh Deum immortalem! Potiùs videntur miſeris intumeſcere æquora, quàm pacari. Imò iam iam pacanda obiiciuntur, quia terminanda procella pergrauatur. Lipomanus in Cat. *Sic ergo tũc populus Dei maximè afflictus eſt, cum propinqua erat liberatio.* Cum ergò ô Regna Chriſti, tot præliorum procella iactamini adhuc ingraueſcente ventorum horrore, exiſtimate iam dulciſſimam inſtare ſtabili pace, liberationem.

Cum pacanda erat Iſraëlis tempeſtas, pergrauatur.
Lipom.
Exod.5.

Observatio V.

Ad illa verba:

Putauerunt, phantaſma eſſe, & clamauerunt.

Phantaſmate obiecto, (vero Ieſu) Apoſtolorum exterretur infantia.

Ediſce huiuſmodi confictis terroribus, vis vir, validè repugnare.

27. QUotiens incommodi facie ſalus obiicitur, procellæ dira ſpecie tranquillitas præſentatur! Simulat ſæpe parens obtecto vultu phantaſma eſſe, vt exterreat infantem: diligens pueri mater eſt. Hugo Card. ad illud Dominicum: *Nolite timere*, ait: *Ne timeas à facie, ego enim ſum.* Pater exterreo, vt arctiùs adſtringam.

Muliebre eſt, terroribus vinci.
Hugo.

28. Seneca tyrones admonet huiuſmodi phantaſmata flocci pẽdere. *Itaque res falſa, & inanis habet adhuc fidem*, quia coarguitur; Tanti putemus oculos intendere: iam apparebit, quàm breuia, quàm incerta, quàm tuta *timeantur*, Timetur pater, Deus? Quam tuta timentur. Epictetis apud

Monemur, ne phantaſmatibus fidem adhibeamus.
Seneca.
Epict.

Arrian.lib.2.diſſert.c.1. *Nos idem,quod cerui faciunus,qui quidem exterriti fugiunt volucrum infeſtationes, aliò ſe vertunt, & quaſi ad ſecura loca in ipſa retia concedunt:atque ita pereunt permutantes non timenda timendis.* Legi apud Plinium aues ceruũ inſequi vt pediculis ipſius veſcentes ipſum liberent à cruciatu. O miſer animans,beneficam volucrem fugiens ex phantaſmate terroris obiecto, laqueis implicaris!

29. *Mulibre eſt phantaſmatibus fide adhibere.* Soph.2.

Pulchrè Sophonias poſt ſtragem ciuitatis expreſſam adhuc deſcribens eius exitium, ait: *Accubabunt in medio eius greges,omnes beſtiæ Gentium, & Onocrotalus, & Eritius in liminibus eius morabuntur,*cap.2. Eritium ſeu erinatium differre partum exitialiter legi.Quia cùm proles,qua grauidatur leuiculos habeat aculeos, animalculum primas illas punctiones ferre timens, partum in dies differt, donec leues aculei grauiores effecti lethaliter vulnerant parientem.Non virorum,infirmitatis fœmineæ eſt phantaſmatibus fidem exhibere.

30. *Viri vident cunctarum calamitatum obiectu, quaſi phantaſmatis apparitione.* Rom.8.

Quàm aliter Paulus: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſequutio? an gladius. Sicut ſcriptum eſt, quia propter te mortificamur tota die,æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Rom.8. *τὸ æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis,premo.* Tribulatione,anguſtia,fame,nuditate,periculo, perſequutione, gladio vehementer vulneror. Sed tamen non verè occidi me video, ſed æſtimor exitialiter percuti. Æſtimatio eſt,apprehenſio,phantaſma eſt. Hæc equidem mala cernũtur, apparent, ſed ſunt minimè. Chryſoſt. hom.2.de Pauli Laud. *Sic deſpiciebat vniuerſa,quæ cernimus. vt ſolet herba iam putrefacta contemni. Tyrannos verò ipſos, ac populos ſpirantes furorem, velut eſſe quoſdam culices exiſtimabat. Mortem verò & cruciatus, & mille ſupplicia quaſi ludum eſſe putabat puerorum.* Particulæ: *Vniuerſa quæ cernimus, Culices exiſtimabat, quaſi ludum putabat eſſe,* non excidant ſine pondere. Vniuerſa mala cernuntur quidem, non tamen ſunt:exterrent voce, ſed culices: ludi ſunt puerorum,phantaſmata contemptibilia viris reputantur.

31. *Abraha fortiſſimo nex filij ludus erat, phantaſmaque.* Item Machabæis. Gen.22. Zeno.

Fortiſſimus vir Abraham vt è medio tolleret filium,quẽ diligebat,Iſaac,*extendit manum ſuam, & arripuit gladium.*Gen.22. Ad quæ Zeno ſer.2. de Abrah. *Ecce ſub vinculis iacet filius adſtrictus. Vbi ſunt lacrymæ, vbi dolor,qui in humanis caſibus verſari conſueuit? In tantis filij caſibus lætatur, & gaudet?* Quid ni gauderet vir ſpectri obiectione? Animus virilis phantaſmatibus minime deterrendus.Nazianzenus orat.de Machabæis,ſic conſtantiſſimos viros profatos tyranno deſcribit: *Multarum tu quidem rerum terrorem nobis iniycere tentas:verùm ad plura parati ſumus. Quid cunctamini,carnifices? Quid moras nectitis? vbi gladij? vbi vincula? Feſtinationem requiro. Ignis accendatur maior,acriores beſtiæ magiſque actuoſæ producãtur: ſunt omnia Regia,& magnifica.* Ac ſi dicerent:Ignis hic non torquet,beſtiæ non lacerant, phantaſma eſt: vera tormenta præparentur.

32. *Puero formicæ ſunt Leones.* Prou.22. Gregor.

Vox eſt puerorum phantaſmate obiecto: *Leo eſt foris,in medio platearũ occidendus ſum* Prou.22. Quid ſi diabolus ſit Leo ille rugiens,quærẽſque quẽ poſſit deuorare? Viri formicam reputant,infantes Leonem. Quinam verè? Certè Leo cùm appareat,formica exiſtit. Gregor.lib.5.mor.c.17. Diabolus formicis Leo eſt,*volatilibus* (id eſt viris ſtrenuis)*formica. Quia nimirum antiquus hoſtis ſicut contra conſentiẽtes fortis eſt,ita contra reſiſtentes debilis. Si enim eius ſuggeſtionibus aſſenſus præbetur, quaſi leo tolerari nequaquam poteſt: ſi autem reſiſtitur, quaſi formica atteritur.* Sic Doctor.

SECTIO QVARTA.

Ieſus mari, terráque ſalutaris.

TEXTVS.

VERS.50. ET ſtatim locutus eſt cum eis,& dixit eis:Confidite,ego ſum,nolite timere. 51. Et aſcendit ad illos in nauim,& ceſſauit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupebant. 52.Non enim intellexerunt de panibus;erat enim cor eorum obcæcatum. 53 Et cùm tranſiſſent,venerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt. 54. Cúmque egreſſi eſſent de naui, continuò cognouerunt eum. 55. Et percurrentes vniuerſam Regionem illam,cœperunt in grabatis eos qui ſe malè habebant, circumferre,vbi audiebant eum eſſe. 56. Et quocumque introibat in Vicos,vel in Villas,aut Ciuitates,in plateis ponebant infirmos,& deprecabantur eum,vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent,& quotquot tangebant eum, ſalui fiebant.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De aſcenſu Domini in nauiculam.

1. *An Dominus ſcapham aſcenderit.*

ET ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis! Confidite, ego ſum, nolite timere. Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus. Ioannes inquit, *Voluerunt accipere eum in nauim, & ſtatim nauis fuit ad terram, in quam ibat.* Si ſolummodo aſſerit Euangeliſta voluiſſe Diſcipulos Ieſum ad nauem recipere, quonammodò Marcus, & Matthæus affirmant ad illos in ſcapham aſcendiſſe? Hinc Chryſoſtomus ad 6. Ioan. bis Chriſtum à Diſcipulis conſpectum ſupra vndas ambulantem edocet: Semel apud Matthæum, & Marcum, iterum apud Ioannem. Vnde apud Ioannem Chryſ.

nem nauem non aſcendit, ſecus apud Matthæum, & Marcum.

2. *Aſcēdit plano, facilè Ioanne expoſito.*

Idem miraculum, eandem apparitionem fuiſſe reor. Voluerunt Diſcipuli Chriſtum nauigio excipere, ipſe verò tunc ingredi noluit, ſed ſimul cum Petro ſuper pelagus ambulans, poſtea demum nauim conſcendit, & accurrit ad portum. Euthymium ſequor fantem: *Non ſtatim nauim aſcenderunt Chriſtus, & Petrus, ſed vento vehementer vrgente, longo adhuc ſpatio ambulauerunt: vt Petrus certior redderetur, & de ſua exigua fiduciâ conuinceretur. dicit enim Ioannes, quod voluerunt eum ſumere in nauim, & illicò nauis appulit terra. Et inde manifeſtum eſt, quod cum nauis terra proxima eſſet, tum demum in eam intrauerunt.*

3. *Aliter contextui conuenientius reſpondeo.*

Aliter probabiliter, & contextui conuenientius ſoluo. Diſcipuli voluerunt Chriſtum cymba excipere, poſtquam dixit: *Ego ſum, nolite timere*; illum vero ingredi noluiſſe, quod ſignificat Marcus illis verbis: *Venit ad eos ambulans ſuper mare, & volebat præterire eos.* Tum Petrus cum videret, Chriſtum nolle cymbam intrare, *Domine*, inquit, *iube me, ad te venire ſuper aquas.* Venit, cumque cœpiſſet mergi, liberatus eſt. Poſtmodum autem cum aliquod maris ſpatium cum Domino (in vberiorem miraculi fidem) confeciſſet, nauiculâ eſt exceptus, felici ſcaphâ protinus ad ripam appellente. Chryſoſtomus hom. 51. in Mat. Cum terræ aplicaturus eſſet, in nauigium Chriſtus aſcendit. Ne (fortè aliis, cum neceſſitas non vrgeret, nec vtilitas,) miraculum illud peruulgaretur, quod quidem ad Diſcipulorum confirmationem fuerat excitatum.

Chryſ.

§. II.

De ſtupore Diſcipulorum, & fide.

4. *Quid: de panibus non intelligunt.*

ET plus magis intra ſe ſtupebant. Non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum. Pro particula Plus, magis ſtupebant Græcè eſt λίαν ἐκ περισσοῦ. id eſt, *Valde ex abundanti* vel *ſupra modum* intra ſe ſtupebant. *Redditur tamen* ratio ſtuporis: *Non enim intellexerunt de panibus.* Ideſt, non intellexerunt ex ſuperiori miraculo, quo ex quinque panibus, ac duobus piſcibus quinque hominum millia pauerat, Chriſto facillimum ſuper vndas ſicco incedere veſtigio. Addit autem cauſam, cur ex panum miraculo haud perſpicuum ad ambulationē ſuper aquas adſumerent argumentum. *Erat enim* inquit, *cor eorum obcæcatum.* Siue vt ex Græco colligo, *erat cor veluti callo obduratum.* Fortè quidem tēpeſtatis formidine, ipſóque in ambulationis ſuper vndas ſtupore.

5. *Difficultati fit ſatis. An Diſcipuli Chriſtū Dei Filium naturalem tunc profeſſi?*

Matthæus ſic: *Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum dicentes: Verè filius Dei es.* Quonammodo igitur cor illorum obcæcatum de panibus non intelligebant? Reſpondeo Apoſtolos tunc Chriſtum Deum eſſe crediđiſſe pelago ſcilicet pacato, Dominóque in ſcapham recepto. Marcus enim noſter ſignificat eorum præcordia, illo tempore quo Chriſtum ſuper mare ambulantem viderunt fuiſſe obcæcata tempeſtatis horrore, atque ideo non cogitâſſe eum, qui exigua tot homines annonâ refecerat, poſſe ſuper pelagus agere iter. Hæc Bedæ, Euthymij, Interlinealis Gloſſæ, Abulenſis, & aliorum veniâ, qui aſſeruerunt Diſcipulos Chriſtum nunc Dei verè Filium, ſcilicet naturalem non agnouiſſe. Profectò cognouerunt, licet non adeo conſtanter (fateor) quod non aliquando fluctibus quaterentur, præcipuè cum de Chriſti paſſione gereretur. Quod Carthuſianus expreſſit, fatus: *Certum eſt, quòd Apoſtoli non habuerunt firmam, & fixam fidem de hoc* (ſcilicet de Diuinitate) *vſque poſt reſurrectionem, Non enim ſciebant minora de Chriſto, vt quòd eſſet paſſurus pro Mundo.* Ac ſi paſſio eis Deitati repugnare videretur.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

§. III.

De exitu ad terram Geneſareth.

6. *An in Geneſar, vel in Geneſar Diſcipuli nunc venerint?*

ET cùm tranſiſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt. Opinatur cum Lyrano Mat. 14. Maldonatus terram Geneſar Regionem eſſe Geraſenorū, ad quam Chriſtus Mat. 8. nauigauit, quæque trans Galilææ mare iacebat. Aſt ego terram Geneſar illā appello Regionem, quæ citra mare Galilææ adeſt, in qua Betſaida erat, & Capharnaum. Confirmo ex Ioſepho lib. 3. de Bel. c. 18. profante. *Ad lacum Geneſar eiuſdem nominis terra protenditur, naturâ ſimul & pulchritudine admirabilis. Præter aeris lenitatem fonte irrigatur vberrimo, quē Capharnaum* (ex vrbis nomine) *ab indigenis appellatur. Longitudo autem Regionis ſecundum littora cognominis lacus, triginta ſtadijs extēditur: & latitudo viginti.* Ad hanc igitur Geneſar, aut Geneſareth Regionem, non ad Geraſenos Apoſtoli cum Domino acceſſerunt.

Maldon.
Lyra.
Ioſeph.

7. *Roboratur expoſitio.* Mat. 6.

Hinc illud noſtri Euangeliſtæ ampliùs enubilatur: *Coegit Diſcipulos aſcendere nauim, vt præcederent eum transfretum ad Bethſaidam,* &c. Cùm enim Bethſaida in Regione Geneſareth adeſſet, qui verſus Bethſaidam nauigabāt, ad terram Geneſar accedebant. Ioannes addit Diſcipulos etiā Capharnaum veniſſe, quæ ciuitas eadem iacebat in ripa. Meritò Ioſephus Regionis commendat amœnitatē, è qua acceperat appellationem. Geneſareth enim idem ac *Vallis florida.*

8. *Geneſarenorum fides.*

Cùmque egreſſi eſſent de naui, &c. Porrò incolæ Regionis Geneſar, cum Chriſtum adeſſe cognouiſſent, in omnem nuncios immiſere Regionem, qui ad ſummum medicum aduocarent ægrotos. Sic Matthæus. *Percurrentes autem Regionem illā, cœperunt in grabatis eos, qui ſe malè habebant circumferre.* Hieronymus, *Vide quanta ſit fides hominum Geneſareth. Vt non præſentium tantùm ſalute contenti ſint: ſed mittant ad alias per circuitum ciuitates, quò omnes currant ad medicum.* O ſi noſtra ſola ſalute nō cōtenti, aliorum ſpirituali commodo incumberemus: ægrotóſque ſpiritu cœleſtem afferamus ad medicum.

Hieronym.

9. *De fimbria contactu ſalutari.*

Et quocunque intrabant in Vicos, vel in Villas, aut Ciuitates, &c. Cùm vicos, aut ciuitates Dominus percurreret, ægroti obiiciebantur. Orabant, vt vel fimbriam veſtis illos tangere ſmeret, quam ſalubriter contingebant. Chryſoſtomus, *Non veſtis ſolùm, ſed corpus Chriſti nobis propoſitum eſt: non vt tangamus ſolùm, ſed vt comedamus, ſi fimbriam tangentes conualuerunt, quanto magis corroborabimur, ſi totum in nobis habebimus?*

Chryſoſt.

IN IESVM PELAGO IMPERANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS CIRCA LITERAM.

EX EODEM IESV MARI, Terráque ſalutari.

Observatio I.

Ad illa verba.

Cúmque egreſſi eſſent de naui, continuò cognouerunt eum, &c.

Vbique Chriſtus ab hominibus cognoſcitur ex munificentiâ ſalutari.

Noſtrâ deſidia hinc colligo, perire nos ſi paratum ſemper apud ægrotos Medicum aduocare pigritamur.

10. Caſſian. VErba illa: *Cognouerunt eum*, Simon de Caſ. lib. 5. cap. 34. ad ipſos Apoſtolos allicit: *Cum* egreſſi eſſent cognouerunt eum; Res enim meliùs in pace, quam in bello cognoſcitur. Sentit enim vulnera miles, cum *pugna ceſſauit*. Aſt, cùm iam receptum in nauim Chriſtum Diſcipuli adoráſſent, Deique Filium profeſſi fuiſſent, exiſtimo ſententiam hanc ad Geneſar incolas eſſe adducendam. Cognouerunt illi continuò Ieſum ex fama, ex ſignis, éque conuerſationis experimento, cunctiſque monuere, vt ægrotos cœleſtem ducerêt ad medicum proculdubio ſanandos. Vbique, ô Domine, à cunctis malè ſe habentibus agnoſceris ob tuam præſentiam ſemper ſalutarem. Nunquam non ſol exciperis, cuius in pennis ſanitas. Siue mare intumeſcat, ſiue terra lacrymarum vallis gemitum ex ægritudinum inſolentiâ aggrauet, cùm adeſt Ieſus, ſalutaris vtique præſentatur. Aſcendit in nauiculam, deſcendit ad portum. Aſcenſus tibi præparatur eunti? Aderit Ieſus, vt opem ferat laboranti. Deſcenſus ad Ierícho inſtat? Ieſus medicus opportunè occurret vulnerato.

11. *Iacob vbique Ieſum ſocium itineris experitur, ſurſum ac deorſum.* Gen 28. Pergenti Iacobo ſcala obiicitur, dum ſomnum captaret feſſus ex itinere. *Et vidit Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes.* Gen. 28. Dominus equidem in ſuperiori ſcalæ faſtigio viſus. Idem (ex Alcaſaris mente) ſub termino iuxta Patriarcham ſcalam tenens, ne excideret, obiectus eſt. Nec enim Angeli aſcenderent, ſi Dominus ſupra non adeſſet: nec deſcenderent, ſi infrà non conſpiceretur. Auguſtinus ſerm. 41. de verb. Dom. illud Ioannis 1. *Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſuper Filium hominis.* ſic exponit: *Non diceret, aſcendentes ad Filium hominis, niſi ſurſum eſſet. Non diceret, deſcendentes ad Filium hominis, niſi deorſum eſſet. Ipſe ſurſum, ipſe deorſum.* Ad nauem aſcendis, timéſque abſorberi procellâ: ſurſum eſt Ieſus liberaturus. Ad terram deſcendis vallis miſeræ lacrymas profuſurus ex ægritudinum moleſto cruciatu? Deorſum adeſt Dominus in pennis offerens ſanitatem. Auguſt.

12. *In diabolum in pelago vincas, & ærumnas in Geneſar, adeſt Ieſus.* Iſai. 6. Si verò pelagi iniuriis Diaboli ſuperbiſſimi tentamina ſignentur, morbis autem Geneſar profundi huiuſce vallis miſeria, qua impugnamur, adnotanda ſit; vbicunque ſit nobis cum huiuſmodi hoſtibus dimicandum, adeſt Ieſus opem allaturus. Achaz Regi ait Propheta: *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, ſiue in profundum Inferni, ſiue in excelſum ſupra.* Non petis? *Propter quod ipſe Dominus dabit vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Iſa. 6. Emanuel quid niſi *Nobiſcum Deus?* Siue in excelſo cum Diabolo confligendum ſit tibi, ſiue in profundo cum ægritudinum cruciamentis, tecum Ieſus. Ambroſius ſerm. 118 c. 8. *Hoc eſt magnum ſignum, quod altitudinis, & profundi tentamenta deſtruxit. Hoc ſignum proponitur Regi, vt pateat ſibi remedium, per quod nec Regia poteſtatis extolleretur ſupercilio:* (ventis ablegatis, æquore pacato) *nec ærumnæ altioris* (apud Geneſar) *exceptione perturbaretur.* Ambroſ.

13. *Adeſt Ieſus vbi æger ingemiſcit.* Caſſia. Adnota Geneſareth ciues mox adeſſe Dominum cognouiſſe: ſed (ex Simonis de Caſſia acumine) priùs Ieſus aderat ab ipſis ægritudinibus aduocatus, quam ciues cognoſcerent aduenisse. Exiſtimas, Deum apud cœli altitudinem commorari, longéque diſſidere, cùm ab ærumnis lacrymoſi ſeculi diuexaris? Non longè eſt ab vnoquoque noſtrûm, non ſolum quia in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus; ſed quia ſine ipſo miſerè ægritudine diuexamur. Vbi adeſt ægrotis, Chriſtus medicamina præſcripturus exiſtit. Immittitur Angelus ſi non ad Geneſareth *vallem floridam*, ad Nazareth *floridam* ciuitatem nunciaturus Domini aduentum. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Nazareth ad Virginem. Et ingreſſus Angelus ad eam,* Luc. 1.

tum, *dixit : Aue gratia plena , Dominus tecum.* Luc.1. Vbi vulgaris illa Bernardi ſententia non vulgariter argumentum illuſtrat. *Quem modo* (ait ſerm.54. in Cant.) *reliquiſti in cælo, nunc in vtero reperis. Quonam modo? Volauit, & prouolauit ſuper pennas ventorum. Victus es ó Archangele, tranſiliſti te, qui premiſiſti te.* Vbi enim adeſt noſtra ingemiſcens infirmitas, ibi Dominum auxilium præſtiturum neceſſe eſt commorari. Apud floridam Nazareth, & Geneſareth ægri vociferantur? Monete ciues medicum aduenaſſe, imo inter vos morari quem non ſcitis opem laturum, ſi fuerit inuocatus, adductis ad ipſum malè habentibus.

Bernard.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus.

Chriſtus Diſcipulos remigantes, ſeu laborantes in obſequium Eccleſiæ nauiculæ, ſeu in proximorum vtilitatem certius donat auxilio ne cadant, delinquentes benignius excipit.

Contra illos, qui caſum extimentes, à proximorum ſalute abſtinent.

14\. *Cyrill.* Si ex Cyrillo lib.3. in Ioan. cap.24. Eccleſia nauis eſt ſeculari pelago iactata, Apoſtoli laborantes in remigando Euangelici ſunt miniſtri incolumitati Eccleſiæ ſtudentes, proximorum ſaluti inuigilantes. Procellis hi tentationum obortis agitantur? Adeſt Dominus opem laturus: *Aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus.* Dum operam proximorum vtilitati impendo, (ais) puluere contracto, ſordeſco: ſatius mihi contemplationis hæreſcere voluptati, quàm ad Paleſtræ puluerem properare.

15\. Sponſam en lectulo contẽplationis receptam, vt requie potiretur, quam tamen Dominus ad proximorum ſalutem inuitabat: *Aperi mihi ſponſa mea, caput enim meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cui amatrix. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant.5. Non dixit: ſi fortè inquinâro; ſed aſſertiuè, *inquinabo illos.* Eſto contractis pulueris ſordibus inquinentur. An advocatus ad proximorum curam, vt Deum foris quærat, lectulo contemplationis aliquandò relicto, tutè excuſatur, dum non exit, ne leuis maculæ puluere defœdetur? Profectò huiuſmodi maculæ & vnda leui abolentur, & quodammodo neceſſariò acquiruntur. Vnde Leo ſerm.4. &c. Quadrag. aiebat, *Dum per varias actiones vitæ huius ſollicitudo diſtenditur, neceſſe eſt, de mundano puluere etiam religioſa corda ſordeſcere.*

Non bene coſtiſatur ſponſa, dum ex timore contrahendi pulueris nõ egreditur ad proximos.

Cant.5.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T.I.

16\. Reuoca ad memoriam Ioannem dilectum Diſcipuli in lectulo inquam ſponſam decumbentem: *Qui & recubuit ſuprà pectus Domini.* Ioan.21. Et Petrum è nauicula ad pelagus fidei feruore deſcendentem, Ieſúmque inter vndas ſeculares, ſiue in proximis quæritantem. Ioannes dormit, firmus perſiſtit, Petrus titubat inter vndas, ſed non abſorbetur (ex graui delicto) à pelago. *Videns ventum validum timuit, & cum cœpiſſet mergi, clamauit. Et continuò Ieſus extendens manum apprehendit eum, &c.* Matth.14. Ad quæ Origenes hom.2. in diuer. *Petrus in forma Actionis, & fidei ponitur; Ioannes autem Contemplationis, atque ſilentia typum imitatur. Vnus ſiquidem recumbebat ſupra pectus Domini, quod eſt Contemplationis ſacramentum: alter ſæpe titubabat, quaſi trepidæ Actionis ſymbolum.* Preme haſce particulas: *Petrus in formà Actionis, & fidei ponitur, &* *Alter ſæpe titubabat*, ſcilicet Petrus. Si titubabat frequenter, quonámmodo in forma fidei ponitur? An non aptius Ioannes Contemplationis gerens ſimulacrum, fides non titubanti adſcriberetur, quàm Petro toties titubanti? Profectò Petro meritò adſcribitur fides, quia qui proximis ſaluandis dat operam, ſi tentationibus ingruentibus ſæpe titubat, ſed non ab æquore abſorbetur, Domino dexteram illicò porrigente. Leuia ſunt commiſſa ipſâ vnda abluenda, merito nimiùm, ex miniſterio, creſcente; cuius quidem faſtigium dubito an Ioannes quiete fruens Contemplationis aſſequutus eſt.

Non minus ſecurè Petrus in miniſterÿs vndis, quàm Ioannes in contemplationis lecto.

Ioan. 21.

Mat. 14.

Orig.

17\. Quid ſi omnino aliquando ab vndis abſorbeat? An non ex graui commiſſo facilius exſurges, ſi cadis dum pro gloria Domini pugnas: Domino permittente caſum ob occulti iudicij præſcripta? Quàm miſerè Dauid excidens à mare abſorbetur! quàm facilè vidit tipæ felicitatem? *Dominus quoque* (ait Propheta) *tranſtulit peccatum tuum*, inclamante prius Rege: *Peccaui Domino.* 2. Reg. 12. Et vndénam è tanto flagitio tam celeriter, ignoſcente Domino, peccator emergit? Puto, quia exciderat dum miniſterio defenſionis Dei populi operam exhibebat. *Eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, miſit Dauid Ioab, & ſeruos ſuos cum eo, & vniuerſum Iſrael, & vaſtauerunt filios Ammon, & obſederunt Rabba. Dum hæc agerentur, accidit vt ſurgeret Dauid de ſtratu ſuo, & deambularet in ſolario domus ſuæ, viditque mulierem lauantem, &c.* 2. Reg.11. *Dum hæc agerentur.* Textus ait. Dum Rex Iſraëlis ſaluti prouideret, immiſſis ad miniſterium militibus, factum eſt vt videret, & vinceretur. Quàm facilè exurget qui in bello victus eſt! Nathano Dominus ad Dauidem immiſſo ex ore Baſilij Sel. Ora.17. *Seruum meum noui, noui bellatorem meum, qui inimico tergu non dedit, ſed depræliant vulneratus eſt. Non eſt ab euentu mente alienatus, nec ea res hominis propoſitum immutauit: iuſta, non vi proſtratus eſt.*

Si fortè abſorbearis, facilius emerges, quia in tempeſtate periſti.

2. Reg. 12.

2. Reg. 11.

Baſil.

18\. An Petrum è pelago rurſum cum Domino ad nauem reuertentem poterat iuſtè Ioannes obiurgare: Te miſerum è clauſtris ad pelagus delapſum. Audi Sapientem. *Melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Eccleſ.24. Contemplationi addicta anima tibi ſit mulier filum ducens meditationis clauſtris addicta, ne è puluere paleſtræ ſordeſcat. Vir autem miniſter Euangelij ad pelagus deſcendens, ad campum proſiliens decertaturus. Reuertitur hic vulneratus ad clauſtra.

Qui clauſtris recluditur, nõ obiurget miniſtrũ è prælio reuertentem, licet vulnere affectum.

Ecc'eſ.24.

Bernard. ſtra. An poſſit mulier eum iuſtè laceſſere? Bernardus ſer. 12. in Cant. *Temerariè obiurgat virum de prælio reuertentem mulier nens in domo. Si quis de clauſtro eum, qui verſatur in populo interdum minus diſtrictè, minúſve circunſpectè ſeſe agere deprehenderit: non ad indicandum confeſtim proſiliat; ſed memineris ſcriptum: Melior eſt iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Nam tu quidem in tui cuſtodiâ vigilans, benefacis: ſed qui iuuat multos, & melius facit, & viriliùs. Quod ſi implere non ſufficit abſque aliqua iniquitate, hoc eſt, abſque aliqua inæqualitate vitæ: memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Igitur è nauicula ad pelagus, Domino aduocante, deſcende, aut à Domini dextera protegeris, ne mergaris: aut merſus (miſero heu! euentu) protinus erueris. Cecinit

Auſon. Auſonius:

Inſanum quamuis hyemet mare, crudáque tellus
Seminibus, bello nec ſatis apta manus:
Ne dubites, autore bono. Mortalia quærunt
Conſilium, certus iuſſa capeſſe Dei.

Si iuberis è lectulo Contemplationis proſilire ad campum, aut ex nauicula ad pelagus, nullius hoſtis impetu verearis excidere. Quòd ſi in prælio vulneratus fueris, ad Geneſar cum ægrotis ad cæleſtem medicum accurre.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et dixit eis: Confidite, nolite timere, ego ſum: & aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus.

Non vocatus Dominus aſcendit in ſcapham, Diſcipulos liberaturus.

Ac ſi ſibi ipſi in nobis nunquam non laboranti ferret opem. O ſi ſic in proximo laboremus!

19. Licet Euangeliſta alius adnotârit Diſcipulos voluiſſe Dominum ad nauem recipere, nullus tamen meminit *laborantes in remigando* Domini opem implorasse: ſed Dominum æquoris ſuperantem fluctus ad ſcapham veniſſe, vltróque ſeſe laborantibus oſtentaſſe. Sponte venit, non vocatus accurrit, ac ſi laboranti ſibi in Diſcipulis opem afferret.

20. Et quando patienti ſubdito Præſul cæleſtis non compatitur? Abel Domino obtulit agnum innocens ipſe, imò ſe ipſum Paſtori ſuperno immaculatum ex Chryſopolitani Epiſcopi mente libauit. Gen. 4. An non in puriſſimi agni Abelis ſcilicet mortis præſagium? Cain enim aduersùs fratrem inſurgit, eiúſque innocuum profundit cruorem. Iam Dominus clamat. *Ecce mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis: Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, & altare.* Matt. 23. Hinc triplici excogitatione argumentum confirmabo. In primis requiro, quare à Iudæorum generatione requirendus omnis ſanguis effuſus, cum requiritur ab eis ſanguis ſapientum, Scribarum, Diuorum? An non illi clamàrunt. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros?* Igitur dum ab eis requiritur ſanguis Chriſti, conſequenter requiretur omnis a conſtitutione Mundi ſanguis effuſus, quia agnis, ouibúſve Dominicis trucidatis, Paſtor in illis cruciatus ſuſtinebat. *A ſanguine Abel*, id eſt, a primo cruore profuſo. Bellè Origenes. *A ſanguine Abel, id eſt, a ſanguine Chriſti.* Quonam modo ab Abel ſanguine, ſi a Chriſti cruore? Quia nunquam agnorum Domini profuſus eſt ſanguis, quin Paſtoris cruor effunderetur.

Cunctis Dei agnis occiſis, Chriſtus occiſus eſt. Gen. 4. Matt. 23. Orig.

21. Deinde ſpecialiter illud pondero: *A ſanguine Abel.* Audiſti Chriſtum Agnum vocari, *qui occiſus eſt ab origine Mundi?* Audiui planè. Quonam modo ab Orbis origine occidi potuit, qui poſt tot ſecula ſanguinem profudit, niſi quia mactato agno Abele, Paſtor ipſe Agnus in illo patitur? Idcirco Abelis ſanguis à Iudæis requiretur, qui Ieſu ſanguine immixtus eſt. Hilarius. *Ideo Abel ſanguis in hanc eorum poſteritatem venturus oſtenditur, quia iam in hoc habitans Chriſtus erat paſſus.*

Chriſtus Paſtor mortuus Abele, oue, occiſo. Hilar.

22. Denique venio ad Zachariam *filium Barachiæ, quem occidiſtis*, inquit, *inter Templum & altare.* Ac ſi diceret: Vſque ad ſanguinem Chriſti, quia quando Zacharias ouis occiſus eſt, Chriſtus Paſtor de medio ſublatus. Euſebius Emiſſ. *Dominus noſter ſe ipſum Zachariam vocat.* Zacharias *Domini memoria* interpretatur; *Chriſtus Ieſus dicitur Verbum Domini, ſermo Domini, virtus & ſapientia Domini, ſic & Memoria Domini.* Erat Zacharias Barachiæ filius, qui *Benedictus Domini* vocatus eſt. *Chriſtus Principi Sacerdotum interroganti, an eſſet Chriſtus filius Dei benedicti: reſpondit: Ego ſum.* Zachariam Iudæi inter Templum & altare occiderunt. *Inter Templum & altare ipſi Chriſti mortem inter ſe conſiliati ſunt. Neque aliter Iudæi Chriſtum occiderunt, niſi conſiliando, accuſando, & damnando. Vnde ipſi dicebant: Nobis non licet interficere quemquam.* Paſſio itaque Domini innouatur, quoties iuſtus occiditur. Ideo occumbente Zacharia, Domini benedicta ouicula, (cui Paſtor clamaturus *Venite benedicti, &c.*) Chriſtus Paſtor de medio tollitur; quia patiente iuſto compaſſior efficitur. Quem quidem debere[illegible] i Paſtores. Iugulatur ouicula? Verus Recto ſimul vulnerandus.

Noto affectu Zacharia, quaſi alter, ſiue idem Zacharias vocatur Ieſus. Euſeb. Emiſſ.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Et quocumque introibat in Vicos, vel in Villas, aut Ciuitates in plateis ponebant infirmos, &c.

Ad Vicos, Villas, & Ciuitates Dominus ſponte properat quæſiturus ægrotos, quos ſanet.

Vt edoceat Euangelij miniſtros, non vocatos proximis ſuccurrere: ipſa enim ægritudines clamantes aduocant.

23. Caſſian.

SImon de Caſſ. lib. 5. cap. 3. Illud premens: *Et quocunque introibat*, ſic concludit: *Ergo prius ille ingreditur, quàm nos occurramus.* Non expectat Dominus vocantium clamorem; illud enim ipſum ægrotos iacere, erat inclamitare. Nec enim miniſter ſalutis ſemper vocatus accurrit ad homines ſanandos. Seculare medicamen aduocatio præcedit. At crimine ægrotis ſpiritualis medicus haud vocatus occurrit.

24. *Trahendos peccatores ad ſeipſum Ieſu pergens ad ipſos, vt adducat.*

Dixerat Dominus, *& ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Attamen fons inſequutus homines vocatur à Paulo. *Bibebant de conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Si monti Crux illigatur, Chriſtus autem Cruci ſuffigitur, quonam modo Chriſtus petra conſequens appellatur? Veniant ad montem, qui aquis fontis ſatiari cupiunt: trahantur ad fontem. Certè ad ſe Dominus trahit, dum inſequitur, ægram ouiculam quærens, vt reducat. Cur exiſtimas è latere Saluatoris ſanguinem, & aquam profluxiſſe? *Exiuit continuo ſanguis, & aqua.* Ioan. 19. Vt longè diſſitos ægrotos quæreret, vt donaret ſanitate: vt ſitientibus potum ipſe fons dulciſſimum exhiberet. Ambroſius lib. 10. in Luc. cap. 23. *Ex illo autem incorrupto licet corpore, ſed defuncto, omnium vita manabat. Aqua enim, & ſanguis exiuit, illa, quæ diluat, iſte, qui redimat.* Ad fœdos homines quærendos pergit aqua, ad captiuitate preſſos redempturus ſanguis accurrit. Trahendi ad Cruci ſuffixum, quia requirendi.

Ioan. 19. Ambroſ.

25. *Quaſi ſitiens potari, fons ipſe ſitientes quærit.* Pſal. 61. Ioan. 4. Auguſt. Hieron.

Canit ore Dauidico, *Cucurri in ſiti.* Pſalm. 61. An ſitiens fons? Profectò fons viuus ſitientes quærit ſitientis affectu. Non ſiſtit, donec inueniat fontem. *Ieſus autem fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* Ioan. 4. Pergit, currit, donec fontem inueniat. An puteum Iacob? Minimè, ſed Samaritidem illam, *quam* (authore Auguſtino ad Pſal. 61.) *ipſe ſitiebat.* Hieronymus, *Currit Dominus in ſancta ſiti, cucurrit de cælo, venit in vterum, ex vtero in præſepium.* Bibunt animantia, paſtores compotantur. *Currit ſitiens, venit ad fontem Iacob, Samaritana reficitur. In Cruce humani generis ſalutem ſitiuit.* Non venit ad montem genus humanum? Fons proſiliet è monte.

26. Aderat latro, cui promiſerat paradiſo potiturum. An diſpenſatoriè Chriſtianus ſine Baptiſmatis lauacro? Certè fons emittet vndam ſalutarem quæ ſponte requirat ægrotum in vitam diluendum. *Continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Ioan. 19. Obit Dominus ante latronem, vt de vulnerato latere ſanguis & aqua efflueret ad latronis Baptiſmum. Chryſoſtomus hom. 6. de Cæco. *Continuò, ait, exiuit ſanguis, & aqua. Nec ſic exierunt, vt ſimpliciter fluerent; ſed cum impetu. Vt latronis corpus aſpergerent, vt latronem aſperſum baptizarent.* Poſtulet illigatus patibulo latro Euangelij miniſtrum ad ſe adduci. Quid requirenda ægroti aduocatio, ſi ipſa clamat infirmitas? Baptizandos require.

Sanguis & aqua emittitur, vt requirant latronē baptizādum. Ioan. 19. Chryſ.

27. *Pater ad filium longè diſſitum currit, vt adducat, non vocatus ſed miſericordia impulſus.* Luc. 15. Chryſoſt. Hieron.

Prodigus adoleſcens ad Patris domum reuertebatur. Quem cum Parens à longè videret, *miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius.* Luc. 15. *Accurrit* (ait Chryſologus ſer. 3.) *non greſſu corporis, ſed pietatis affectu.* Ac ſi puderet Patrem filium ad ſe venire, niſi ipſum præcurreret pietate. Hieronymus ad Pſalm. 61. *Venit Chriſtus* parens ad peccatores filios. *Quod in Parabola illa de filio prodigo liquet. Cùm enim adhuc longè eſſet, vidit illum Pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius.* Longè à Domino peccatores recedere ſufficit, vt non aduocatus, ſed miſericordiâ, ex miſeria filij, motus ad illum adducendum accurras, ſi à te paternum ſit munus explendum.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum ſalui fiebant.

Si ex fimbriæ veſtimenti Ieſu contactu cuncti ſanantur ægroti, quid ex totius corporis ad pectus immiſſione?

Profectò Eucharistia præſentiſſimum cunctis ægritudinibus medicamen eſt.

28. Caiet.

ROgabant, (Caietanus inquit,) *vt vel minimum veſtis eius tangerent. Poterant ſanari ſine contactu veſtis ſolo verbo.* Cur igitur veſtes permiſit contrectari? Exiſtimo, vt accepturis hinc Euchariſtiam exhiberet documentum: Tam efficax ad corporis morbos fimbriæ contactus? Quid ipſum ſpiritualibus ægritudinibus Corpus Dominicum? Chryſoſtomus hom. 51. *Si qui tangebant fimbriam, ſanabantur. Sanabimur* (efficaciùs) *nos ſi mundè accedimus, cùm totum eum manducamus.*

Chryſ.

29. *Ebrietatis hydropiſis Euchariſtico mero ſanatur.*

Cuncti ad Medicum adducantur ægroti. *Ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Luc. 14. Vino ille, *in quo eſt luxuria*, præſtabat obſequium.

quium. Quam difficile è vino vulnerati ſanitati reſtituuntur! Homerus Epigram. 2. cecinit Græcè, quod Latinè ſonat:

Vinum, & balnea, & circa Venerem amor
Per velociorem mittit viam in infernum.

Quia ſcilicet effrænato impetu aguntur, qui mero vtrique præſtant famulatum. Et Plautus

Plaut. Aul.

Nimis vinum vile, atque amor
Si ebrio, atque amanti impune facere, quod lubeat licet.

Corrupta planè ex vino natura, quodnam expectat medicamen? Propertius 2.

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Profecto ebrietatis ægroto Euchariſticus calix

Peluſ. meraciſſimus medicamina præſtat. Iſidorus Peluſ. lib. epiſt. 313. *Mentem, ac rationem bibendo ne abſorbe. Verum, illud in mente habe, quod diuinus Spiritus ex vini primitys Chriſti ſanguinem effecit.* Ac ſi diceret Medicus cœleſtis: Ad ebrietatis hydropiſim frænandam recipe è vino ſanguinis ſalutaris.

30. *Euchariſtia cibus epulones frænat.* Deſperatus Epulo diues accedat, cui Abraham abnegat ſtillam, quia micam ipſe inopi denegarat. An miſero medicina paratur? Certè Euchariſtica menſa potens mundialium epularum exitiales comprimere effectus. *Vnuſquiſque* (ait Paulus) *ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* O quot diuites epulones! Adhibe morbo medicamina. *Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus, in quà nocte tradebatur, accepit panem, &c.*

1. Cor. 9. 1. Cor. 9. Quorſum ad epulatum exitialium ablegationem cœleſtis Euchariſtici conuiuij memoria peragitur? Certè, quia lingua epulis aſſueta (ſtillam æternùm poſtulatura) ad ſobrietatis amorem reuocabitur memor ſolummodo Euchariſtici conuiuij! quid

Chryſoſt. cibo deguſtato? Chryſoſtomus, *Ne igitur hæc fiant,* (id eſt crimini gulæ indulgeatis) *linguam tuam, ac labia conſidera, quo pacto veſtibulum Chriſti facta ſunt, vt ingrediatur. Conſidera quo tempore accedes, & cum ſenſibilem menſam apponas ad illam menſam, & castum Dominicum animum dirige.* En ægros ex ſaturitate ſanat.

Cum Baccho & Cerere Venus ardeſcit, quam 31. *Luxurioſa paralyſis Euchariſtia abligatur.*
quidem flammam vnda extinguit Euchariſtica. Paralyticos huiuſmodi ſanitati piſcina reſtituit. Sedenti Ieſu ſupra fontem Sichar ſiſtitur fœmina paralyſi libidinis ægra, luxuriei igne pene conſumpta, Chriſti fonte mergenda in flammæ exitialis extinctionem. *Erat ibi fons Iacob.* Ioan. 4. Quem ipſa puteum appellarat: *Et puteus altus eſt.* Ioan. 4. Si puteus, vbi nam fons? Erat puteus ſiti corporis præparatus, ſed aderat ſimul ſpiritualis fons, nempe Chriſtus, cuius corpus ſanctiſſimum fons eſt expoſitus accedentibus ægris in febris exitialis extinctionem, in paralyſis medicamen. Ambroſius ad Pſal. 45. *Dominus Ieſus ſedebat ad puteum, erat autem ibi fons. Fons ibi eſt, vbi Chriſtus eſt. Fons eſt, vt aqua ſupereffluam requirentibus: quò & vniuerſa carnis vel flagitia diluantur, vel reſtinguantur incendia.* Ambroſ.

Accurrunt denique vel à mundiali Principe, 32. *Incidens in latrones, mundum, & Diabolum ſola fimbria ſanatur: quid ſi abſumeret?*
vel à Tartareo Rege vulnerati: incidens inquam in latrones curandus exponitur. Adeſt Samaritanus vinum & oleum infuſurus. Dauid fatur, *Paráſti in conſpectu meo menſam aduersùs omnes, qui tribulant me.* Pſalm. 22. Pende particulas: *Paráſti, & Aduersùs omnes.* Pſal. 22. Cur non dixit. Paráſti, vt epulemur, & ſatiati dimicemus aduersùs Principatus & poteſtates, aduersùs Principes tenebrarum harum? ſolùm præparari, præſentari, obiici menſam, victoria eſt contra Mundum, & Diabolum. Cyrillus Ieroſol. Cath. 4. *Paráſti menſam* Cyrill.
myſticam, & ſpiritualem aduerſariam illi, quæ antea parabatur à Dæmonibus. Menſa mundialis apparatus inanis eſt, qui effugit veræ menſæ apparatu. Si fimbria, ſi ſolummodo ſanat aſpectus, quid Dominicum corpus abſumptum?

PARS

PARS TERTIA.

PISCIVM CAPTVRA.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput quintum Lucæ.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum Pelago imperantem.

PROLVSIO.

CVM opus Domino fuiſſet perpetuis quibuſdam ſuorum mirabilium operum, ac doctrinæ teſtibus, & coadiutoribus, mox à prædicationis exordio, cum iuxta Galilææ pelagus adeſſet, è mari duo paria fratrum velut margaritas expiſcatus eſt. Præmiſſum equidem, ad alliciendum, capturæ piſcium copioſæ miraculum, cùm vano labore totam noctis abſumpſiſſent inſtantiam, tanto labore, tanto fructu denique compenſaro. O quot in nocte rutilant cœleſtis ſapientiæ documenta! Per totam noctem laborantes nihil capiunt. *Niſi enim Dominus* (ait Beda) *cor illuſtrauerit auditorum, Doctor in nocte laborat. Niſi in verba gratiæ ſupernæ laxata fuerint inſtrumenta diſputationum, fruſtra vocis ſuæ prædicator iaculum mittit. Quia fides populorum non ſapientia verbi compoſiti, ſed diuinæ vocationis munere prouenit.* Si illuſtret gratia, expiſcatio proficit, captura redundat, piſcium multitudini, ac magnitudini extrahendæ annuendi miniſtri.

LVCAS CAP. V.

VERS. 1. CVM turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth.

2. Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores au-

PARAPHRASIS.

1. *TANTVM Ieſu fama hominum affluxum concitarat, vt iam non ſatis eſſet ſui copiam facere in Synagogis, in Vicis: verum etiam quocumque ſe ſubduceret Dominus, eò ſimul virorum, ac mulierum promiſcua accurreret multitudo, Ieſu apud littus Geneſareth ſtante.*

2. *Videns Dominus locum eſſe parum Euangelico Concionatori commodum, hinc vrgente populi turba, hinc proximo lacu, ſubduxit*

tem deſcenderant, & lauabant retia.

ſubduxit ſeſe in locum quietiorem. Commoda ſe offerebant ad id munus duæ piſcatorum ſcaphæ, quarum homines, egreſſi retia abluebant, in proximam piſcationem præparantes.

3. Aſcendentes autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum. Et ſedens, docebat de nauiculâ turbas.

3. *Has vbi vidit Ieſus, in alteram ingreſſus, (in eam ſcilicet, quæ erat Simonis) rogauit illum, vt cymbam paululum à terra deflecteret. Ibi ſubmotus à multitudinis compreſſione, conſidens, de naui, velut de cathedra populum in littore ſtantem edocebat. Vt qui ad munus Euangelicum piſcatores aduocare curabat, iam hoc ipſum, quòd ex naui agebat Ieſus eſſet homines expiſcari.*

4. Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem. Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

4. *Concione peractâ, nauiculæ moderatori (Eccleſiæ, futuro Præſuli) Dominus. Nauigium, inquit, longius à terra abducito, & in profundum prouehe, atque inibi retia veſtra ad piſcandum laxate, vtili quidem iactu.*

5. Et reſpondens Simon, dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

5. *Cui Simon, A nobis, ô Præceptor, tota nocte in piſcando eſt laboratum, neque quidquam cæpimus, vnde diſpiſi retia lauimus. Tamen ad tuũ iuſſum tuo fidens verbo, rete laxabo, obſequio meo, euentu tuo.*

6. Et cùm hoc feciſſet, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorum.

6. *Obtemperatum Domini dictis, nauis in profundum lacus abducta, latè ſparſum eſt rete, cui mox tanta piſcium inuoluta multitudo, vt rete Diſcipulorum impar ponderi piſcium abrumperetur, nec prædæ capiendæ nauis vna ſufficeret.*

7. Et annuerunt ſociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.

7. *Erant altera in ſcapha ſocij Simonis, queis procul non voce, ſed ſignis indicârunt, vt accederent, & in exonerando rete opitularentur. Venerunt, adiuuerunt, tantáque piſcium vis reperta eſt, vt parum abeſſet, quin onere depreſſa ſcaphæ periclitarentur. En Doctoris Euangelici imaginem. Retia laxat è ſacrorum voluminum præceptis quam plurimos fideles inuoluens, nec inuolutos elabi ſinens.*

8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine.

8. *Vbi vidiſſet Simon rem viribus humanis non geri, ſed virtute Ieſu diuinâ, ex magnitudine ſucceſſus modeſtior effectus, procidit ad genua Ieſu, eíque totam huius facti gloriam tranſcribit. Domine, inquit, diſcede à me, ſum enim tuo indignus conſortio, nec impunis tecum commorabor.*

9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes; qui cum illo erant, in capturâ piſcium, quam cæperant.

9. *Expreſſit hanc Petri vocem admiratio quædam vehemens, virtutis humanæ maioris. Nec aliter erant ſocij Simonis affecti. Cunctorum enim animos incredibilis quædam huius facti admiratio occupauerat.*

10. Simili

10. Similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis.

10. *Cùm autem admiratio eiuſmodi ſic omnes haberet attonitos, Iacobus & Ioannes Zebedæi fily ſeſe Ieſu adiungere non audebant. Quos omnes Dominus vno conſolatur in Petro.*

11. Et ait ad Simonem Ieſus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſequuti ſunt eum.

11. *Fatur quidem: Non eſt, quod formides, Simon, tuam agnoſcis imbecillitatem, & diuinam es expertus virtutem: hæc amanda, non formidanda eſt. Satis iſtius piſcationis, poſt hæc dabis operam, non vt piſcibus nauem impleas, ſed vt Eccleſiam meam impleas Euangelica doctrina profeſſoribus. Omnes illi ſibi dictum intelligentes ſubductis in terram nauibus, retibus, piſcibus, ſocij Ieſu addicuntur.*

SECTIO QVINTA.

Inutilis Piſcatorum labor.

TEXTVS.

VERS. 1. CVM turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth. 2. Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia. 3. Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum. Et ſedens, docebat de nauicula turbas. 4. Vt ceſſauit autem loqui, dicit ad Simonem: Due in altum, & laxate retia veſtra in capturam. 5. Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Chriſto è nauicula turbas docente.

1. *Cur Ieſus in nauim aſcenderit?*

FACTVM *eſt autem, cùm turba irruerent in eum.* Chriſtus, vt irruentem, comprimentémque vitaret turbam, in nauiculam Petri conſcendit, dum ille cum Andrea fratre ſuo, reliquiſque piſcatoribus retia reficeret. Solebat id facere Saluator, vt patet Mar. 4. Vt è nauigio velut ſuggeſtu commodius ſermonem profunderet. Cur autem Lucas Petri iactum, ingentémque piſcium capturam commemorat? Non aliâ de cauſa, quam vt edoceat, quâ occaſione, quo miraculo Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes fuerint aduocati.

Et ipſe ſtabat ſecus ſtagnũ Geneſareth. Stagnum hoc propter magnitudinem mare à Matthæo, & Marco vocitatur: vt Tom. 4. vidimus,

2. *Stagnum, ſeu mare.*

Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum, piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia. Hi qui retia abluebant, alios fuiſſe, ab illis qui ex Matthæo, & Marco retia in mare mittebant crediderim. Aderant enim multi, quorum alij causâ piſcandi retia in mare iaciebant, alij lacerata, & ſoluta reficere curabant: alij abluebant.

3. *Varij piſcatores varijs muneribus addicti.*

Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis. Cum multæ eſſent ibi ſcaphæ piſcatorum in eam Chriſtus aſcendit, quæ erat Petri, curans piſcatorem ſuâ ipſius naui, ſuis quodammodo retibus expiſcari.

Rogauit eum à terra reducere puſillum. Qui poſſet iubere, Petrũ rogat. Theophylactus, *Chriſti manſuetudinem vide, quomodo obſecret Petrum, vt à terra abducat.* Et Bonauentura, *Nota humilitatem Domini, quia rogabat Petrum ſeruum ſuum, exemplum Prælatis relinquens, vt & ipſi rogent ſubditos. Vnde Apoſtolus 1. Theſſal. 4. Rogamus vos, & obſecramus in Domino. Quia vt dicit Seneca. Generoſus eſt animus hominis, & facilius ducitur quam trahitur.*

4. *Cur in nauem Simonis aſcendit.*

Quæ erat Simonis. Non caſu accidit Chriſtũ Petri nauem aſcendiſſe turbas docturum. Innuit ſuggeſtum, ceu cathedram, è qua edocet Orbem, ſedem eſſe Petri. Ad cymbam ſe recepit, vt reuerentiæ debitæ concionis conſuleret. Nec ob irruentem turbam diſtulit concionari. Bonauentura, *Vehementi deſiderio mouebantur turbæ, ideo irruebant, conſiderantes magis Domini bonitatem quam maieſtatem.*

5. *Rogat modeſtiam, & humilitatem edocens.* Theoph. Bonau.

Et ſedens docebat de nauicula turbas. De doctrina Saluatoris Marcus. *Erat docens tanquam poteſtatem habens*, Cap. 1. Alij Doctores vt ſcribæ Iudæorum nõ tanquam legiſlatores, ſed tanquam legis interpretes. Chriſtus autem tanquam legiſlator. *Audiſti, quia dictum eſt antiquis: Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros.* Mat. 5.

6. *Deſiderium audiendi, verbum Dei.*

ſic

ſic Chryſoſtomus, & Theophylactus, Chriſtus ita loquebatur vt oſtenderet, nihil ſe niſi hominum ſalutem quærere. Quem Paulus Concionator egregius ſequutus aiebat: *Non quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos.* 1.Cor.12. At Scribæ & Phariſæi gratiam, opéſque aucupabantur. Chriſtus denique quod docebat, exequebatur.
Senec. *Longum* (aiebat Seneca Epiſt.6. ad Lucil.) *ad virtutem per præcepta: breue, & efficax per exempla iter eſt.* Sunt qui putent ſignificari poteſtatem, quâ cum doctrina miracula coniungebat, ſic in præſenti eum ſermone, quo erudit turbas, mirabilem expiſcationem copulauit.

§. II.

Ieſus iubet retia laxari.

8. *Cur reduci ſcaphu*[m] *præceperit?* VT *ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem. Duc in altum; & laxate retia.* Ex Græco. *Reduc in profundum*, Siue *in altum mare nauiculam*, vt piſcationi operam impendas. *Reduc.* Iubet Chriſtus in altum mare, vnde venerat nauim reducere. Omnia diuino ſunt effecta conſilio, vt miraculi magnitudo magis innoteſceret. Et vt Petrus totâ laborans nocte nihil caperet, vt intelligeret, fruſtra ſe ſine Chriſto laborare, & omnia humana ſtudia ſine diuinâ gratiâ irrita eſſe. Et vt in eundem locum nauim reducere videretur, ne ſi in alium locum rete emitteretur, non miraculo, ſed caſui factum poſſet attribui. Tanta (ac ſi profarentur) vis piſcium, quod hìc piſces fuiſſent, ibi minimè.

9. *De piſcium captura, ac Apoſtolorum retibus.* *Et laxate retia veſtra in capturam.* Ac ſi diceret: Nunc tempus eſt, cum me præſente, ac iubente, facitis: antea non erat, cùm non meâ voluntate, ſed veſtrâ gerebatis.
Gregor. Gregorius autem lib.17.Mor.cap.1.
Beda. Beda in præſenti,
Auguſt. Auguſtinus lib.2. qq. Euang.q.2. ad myſtica alliciunt. *Quod dicit Petro:* (ait Auguſtinus) *Duc in altum, &c. ad remotiores gentes, quibus poſtea prædicatum eſt, pertinet, ſicut Iſaias dixit: Tolle ſignum in gentes, ad eas; quæ prope, & ad eas, quæ longè.*
Iſa.5. Cap.5.
Ambroſ. De retibus Ambroſius, *Quæ ſunt Apoſtolorum, quæ laxare iubentur, retia niſi verborum complexiones, & quaſi quidam orationis ſinus, & diſputationum receſſus, qui eos, quos ceperint, non amittant. Et bene Apoſtolica inſtrumenta piſcandi retia ſunt, quæ non captos perimunt, ſed reſeruant, & de profundo* ad lumen extrahunt, & fluctuantes de infernis ad ſuperna perducunt. *Laxate.* Maldonatus, Emphaſim habet, quaſi dicat, *Quam maximè poteſtis extendite retia; tantum enim capietis piſcium quanta retis capacitas erit. Ad capturam.* Non ad fortunam, vt rete extrahatur fortè inane, ſed ad certiſſimam piſcium multorum extractionem

10. *Quanam Petrus mente reſponderit.* *Et reſpondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborãtes nihil cepimus. In verbo autem tuo laxabo rete. Præceptor*, Caietanus, *Pro Præfecte, quamuis non omnino ſonet Præfectum,*
Caiet. *ſed honorabiliori nomine, quam Præceptoris vſus eſt Petrus.* Ego exiſtimo aut magiſtrum, aut Dominũ ſonare. An deſperatione felicioris iactûs hoc dixit Petrus, aut quod Chriſto non credat, aut obedire nolit? Minimè, ſed vt maiorem in Chriſtum fidem declaret, quod cum tota nocte laborantes nihil prehendiſſent, tamen eius confidens verbis iterum retia laxaret. Miraculum quidem auget, quod noctu Petrus; cum plures piſces capi ſoleant, nullum ceperit: die verò, cùm pauciores ſoleant capi, innumeros extraxerit.
Beda. Beda, *Quia nondum illi Sol iuſtitiæ ortus erat, in tenebris ambulabat. In verbo tuo laxabo rete,* Iuſſu tuo, aut verbo tuo confidens.

IN IESVM PELAGO IMPERANTEM

PANEGYRICVS MORALIS QVINTVS CIRCA LITERAM.

EX INVTILI PISCATORVM LABORE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Cùm turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent Verbum Dei, &c.

Turbæ audiendi verbi deſiderio in Dominum irruunt, & comprimunt, auſu quidem pio, irreuerentia quodammodo fideli.

Vbi oſtendo non taxandos omnino eſſe fidelium ad ſacra obſequia confluxus, eò quòd fortaſſe aliqualis caſualiter irreuerentia proſilit.

11. REvoco ad memoriam Bonauenturæ ſententiam prementis illam particulam: *Cùm turba irruerent in Ieſum. Vehementi, ait, deſiderio mouebantur turba, ideo irruebant; conſiderantes magis Domini bonitatem, quam maieſtatem.* Confluunt ciues ad Templum audiendi verbi, aut Diuo obſequium præſtandi, aut monumenti ſacra hebdomade inuiſendi causâ: caſualiter irreuerentia proſilit ex clamore, ex tumultu. An non quodammodo auſus pius, fidelis irreuerentia oſtenditur? Bonau.

Ampliùs

12. *Plū irruunt turba in Ieſum, irruunt non ea quidē vi niſibili ex verbi audiendi affectu.* Maldon.

Ampliùs expendo Lucæ locum. *Cùm turbæ irruerent in eum.* Verbum *irruo* ſignificat cum impetu in rem aliquam ferri. Vnde Latinus, *E quo admiſſo, in mediam aciem irruit. A multorum irruptio nulla facta eſt* Maldonatus, *Lucas ait Chriſtum, vt irruentem, comprimentémque turbam vitaret, in nauiculam aſcendiſſe.* An piè in cum irruerent? Irruptio ne hoſtilis? Profectò ex verbi Dei audiendi auiditate qualiſcum-que caſualis irreuerentia ex tumultu, ex clamore ex compreſſione ipſa oborta pia cenſenda eſt. Confirmo ex Bonauentura adiiciente pulchrè. *Vnde dicit quidam expoſitor: Deſiderium verbi Dei meriti magni eſt apud Deum, quod ipſam quoque irreuerentiam turbæ irruentis in eum excuſet.*

Bonau.

13. *Et ſi apud agrum deuotionis naſcantur ſpinæ, non negligenda cultura eius.* Gen, 3. Auguſt.

Hominis deuotionem ad verbum ſacrum audiendum Auguſtinus poſt communem præuaricationem agro comparauit, de quo Dominus: *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Gen. 3. Cura maxima adhibenda, ne deuotionis, piique affectus agro flores herbaſque medicas germinante, ſimul ſpinæ aut clamoris immoderati, aut tumultus parumper immodeſti, aut ocioſi ſermonis, aut aſpectationis non omninò ſinceræ, (grati piaculo ablegato) exoriantur. Num quia timentur ſpinæ, ager eſt omninò dimittendus, negligenda cultura: Minimè planè. Colatur deuotionis ager, ſi appareant aliquando furtim ſpinæ leuium tranſgreſſionum, abſtrahantur, pietatis ſuffocentur affectu, deſiderij audiendi verbi flammis exurantur.

14. *Nō repugnat verbi Dei audiendi deuotioni externus tumultus neceſſarius.* Chryſ.

Audi Chryſoſtomum ad c.2.Gen. *Verba ſacra attenta mente, & excuſſis curis ſecularibus omnique ſollicitudine adhibita audienda.* Quid ſi irreuerentiam excitet ſollicitudo, populo confluente? ſilentium adſit mentis, non lædit reuerentiā neceſſaria ex hominum confluxu externa vociferatio. *Si cùm Regis* (adiicit) *leguntur litteræ, vbique eſt ſilentium, omnium aures vel inter clamores multitudinis arriguntur, vt ſciant quæ Regis literis manifeſtentur, & quiſquis vel parum tumultuatus fuerit, in magno periculo eſt. Multo magis cum magno timore, & tremore adſtandum, & altum habendum internum ſilentium, & pellendæ cogitationes è turbulentia, vt verbum Dei intelligere poſſimus.* Compone particulas haſce: *Vel inter clamores multitudinis, habendum internum ſilentium altum, pellendæ cogitationes è turbulentia.* An ſilentium cum clamore multitudinis, cum confluentium auidè fidelium tumultu, aut turbulentia poteſt copulari? Ita equidem, ſi mens alto ſilentio attendit, dum neceſſariò tumultus externæ voces excitantur.

15. *Ad verbum audiendum homines à Deo mouitantur tanquam ad irruptionē exercitus; nec id deuotioni repugnat.* Exod. 19. Raban.

Moyſi Dominus, *Cùm clangere cœperit buccina, tunc aſcendent in montem.* Exod. 19. In Hebræo habetur, cum protraxerit buccina vocem ſuam tunc aſcendant. Id eſt, (exponente Caietano) *cùm prolixius buccina inſonuerit.* Quid Domine? Ad audiendum verbum diuinum tanquam ad bellum inferendum aduocantur? An id humiliter ad montem audituros accedere, vel in Deum irruere? Irruant tanquam ſi ad aciem hoſtium deferrentur, exteriùs militum, prælij feruore, vociferatio neceſſaria excitetur, dum modo interior reuerentia cuſtodiatur. Rabanus, *Humanam per hoc irreuerentiam compeſcit, & mentem erigit. Ad ſonitum buccinæ aſcendere oportet in montem, quia ad ſacræ prædicationis vocem ſe erigere debet ad ſuperna mens auditorum.* In vna etenim ſede & externa confluentium, imo irruentium (in morem exercitus, perſonante buccinâ) hominum vociferatio, & interna mentis attentio commorantur. Ideo *cùm turba irruerent in Ieſum*, placido à Domino vultu excipiuntur, & edocentur.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T.I.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum.

Dominus miſerias vitæ humanæ in nauibus & in pelago vidit.

Quid enim hominum vita niſi nauis, niſi mare eſt, quibus adnata procella?

DOMINVS videt ſcaphas, videt & pelagus. Certè humanæ (ex Carth.) vitæ contemplatur imaginem. Nihil cymba pelago immiſſa miſerius, quia nihil pelago inconſtantius. Viuit nauis in mari, & maris ipſius epotat conditiones, cum fluctibus aſcendentibus euehitur, cum eiſdem deſcendentibus demittitur. 16.

Canebat, ſeu plorabat Dauid, *Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis.* Pſal. 106. Quamnam, in aquis operationem gerunt? Qui degunt in mari cum maris erroribus operantur, ipſius morem proferentes. Velut mare operantur, quia quaſi mare neceſſariò effecti ſunt. Nyſſenus tract. 1. in Pſal. cap. 8. *Homines reiectâ ſtabili, & nulli tempeſtati expoſitâ vitâ, voluntate, & propoſito quaſi mare effecti ſunt.* Qui, inſtar nauium, degentes in pelago operationem in aquis multis efficiunt, cùm ab vndis agitantur. Addit Pater, *Quaſi mare effecti ſunt, inquit enim: Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis.*

17. *Homo nauis operatur vt mare, & ipſi aſſimilatur.* Pſal. 106. Nyſſen.

Alij naufragium ponderent cui nauis obnoxia. De quo Nyſſenus, *loco paradiſi, quem colebant, & in quo priùs viuebant, artem factitârunt ſubmerſioni obnoxiam.* Si morte nauis mergitur, conquieſcit: non procella adiicitur, ſed proculdubio incommoda minuuntur. At cùm apud æquora miſera defertur ſcapha continuâ tempeſtate iactatur, quia pelagi ipſius imitatur actiones. Quidni amaritudinem? Quaſi mare effecti ſunt. Cecinit Antolog. Sac. Iacob. Bill.

18. *Quam ſimilis mari humana vita.* Nyſſen.

Iacob.

Vita mari eſt ſimilis, namque vt mare vita procellas
Hæc habet, & ventos, naufragiumque frequens.
Nil ſtabile in vita, nec in æquore cernitur vnquam,
Saxa habet, & conchas vt mare vita leues.
Qui prorſus grauitate carent, rebúſque ſiniſtris
Franguntur, conchas hos ego iure voco.

Parum eſſet vitam æquori aſſimilari, ſi congregatio hæc aquarum non tota e lacrymis coaleſceret.

ceret. Humana vita tota eſt amaritudinis collectio. Quam dulciter Anonymus ingenioſè planè.

Anonym.

Naſcimur in lacrymis, lacrymis quoque vita madeſcit,
Et vitam rurſus linquimus in lacrymis.
O multas hominum lacrymas! &c.

En humanam cymbam in aquis multis facientem operationem in pelagus mutatam.

19. Si apud nauem degere tam obnoxium periculo: quid ipſum periculum eſſe? Aiebat Ionathæ Dauid, *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum (vt ita dicam) gradu ego, morſque diuidimur.* 1. Reg. 20. Similis certè naui vita illa, quæ gradu viuco à morte diuiditur. Galfridus ad cap. 30. Prou. apud Tilm. *Nihil in rebus humanis terribilius, nihil periculoſius eſt, quam inter flatus aeris, & fluctus maris, inter auras inſtabiles, & vndas mobiles ligno fragili credere vitam ſuam, & vix duobus digitis à morte diſtare?* Diſtare duobus à morte digitis periculoſum eſt? Quantò periculoſius nihil diſtare à pelago? Nauis ſum. Quanto periculoſius in ipſum conuerti periculum? Mare hominum vita. *Sic fluctuant, quos metus agitat, & vana ſollicitudo conturbat, vt nullum inueniat ſpei anchora firmamentum, nullum prorſus aut ſcopuloſum littus appareat.* Deſperant naue vecti? Quid nauis ſperet, quid pelagus non timeat?

Vita humana non oblàm periculo viciva, ſed mare cum ſit, ipſum periculū eſt. 1. Reg. 20. Galfrid.

20. Dauid alibi profatus. *Cor meum conturbatum eſt.* Pſalm. 37. Vbi Hieronymus, *cor meum fluctuabat.* Si nauis vita hominum, neceſſaria fluctuatio, non ſolùm quia apud fluctus degit, ſed quia fluctuum actiones imitatur. Menander appoſitè.

Naui, ſeu quodammodo naui, & æquori, vita ſcilicet noſtra proſimilatur. Sed adeſt rupes Chriſtus. Pſal. 17. Hieron. Menan.

Cape prouidentiam conuenientis vitæ,
Sed quomodo naui, & æquori prouideas?

Quid prouidentiæ cum erroribus pelagi? O vita, cuius moleſtiæ vitari non poſſunt, cuius non quimus obuenienti procellæ frænum adhibere; quia ſi ad nauis ſalutem anchora deſeruit: cum ſimul ſit mare neceſſaria tempeſtate iactatur. Vlla-ne miſerandæ ſcaphæ ſpes euaſionis? Audi Iacobum Bill. poſtquam vitam noſtram pelago comparauit, inquit:

Iacob.

At mihi ſunt firma rupes, ſunt ſaxa, monere
Quos nequis vecti ſæua procella gradu.

Quàm miſera hominum vita, ſi mare, in quod verſa eſt, non rupem Chriſtum ſuiſmet exponeret erroribus.

Observatio III.

Ad illa verba:

Cùm turbæ irruerent in eum vt audirent verbum Dei, &c.

Feſtina auiditas verbum Dei audiendi commendatur, noſtri temporis taxabili pigritiâ.

Vbi oſtendo neceſſariam huiuſmodi verbi audiendi ſollicitudinem, ad ipſum verbum ſalubriter excipiendum.

IRRVENDI vocabulo auiditas turbarum audiendi verbi expenditur, quæ cultores antiquos commendans, noſtram vereor ne pigritiam taxet. Olim quidem *vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius.* 3. Reg. 10. *Certè ecce plusquam Salomon hic.* Vnde (ait Barradius noſter) vniuerſa Galilæa vultum eius deſiderabat, vt ipſam Dei ſapientiam & videret, & audiret. *Diſcant auditores diuinum verbum cum auiditate audire iuxta illud: ſuſceperunt verbum cum omni auiditate.* Act. 17. Irrue igitur, feſtina, propera ad cœleſtis verbi præconem. 21.

3. Reg. 10. Barrad.

Metaphora nauigij, videns Dominum turbas è naui docere, confirmabo. Chryſoſtomus hom. 2. in Epiſt. ad Theſſal. fatur, *quod nauigiis ſunt ſpirantes venti, hoc animis ſunt verba. Quandiu nauigia ſub anchora detinentur, nec ſpirantibus ventis vela expandunt, nec proficiſcuntur, nec nauigant, nec ex vno in alterum feruntur locum.* Ac ſi diceret, ſiquidem verbum eſt animi vita, vt ſpiritu vitali impleatur, anchora infrænante, ac retardante ablegata, expediatur nauigium, peruolet, properanti curſu ad captandas auras animus feſtinet. Nec enim nauis torpore infrænata poteſt ſpirante vento impleri, nec in vnum ex altero locum deferri, ſeu ad portum felicitatis adduci. 22.

Velocitas nauis requiritur, vt animus ſpiraculo ſalutari repleatur.

Parabola talentorum hoc complet argumentum. *Oportuit,* (ait Dominus pigro famulo) *te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepiſſem, quod meum eſt cum vſura.* Matt. 25. Vbi Chryſoſtomus hom. 41. in Gen. *Si diligenter parabolam intueamini, ſcitis, quod Doctores quidem debent dinumerare pecuniam, ſed auditores non ſolùm ſeruare ſollicitè, ſed negotiari debetis.* Copulat ſollicitudinem cum dinumeratione pecuniæ. Sollicitè accipite, ſollicitè ſeruate, vt negotiemini. Qui enim huiuſmodi ſollicitudine, ac auiditate numeratam pecuniam non ſuſcipit, proculdubio deſpicit lucra, ipsámque doctrinam terræ ſepeliendam addicit. 23.

Non acquirit ſpiritualia lucra, qui ſollicitè nō excipere curat verbum ſacrum. Math. 25. Chryſoſt.

Adumbrauit Amos fatus, *Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, ſic eruentur filij Iſrael, qui habitant in Samaria.* Cap. 3. Ad quæ Hieronymus, *In crure via oſtenditur ad doctrinam; in aure ſacramenta dictorum. Vnde ad credentes dicitur: Qui habet aures audiendi audiat.* Luc. 8. Crura igitur auriculæ copulantur, ſimúlque ex ore leonis extrahuntur. An innuitur ad animæ ſalutem æquè intereſſe & curſum velocem ad doctrinam audiendam, & aures audiendi? Profectò non aſſolet exaudire vt ab ore leonis tartarei eruatur qui velociter, & audè ad doctrinam non currit: *Duo crura aut extremum auriculæ.* 24

Vt excipiamus verbum ex leonis ore tartareo, crura currendi audiendi auribus adhæreſcant. Amos 3. Hieron.

Dominus apud Ioannem ait: *Videbitis Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſuper Filium hominis.* Cap. 1. Auguſtinus lib. 12. cont. Fauſt. cap. 16. prædicatores in aſcendentibus; ac deſcendentibus Angelis agnouit. Quia priùs interiori mentis affectu aſcendendo ſuperna doctrina replentur, vt deſcendentes edoceant auditores. Alij conuenientius argumento noſtro in aſcendentibus ſuper Filium hominis ac deſcendentibus ſpiritibus ipſos auditores contemplantur. Si Chriſtus ſedens (ſuper quem Angeli aſcendunt & deſcendunt) edocet auditores, cur ipſi non ſimul conſident excepturi ſermonem? 25.

Sollicitudini ſpirituali inducuntur auditores. Ioan. 1. Auguſt.

An

An quia huiuſmodi ſpiritus decet ſollicitudo eos, qui ad ſacrum verbum exaudiendum accedunt? Ita planè. Ex præfatis ediſce neceſſariam huiuſmodi verbi excipiendi auditatem, vt verbum vtiliter ab auditoribus excipiatur. Vnde ſollicitudo hæc & vitali ſpiraculo copulatur, & ad euaſionem ex ore leonis præmittitur, & ad lucra ſpiritualia præparatur.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum. Et ſedens docebat de nauicula turbas.

Chriſtus præcipir Petrum nauiculam puſillum à ripa reducere, vt docear turbas.

Ipſos Concionatores, ac Doctores edocens, pro auditorum captu ſermonem profundendum.

26. IVbet Dominus Petri nauim puſillum à terra educi, non tamen omnino in profundum admoueri, edocens doctrinam pro auditorum captu proferendam eſſe. Gregorius ad illud Iob: ligat aquas in *nubibus ſuis*, fatur. *Per nauim Petri quid aliud, quam commiſſa Petro Eccleſia deſignatur? De qua vt Dominus prædicet, eam non in altum duci, & tamen a terra præcipit remoueri. Profectò ſignificans, prædicatores ſuos rudibus debere populis nec alta nimis de cœleſtibus, nec tamen terrena prædicare.* Et Auguſtinus lib.2.qq.Euang.q.2. *Quod aſcendens in nauim Dominus, quæ erat Petri, rogat eum à terra reducere puſillum, ſignificat, temperatè vtendum verbo ad turbas. Vt nec terrena eis præcipiantur, nec ſic, à terrenis in profundiora ſacramentorum recedatur, vt ea penitus non intelligant.*

Gregor. Auguſt.

27. Expendo locum Iob, *quia ex* aquæ Metaphora. *Ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum.* Cap.26. Ac ſi diceret, Deus in Concionatoribus ſuis doctrinam alligat, ne totam profundant, ſed pro auditorum captu loquantur. Gregorius hîc. *Aqua ligatur in nubibus, quia prædicatorum ſcientia infirmorum meatibus loquens, quantùm ſentire valet, docere prohibetur.* Hieronymus conteſtatur.

Aqua in Euangelicis nubibus ligantur, ne ſemper effluāt cum impetu. Iob 26. Gregor.

28. Ideo Paulus Euangelica nubes profatur: *Non potui loqui vobis tanquam ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.* 1. Cor.3. Ad quæ idem Doctor adiicit, *Religata intrinſecus ſcientia, ita vt non pariter deorſum erumperet, auditores ſuos diſtillatione verborum nutriens nubes illa loquebatur, Non potui loqui vobis, &c.* Raptus ille ad tertium cœlum vbi audiuit arcana verba, *quæ non licet homini loqui.* Cur non licet loqui? Quia ab auditoribus nequeunt vtiliter excipi. *Non licet loqui.* Ac ſi diceret: Nubes religatur. *Quis enim* (addit Pater) *ferre potuiſſet, ſi raptus ad tertium cœlum, raptus ad paradiſum etiam arcana verba audiens, tam immenſos ſupernæ ſcientiæ ſinus aperires? Aut cuius non virtutem auditoris opprimeret, ſi ea, quæ intrinſecus audire poterat, in quantum carnis lingua ſufficeret extrinſecus innuadans aquæ huius immenſitas emanaſſet?*

Nubes Paulus infrenatus fuit, ne cū impetu profunderet arcana verba. 1.Cor.3. Gregor.

29. Vnde lex. *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam: ecideritque bos, vel aſinus in eam, Dominus ciſternæ reddet pretium iumentorum.* Exod.21. Quid ciſternam aperire, niſi anguſto intellectu Scripturæ arcana penetrare? Qui ciſternam effodit, cooperiat, ne illuc bos, vel aſinus ruat. Quiſquis enim ad alta ſcientiæ fluenta perueniens apud bruta audientium corda diſcooperta oſtentarit, pœnæ reus addicitur. Gregorius adhuc, *Operienda eſt ciſterna, quia coram paruulis mentibus tegenda eſt alta ſcientia; ne vnde cor docentium ad ſuperna attollitur, inde infirmitas auditorum ad ima delabatur.* Et concludit, *Dignum quippe eſt, vt qui prædicat, audientis modum conſideret, quatenus ipſa prædicatio cum auditoris ſui incrementis creſcat. Sic quippe agere vnuſquiſque prædicator debet, ſicut cum illo diuinitus agitur. Prædicare rudibus non debet, quantum cognoſcit, quia & ipſe de ſupernis myſteriis cognoſcere non valet, quanta ſunt.*

Operienda Scriptura ciſterna, ne excidant brutalitate laborantes. Exod.21. Gregor.

30. Alibi Paulus (ne ex aquis diſcedamus, apud aquas Domino docente.) *Terra veniemtem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo.* Hebr.6. An ingens pluuia germinibus vtilior quam imber tenuiter decidens? Ingens pluuia ſimul excidens & deperditur, & ſitiens terra poſt paruum interſtitium æſtu conficitur. Ipſa namque moles aquæ etiam illius humorem, cuius capax erat tranſiens cum impetu denegauit. Audi Nazianzenum Orat.in plag. grand. *Quemadmodum ingens pluuia nequaquam maiorem vtilitatem parit, quam ea, quæ minori copia labitur; quippe cum illa vehementia ſua terram denudat, ac diſtrahat; hæc autem leniter, & tranquillè defluens, altiſſiméque illabens, pinguiorem terram efficit, & cultorem iuuat, ſpicamque ad maturum fructum nutrit. Eodem modo nec copioſa, verbiſque ac myſteriis affluens, exiguâ oratione vtilior cenſenda eſt. Exigua enim mentem penetrat, dilatatumque os, & ſpiritum implet, nec ea ipſo orta extinguitur, ſed fructum ingentem paucis ſyllabis gignit.* Alibi plura.

Imber tenuiter excidens vtilius excipitur à terra. Hebr.6. Nazianz.

Observatio V.

Ad illa verba.

Rogauit eum à terra reducere puſillum.

Chriſtus ſapienriſſimus Præſul ſubditum Petrum rogat à terra ſcapham reducere.

Rogans enim Prælatus, & manſuetudinis exhibet documenta, & cogit ſubditos obedire.

31\. Theoph.

THEOPHYLACTVS Præſulis ſupremi manſuetudinem, & prudentiam adnotauit. *Chriſti manſuetudinem, & prudentiam vide, quomodo obſecret Petrum ſubditum, vt à terra nauiculam abducat.* Prudens equidem Præſul manſuetudinem rogando præ ſe fert eo aſtu, vt facilius ſubditus ad imperium alliciatur.

32\. *Rogat Præſul prudens, vt ſubditum oſſi acius alliciat ad obediendum.* Bonau.

Apoſtolus Theſſalonicenſibus ſubditis profatur, *Rogamus vos, & obſecramus in Domino.* 1.Theſ.4. *In Domino* quidem, qui Prælatis hodie rogandi exhibuit exemplum, ad certiorem executionis effectum. Bonauentura appoſitè. *Nota humilitatem Domini, quia rogabat Petrum ſeruum ſuum: exemplum Prælatis relinquens, vt & ipſi rogent ſubditos. Vnde Apoſtolus 1. Theſſal.4. ait: Rogamus vos, & obſecramus in Domino. Quia, vt dicit Seneca, generoſus eſt animus hominis, & facilius ducitur, quam trahitur.* Imo trahitur prece.

33\. *Precibus homo non ſolum ducitur, ſed trahitur.* Senec.

Integram do Senecæ ſententiam lib.1.de Clement. cap. 24. *Natura contumax eſt humanus animus, & in contrarium atque arduum, nitens, ſequitúrque facilius, quàm ducitur. Et vt generoſi, ac nobiles equi melius facili fræno reguntur: ita clementiam voluntaria innocentia impetu ſuo ſequitur.* Si in contrarium atque arduum natura prouehitur, qui eam adducit ad imperium ſuum, trahit equidem; quia à propria eam inclinatione abducit. Ergo manſuetudo ſubditum attrahit.

34\. *Illuſtriores victorias perficit prece Sāgar, quam imperio Aod.* Iudic. 3.

Aod, & Sangar populi Duces, ille gladio pugnauit, hic vicit aratro. Iudic. 3. Quid ſingulare perfecit Aod? Gladio ancipiti Regem Eglon craſſum nimis bello ineptum in æſtiuo tabernaculo ſolitarium aſtu interfecit. Quòd ſi poſtea Moabitas extinxit, filiorum Iſrael armis geſſit triumphum, non iam ancipiti gladio, quem in vulnerato reliquit. *Nec eduxit gladium, ſed ità vt percuſſerat, reliquit in corpore:* ſi nomine ſicæ gladius ille ſit intelligendus. Porrò *Sangar percuſſit de Philiſtym ſexcentos viros vomere.* Ibid. Vbi Lyranus, ac Caietanus aſſerunt Sangar vnà cum aliis ruſticis ſexcentos illos occidiſſe. Minus certè probabiliter, cùm facinus vni Sangar Vulgatus adſcribat. Iam requiro, cur Sangar vtens pro gladio vomere illuſtriorem triumphum egiſſet, quàm Aod ancipiti gladio munitus? Quia vomere pro gladio

Orige.

vtebatur. Origenes, *Eccleſia Iudex non ſemper gladium proferat, non ſemper auſteritate præcepti, ſed aliquando etiam imitetur agricolam, anima terram clementi commonitionis prece reſcindens.* Precibus quidem aliquando dura facilius terra proſcinditur, quàm imperij auſteritate. *Rogauit eum, à terra reducere puſillum. Commonitionis prece reſcindens.*

35\. *Chriſtus manſuetudine imperij orbem debellauit.* Mat. 21. Imperf.

De rebellibus Iudæis Dominus celeberrimum triumphum egit. An quando flagellis illos Templi affecit prophanatores? An quando Hypocritas appellauit? An quando duces cæcorum, malos, adulteróſque nominauit Hebræos? Certè quando ſuper aſellum ſedens illis *manſuetus*, non tam imperans, quàm rogans apparuit. Mat.21. Vbi Imperfectus hom. 33. *Non vides in circuitu eius ſplendentes gladios, aut cætera ornamenta terribilium armorum. Sed quid? ramos frondentes teſtimonia pietatis. Venit ergo manſuetus, non vt propter potentiam timeretur; ſed vt propter manſuetudinem amaretur.*

36\. *Manſuetudo principis debellat imperia.*

Ioëlis ore Dominus, *Clamate hoc in Gentibus, ſanctificate bellum, ſuſcitate robuſtos: accedant, aſcendant omnes viri bellatores, Concidite aratra veſtra in gladios, & ligones veſtros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego ſum.* Ioël. 3. Loco illius particulæ: *Fortis ego ſum*, LXX. legunt. *Manſuetus ſit pugnator.* An manſuetudo fortitudo eſt? Ita plane. Tunc vel inermes agricolæ in gladios concidunt aratra, in lanceas ligones conuertunt, cùm pro fortitudine imperij precis vtuntur manſuetudine. Manſuetus ſit pugnator, validiſſimam enim pugnam manſuetudinem eſſe quis dubitet?

37\. *Moyſes quia non doctus rogare ad gentem magnam non immittitur, ſecus Diſcipuli quos rogare docuerat.* Exod. 17. Marc. vlt. Exo. 32.

Olim equidem *cùm leuaret Moyſes manus vincebat Iſraël; Sin autem paululum remiſiſſet ſuperabat Amalech. Manus autem Moyſi erant graues.* Exod.17. Quid graues eſſe Moyſi manus niſi ſubditos graui imperio compreſſos fuiſſe. Dum leuis manus, victoria perficitur: dum grauia imperia, ſubditi Amalechitarum triumphum imitantur. Apoſtolis Dominus, *Ite in Mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Mar.vlt. Pollicitus quidem Moyſi Dominus mittendum ipſum ad gentem magnam. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra illos, faciamque te *in gentem magnam.* Exod. 32. Non autem Moſes immittitur, ſed Apoſtoli, noua quidem ſponſa. Quare? Quia Moyſis graues manus, non rogat, ſed imperat.

Bernard.

Bernardus ſerm.30. in Cant. *Graues Moyſi manus, graue legis iugum. Pro huiuſmodi non eſt miſſus in gentem magnam. Verùm tu Mater Eccleſia facilè in duplici gratia obtines ab vniuerſis te recipi, & propter iugum ſuaue, & propter Regnum ſublime ab vniuerſitate exciperis. En ſuauitas precaria Regni, ſeu imperij eſt ſublimitas.*

SECTIO SEXTA.

Piſcium ex Ieſu multitudo.

TEXTVS.

Verſ.6. ET cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam; rumpebatur autem rete eorum. 7. Et annuerunt ſociis, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos.

Et

Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur. 8. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine. 9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piſcium, quam ceperant. 10. Similiter autem Iacobum, & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. 11. Et ait ad Simonem Ieſus: Noli timere; ex hoc iam homines eris capiens. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſequuti ſunt eum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Piſcium capta multitudine.

1. *Ieſu exequutus imperium, multitudinē piſcium capiunt.* ET cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum. Cùm geſſiſſent quod præceperat Dominus Simonis ſocij. Simon autem ipſe quod promiſerat, videlicet in Ieſu nomine rete laxandum, tãtam piſcium concluſere multitudinem, vt eorum rete dirumperetur. *Eorum* quidem, non à Christo ſpecialiſſimæ capturæ præparatum erat rete, ſed fragile, communi pelagi excurſui ſufficiens. Piſcium multitudo boni, & mali.

2. *Piſces multitudo bonorum & malorum.* Ioa. 21. Auguſt. Poſt reſurrectionem Dominus Diſcipulis piſcantibus inquit: *Mittite in dexteram nauigy rete.* Ioan. 21. Quo iactu bonorum piſcium captura ſignatur, Auguſtino ſante de præſenti captura indiſcriminatim imperata: *Iuſſit mitti retia, & non dixit, in quam partem, ſed tantummodo, vt mitterentur præcepit. Miſerunt Diſcipuli. Non dictum eſt, in dexteram, non dictum eſt, in ſiniſtram. Piſces enim homines ſignificabant. Si ergo diceretur, in dexteram, ſoli boni futuri erant: ſi diceretur in ſiniſtram, ſoli mali. Quia verò permixti futuri erant in Eccleſia & boni, & mali: ſine differentia miſſa ſunt retia, vt caperentur piſces, ſignificantes mixturam bonorum, & malorum.*

3. *Rete rumpitur.* Auguſt. *Rumpebatur rete.* Præ multitudine aſſolet diſciplina communitatis lædi. Auguſtinus, *ſignificatum eſt* hinc, quia per multitudinem, quam collectura erat Eccleſia, periclitatura erat diſciplina.

4. *Hæretici rumpentes.* Auguſt. Prætetea diſruptis retibus ſchiſmata, & hæreſes immittuntur. Idem Doctor ſerm.5. ſequenti adiicit, *Diſruptis retibus, hæreſes, & ſchiſmata facta ſunt. Retia per totum expanduntur: qui rumpunt autem, per loca rumpunt. Donatiſtæ ruperunt in Africa, Arriani ruperunt in Ægypto, Manichæi in Perſide,* &c.

5. *Quare annuunt, & non loquuntur?* Theoph. Euthy. *Et annuunt ſocijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.* Annuerunt, id eſt, ſignis indicarunt, non verbis. Quare? Reſpondent Theophylactus, & Euthymius ſignis ideo, non verbis vſos, quia præ admiratione captorum piſcium adeò obſtupefacti erant, vt loqui non potuiſſent. Non probo, quia Petrus, qui potuit loqui cum Christo, cum viſa iam multitudine piſcium nullo magis eum obſtupefactum fuiſſe credendum ſit: potuit etiam ſocios aduocare ſermone.

Probabilius arbitror ideo annuiſſe, quia tam longè diſtabant, vt vox ab illis non poſſet exaudiri. Adnotat Maldonatus hoc ipſum ad miraculi magnitudinem pertinere, *quòd cùm alij ſocij in alia nauicula, eodem loco, (vt eſt veroſimile) piſcarentur, nihil tamen dicantur prehendiſſe; quia non in Chriſti verbo.* 6. *Authoris ſolutio probabilior.* Maldo.

Annuunt ſocijs. Non ſufficit Petrus Pontifex tantæ piſcium colligendorum multitudini; ſocios aduocet, coadiutores requirat. Maldonatus pulchrè de more, cum ex litera ad mores aliquando tranſilit. *Debent Eccleſiæ Paſtores, cùm ipſi per ſe aut impoſito, aut ſuſcepto oneri non ſufficiunt, alios, à quibus iuuari poſſint, aduocare, multò magis oblatos admittere.* Cùm Regulares ex inſtituti proprij præſcriptione adeunt Epiſcopos, vt ſeſe ruſticorum magiſtros offerant, debent eos gratiſſimis animis excipere. Nec enim facile ſermone quis diſertus æquabit huiuſmodi fructus miniſterij; ad quod equidem Præſules zelo ouium accenſi deberent Euangelicos miniſtros requirere non ſolum leuiter annuendo, ſed importunis (oportunis certè) precibus reuocando. 7. *Præſules non ſufficientes ſuſceptorum capturi, aut extractioni, ſocios aduocent, qui Miſſionum muneri incumbant.* Maldo.

§. II.

De Petri ſtupore, & prece; Domini autem prædictione.

QVod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Adorabundus ſimul, & precabundus in genua procidit. Cur autem à ſe vellet exire, expoſuit: *Quia homo peccator ſum.* Attamen ea ipſa cauſa poſtulare videbatur, vt eum potiùs apud ſe retineret, medicum ſcilicet ægrotus. Exiſtimo humilitatis fuiſſe, quòd ſe tanto hoſpite iudicaret indignum. Centurionem eodem loquutum affectu ſuper omnes Iſraëlitas Dominus collaudauit Matth. 8. Ambroſius, *Admirabatur Petrus dona diuina, & quò plus meruerat, hoc præſumebat minus. Dic & tu: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum: vt reſpondeat tibi Dominus: Noli timere indulgenti Domino peccatum fateri. Noli timere etiam quæ tua ſunt Domino deferre, quia quæ ſua ſunt vobis ille conceſſit.* 8. *Quare Petrus procidit, &c.* Ambro.

An ſimul Petrus timuerit, ne ſibi aliquod malum contingeret, quod Chriſtum, quem Deum aut virum certè ſanctum, Prophetamque eſſe credebat, ſuam in nauiculam exce- 9. *Timuit aliquid ſimul mali Petrus.*

piſſet? Euthymius aſſeruit. Quod quidem approbârim, Sareptanæ illius Viduæ memor, quæ cauſam cur puer ſuus mortuus eſſet, fuiſſe putabat, quod parum dignè Prophetam excepiſſet hoſpitio 3. Reg. 17. Caiet. *Timet a propinquitate tam ſancti viri.*

3. Reg. 17. Caietan.

10. *Stupore omnes corripiuntur ex inſolita piſcium captione.*

Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piſcium, quam ceperant. Circumdederat eum ſtupor, totum inuaſerat, totum impleuerat. An hoc dixit Euangeliſta, vt Petrum excuſaret, quòd tantum à ſe bonum reiicere voluiſſet? Ita planè. Non quòd humilitas eius laudanda non fuerit, ſed quod veroſimile non ſit eum dicturum fuiſſe Chriſto, vt à ſe abiret, ſi ſatis conſideraſſet, intellexiſſétque quanto ſibi eſſet vtilius, eum retinere, quam ablegare. Ne autem videretur Petrus ſine cauſa, magnique miraculi occaſione obſtupefactus, addit Euangeliſta, etiam omnes, qui cum eo erant, ſimili ſtupore fuiſſe correptos. Quàm inſolita piſcium captura, piſcatores tot rapiens in admirationem! *In captura piſcium.* Ideſt *propter capturam*, noto Hebraiſmo.

11. *Occaſio vocationis filiorum Zebedæi.*

Similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. De vocatione Iacobi & Ioannis egi Tom. 4. Solam hîc vocationis expono occaſionem. Quæ quidem in hiſce quatuor Apoſtolis Petro, Andreà, Iacobo, & Ioanne fuit captorum piſcium multitudo,

12. *Chriſtus reſpondet Petri cogitationi.*

Et ait ad Simonem Ieſus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. Et ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Cogitationibus Petri Chriſtus reſpondet. Timuerat ille, ne propterea quod homo peccator Chriſtum ſanctum recepiſſet, aliquod ſibi periculi eueniret? Aſſerit Chriſtus tantùm abeſſe, vt quidquam propterea mali ſit ei euenturum, vt maximum potius illi lucrum acceſſurum ſit. Nam ex piſcium captore, hominum ſit expiſcationi operam impenſurus, Caietanus aut legit, aut exponit, *Ex hoc iam, pro ex hoc nunc: ac ſi dixiſſet: Poſthac, homines eris capiens, pro viuos capiens. Et ſignificanter Ieſus vſus eſt vocabulo ſignificante capturam viuorum: quoniam ad vitam, & libertatem, non ad mortem, & ſeruitutem capturus erat homines Petrus. Piſces enim capiuntur ad mortem, & homines in bello capiuntur ad ſeruitutem: Ieſus autem miſit Petrum ad capiendos viuos homines, hoc eſt ad liberam vitam. Rectè quidem.* Sed neſcio, vnde addiderit, aut ſuppleuerit particulam *Viuos*, quæ minimè neceſſaria eſt *Eris*, inquit, *homines capiens.* Qui capiendis rete piſcibus muneri ſtudebas, iam capiendi homines miniſterio Eccleſiæ retibus incumbes. An Chriſtus Petro dicens: *Venite poſt me*, &c. dixit ſimul omnibus, qui cum illo erant: vel primum Petro ſoli, deinde Zebedæi Filijs? alibi expendi.

Caietan.

Non probatur ſententia hæc.

IN IESVM PELAGO

IMPERANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS SEXTVS

CIRCA LITERAM.

EX PISCIVM (E CHRISTO) MVLTITVDINE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam: rumpebatur autem rete eorum.

Chriſti verbo Petrus nitens, piſcium copioſam multitudinem extrahit.

Nunquam enim à ſua cecidit ſpe, qui promiſſioni Dei, infallibili quidem, adhæſit.

13. FECIT Petrus, quod dixerat: *In verbo tuo*, ſeu nitens tua promiſſione, *laxabo*, expandam retia ad infallibilem capturam. Non quidem inaniter, ingenti extracta piſcium multitudine. Qui Dei verbo nititur, à ſua nunquam fiducia decidit.

14. *Diffidendũ de hominum promiſſionibus, non de Dei veraciſſimis.* 1. Cor 10. Auguſt.

Paulus aiebat, *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Tentatio vos non apprehendat, niſi humana.* 1. Cor. 10. Vbi Auguſtinus lib. qq. noui Teſt. q. 52. *Tentatio hoc in loco idem eſt quod diffidentia*, hoc quidem ſenſu: Quando diffidendum vobis erit, de hominum promiſſione veſtra diffidentia ſit fallaci plerumque, quia *omnis homo mendax*: non de Chriſto, Deo & homine fideliſſimo promiſſorum obſeruatore.

15. *Veritas Dei implens promiſſa cum miſericordia magnitudine comparatur.*

Ideo Dauid cecinit, *Adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo, ſuper miſericordia tua, & veritate tua; quoniam magnificaſti ſuper omne Nomen ſanctum tuum.* Pſal. 137.

Pſal. 137. Angel.

Pſal. 137. Particulam, *Veritate tua* ſic expendit Angellius, *Laudabo te de veritate, quòd eloquium tuum ſupra omne nomen magnificaueris, & euexeris. Id eſt, omnia alia tua nomina, & laudes, quæ tibi iure debentur, & tribuuntur extuleris. At de fide promiſſorum tuorum, quòd ea fideliſſimè ſerues, magis quam de vllà alia laude celebrari volueris.* Copulauit Vates præcipuè miſericordiam & veritatem: *Super miſericordia tua & veritate tua*, vt oſtendat, Dei promiſſorum fidelitatem mirum in modum extendi, ſi cum ineffabili miſericordia (quæ ſuper omnia Dei opera euulgatur auguſtiùs) ſit colliganda.

16. Promiſit Deus mandatorum ſeruatores præmio afficiendos, ſupplicio autem feriendos tranſgreſſores. *Ego ſum Dominus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Perficiente autem ſermonem Domino, Textus adiicit, *Cunctus populus videbat voces.* Exod. 20. Quid viſui cum voce ad aures properante? Certè promiſſio Dei adeo fidelis eſt, vt dum exprimitur ore, iam populus videat quaſi datam executioni. Philo lib. de Migrat. Abrah. *Cum mortalium voces auditus ſenſu iudicentur, Dei promiſſa lucis modo videri ex diuinis oraculis diſcimus. Dicunt enim, quòd totus populus videbat vocem; quia non erat hic aër plectro linguæ percuſſus, ſed ſplendor virtutis lucidiſſimus à rationali fonte nihil differens.* Inibi Dominus, *Vos vidiſtis, quòd de cælo locutus ſum vobis.* Philo, *Non dixit, Audiſtis, ſed, Vidiſtis propter eandem cauſam.* Promiſſionis enim diuinæ vox cum executionis opere iam copulatur ab iis, qui fideliſſima Dei verba contemplantur.

Deus promiſſi ſtitiam videa executionem magis, quam verba exaudio.

Exo. 20.

Philo.

17 Cum Petro igitur in verbo Domini retia laxemus. *Bonus etenim Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Ier. In Deo plures ſperare dixit, vnicum autem Deum quærere. Quare? Quia cùm homines videant reliquos homines mendaces, minimè promiſſis ſtantes: tot rebus egentes, ad Deum ſperantes accurrunt, qui fallere non nouit. Bernardus ſerm. 9. in Pſal. 90. *Si quæritur ratio, cur plures ſint qui Deo fidentes, illi adhæreant ſperando, & ſe totos illi credendo: quam qui eum toto animo quærant: mihi ſanè ea videtur eſſe. Cum enim Deus fidelis ſit, & abſque vlla iniquitate, homines verò fallaces, nullam illis fidem adhibentes, ſe totos fideli, ac vero Deo credunt.*

Ad Deum fideliſſimum promiſſorum impletorem accurrimus, homines dum mendaces inuenimus.

Iere.

Bernar.

18. Abraham quidem *credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Gen. 15. Vbi Philo lib. de Abrah. *Credidit Deo. Id, vt dicto eſt breuiſſimum, ita facto maximum. Cui enim præter eum credendum eſt? Solum certum, firmúmque bonum eſt fides, quæ Deo creditur.* Illam particulam expende: *Ita facto maximum.* Quid fidei cum facto? Profectò fides verbo Dei nitens factum eſt: promiſſio poſſeſſio poteſt appellari. *Certum bonum eſt fides, quâ Deo creditur, vitæ ſolatium, bonæ ſpei ſupplementum, depulſiuum calamitatum, felicitatum conciliatiuum, ſuperſtitionis ablegatio, pietatis aſſertio, proſperitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus.* Si Deus omnia hæc promiſit, exiſtima te hæc iam omnia poſſidere: *Facto maximum.*

Credere in Dei verba, factum eſt, exemum eſt.

Gen. 15.

Philo.

Denique Dauid *Vt ponant in Deo ſpem ſuam; ne fiant ſicut patres eorum.* Pſal. 77. Parentes ſeculi promiſſionibus hærentes perierunt? In Deo vnicè mea ſpes collocanda. Bernardus citat. *Tu es Domine, ſpes mea, hæc mihi vna omnium promiſſionum cauſa. Sperent ut alij alij, fortè hic in ſcientia literarum; hic in aſtutia ſeculi; ille in nobilitate; ille in dignitate, ſperet qui vult in incerto diuitiarum: in te ego ſperabo. Vt quid, ſi hæc ſapimus, cunctamur abijcere omninò ſpes miſeras, vanas, inutiles, seductorias: & huic vni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei totâ deuotione animi, toto feruore ſpiritûs inhærere?* 19.

Solius Domini verbis innitendum.

Pſal. 77.

Bernard.

Observatio II.

Ad illa verba:

Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Ieſu, &c. Et dixit Dominus ad Simonem: Ex hoc iam homines eris capiens.

Petrus humilitate egregius aptè ad Præſulatum à Dömino aduocatur.

Debet enim Princeps non minoribus ſubditis, ſed ſibi quaſi æqualibus leges, ſeu imperia præſcribere.

EX hoc (inquit Dominus) *iam eris homines capiens.* Ex hoc videlicet actu ſubmiſſionis, quo ſcis te hominem 20.
peccatorem profiteri: *Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum.* Quàm aptus ad regimen, qui ſe hominibus imperans agnoſcit non Deum, ſed hominem imperantem!

Videbat Simon Deum, apud quem adeſt dominium, humiliari ad ſcapham aſcendentem. Prouoluitur meritò ad pedes Ieſu. Aptè autem Dominus illum ad præſulatum aſſumit, vt ſeculares, imo Eccleſiæ Principes taxet, qui habente Dominium Ieſu humiliato, habentes ipſi miniſterium ſuperbè ſe gerunt. Ait Sapiens, *Rectorem te poſuerunt? Noli extolli! eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis.* Ecli. 32. Homo es homines regens vnus ex illis miniſterium accipiens ab eo qui Dominium obtinet, eſto Princeps. An non Dominus *humiliauit ſemetipſum formam ſerui accipiens?* Vt dominetur ſeruis, ſerui accipit formam. Auguſtinus ad Phil. 2. *Peruerſitas eſt magna, quod ſuperbiat, qui ſolum habet miniſterium, cum humiliari videas eum, qui habet Dominium.* 21.

Petrus vidit Deum, (apud quem dominium) humiliari, ſubmittitur, in Præſulem meritò aſſumendus.

Ecli. 32.

Auguſt.

Hinc Dauid aſſumptus ad Regnum Iſraël. *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.* Pſalm. 130. Cor hominis adhuc gero, non eſt ad intelligentiarum mentem immutatum, aut Deitatis adductum ad 22.

Dauid ad Regnum aſſumptus humilitatis ſtudebat aſſeclui.

Pſal. 130. Ieie. 1.

verticem. Oculis humanis reſpicio vigilantibus vtique, ſed virgæ adhuc fragili hærentibus: *Virgam vigilantem ego video.* ſerm. 1. Vnus igitur ex ipſis, quos mihi regendos tradidiſti ſum Domine. *Conſideremus aſſiduè,* (ait lib. 16. Mor.) *quòd ſumus æqualiter cum cæteris conditi, non quòd temporaliter cæteris prælati. Poteſtas enim quantò exterius eminet, tantò premi interiùs debet. Bene Dauid Regni potentiam regere nouerat, qui elationem eiuſdem potentiæ, ſemetipſum premendo, vincebat dicens, Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.* Alios recturus ſemetipſum priùs comprimat, id humiliando, quod ex humanæ naturæ fragilitate ad eleuatiorem naturam auolare præſenſerit. Adiicit ideo Rex, *Neque ambulaui in magnis, nec in mirabilibus ſuper me.* Ibid. *Adhuc ſubtiliſſima* (addit Doctor) *ſemetipſum inquiſitione diſcutit, omneſque etiam cogitationes ſuas à fundo cordis exhaurit:* Homo ſum. *Vicina eſſe ſuperbia potentibus ſolet, & penè ſemper rebus affluentibus elatio ſociatur. Mirum valdè eſt, cùm in cordibus ſublimium regnat humilitas.*

Gregor.

Pſal. 130. Gregor.

23\. *Hominibus ſubditis Rex homo æquiparatur.* Pſal. 130 Zeno.

23\. Pergit Regius Vates, *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam.* Pſal. 130. Alij legunt, *Si non æquiparaui, adæquaui,* ſeu, Si non æqualem me ſubditis reputaui, & exhibui. Paſtor eram in domo Eſai; Paſtor Iſraëlis thronum aſcendi. Elegans do Zenonis teſtimonium in præſenti, *Dauid humilis, abiectus, ignobilis, iacebat in domo patris ſui oues ſemper paſcendo. Placuit Deo vnctus in Regem, inſpiratus in Vatem. Non inſoleſcit in Regno, obumbrauit neminem Propheta terrore, iniurias ſuas non exequitur Regiâ poteſtate, odientes ſe diligit, inimicis parcit, parricidalibus filijs ignoſcit. Inuerſo grauis officio Deo, Dei munus retinendo placiturus, Rex manſuetus, pater pius, Propheta modeſtus, magnis ac mirabilibus ſeculi non immutatur: mitem, humilémque retinet vbique Paſtorem.*

24\. *Eligitur Dauid in Regem, quia pronolui ſeruit.* 2 Reg 24.

24\. Imò ideo à Domino, Populi eſt electus in Regem, proclamante Saule, *Nunc ſcio certiſſimè, quòd regnaturus ſis in Iſraël.* 2. Reg. 24. Quonam ad huiuſmodi certitudinem niteris argumento? Te iunctum Regem humilitatis aduerti cultorem. *Et egreſſus adorauit Regem prono vultu in terram.* Iacob à Deo electus in Principem, libenter fratri ceſſit, & ad ſeruiendum Labano Dominus properauit. Quàm meritò à Deo electus ad imperium: humilitas enim dominatûs inſigne. Adnotauit Zeno ad illud Gen. 28. ſerm. de Patien. *Dat Iacob iracundiæ locum ſecurus, humiliſque diſcedit, vt probet ſe meruiſſe, & non ambiiſſe, quod meruit.* Dominatio-ne, an miniſterium Præſulatus? Certè eſt miniſterium. Ergo ſupercilia demittenda. Seneca Tragi. in Thyeſ.

Zeno.

Principibus adiuta ſubmiſſio, quia non habet dominium, ſed miniſterium. Senec.

Vos, quibus Rector maris, atque terræ
Ius dedit magnum necis, atque vitæ,
Ponite inflatos, tumidóſque vultus.
Quidquid a vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis Dominus minatur.

Quid ſuperbiat, qui miniſterium poteſtatis accepit ab eo, penes quem Dominium poteſtatis, cui ratio reddenda muneris? *Ponite inflatos vultus.* Petrus procidit ad genua Ieſu, ſe hominem profitetur? Ex hoc eris iam homines capiens. Nunc ſcio certiſſime, quòd regnaturus ſis in Iſraël, quòd Eccleſiæ aſſumeris in Principem.

Observatio III.

Ad illa verba:

Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum.

Diſtulit Chriſtus piſcium capturam, vt dilata dona pluris æſtimarentur, & grato exciperentur animo.

Deſideria enim dilata animum reddunt cæleſtium munerum capaciorem.

CVR Petrus totius noctis inſtantiâ laborans, nihil ceperat? Certè, quia quò ampliùs cœleſte munus differebatur, 25.
eò capaciori corde erat recipiendum. Agnito enim mundiali inutili labore, conſtat Simoni Deum fontem bonorum, cui gratitudinis ſubderentur affectus.

26\. *Differtur Ieſu ad amicū Lazarum profectio, vt capaciores redderentur maioris muneris ex dilatione, ſorores.* Ioa. 11.

26\. Lazari ægritudinem Chriſtus agnoſcens, poſt dies Diſcipulis profatur: *Lazarus amicus noſter dormit.* Textus illam clauſulam perpendo: *Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.* Ioan. 11. τὸ *Vt ergo audiuit,* preme. An apta conſequentia promiſſâ ſpecialiſſimâ dilectione, duobus illum diebus fuiſſe commoratum, poſt agnitum dilecti languorem? Si diligit, cur moris vſus eſt? Parum erat tanto amatori dilectum donare valetudine ægrotum, niſi mortuum reſurrectione donaret. Sororibus dilectis fratrem è mortuis reſurgentem, auguſtiori beneficio, tradere curabat. Chryſologus ſerm. 63. *Chriſtus, cui plus eſt mortem vincere, quam remouere languorem, cuius amare illud eſt, non vt dilectum alleuet, ſed ab inferis vt reducat: dilecto non languoris medicinam, ſed reſurrectionis gloriam mox parauit.* Vt igitur præſtantiſſimum beneficium capaciori corde exciperetur, diſtulit effectum, deſiderio quidem animum præparaturo.

Chryſol.

27\. *Differtur Mariæ quærentis Ieſu cadauer inuentio, vt deſideria dilata caperent munus præſtantiſſimum.* Ioa. 20.

27\. Sepulchro amandato Saluatoris cadauere, *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans, dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum.* Porrò ante Petri, & Ioannis acceſſum iam Maria Domini corpus inungendum quæſierat. *Maria Magdalena venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum à monumento.* Ioan. 20. Cur tot deſideriis ſeſe Dominus denegauit? An non vt deſideria creſcentia capacius redderent pectus ad tantum munus excipiendum? Ita planè. Si cadauer tradendum amanti fuiſſet, illicò inuentum eſſet. At quia

reſurgens

reſurgens dilectus committendus erat amatæ, oportebat ex dilatione muneris capaciùs reddi cor ad exceptionem. Pulchrè Gregorius hom.25. in Euang. *Quæſiuit prius, & minime inuenit, perſeuerauit, vt quæreret; vnde contigit, vt inueniret. Actúmque eſt, vt deſideria dilata creſcerent, & creſcentia caperent, quod inueniſſent.* (Gregor.)

28\. *Differtur Deiparæ aſſumptio, vt merita cumularentur vberioriſque gloria, ex deſiderijs capax redderetur.* Quæſtionem excitat Amedæus hom. de Aſſumpt. Virg. *Cur aſcendente in cœlos Domino, Mater eius, quæ tanto eum amplectebatur affectu, non ſtatim ſequuta eſt?* Enoch in cordis munditia cum Deo ambulauit, & non apparuit quia tranſtulit illum Deus. Elias charitatis nimio igne ſuccenſus curru igneo, ac igneis equis præreptus traditur. *Maria vero excedens Enoch cordis munditiâ, & amoris prærogatiuâ maior Eliâ, quare cum illo, quem genuit, non illico in cœlum efferebatur?* (Amedæ.) Profectò gloria Virginis ex meritorum multiplicatione adeo debebat increſcere, vt tot deſideriorum Deipara fouere affectus deberet, vt creſcentia caperent, quod reciperent. Reſpondet ſic Amedæo Laurentius Iuſtin. ſer. de Aſſumpt. (Iuſtin.) *Satis* (ait Dominus) *vota tua diſtuli, ſatis te a Regno meo abeſſe permiſi, non vt te negligerem, nec vt vota tua contemnerem: ſed vt cumularem merita, & ad gloriam affectum accenderem.* Vt ſcilicet caperet, quod acciperet. *Petro diſcurſus aponitur.* Tanta piſcium gerenda dante Chriſto, captura, tanta Præſuli ſummo committenda erat hominum expiſcatio, vt oporteret illum totius ſecularis noctis inſtantia vacuum oſtentari. Nihil ceperat Petrus diuturnâ piſcatione, nihil ſuis in manibus diuitiarum inuenerat, vt tanta vacuitas præcordia ad exceptionem tanti muneris præpararet.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.

Iuſtè timet Petrus mali alicuius irruptionem ſe peccatorem agnoſcens, in conſpectu Domini ſanctiſſimi commorantem.

Sæpe enim probi ſocietas improbo eſt exitialis, ipſius planè nequitia.

29\. (Euth.) DIximus ex Euthymio Petrum timuiſſe, ſe agnoſcentem peccatorem, ne crimina eius in conſpectu ſanctiſſimi Domini fœdius apparerent, vnde graui incommodo afficeretur. Quod quidem argumentum per tranſenam probatum, Sarephtanæ Viduæ clamore vberius confirmabo.

30\. *Ægypty exitio dantur ex Hebræorum ſocietate fidelium.* Exod.14. Chriſti Domini ad ſcapham Simonis aſcenſus pelago Galilææ, me ad memoriam Rubri maris adducit, vbi Pharaonis currus periere, ad ripam properantibus Hebræis. *Perſequentes Ægypty ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris. Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebantúrque in profundum.* Exod.14. Vtrumque agmen venter ſicci pelagi excipiebat. Tunc Dominus *Interfecit exercitum eorum.* Chaldæus, *conturbauit exercitus.* (Chald.) Non diu improbi colligati cum iuſtis fuere. Deus enim videns iniquos probis adhæreſcere, eos conturbauit, vt à iuſtis ablegarentur. Lipomanus, *currus impliciti ſunt, & qui ſuper illos erant, excutiebantur.* (Lipom.) A iuſtis ſcilicet, relatis eorum criminibus ad aſpectum ex fidelium ſocietate. Apud Ægyptum quotnam flagellis miſeri Gentiles vulnerati ſunt, dum immixti probis degerent? Poſt abſtractionem fidelis populi quieuere At rurſum Hebræis colligari intendentes, priſtina crimina rememorantur in exitium. *Et qui ſuper illos erant, excutiebantur.*

31\. *Excutit Deus terram, vt ſeparet paleas à tritico, improbos nempè à probis.* Iob 38. An non Iob conteſtatur? *Tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex ea.* Cap.38. Cribro triticum & paleas immitte, huc atque illuc concutis, vt paleas à frumento diuidere poſſis, paleis vento traditis, vt euaneſcant. Vndenam paleis leuibus nocumentum? Certè quia frumento copulabantur. Deus igitur, vt liberet electorum triticum à palearum ſeu iniquorum ſocietate exitiali, cribro committit, vt frumentum ſeruetur incolume palearum comminutione. Philippus Abbas inibi. (Philip.) *Præ magnitudine virtutis ſuæ Deus vtraque manu tenens margines terræ quaſi cribro huc, atque illuc concutit, ſiue excutit: vt impios velut paleas, & lolium excutiat à frumento iuſtorum.*

32\. *Incommoda zizaniorum è ſocietate tritici: palearum ex ipſius commixtione.* Hieremiæ ex ore Dominus, *quid paleis ad triticum?* Cap.23. Chaldæus, ſicut paleam à tritico, ſic ſeparo iuſtos ab impiis, dicit Dominus. Vix zizaniorum germen inter triticum apparet, cùm agricolæ operam impendunt extirpationi: *Vis imus, & colligimús ea?* Et ni benigniſſimus Dominus miniſtros retardâſſet, vt triticum improbâ ſocietate exerceretur, penitus periiſſent, rurſum agricolâ inclamante: *Ecce mandabo ego, & concutiam in omnibus Gentibus domum Iſrael, ſicut triticum concutitur in cribro.* Amos 9. Ad quæ Hieronym. (Hieron. Amos 9. Hieron.) *Deus, qui menſus eſt aquas manu, pro magnitudine ſua vtraque manu tenens margines terræ, quaſi cribrum huc, illucque concutiet, vt paleis, ac ſordibus (peccatoribus) in terram cadentibus, purum frumentum remaneat, quod in horrea condatur.* Non igitur Petrus incongruè expaueſcit, ſe peccatorem agnoſcens, dum propriâ nauiculâ ſanctorum Dominus commoratur.

Observatio V.

Ad illa verba:

Ex hoc eris iam homines capiens.

Nauis Eccleſiæ Petro ad expiſcationem hominum à Domino traditur.

Edocet Petrus Gubernator, quonammodo fidelis nauicula pelagi ſecularis pericula vitare valeat.

33. GALILÆÆ ſtagnum relinque, ad mundiale pelagus, ó Petre, tranſitus agendus, vt omnium Eccleſiarum naues regas, hominúmque des operam expiſcationi, vtroque pelago immiſſo rete.

34. *Cunctæ Eccleſiæ naues Petro traditæ, vt ex vtroque pelago piſces extrahat.*

Duæ in præſenti Simoni traduntur nauiculæ piſcibus implendæ. Nec enim vna Præſuli ſummo Eccleſia, ſed cunctæ committuntur. Alij Apoſtoli vni aut alteri Eccleſiæ præficiuntur, Petrus autem omnibus: nec ſolùm à mundiali pelago viuos extrahit piſces, ſed & à Purgatorij ſtagno ad æternæ felicitatis ripam Apoſtolico rete adducit. Ideo Dominus, *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.* Quia *tibi dabo claues Regni cœlorum.* Mat. 16. τὸ *In cœlis,* & *cœlorum* preme. Cunctis Apoſtolis vnius Eccleſiæ clauis tradita, vnius cœli: Petro cœlorum, Eccleſiarum, ſeculi nempe vtriuſque potens piſces è pelago extrahere. Origenes hom. 6. in Matth. *Non modica differentia eſt, quòd Petro datæ ſunt claues non vnius cœli, ſed multorum cœlorum: vt quæcunque ligauerit ſuper terram, ſciant ligata non tantùm in vno cœlo, ſed in omnibus cœlis. Ad eos autem qui multi ſunt ligatores* (aut piſcatores) *& ſolutores in terra, ſic dixit: vt ſoluant, vel alligent non in cœlis ſicut Petrus; ſed in vno cœlo, quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alligent, & ſoluant in omnibus cœlis.*

Math. 16.

Orige.

35. *Extrahens Petrus vnam nauim Romã cunctas trahit ſcaphas, ſeu Vrbes.*

Baſil.

Cunctæ naues Petro ſubiiciuntur, quia Romanæ Eccleſiæ naui auguſtiſſimæ cunctæ parent ſcaphæ. Vidiſti omnes mundi vrbes Romæ errores ſequutas quemadmodum cymbas alligatas magna nauis attrahit? Aiebat Baſilius orat. in D. Gordium. *Gordius, ſpretis omnibus, vrbanos fugit tumultus, fori clamorem, Magiſtratuum ambitionem, tribunalium faſtum, quibus magnæ Vrbes repletæ ſunt, multóſque ſecum tanquam naues alligatas puppibus cymbas per æquora trahunt,* Roma equidem ſecum totius Orbis Vrbes attraxit ad errorem. At Petrus à Domino Romam ſecularem, Ethnicam accipiens Chriſtianam effecit, itaque ei Vrbes omnes veluti cymbas alligatas ad veritatis curſum adduxit, daturus operam hominum capturæ.

36. *Edocet naues Petrus summo opere ſaturitatem, ſeu ingluuiei ſubmergi.*

Baſil.

Naues cunctas Petrus ſummus Gubernator inſtruxit, ne æquore perirent, ſed feliciter ad portum properarent. Nauiculæ hodie piſcium multitudine plenæ penè mergebantur: Hæc philoſophia Romam edocuit, reliquaſque ſibi naues commiſſas ab adnata ingluuie abſtinere. Baſilius ad cap. 2. Iſai. *Naues onere immodico degrauatæ ad portum multo cum negotio prouehuntur, ac facilè ſubeunt naufragium. Paris ratione corpora multa, ac redundanti alimonia in imam voraginem perditionis natando immerguntur.* Bacchi cultus Petri ſtudio facilè fuit ab Vrbe Orbéque ablegatus.

37. *Edocet mundialem gloriam nauis emulatricem.*

Sap 5.

Hildeb.

Edocuit præterea mundialis faſtus gloriam nauis imitatricem. *Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non eſt veſtigium reperire.* Sap. 5. Priſtinæ Romæ felicitatis ethnicæ reliquum-ne veſtigium? Quàm cunctæ mundiales gloriæ nauis curſui aſſimilantur! Hildebertus Epiſt. 56. *Bona vaga, bona pennata ſunt hæc omnia. Eorum eſt, nuſquam eſſe diutius, eorum ſtatus nemini ſtatum præfigere certiorem.* Quilibet certè Orbis ſtatus verbis fugacior, naui leuior.

38. *Edocet, non eſſe nauibus apud pelagus immorandũ.*

Pſal. 103.

Baſil.

Petrus naues ſuſcipit non vt apud pelagus conſtituat ſtabiles, ſed vt ad portum pergentes adducat. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis, illic naues pertranſibunt.* Pſal. 103. Pertranſibunt vtique illic naues, non morabuntur, non habitacula ſortientur. Baſilius citat. *Quæ mare permeant naues, non moram trahunt in eo, neque immerguntur vndarum æſtu, vndique commendabiles ſunt. Et qui in carne degunt calcantes huius vitæ æſtuoſos fluctus & vndas ipſi ſuperiores effecti, faciunt operationes in aquis multis.* Dummodò planè haud moram in pelago trahant.

39. *Edocet, naues Chriſto hærentes tempeſtatibus minimè ſubiacere.*

Iſai. 26.

Ambroſ.

Edocet denique Chriſtum excipiens, cunctas naues eſſe Domini poſſeſſionem, vnde à procellis ſunt liberandæ. Nunquam enim Dei poſſeſſio poterit deperire. Iuxta L X X. lectionem. *Domine Deus noſter, poſſide nos.* cap. 26. Poſſide inquam, vt à procellis liberemur. Ambroſius lib. 2. de Abel, cap. 3. *Ipſe nos facit adhærere Deo, de ipſo ſalutem ſperare, fugere terrena negotia, in Dei poſſeſſione numerari. Ea eſt enim ſola poſſeſſio, quæ nullis obnoxia tempeſtatibus perpetua gratiæ fructus ferat.* Ipſe *nos facit,* &c. An Chriſtus, vel Petrus quidem Vicarius Chriſti, cui cunctas naues commiſit Eccleſiæ, nos edocet Domino hæreſcere ad procellarum ablegationem.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

TEMPLI PROPHANATORES VAPVLANT, CLAVDI SANANTVR.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput vigeſimumprimum Matthæi.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum Templi propugnatorem.

PROLVSIO.

TEMPLI Chriſtus limina tèrens prophanarores vulnerat *Vitalis li-*
vapulantes quidem, ſed minimè oblarranres. Dum au- *gni Chriſti* Admirabi-
rem iuſtitia deſæuir in hoſtes, cæcos & claudos conuenit. lis, *ſiue mi-*
miſeratio, vtrobique Deitate mirabili. Hos ſanat, quia *racula ge-*
rentis,
illos percutir. Hieronymus, Non meruiſſenr ſanari cæci & claudi, niſi FRVCTVS
menſis nummulariorum ſubuerſis: ac ſi quodammodo apud Delubra SECVNDVS.
quorumdam iniquitas piis ſir exirialis. Adiicir Matrhæus, *Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit.* Quænam? Hieronymus, *Plerique dicunt, hæc mirabilia eſſe vitam Lazari, cæcorum illuminationem. Mihi verò inter omnia mirabilia hoc videtur mirabilius, quòd vnus homo, ſcribis ſæuientibus, (vt qui viderent ſibi ſua lucra perire) ad vnius flagelli verbera tantam eijciat turbam, menſas euertat, cathedras deturbet, & alia, quæ vix vnus præſtaret exercitus. Igneum quippe & ſydereum in oculis eius radiabat, & Diuinitatis maieſtas elucebat in facie.* Sic Doctor. Hieron.

MATTHÆVS Cap. XXI.

VERS. 10. ET cùm intraſſet IESVS Ieroſoly-

PARAPHRASIS.

10. *NOVA pompa, ſcilicet iumento vectus cùm Ieſus eſſet ingreſſus Ieroſolymam, ſpectaculo*

mam, commota eſt vniuerſa Ciuitas, dicens: Quis eſt hic?

ſtaculo inſolito vniuerſa Ciuitas commouetur, dicens vtique. Quiſnam hic?

11. Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ.

11. *Turbæ autem, quæ illum comitabantur, reſpondebant: Hic eſt Ieſus Propheta in Ciuitate Galilææ, Nazareth â exortus.*

12. Et intrauit Ieſus in Templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.

12. *Huiuſmodi ſtrepitu, ſeu acclamatione Ieſus Templum ingreſſus eſt. Qui autem Regiam dignitatem oſtentârat, Regium munus cœpit exercere Delubro pius. Nam cùm vidiſſet in Templo mercatus, ac fori ſpeciem: alios vendentes, alios ementes, aſsidentes nummularios: Ieſus rei commotus indignitate, omnes vendentes, & ementes è Templo vnà cum mercibus exturbauit.*

13. Et dixit eis: ſcriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

13. *Indignationis ſuæ iuſtam cauſam ex Iſaia profert, qui ſub perſona Numinis ait: Domus mea domus precationis vocabitur, vos autem feciſtis eam latronum ſpecum. Tunc enim Templum immolandis Deo victimis ſacratum vertitur in latronum ſpeluncam, cum prætextu religionis populus ſpoliatur.*

14. Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in Templo: & ſanauit eos.

14. *Tunc ad Ieſum cæci & claudi in Templo acceſſerunt, quos lex arcebat ab ingreſſu Delubri. At Templum Ieſu omnes recipit, qui quæſituri properant ſanitatem. cæci vident Ieſum, claudi ſequentes ipſum, ad Regnum accurrunt.*

15. Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid: indignati ſunt:

15. *Primores Sacerdotum, & Scribæ non, vt oportebat, reſipiſcunt: ſed magis inuidiâ exardeſcunt, & dum vident tantis ſtudijs populum applaudentem: præſentem vim in claudis & cæcis ſanandis, in eijciendis mercimonijs authoritatem, pueros conclamantes: Hoſanna filio Dauid, ferunt impatienter.*

16. Et dixerunt ei: Audis, quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis: Vtique, nunquam legiſtis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem?

16. *Submonent Dominum, vti eum compeſceret clamorem. Irâ, ac inuidiâ temulenti profantur: Audis, quid iſti dicunt? At Ieſus ſacra pagina teſtimonio illis os obturaturus, Nunquam, inquit, legiſtis, Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? Vultis occludam ora quæ Deus ad gloriam ſuam efferendam aperuit? Si iſti obticerent, acclamarent Authorem lapides hi, quibus vos eſtis duriores.*

17. Et relictis illis, abiit foras extra Ciuitatem, in Bethaniam, ibique manſit.

17. *His igitur, ex liuore quaſi ſalutis deſperata, relictis, abijt Ieſus, & egreſſus Ieroſolymam, Bethaniam petijt, atque inibi commoratus eſt, exceptus quidem à pijs cum irrideretur, qui cum Rex acclamabatur apud impios non inuenit hoſpitium.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Templi vapulat contemptus.

TEXTVS.

VERS. 10. ET cùm intraſſet Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa Ciuitas, dicens: Quis eſt hic? 11. Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ. 12. Et intrauit Ieſus in Templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. 13. Et dicit eis: ſcriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Ieroſolymæ commotione.

1. *Quanam commotio & vndenam?* Hieron. ET *cùm intraſſet Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa Ciuitas.* Aſello vectus Dominus turbæ plauſu, & acclamatione Ieroſolymam eſt ingreſſus, vniuerſâ commotâ Ciuitate. Quænam illa commotio, & vndenam exorta eſt? Hieronymus exiſtimat admiratione totam commotam Ciuitatem. *Tota Ciuitas commouetur, mirans frequentiam, neſciens veritatem.* D. Thomas, Caietanus, aliique plures conteſtantur. Lyranus putat Ciuitate Sacerdotum Principes, alióſque optimates ſignificari: quæ quidem Ciuitas commota eſt indignatione, *Commoti ſunt Principes Ciuitatis irâ, atque indignatione propter honorem Ieſu exhibitum.* Hilarius autem *Rerum omnium nouitas motum attonitis afferens.*

Thom. Caiet. Ianſen. Lyran. Hilar.

2. *Authoris ſententia.* Aſſero totam commotam fuiſſe Ciuitatem, quia tota ad ſpectaculum omnium oculis digniſſimum confluxit; quod celerrima in pompa aſſolet euenire. Non abneg ſimul turbatam *illo tumultu acclamationum* vti notat Euthymius) nouus enim tumultus repentina inſolita acclamatio potuit metu eis afficere. Miraberis Romanos milites non curriſſe, audientes Chriſtum Iſraëlitas Regem appellari, fauſtiſque à populo acclamatiobus excipi. Sed Chriſti potentia hoſtes infrænabantur.

3. *An ex contemptu prolata verba?* Lyran. *Dicens: Quis eſt hic?* Quonam hæc expreſſa affectu interrogatio? Lyranus per contemptum dicta verba exiſtiat. Simile illud: *Pauper loquutus eſt: Quis eſt hic?* Eccli. 13. Aptiùs cum aliis abſque contemptu affirmo eſſe prolata. Quis eſt hic, tanto honore exceptus? Ad ſpectaculum enim nondum videntes, & agnoſcentes Dominum confluebant.

4. *Conſequenter Prophetã appellãt, quē Meſſiam Regem appellarant.* Hieron. *Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ.* Regem appellauerant, & Meſſiam, nunc Prophetam etiam eſſe teſtantur. & ciuibus Ieroſomitanis indicant, turba curioribus reſpondet. *Propheta* Græcè articulum habet. Vnde Hieronymus de Propheta illo Deuter. 18. promiſſo locum intellexit. Quare qui Meſſiam acclamarant Regémque Iſraëliticum, conſequenter Prophetam illum eſſe aſſerebant.

Eſib. & Mendan Euar. de Temp. T.J.

§. II.

De Ingreſſu in Templum.

ET *intrauit Ieſus in Templum Dei.* Probat planè Ieſus ſe Regem Iſraël ac Meſſiam dum in Templum Domum Dei venit, Regiáque authoritate Templi prophanatores flagellauit. Regium etenim Delubrorum immunitati prouidere. Caietanus, *Vbi terminauit celebritatem ſui aduentus, & in Templum ingreditur*, &c. Regem me prædicatis, Regiæ adhuc dignitatis meæ egregium obiiciam documentum. 5. *Se Regem probat, Templi immunitati prouidens.* Caiet.

Quæritur, an illâ ipsâ die quâ vectus aſello Ieroſolymam eſt ingreſſus, è Templo negotiatores deturbârit, an alia? Dubitandi ratio ex Marco deſumitur de die pompæ ſic ſcribente: *Et introiuit Ieroſolymam in Templum*, nihilque actum adiicit in Delubro. At de die alia hæc ſubiicit. *Et veniunt Ieroſolymam, & cùm introiſſet in Templum, cœpit eiicere vendentes, & ementes in Templo.* At Matthæus eadem die eiectos Templi ſignat prophanatores, *Et intrauit Ieſus in Templum Dei*, &c. Auguſtinus lib. 2. de Conſ. cap. 68. reſpondet illâ ipsâ die, qua cum pompa Ciuitatem, & Templum eſſe ingreſſum, vbi violatores flagellauit. Sic Marco reſpondet, *Et veniunt Ieroſolymam. Per recapitulationem, & repetitionem. Venturi inquam prima die, qua nunc Dominica eſt; & cùm introiſſet in Templum cœpit eiicere vendentes.* Recapitulatione itaque Marcus vſus id quod primâ die factum fuerat poſtea ſcripſit. *Non enim* (ait ille) *admodum neceſſarius eſt ordo dierum in rebus geſtis narrandis.* ſubſcribo. 6. *Num illa ipſa die, qua ingreſſus in Vrbem, prophanatores punierit* Mat. 11. Auguſt.

Ianſenius autem è regione opinatur vendentes è Templo die ſecundâ deturbatos, vt docet Marcus, Matthæum vero anticipatione vſum. Caietanus denique veroſimile arbitratur Chriſtum bis expuliſſe ex templo nundinantes, ſemel 7. *Reyciuntur alia expoſitiones.* Ianſen. Caietan.

die prima, iterum ſecunda die. Melius autem Matthæum noſtrum exponens ait, *ſecundo nunc eiicit, quia non ſe correxerunt eiecti iterum biennio ante.* Non die proximè elapſo, *ſed biennio ante.* Bis quidem Dominus è Templo vendentes, & ementes expulit, ſemel poſt Baptiſmum, & miraculum aquæ in merum mutatæ, iterum paucis ante patibulum diebus.

8. *Chriſtus docet primùm ad Templum filijs nobis accurrendum eſſe.* Caiet. Hugo. Imperf.

Et intrauit Ieſus in Templum Dei. Caietanus. *Non iuit ad plateam, aut arcem, ſed ad Templum Dei terminat celebrem aduentum.* Vt Deo adſcribat celebritatem. Hugo Card. *Dedit formam Religioſis, vt priùs introeant Templum.* Imperfectus. *Hoc erat proprium boni filij, vt & veniens ad domum curreret Patris, & illi honorem redderet, qui genuit. Et tu imitator Chriſti factus, cum aliquam ingreſſus fueris ciuitatem, primùm ante omnem actum ad Eccleſiam curre.*

9. *Atria Templum vocantur.* Caiet.

In Templum. Nundinatores illi in atriis Templi, quæ nomine etiam Templi ſignificabantur, vendidiſſe, & emiſſe Maldonatus, Barradius, & Cornelius admonent, Caietano fante: *Templi nomine intellige atria Templi, in qua licebat Iudæis non ſacerdotibus ingredi, in quibus morabantur orantes Deum. In ipſum enim Templum non erat fas ingredi niſi Sacerdotibus.*

§. III.

Templi Prophanatores flagellantur.

10. *Vndenam vendentes, ementes, & nummularii apud delubrum?* Hieron.

ET eiiciebat omnes ementes, & vendentes in Templo. Hieronymi ſententiam tranſcribens locum interpretabor. *Primo ſciendum, quod iuxta mandata legis, auguſtiſſimo in toto Orbe Domini Templo, & de cunctis penè Religionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hoſtiæ maximè feſtis diebus, taurorum, arietum, hircorum: pauperibus, ne abſque ſacrificio eſſent, pullos columbarum, & turtures offerentibus: accidebat plerumque, vt qui de longe venerant, non haberent victimas: excogitauerunt itaque Sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia quibus opus erat ad ſacrificia, vendebant: vt & venderent non habentibus, & ipſi rurſus empta ſuſciperent. Hanc ſtropham eorum crebræ venientium inopia diſſipabat, qui indigebant ſumptibus, & non ſolùm hoſtias non habebant, ſed ne vnde emerent quidem aues, & vilia munuſcula. Poſuerunt itaque & nummularios, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege præceptum, vt nemo vſuras acciperet, & prodeſſe non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet, & interdum ſortem perderet, excogitauerunt & aliam technam, vt pro nummulariis colybiſtas facerent, cuius verbi proprietatem latina lingua non exprimit. Colyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuſcula, verbi gratia frixi ciceris, vuarúmque paſſarum, & poma diuerſi generis. Igitur quia vſuras accipere non poterant colybiſtæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro vſuris accipiebant varias ſpecies: vt quod nummo non licebat, in iis rebus exigerent, quæ nummis coemuntur.* Omnia approbo. Sed Doctoris tanti veniâ dubito, num illa fuerit conſuetudo à Sacerdotibus introducta? Potuit equidem ab ipſis offerentibus paulatim introduci, Sacerdotibus non repugnantibus.

Eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. De Templo, id eſt, de Templi atriis nundinatores deturbauit. *Nec ſolùm* (ait Caietanus) *contra homines vendentes, & ementes, ſed & contra inanimatas res præparatas ibidem ad ſeruitium negotiorum vindictam exercet.* 11. *Contra inanima atque amotiuà inſtrumenta deſæuit Dominus.* Caiet.

Et cathedras vendentium columbas euertit. Ambroſius ad cap. 19. Luc. putat abſurdum columbarum venditores tanquam Doctores legis cathedras habuiſſe. Vnde ad myſticum accurrens ſenſum aſſerit venditores columbarum Epiſcopos eſſe, qui dona Spiritus ſancti pecuniæ vendunt. Hunc quidem Ambroſium reliquoſque antiquos ſecutus interpretes approbo, ſed literalem retinens ſenſum. Credo enim venditores columbarum in quibus ſederent, cathedras habuiſſe: non quales legis Doctores, ſed quales huiuſmodi rerum venditores in foro aſſolent habere. In nummulariis etiam cathedras occupantibus non has, ſed menſas euerſas memorauit, quod præcipuum, & maius erat, ſuppreſſo, quod minus. 12. *Quanam venditorum columbas cathedras.* Ambr.

Quonammodo nummularij, & reliquum hominum genus auariſſimum Chriſto non reſtitit? Reſpondet Hieronymus. *Mihi inter omnia ſigna quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt poſtea crucifigeretur: Scribis, & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & videntibus lucra ſua deſpici, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, menſaſque ſubuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non faceret exercitus.* 13. *Mirum maximum, auaros homines in Chriſtum non inſurrexiſſe.* Hieron.

Scriptum eſt: (ei dixit) *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Scripſerat Iſaias: *Domus mea Domus orationis vocabitur cunctis populis.* Cap. 56. Et quidem Templum locus precum, quod illi ementes, & venditores propter nundinas, auaritiam, & negotiationem latronum fecerant ſpeluncam. Theophylactus, *Propter negotiatores vendentes, & ementes, ſpeluncam latronum appellauit Chriſtus Templum. Auaritia enim, & lucri cupiditas latronum morbus eſt.* Illud ſimile Ieremiæ: *Nunquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen meum in oculis veſtris?* Cap. 7. latronum ſpeluncam vocitat Lyranus. *Qui enim illuc conuenerant, ad excoriandum populum aderant.* Myſticè D. Thomas. *Qui in Eccleſia lucris temporalibus inhiant, eiiciuntur ab ea tanquam latrones.* Plura in Panegyrico. 14. *Templum orationis locus.* Iſa. 56. Theoph. Iere. Lyran. Thom.

LN

IN IESVM TEMPLI
PROPVGNATOREM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS.
EX VAPVLANTE CONTEMPTV.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Commota eſt vniuerſa Ciuitas, dicens: Quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ.

A minimâ Nazaretha Dominus magnus Propheta exurgens proclamatur.

Ex fundamine etenim humilitatis auguſta exædificatio conſurgit.

15. Hugo. HVGO Card. *Hic eſt Propheta à Nazareth, quem prædixerat Moyſes.* Deut. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus.* Sicut me ſuſcitauit apud deſertum commorantem, ac greges paſcentem, è paruula Nazarethæ Vrbe Meſſias magnus Propheta ſuſcitabitur. Dei enim exædificatio exiguo nititur fundamine, vt conſurgat eleuatiſſima.

16. *Vt Chriſtus ad ſupremum vertitem cōſurgat humilitatis fundamen ſupponere videtur.* Matth. 25. Hieron. Apud Matthæum Dominus, *ſicut homo peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos & tradidit illis bona ſua.* Cap. 25. Vbi Hieronymus. *Homo iſte Paterfamilias haud dubium, quin Chriſtus ſit, qui ad Patrem poſt reſurrectionem victor, aſcendens, vocatis Apoſtolis doctrinam Euangelicam tradidit.* Si Chriſti ex ædificatio hodie conſurgit ad ſuprema, cur *homo* Dominus, & non potiùs Rex appellatur? Imo quia ad eleuatiſſimum verticem machina exſurgit, Deo conditore, humilitatis humanæ ſupponitur fundamentum; *Homo peregrè proficiſcens.* Imperf. Imperfectus hom. 53. aſſerit illa particula: *Homo,* Chriſti humilitatem adnotari. *Homo peregrè profectus Chriſtus eſt poſt victoriam paſſionis ad Patrem iturus: voluntate miſericordiæ homo, non neceſſitate naturæ.* Supponitur itaque Homo voluntate miſericordiæ, fundamentum, vt eleuatiſſima exurgat exædificatio.

17. *Ad iudicandum veniet, humilitatis fundamini adhuc ædificio hærente.* Quid ſi poſt ipſam aſcenſionem adhuc humilitatis fundamini machina innitatur? Certè cùm aſcendit ad Superos, pedes Oliueti vertice addicebat: vnde non mirum ſe non ex capite aureo, ſed ex luteis pedibus expoſuiſſe: Homo peregrè proficiſcens. Aſt è ſuperis ad terram reuerſurus expreſſiùs ſuam euulgat ex Nazarethâ terrena exiguitatem. *Cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ.* Electis profaturus: *Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Mat. 25. Non ſolum ſe hominis Filium vocat, ſed minimorum hominum fratrem profitetur tunc, quando præſtantiſſima, homines & Angelos iudicaturus, iura Deitatis exercet. An non id ex humilitate exortum? Chryſoſtomus, *O humilitas Chriſti! Eſto quandiu in corpore contemptibilis erat in Mundo, fuerat veriſimilis ratio, vt propter ſimilitudinem viſionis fratres ſuos homines appellaret. Quid autem dicamus, quòd in illa gloria conſtitutus adhuc contentus eſt, eos dicere fratres, quibus ſufficeret ad laudem, ſi bonos ſeruos vocaret.* Cur igitur tantæ humilitatis exhibuit documentum? *Meritò, quia veniens in iudicio gloriæ, non mutauit volūtatem priorem.* Quænam prior Domini voluntas, niſi fundamentum humilitatis, de quo aiebat Imperfectus: *Voluntate miſericordiæ homo.* Non mutat ergo in gloria veniens humilitatis fundamen, quia tota gloriæ machina ſuper illud innititur. Ac ſi quodammodo gloriæ corrueret ædificatio ſi non eidem fundamini hæreſceret. Matth. 25. Chryſoſt.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

18. *Dei Mater futura Maria, ſe quaſi neceſſariò profitetur ancillam.* Luc. 1. Deipara Filium imitata. Angelus inquit, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, & quod naſcetur ex te ſanctū vocabitur Filius Dei.* Audiens Maria ſe infallibiliter Matrem Dei futuram, ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Luc. 1. Quid ancillæ cum Matre? ſi Maria Moyſis in morem renuere intenderet: Non fiat ô Domine, quia tanto impar honori, ſeſe meritò appellaret ancillam. At cùm munus acceptat, ſeque Matrem offert Altiſſimo, *Fiat* exhibendo, quonammodo potuit ſe ancillam profiteri? Imo quia mater futura erat ad verticem ineffabilem conſurgente ædificio, neceſſarium fuit humilitatis fundamina ſupponere. Guarricus Abbas ſerm. 3. de Nat. *O Domine, tu matrem me dicis, ego ancillam profiteor. Ancilla Chriſti ſum, & quidem Matrem me præſtabo.* An poſſet ſe præſtare Matrem niſi priùs, ſe profiteretur ancillam? Certè quàm neceſſarium exurgenti machinæ humile fundamentum, tam neceſſaria humilitas altitudini. *Ancilla ſum iam, me Matrem præſtabo.* Quàm ineptè ſine fundamine ſubmiſſionis celſitudinem curas extruere. Guarr.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et intrauit Ieſus in Templum Dei, & eijciebat omnes ementes, & vendentes.

Rex à turbis Dominus appellatus, mox curat Templi immunitati, ac reuerentiæ prouidere.

Regius etenim eſt ergà Delubrorum reuerentiam zelus.

19\. SENSI cum illis, qui aſſerunt eadem ſolemnis triumphi die, nempe Dominicâ Palmarum, Dominum zelo accenſum nundinatores è Templo deturbaſſe. Tunc igitur cùm Meſſias, cùm Iſraëlis Princeps, cùm Iudæorum Rex acclamatur, accurrit ad Templum vt Regiæ dignitati adnatam expendat actionem, nempè mox pòſt acceptum Regni clauum Templorum reuerentiæ prouidere.

20\. *Fideli Iſraëli indicitur Templorum cultus, cum primùm Regia præfulgeat poteſtate.* Deut. 7.

Iſraëli Dominus, *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te: tradideritque eas Dominus Deus tibi:* (ſcilicet cum Rex earum, ac Dominus exurgas) *lucos illorum ſubuertite, & confringite ſtatuas.* Deut. 7. Idola comminuite, Delubra euertite, lucos ſucciditе; vt veri Numinis Tabernaculo præſtetur obſequium. Pende illa: *Cum tradiderit Dominus,* &c. Id eſt, vbi poteſtatem acceperis, mox Dei cultui promouendo ſtudium impende. Auguſtinus ſerm. 6. de verbis Dom. *Cum data, inquit, fuerit terra in poteſtatem. Prius ait in poteſtatem, & ſic dixit quæ mox facienda ſunt. Aras eorum deſtruetis, lucos comminuetis, cum acceperitis poteſtatem.* Prima etenim actio Regis debet Templorum repurgationi impendi. Veneris apud Delubrum Dei adoratur ſtatua adoleſcentum impudicitia: aut Saturni Sacerdotum auaritia, &c. Principis, Præſulis prima cura, ſimulacra e Templis deturbare.

Auguſt.

21\. *Ozias impius in Templũ quodammodo, Dominum ſua maieſtate exuerat: pio indueute Ioathan, mox accepto Regno* Iſa 6. Hiero.

Mortuo impio Rege Ozia, eius filius Ioathan ſucceſſor obiicitur. Ille quidem Templi haud carens reuerentiam, ſe ſe Sacerdotum muneri ingeſſit lepræ plagâ flagellatus. Aſt Ioathan Templi iura ſeruauit. Profatur Iſaias, *Anno, quo mortuus eſt Rex Ozias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum.* cap. 6. Vbi pulchre Hieronymus, *Vt habitum Domini regnantis oſtenderet.* Cur Deus regnantis habitum oſtentat mortuo Oziâ, Ioathan regnante? Quia quemadmodum impietate erga Dei cultum Oziæ, quaſi obſcurabatur Domini imperium: zelo Ioathan erga Templi cultum rurſum efferebatur. Quàm commendabile Regnum Ioathan, qui vix clauum accepit, cùm à parentis iniuria Deo illata ipſum vindicare procurauit. *Ex quo animaduertimus,* (adiicit ille) *regnante leproſo Rege* (nempe qui lepræ morbo ob irreuerentiam circa Templũ corripitur) *nos Dominum in ſua maieſtate regnantem videre non poſſe.* Permittitur à Præſule apud Delubra irreuerentia fidelium confluentium, ſiue potiùs infidelium Delubri contemptorum: Quonammodo preces Domino profundendæ, qui poteſt obiicere: Me impudentia hominum, procacitas fœminarum, Principe permittente Regia exuit maieſtate: quem exoratis?

22\. *Salomon cum Domino ſimul ſedet, quia Rex iam gens illico Templi perficit fabricam.* 1. Par. 29. Carthuſ.

Quàm pius Salomon, quam Patris circa Delubri cultum æmulator! *Sedit Salomon ſuper ſolium Domini in Regem pro Dauid Patre ſuo.* 1. Paral. 29. Quare Regium ſolium Domini ſolium appellatur? Profectò, quia cùm primùm Salomon Regni clauum tenuit, operam impendit Templi cultui perficiendo. Carthuſianus, *Quia fuit ſolium Regis fidelis, qui præſidendo fuit cultor Dei.* Id eſt, illico poſt ſeſſionem curauit, vt ſemper Dei maieſtas auguſtiſſima, ex Templi cultu, hominibus obiiceretur; vt *Dominum in ſua maieſtate regnantem* intuerentur.

23\. *Salomon Domino regnat, quia mox curat Templi cultum promouere.* 1. Par. 29. Abulenſ. Carthuſ.

De Salomonis inunctione Textus, *Vnxerunt autem eum Domino in Principem.* 1. Paral. 29. Particula illa: *Domino* premenda eſt. Cur Domino inungitur Salomon? Abulenſis quæſ. 25. *Quaſi ad vtilitatem Dei.* Salomon ſolummodo ad Dei vtilitatem ad thronum aſcendit. Exprimit Dionyſius Carthuſ. *Vnxerunt Salomonem in Principem ad honorem Dei.* An non ad iura proferenda, & obſeruanda? Ad improbos comprimendos, probóſque afficiendos muneribus Regiis, Vrbeſque protegendas: Certè adeo Salomon mox poſt aſſumptum Regnum Templi addicitur cultui; vt ſolummodo ad id munus electus in Principem videatur: *Vnxerunt eum in Principem ad honorem Dei.* Quem quidem, in feliciſſimum omen, Reges, Præſuléſque conentur imitari.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et eijciebat omnes vendentes, & ementes in Templo.

Taxaturus Dominus Sacerdotum auaritiam, & irreuerentiam, percutit ſeculares.

Edocens concionatores, ne palam Sacerdotalis ſtatus, præcipuè Præſulum vitia carpant: ſed prudenti aſtu in alijs corripiant.

24\. Hieron.

ASSERVIMVS ex Hieronymo nundinatores illos apud Templi atria Sacerdotum mente commorari. Vulnerat Dominus vendentes, & ementes, nummularios deturbat, venditores columbarum ablegat. Cur non Sacerdotum ſibi cognitam taxat auaritiam? cur non ſaltem verbo reprehendit? Euangelicos concionatores Magiſter edocet in ſecularium crimina deſæuire, cum Sacerdotum curat comprimere exceſſus. Non illi palam taxandi ob Sacerdotalis dignitatis reuerentiam, ſed crimen illorum ſic in ſecularibus reprehendendum, vt ipſi intelligant ex eleuatiſſimo ſtatu tranſgreſſores.

Magiſtri

25\. *Cathedras Magiſtrorum euertit Dominus, ſecularium vendentium cathedras euertens.* Matth. 21. Ambroſ.

Magiſtri quidem ſecularium Sacerdotes ſunt, qui quidem minime ſunt taxandi delinquentes niſi ſecularis prætextu reprehenſionis. Hiſpanè explico: *Sean reprehendidos en caueza de los ſeglares.* Matth. noſtri expendo clauſulam illam: *Et cathedras vendentium columbas euertit.* Cap. 21. Ambroſius aſſeruit vendentes columbas eſſe ſacerdotes auaritiæ vitio maculatos, qui cathedris addicuntur ſecularium magiſtri. Dominus autem vendentium ſecularium cathedras ſubuertit. Cur non Magiſtrorum Eccleſiæ? Certè ob reuerentiam ſtatui debitum. Sed tamen ſecularibus ita vulnera infligit, vt quaſi Magiſtrorum cathedras vulnerare videatur. Eucherius (Eucher.) lib. 2. in lib. Reg. *Magna cautela ſubditorum eſt non iudicare vitam regentium. Neque enim fruſtra Dominus cathedras vendentium columbas euertit, ſignificans, quia per Magiſtros vita indicatur plebium.* Si Chriſtus iudices & Magiſtros immediatè, ac palàm carperet, diſcipuli, ac ſubditi ſeculares eorum dignitatem contemnerent. Corripit ergo latenti aſtu Sacerdotum, Magiſtrorum cathedram, dum ſecularium cathedram manifeſtè deturbat. Audiens enim Eccleſiaſticus hominem ſecularem auaritiam dedecere, colliget quàm indecentior ſit macula Sacerdoti.

26\. *Taxat Ieſus Principes Sacerdotum, carpens miniſtros ab ipſis immiſſos.* Luc. 22. Caietan.

Chriſtus apud hortum *ad eos, qui venerant ad ſe Principes, Sacerdotum, & Magiſtratus Templi, & ſeniores: quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus.* Luc. 22. Vbi quæritur, quonammodo Dominus hæc dixerit Sacerdotum Principibus, qui venerant ad ſe? Reſpondet Caietanus, *Tanta erat iſtorum cæcitas, vt incredibile non ſit, ex quolibet ordine Primorum ſcilicet Sacerdotum & Magiſtratus Templi aliquem perſonaliter adueniſſe.* Exiſtimo tamen minimè illos aduentâſſe. Quonammodo autem Chriſtus loquitur ad *Principes Sacerdotum, qui venerant?* Venerant quidem in miniſtris à ſe immiſſis. Hos autem ita Dominus corripit ac ſi ipſos Sacerdotum Principes vulneraret. Caietanus addit, *Quamuis eſſe potuerit, quod aliqui eorum affuerint illic, rationabilius tamen intelligitur, iſtos non per ſe ipſos, ſed in miniſtris affuiſſe.* Vnde in præſenti negotiatores à Sacerdotibus apud atria Templi collocatos vulnerans Dominus, Sacerdotes ipſos reuerenter compunxit. Alibi plura.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & menſas nummulariorum euertit.

In Templo lucris ſtudentes meritò à Domino flagellantur.

Iram etenim Dei ſubeunt quicumque ex Eccleſiaſticâ dignitate, aut munere diteſcere curant.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

27\. Thom.

ANGELICVS Doctor myſticè ſic locum interpretatur, *Qui in Eccleſia lucris temporalibus inhiant, eijciuntur ab ea.* Quam horribile ſupplicium te ab Eccleſiæ dignitate deturbari, exutum verè Sacerdotali ſtola, ſeculari datum amictui!

28\. *Sacerdos cupiens acquirere ex miniſterio, quod ſecularis non compararet, punitur ſeculari plaga.* 4. Reg. 5.

In ſeruum Giezi ſic Propheta inuectiuus exurgit: *Accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & ſeruos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi.* 4. Reg. 5. Ad quæ Caſſianus lib. 7. cap. 14. *Giezi ea, quæ nec antea poſſederat, volens acquirere, æterna leprâ. Eliſæi* maledictione perfunditur. Sacerdotum taxat auaritiam, qui ex penu ſeculari non habentes quod colligant, ad Sacerdotale ſeu Eccleſiaſticum munus accurrunt, vt ex eo recipiant, & cuſtodiant quæ ex ſeculo minimè potuiſſent. Hi meritò plaga ſeculi corripiuntur.

29\. *Sacerdotes auari hyænæ corporum defunctorū amatores ob lucrū animarum minimè. Acriter puniendi.* Iere. 7.

Quàm acris illa vox: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Matt. 21. *Vos autem.* Quinam? Vereor ne Sacerdotibus ſint verba accommodanda. Apud Ieremiam Deus. *Veniſtis, & ſtetiſtis coram me in domo hac* (Templo videlicet) *in qua inuocatum eſt Nomen meum*; (quia domus orationis eſt) *& dixiſtis: liberati ſumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes iſtas.* Sacerdotum aſtu negotiatores ad Dei domum accurrunt, vt Sacerdotes auari lucris ſtudium impendant. *Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt Nomen meum?* Cap. 7. legit Chryſoſtomus (Chryſoſt.) hom. 13. in Matth. *Numquid ſpelunca hyænæ facta eſt domus mea mihi?* Et adiicit: *Hyæna beſtia eſt ſanguinora, beſtia, quæ corporibus delectatur: beſtia quæ non delectatur niſi cadaueribus mortuorum. Hoc autem dicitur de Sacerdotibus Iudæorum.* An non Sacerdotibus Chriſticolis illis, qui ex Sacerdotali munere ſolùm lucra aſpiciunt (vnde cadaueribus delectantur humandis) hæc poteſt ſententia accommodari? Hi quidem Deo ipſi hyæna ſunt effecti: *Spelunca hyænæ facta eſt domus mea mihi.* Væ illis tanquam latronibus puniendis. An non latro lethaliter plectendus ſacerdotali expoliatur amictu & ſeculari addicitur poteſtati? An non ex ſpelunca abſtracta lapidibus obruitur hyæna? *Proiiciam vos* (Deus ait) *à facie mea ſicut proieci omnes fratres veſtros vniuerſum ſemen Ephraim.* Ibid. Et quodnam horribilius ſupplicium Sacerdoti lucris ex munere ſtudenti, quàm à facie Domini, ſeculari turbæ addicendo deturbari?

30\. *Auari Sacerdotes Pharaoni, nō Deo deſeruiunt.* Num. 18.

Olim Dominus ad Aaron Sacerdotum Præſulem: *In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael.* Num. 18. Nec partem Dominus Sacerdotibus in terra concedit, totos ſibi curat colligari, ipſo Domino illius partis, quæ è terra erat comparante, vices gerente: *Ego pars.* Pharao Sacerdotibus, ſuis ſolis permiſit terræ poſſeſſiones, reliquis omnibus ſuas pro frumento vendentibus. Gen. 47. Audi Origenem (Orig.) hom. 19. *Pharao terras conceſſit Sacerdotibus, Dominus autem Sacerdotibus ſuis partem non concedit in terra, ſed dicit eis: Ego ſum pars veſtra. Videte Domini Sacerdotes, quæ ſit differentia; ne fortè qui partem habent in terra, & terrenis ſtudiis vacant, non tam Domini, quam Pharaonis Sacerdotes eſſe videantur.* Quid ſi te non ſuum, ſed Pharaonis

Sacerdotem Dominus eſſe comperiat? Profectò te ad Pharaonis idolorum cultum deturbabit. An non auaritia *ſeruitus idolorum*? Ergo idolis ſeruiat,qui idolis mancipatur. Non te pudet Sacerdotem Regem cum ſecularibus mancipiis miſerè colligari? Redeo ad Chryſoſtomum.

31. *Pharaonis Sacerdos eſt, qui cadaueribus humanis delectatur, non animos inſtruendos ſuſcipit.*

Hyæna beſtia eſt, quo corporibus delectatur. Ex hominibus ſibi commiſſis inferiorem, & viliorem portionem curandam accipiunt Sacerdotes, minimè ſuperiorem. Totus homo Sacerdoti traditur,animus inſtruendus, ad ſpiritualia promouendus, à terrenis auocandus; corpus autem egens reficiendum Eccleſiæ annona, redundanti, cadauer ſacræ addicendum ſepulturæ. Portò illi animi omnino cura neglecta, corpus ſuſcipiunt tutandum non viuum, ſed cadauer humandum,ſi lucri ſpes. An non id, munus exequi Sacerdotis Pharaonis? De his pulchrè addit

Orig. Origenes, *Pharao vult Sacerdotes ſuos habere poſſeſſiones corporum,& non animæ.* O crudeles hyænæ! quæ cadaueribus delectamini!

Observatio V.

Ad illa verba:

Et eiiciebat omnes vendentes,& ementes in Templo.

Inflicto vulnere Chriſtus auaros è Templo deturbauit.

Auaritia etenim homines immutat in beſtias diuerberandas,percutiendas.

32. MIRVM, mitiſſimum Dominum, qui ſeſe manſuetudinis expoſuit exemplum: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*,non iam verbis homines, ſed verberibus vulnerarit. Profectò ſi Chriſtus homines percuſſiſſet, me in admirationem raperet. Non homines, ſed beſtias vulnerat, qui punit auaros; auaritia enim homines commutat in beſtias.

33. *Auaro nullus intellectus. Equus quidē & mulus fuſtibus percutiendus.* Iud. 6. Ambr. Luc. 6.

Hebræis Propheta à Domino immiſſus, *Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis Deos Amorrhæorum,in quorum terra habitatis. Et noluiſtis audire vocem meam.* Iud. 6. Ambroſius myſticè aſſerit Hebræis idolis ſeruientibus ſignari eos,qui auaritiæ libant,idolorum quidem ſeruituri. Hi non audiunt,qui humanitate ipſa exuti, auribus audiendi expoliantur. Clamat Chriſtus: (inquit ad Pſal. 118.) *Theſaurum vobis condite in cælo. Hoc diuites audire non poſſunt. Clauſas habent aures,& ſono æris obtuſas. Nummi magis illis reſonāt,quam verba diuina.* Vnde Lucas, *Audiebant hæc omnia Phariſæi,qui auari erant,& deridebant eum*,cap. 6. Qui igitur humanitate expoliantur, ad bruta diuertentes ſine rationis vſu, ſine æſtimatione non

Theod. verbis admonendi,ſed afficiendi plagis. Theodoretus quæſt. 36. ad cap. 28. Deuter. *Hi improbi non tam mouentur promiſſionibus, quam plagarum inflictionibus.*

34. *Aſino ſtultior eſt verberans dus equidem. docetur ab aſina.* Num. 22.

Balaam auaritiam Deus per iumentum coërcet, hominem in brutum mutatum ſignificans. *Cernens Angelum aſina ſtantem in via euaginato gladio, auertit ſe de itinere, quam cum verberaret Balaam,& vellet ad ſemitam reducere, aſina iunxit ſe parieti, & attriuit ſedentis pedem.* Num. 22. Verberata aſina reuerberat percuſſorem. Ac ſi diceret: Dignior tu verberibus aſinâ, qui obcæcatus auaritia Dei prohibitionem tranſgredi conaris, quam ego terrore Angeli non tranſgredior. Auguſtinus quæſt. 48. *Hoc ipſo confunderet illam dementiam, quod prohibitionem Domini per Angelum factam tranſgredi aſina non auderet, quam ille cupiditate tranſgredi conaretur.* August.

35. *Homines auaritia redditi beſtiæ ſine ratione ſimiles.* Ezech. 33.

Vis Iudæ metamorphoſim contemplemur? Ezechieli Dominus, *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, qui in canticum oris ſui vertunt eos,& auaritiam ſequitur cor illorum.* Cap. 33. Vbi auaritiæ ſe committunt, tanta illos capit dementia, vt (in morem beſtiarum) non cum eis ſit verbis agendum, ſed funibus. Verbis, ac benignitatis actionibus curauit Dominus Iudam auaritiæ morbo correptum à barathro reuocare. *Maligno autem cordi.* (loquor cum Leone ſerm. 11. de Paſ.) Leo. *nunc furtis fraudum dedito nihil vnquam miſericordia Saluatoris inſederat: nec piis acceperat auribus Domini verba dicentis: Non veni vocare iuſtos ſed peccatores.* Quid plura? *Proiectis argenteis in Templo,abijt,& laqueo ſe ſuſpendit.* Matth. 27. Fune vulneratur, qui verbis non feritur. Bruteſcens enim animus fuſtibus eſt agendus.

36. *Ex auaritia homines mutantur in feras* Gen. 37.

Conueniunt fratres Ioſeph vt adoleſcens venundaretur, è ciſterna extractus. *Prætereuntibus Madianitis negotiatoribus extrahentes eum de ciſterna vendiderunt Iſmaelitis viginti argenteis.* Geneſ. 37. Mox poſt auaritiam mente admiſſam, *tulerunt tunicam eius, & in ſanguine hœdi, quem occiderant tinxerunt.* Hanc cum miſſam agnouiſſet Pater ait: *Fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph.* Ibid. Hœdum illi occiderunt, non fratrem. *Fera peſſima comedit eum.* Opus hoc auaritiæ neceſſariò perfectum a beſtia. Auari enim omnem exuunt humanitatem. Chryſologus ſer. 29. Chryſol. *Sic auaritia ſiccauit mentes, ſic corda depreſſit, ſic quod in eis fuerat humani ſenſus ferinam in rabiem commutauit: vt non offenſam Dei, non ſancti patris dolorem, non proprij ſanguinis ſenſum meminiſſe permiſerit. Intuere quid auro grauius,quod cum mores hominum perdit,perdit & naturam.* An non verè profatur genitor? *Beſtia deuorauit Ioſeph.*

37. *Aſinus auarus contra quem fera cuncta.* Chryſ.

Quod ſi loco Prouerbij circumferebatur? *Contra aſinum fera:* In ſtultiſſimum auarum ipſe auaritia cunctarum ferarum gerens perſonam crudelis exurgit. Chryſoſtomus hom. *Quod nemo læditur,&c.* profatus eſt: *Amor pecuniæ vt fera quædam omnium corda poſſidet. Et cùm lupis, vrſis,leonibus ferotius ſæuiat: ſuauis tamen videtur hominibus.* Quid dementius? *Volutari in cœno eius tanquam aſini delectantur. Tales omnes qui auaritiæ huic manus dederunt, turpiores etiam ſunt iſto animanti.*

38. *Quam aſinus qui diues eſurit.* Horat.

Vis huius aſini ſtoliditatem deſcribam? Horatius lib. 1. epiſt. 2. *Semper auarus eget.* Non ſolum quia creſcentem ſequitur cura pecuniam, Maiorúmque *fames*; (vt cecinit idem lib. 3. Carm. Od. 16.) Sed auaro *deſunt multa*, imo omnia quæ poſſidet, minimè in domini cedunt vtilitatem. Semper eget, eſurit, ſicco ventre, ſolummodo marſupio ſatiato. An non homo huiuſmodi cum aſinis eſt annumerādus. Audi Textorem Emb. 85. Textor.

Septi

Septitius populos inter ditiſſimus omnes
Arua ſenex nullus quo magis ampla tenet.
Defraudans geniumque ſuum, menſaſque paratas,
Nil præter betas, duráque rapa vorat.
Cui ſimilem dicam hunc, inopem quem copia reddit.
Anne aſino? ſic eſt, inſtar hic eius habet.
Namque aſinus dorſo pretioſa obſonia geſtat,
Séque rubo, aut dura carice pauper alit.
Num non cum aſino fuſtibus agendum?

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo.

Ipſe Dominus Sacerdotes percuſſit auaros.

Nec enim ſecularis poteſtas in Chriſtos Domini debet inſurgere, aut aduersùs eos ſublatrare; ſed taxandos Deo, aut eius Vicario relinquere.

39. Pius.

EXISTIMAT Pius I. epiſt. 1. Chriſtum non aduersùs ſeculares, ſed aduersùs Sacerdotes in Templo negotiatores deſæuiiſſe, illóſque flagello vulneraſſe. Quod ſi requiras rurſum cur manſuetiſſimus, qui calamum quaſſatum non frangit, cedrorum quatiat verticem? reſpondebit Pontifex Chriſtum ad puniendos Eccleſiæ miniſtros vſum non fuiſſe Petri, aut cuiuſuis Diſcipuli manu, quia tunc ſeculares cuncti non decenter corriperent Sacerdotes. Ediſcant ſeculares in Chriſtos Domini non audere exurgere, non aduerſus eos obmurmurare, eorum delicta non corripere, à ſolo Domino, aut eius Vicario punienda.

40. *Ad Deum Deorum pertinet Deos punire, ſeu Sacerdotes carpere.* Pſalm. Anacl.

Dauid cecinit, *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* Pſalm. Ad ipſum immediatè pertinet Chriſtos Domini corripere, & vulnerare. Anacletus Pap. epiſt. ad Epiſc. Ital. fatur, *liquet quod Sacerdotes à Deo ſunt iudicandi, non ab hominibus lacerandi, ſed potius ab hominibus fidelibus portandi*; (homines ſeculares appellat) *ipſo Domino exemplum dante, quando per ſe ipſum, & non per alium vendentes, & ementes eiecit de Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium proprio euertit flagello, & eiecit de Templo, & ſicut alibi ait: Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos decernit.*

41. *Solus Deus poteſt Sacerdotes ſeruos diuerberare.* Rom 14. Anacle.

Horribile ſupplicium diuerberatio, ſeruus verbere afficitur. An ô ſecularis, exiſtimas Sacerdotem tibi ſeruire, qui eum aut verbo, aut actione vulneraſti? *Tu quis es,* (ait Paulus) *qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Rom. 14. Sacerdos Dei ſeruus ſolius, Deo ſoli delinquit, ab ipſo ſolo corripiendus. Anacletus citat. *Nullus, vt reor, inuenitur inter nos, qui velit, ſuum ſeruum ab alio, quam à ſe iudicari. Quod ſi præſumptum fuerit, aut multa ipſe indignatione iraſcitur, aut potius vltionem quærit ſuper eum. Si vero hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus Deorum, & Dominus dominantium, qui vltionem ſuorum promiſit non differre ſeruorum?*

42. *Sacerdotem ſecularis vulnerans Dei lumina percutit.* Zach. 2. Anacl.

Cum ſecularis quocumque prætextu vulnerat Sacerdotem, ipſum Dominum percutit, imo oculorum eius pupillam audet lacerare. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. Et quodnam ſupplicium huiuſcemodi delinquenti paratur? Subiicit Anacletus, *ſi aliquis nunc oculos alicuius Principis in malum incipit tractare, manifeſtè reus Maieſtatis iudicatur, & infamis efficitur, aut potius capitali ſententia ſubiacet.* Solus Deus poteſt tangere Sacerdotes, quin eius oculi vulnerentur. Quid, ſecularis, contra Sacerdotem deſæuis ipſius Dei lumina vulneraturus læſæ reus Maieſtatis? *Quapropter oportet omnes ab his cauere, & non ſolum non facere, ſed nec facientibus conſentire. Quia non ſolum qui faciunt damnantur, ſed qui conſentiunt facientibus.*

43. *Pilatus arbitratus Ipſum Eccleſiaſtici eſſe iuris, ſe curauit à cauſa expedire.* Ioan. 18. Lyran.

Pudeat te à Gentili accipere documentum. Dum Dei Filius ad Pilati tribunal ſiſteretur, & veritatis efficeret mentionem: *Ego ad hoc veni in Mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati:* Præſes interrogauit, *Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos.* Ioan. 18. Cur Pilatus quæſtionis ſuæ non expectauit ſolutionem? Reſpondet Lyranus. *Quia erat de Regno ſpirituali, vt viſum eſt, ipſe autem non habebat ſe intromittere niſi de temporalibus: Ideo hoc aduertens iterum exiuit ad Iudæos.* Exiuit planè vt curaret loco ſolutionis quæſtionis illius, ipſius vincti ſolutionem. Aſſerit Lyra. veritatem ſonuiſſe Pilato *participationem veritatis diuinæ.* Hic reus haud ſecularis eſt, Propheta eſt, Sacerdos eſt veritatis diuinæ præco, emittatur à carcere, ſeculari potentiâ non lædatur, ipſa ſomniatrice fœmina inclamante: *Nihil tibi & iuſto illi,* quia ſecundùm ordinem Melchiſedech *Sacerdos in æternum.*

44. *Chriſtus flagellatores Sacerdotum ſeculares flagellat.* Auguſt.

Quid ſi ſecularis audeat Sacerdotes vulnerare? Ipſe Dominus flagellatores flagellabit. Auguſtinus aiebat, *Flagellandus ab eis eos ipſe flagellabit.* Dixerim Doctoris veniâ, *Flagellatus ab eis eos ipſe flagellauit.* Nec enim Dominus ante commiſſam nequitiam in homines inſurgit. Quandonam ergo Chriſtum ſeculares illi flagellauerant, niſi cum Sacerdotibus (Doctore adnotante) apud Templi atria negotiationem exercentes propriam auaritiam tribuebant? Flagellis famam Sacerdotum ſeculares afficitis? Vos acriter flagellabo. Nec enim felices degunt, qui Sacerdotali ſtatui aut verbis, aut actionibus vulnera infligunt: Secus qui Chriſtos Domini contingere non audet. Sybaritis barbaris hominibus, à Diis hoc datum oraculum authore Athenæo lib. 12. cap. 6. Ath.

Semper eris felix venerans gens numina Diuûm
Donec plus ſuperis fueris venerata virum quem
Intima ſeditio tunc, & tibi prælia ſurgent.

Vereor, ne ob irreuerentes, aduersùs Diuos Sacerdotes, auſus prœliis diris Chriſtiana Regna perturbentur, comminuantur.

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba.

Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo.

Vendentes ad ſacrificia boues, oues,columbas, & ementes ad ſacrificandumDominus è Templo, flagellis inflictis, deturbauit.

Acriter enim puniendi,qui deuotionis, aut ſacrificij prætextu, crimini alicui ſtudium impendunt.

45. QVID illi niſi quæ ad ſacrificium erant neceſſaria,vendebant, oues, boues, columbas?Quid illi emebant, niſi quæ ad ſacrificium offerendum deſeruirent? An non id licitum, & honeſtum? Cur ergo noluit Dominus tolerare? Profectò quia religionis prætextu auaritiæ incrementis ſtudebant. Venditores auari ſub occaſione ſacrificij puniantur, emptores annuentes ſacrificium maculâ vel leui fœdantes acriter vulnerentur. Caietanus aſſerit non ſolum bis biennio, ſed vna ac altera ſequenti die bis Dominum puniiſſe Templi contemptores. Quam iuſtè,ſi occaſione,vel prætextu ſacrificij crimina perpetrantur,libido effrænatur, verba immodeſta commiſcentur.

46. *Taxantur Templorum latibula, vbi impudicis colloquiis ſtudium impenditur.* Iud. 6. Pineda. Philo.

Ad Gedeonem Dominus, *Tolle taurum patris tui,& alterum taurum annorum ſeptem,deſtrueſque aram Baal;quæ eſt patris tui,& nemus, quod circa aram eſt,ſuccide*,Iud.6. Erige altare, vbi boues poſſint immolari.At lucum mox ſuccide. Quare nemus à loco altaris ablegandum? An non defeſſis gratam offeret vmbram?An non ſacrificium oblaturos gramine ac foliis excipiet? Solebant Gentes quas impij Iſraëlitæ imirabantur, circa aras plantare lucos, in quibus voluptati, atque deliciis indulgentes nefaria ſacra celebrarent,authore Pinedâ lib.7.de reb.Salom.Cap.10. Iubet igitur Deus lucos ab altaris conſpectu deturbari, ne quis nefarius prætextu ſacrificij offerendi ad latibula nemorum diuertat voluptati ſtudium impenſurus. Philo lib. 5. de Monarch. *Verum Dei Templum non amœnitates poſtulat, ſed ſeueram caſtimoniam.* Quis dubitet? Ergo nemora ſuccidenda, quia ex latebris offerunt latrocinantibus ſecuritatem. Adiicit pulchrè, *Condenſa ſyluarum maleficis conueniunt,ex latebris ſecuritatem, & inſidiarum occaſionem quærentibus.* Qui noctis inſtantia occaſione precis pro defunctis profundendæ Templi reſerat oſtia, vereor ne maleficis,id eſt, malefactoribus nemora plantet, latibula tenebricoſa præſtet ad inſidias, ad latrocinia.

47. *Vno ſolummodo latrocinante apud Templum ſine impudico, id efficit ſpeluncam omnino commendam.* Deut. 6. Hieron.

Dominus ait, *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.* Deuter.6. Vbi Hieronymus ad cap.4.Oſeæ: *In lege præceptum eſt,vt iuxta altare luci,& arbores non plantarentur. Ne ſcilicet paſſiua, & voluptuoſa religionis,auſteritatem veræ religionis auertat.* Suppone vnum ſolummodo vſurum voluptuoſâ religione,hoc eſt,ſub prætextu deuotionis, precum, ſacrificij, operam daturum voluptati ſermone impudicè commixto. Sufficientiſſima ratio eſt nemora ſuccidendi, oſtia Templi obſerandi. Dum tempore diurno viget ſacrificij neceſſitas, cum ex pia inſtitutione Monumenta inuiſuntur, & ſi accidentaliter praui vſus licentia immiſceatur,non ideo Templa recludenda. At nocturna inſtantia, vel vno illicitè latrocinante, delubra omninò prohibenda ſunt.

48. *Christus cernens ſerpentes à latibulis Templorum deturbauit.* Cant. 2. Theod.

Domus(inquit Chriſtus) *mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Ne igitur lateat latrocinium, nemora ſuccidantur. Id præſtitit Dominus non ſolùm negotiatores,ſed & menſas, & cathedras euertens, miraculo quidem excitato. Celebrat ſponſa, *ſimilis eſt Dilectus meus capræ hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel.* Cant.2. Ceruus ſerpentibus nemorum cauernis latitantibus exitialis oſtenditur?Chriſtus ſuccidens nemora, cauernas ſerpentibus euacuauit,expurgauit delubra.Theodoretus, *Docet hîc ſponſa internecionem idololatriæ,*(ſeu auaritiæ,quæ eſt idolorum ſeruitus) *illatam à ſponſo ſuo.. Montes enim & colles vocat lucos delubrorum; ſuper quæ verborum ſapientia (Domus mea domus orationis vocabitur) & miraculi virtute*(vt aiebat Hieronymus)*ſaliens, atque tranſiliens penitus euertit,atque deſtruxit.* Vtinam ô Domine, apud ſancta Delubra nullus iam lucus,nulla cauerna latrociniis apta, nulla ſerpentum latibula reperiantur à te comminuenda.

49. *Contemptor Delubri latibula quærit ad libidinem, vel hic gehenna addicitur.* Matth. 10. Abul.

Profectò me ad Templorum reuerentiam allicit & ſupplicij horror, & præmij magnitudo. Tam acriter a Domino puniuntur Delubri contemptores, vt illud ipſum impudicè apud Templum ſe gerere, ſit quodammodo in gehennam deturbari. Vnde eiici de Templo negotiatores tibi ſit Tartaro addici. Aiebat Diſcipulis Dominus,*Timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. *Eiuſmodi fuit vallis illa, quam Chriſtus Dominus gehennam vocat*(*vt ait Hieronymus Matth.10.*)*irriguu, ac nemoroſu in qua lucus Templo conſecratus.* Sic Abulenſis in cap.7. Deuter.quæſt. 3.Gehenna, in Templo vbi lucus eſt:Ita planè: Idem enim eſt apud Templum ad latibula pergere deuotionis prætextu, vt rei iniquę ſtudium expendatur, ac gehennæ amandari delinquentem. Exiſtima iam de ſalute tua actum,cum te videris Templi contemptorem.

50. *Obſequium Templo præſtantes vel hic gloria potiuntur.* Exod. 3. Theod.

Secùs Delubris obſequium præſtantes, qui quidem Templo fideles quodammodo iam beatitudine potiuntur. Vnde illud ipſum te fideliter erga Templum gerere,idem ſit ac felicitate æterna donari. Præcepit Deus tribus anni temporibus Iſraëlitas ad feſta celebranda in Templum conuenirent. Exod. 23. Vbi Theodoretus quæſt.54.*Vt eiuſmodi feſtis celebrantes ſacris Dæmonum non delectentur; ſed in Templo Creatoris omnia bona ſuppeditantis feſtiua fruantur beatitudine.*Hac quidem fruuntur fideles, dum apud Delubrum nullum Diabolo libamen offerunt, nullum Veneri ad ſpeluncas confugientes, ad nemorum latibula properantes ſacrificium præſentant.

OBSER

OBSERVATIO VIII.

Ad illa verba:

Et eiiciebat omnes vendentes, &c. Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.

Orationis domus auguſta corruens in ſpecum latronum conuertitur.

Qui enim ex perfectionis gradu eleuatiori excidunt, inferiori baratro addicuntur.

51. *De vino optimo optimum acetum. De ſpirituali viro orationi dedito latro flagitioſus.* Orig.

MIRABAR profectò primum ſignum Ieſu miſericordiæ, cùm aqua mutaretur in vinum; nullaque ſtilla humoris frigidi remaneret vndâ in vndam omnino mutatâ. Noſtræ iam miraboꝛ iniquitatis conuerſionem, vini, inquam, in acetum, quando orationis domus adeo in latronis conuertitur ſpeluncam, vt nec priùs nomen remaneret. Myſticè interpretor. Sacerdotalis ſuprema dignitas, ſpirituales viri vertice ſanctitudinis collocati, merum vtique pretioſiſſimum adeò in acetum declinauit, vt nulla vini particula remaneret. Vulgariſſimum illud proloquium? *Del mejor vino mejor vinagre.* Origenem præmitto in cap.2. Ioan. *Sola orationis domo neglectâ latrones etiam recipit.* Spiritualis vir negligit orationis exercitamenta? Quàm miſerè diuertet ad latronem! Cum ſecularibus iniquis legis tranſgreſſoribus computabitur.

52. *Ex gigante ſpirituali carnalis gigas oritur.* Pſal.18. Gen.6. Bachiar.

Qui *exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Pſal.18. Egreſſioni reſpondebit occurſus, celſitudini humiliatio. Vt Sol emicabat cœlis ſuperioribus hæreſcens gigas vtique; tota gigantea ſtatura obtenebrabitur; vt qui gigas ſpiritu fuit gigas ſit & iniquitate. Exemplum ſubiicio. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant; gigantes autem erant ſuper terram.* Gen.6. Exponit myſticè Bachiarius Epiſ. de recip.lapſ. Gigantes erant ſuper terram poſtquam Dei filij ſeſe luxuriâ contaminârant, quia qui gigantea ſtaturâ ſpirituali erant, gigantes etiam crimine carnali oſtentantur. *Mox vt concupierunt filij Dei filias hominum, nati ſunt in terra gigantes. Quòd enormus nimium, & vltra ſtaturam peccantium gigantis forma eſt.* Concipientes illæ animæ miſeræ dolorem, iniquitatem pepererunt eiuſdem ſtaturæ; vt ſit giganteæ altitudinis peccator qui auguſtæ magnitudinis Dei filius extiterat.

53. *Ex ſpirituali Iuda nebulo.* Ierem.7. Batab.

Iudas Dei filius auaritiæ hominum filiæ, illigatur amore. Illicò ex orationis domo in latronum ſpecum deturbatur, factus dux peccatorum. *Amice, ad quid veniſti!* Ad quàm profundum iniquitatis barathrum deturbatus es. Clamat Dominus cum Propheta, *Nunquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta?* Ierem.7. Vatablus ex Hebræo, vertit, *Num ſpelunca nebulonum facinoroſorum domus hæc?* Ex Angelo orationis exercitamentis addicto, ex ſpirituali viro, non communis ſtaturæ peccator, ſed latro, ſed nebulo facinoroſus exurgit Iudas: Amice, ad quid veniſti? Quis crederet ex tanta ſpiritus eleuatione tantum monſtrum, tam procerum gigantem educendum?

54. *Spiritualis vir, præcipuè Sacerdos, conuertitur totus à ſummo in ſummum.* Ierem 7. Chryſ.

Chryſoſtomus autem hom.13. in Matc. legit: *Nunquid ſpelunca hyænæ facta eſt domus mea mihi?* Quid hyæna? *Hyæna hanc dicitur habere naturam,* (adiicit Doctor) *quia ſpinam vnicam habet, quæ flecti non poteſt. Denique, ſi vertere ſe voluerit, tota conuertitur.* Si ſecularis delinquit, non omnino (ſæpe) ad iniquitatem conuertitur, non audet ad Sacramenta indignè accedere, ſacrorum iura ſeruat. &c. At Sacerdos, aut Religioſus delinquens (ſi non, de regulari more, mox ſurgit velociùs) tam miſerè prolabitur, vt à ſummo conuertatur in ſummum: nec vereatur ad Sacramenta indignus accedere, nec ſacrorum iura ſeruet, nec aliquid apud præcordia eius de verecundia Diſcipuli relinquatur.

55. *Iudæi ex rubo florentes virentum arnaco, ſe conuertunt in aridū lignum aptum ſolum incendio.* Dan 3. Titus.

De Iudæis Dominus, *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Luc.23. An non Iudæi orationis olim rore perfuſi flammas Babylonicas extinxere? Dum illis inerat ros fidei, ac precum, flamma parcebat, vt Babylonis pueris, quibus *Angelus Domini fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.* Dan.3. poſtea verò illo carentes rore, & ſiccos flamma comburit. Titus Boſtr. *Quid ergo aliud reſtat, quam vt vos tanquam aridum, & inutile lignum comburant?* Per rubum ardentem ſine læſione ſignatos Iudæorum Proceres ſanctitudine olim fulgidos aſſerit quidam grauis noſter Iudicum interpres. Qui ergo rore precum muniti à flammis liberantur, ſicci incendio dant materiam. An è rubo florenti, Dei throno, lignum vile ſolum aptū conflagrationi? Nonne poteſt alij miniſterio deſeruire? Minimè planè. Rubus graciles rami viris morem gerunt, dum præſciſſi ſoli dant incendio miniſterium. Vt ſcilicet ex vino optimo fortiſſimum linquatur acetum: *Si vertere ſe voluerit tota conuertitur.*

56. *Quò Deus eſt dum virtutes quaſi immenſitate creſcunt: in quos aſſitatur quodammodo immenſus.* Pſal 81. Bruno. Orig. *Pene irremediabilis horum lapſus.*

Dauidem teſtor præcinentem. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum in medio autem Deos diiudicat. Vſquequo iudicatis iniquitatem.* Pſal.81. Ex mente Brunonis, vſquequo iudicatis iniquitatem veſtram eſſe propagandam? Vſquequo increſcet veſtra iniquitas? Dij eſtis, & ſi ſanctitas de more Deifico quodammodo ad infinitudinem exurgebat: de more Deitatis veſtra quaſi in infinitū, aut immenſum producetur iniquitas. *Vſque ad quem modum iudicabitis iniquitatem?* Deum ipſum occidètis. Origenes hom.9. in Ioſue, *ſicut magnus eſt profectus, ita & diſceſſus terribilis.* Addit horribiliter, *Atque irremediabilis penè lapſus.* O quàm difficilè ſpiritualis viri lapſus reparatur? Vidiſti acetum ad merū recurrere? Non vidi. Neſcio, an affirmare poſſis, te vidiſſe Religioſum iniquū, qui ad priſtinum ſanctitatis verticē rurſum aſcenderet Ego autē aliquando aſpexi, ſed potentiſſimæ manus Dei opus ſum contēplatus. Dum ſcilicet huiuſmodi delinquentis facies cōfuſione ſuffunditur, vt laboribus excitatus in morem Prodigi adoleſcentis, ad domum paternam reuertatur.

Pſal. 130. Ierc. 1.

verticem. Oculis humanis reſpicio vigilantibus vtique, ſed virgæ adhuc fragili hærentibus: *Virgam vigilantem ego video.* ſerm. 1. Vnus igitur ex ipſis, quos mihi regendos tradidiſti ſum Domine. *Conſideremus aſſiduè,* (ait lib. 16. Mor.) *quòd ſumus æqualiter cum cæteris conditi, non quòd temporaliter cæteris prælati. Poteſtas enim quanto exterius eminet, tantò premi interiùs debet. Bene Dauid Regni potentiam regere nouerat, qui elationem eiuſdem potentiæ, ſemetipſum premendo, vincebat dicens, Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.* Alios recturus ſemetipſum priùs comprimat, id humiliando, quod ex humanæ naturæ fragilitate ad eleuatiorem naturam auolare præſenſerit. Adiicit ideo Rex, *Neque ambulaui in magnis, nec in mirabilibus ſuper me.* Ibid. *Adhuc ſubtiliſſima* (addit Doctor) *ſemetipſum inquiſitione diſcutit, omnéſque etiam cogitationes ſuas à fundo cordis exhaurit:* Homo ſum. *Vicina eſſe ſuperbia potentibus ſolet, & penè ſemper rebus affluentibus elatio ſociatur. Mirum valdè eſt, cùm in cordibus ſublimium regnat humilitas.*

Gregor. — Pſal. 130. Gregor.

23. *Hominibus ſubditis Rex homo æquiparatur.* Pſal. 130 Zeno.

Pergit Regius Vates, *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam.* Pſal. 130. Alij legunt, *Si non æquiparaui, adæquaui,* ſeu, Si non æqualem me ſubditis reputaui, & exhibui. Paſtor eram in domo Eſai; Paſtor Iſraëlis thronum aſcendi. Elegans do Zenonis teſtimonium in præſenti, *Dauid humilis, abiectus, ignobilis, iacebat in domo patris ſui oues ſemper paſcendo. Placuit Deo vnctus in Regem, inſpiratus in Vatem. Non inſoleſcit in Regno, obumbrauit neminem Prophetæ terrore, iniurias ſuas non exequitur Regiâ poteſtate, odientes ſe diligit, inimicis parcit, parricidialibus filijs ignoſcit. Inuerſo gratus officio Deo, Dei munus retinendo placiturus, Rex manſuetus, pater pius, Propheta modeſtus, magnis ac mirabilibus ſeculi non immutatur: miſem, humilémque retinet vbique Paſtorem.*

24. *Eligitur Dauid in Regem, quia præuolui ſeruit.* 2. Reg. 24.

Imò ideo à Domino, Populi eſt electus in Regem, proclamante Saule, *Nunc ſcio certiſſimè, quòd regnaturus ſis in Iſrael.* 2. Reg. 24. Quonam ad huiuſmodi certitudinem niteris argumento? Te inunctum Regem humilitatis aduerti cultorem. *Et egreſſus adorauit Regem prono vultu in terram.* Iacob à Deo electus in Principem, libenter fratri ceſſit, & ad ſeruiendum Labano Dominus properauit. Quàm meritò à Deo electus ad imperium: humilitas enim dominatûs inſigne. Adnotauit Zeno ad illud Gen. 28. ſerm. de Patien. *Dat Iacob iracundiæ locum ſecurus, humiliſque diſcedit, vt probet ſe meruiſſe, & non ambiiſſe quod meruit.* Dominatio-ne, an miniſterium Præſulatus? Certè eſt miniſterium. Ergo ſupercilia demittenda. Seneca Tragi. in Thyeſ.

Zeno. — *Principibus adnata ſubmiſſio, quia non habet dominium, ſed miniſterium.* Seneç.

Vos, quibus Rector maris, atque terræ
Ius dedit magnum necis, atque vitæ,
Ponite inflatos, tumidóſque vultus.
Quidquid à vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis Dominus minatur.

Quid ſuperbiat, qui miniſterium poteſtatis accepit ab eo, penes quem Dominium poteſtatis, cui ratio reddenda muneris? *Ponite inflatos vultus.* Petrus procidit ad genua Ieſu, ſe hominem profitetur? Ex hoc eris iam homines capiens. Nunc ſcio certiſſime, quòd regnaturus ſis in Iſraël, quòd Eccleſiæ aſſumeris in Principem.

Observatio III.

Ad illa verba:

Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum.

Diſtulit Chriſtus piſcium capturam, vt dilata dona pluris æſtimarentur, & grato exciperentur animo.

Deſideria enim dilata animum reddunt cæleſtium munerum capaciorem.

CVR Petrus totius noctis inſtantiâ laborans, nihil ceperat? Certè, quia quò ampliùs cœleſte munus differebatur, eò capaciori corde erat recipiendum. Agnito enim mundiali inutili labore, conſtat Simoni Deum fontem bonorum, cui gratitudinis ſubderentur affectus. 25.

Lazari ægritudinem Chriſtus agnoſcens, poſt dies Diſcipulis profatur: *Lazarus amicus noſter dormit.* Textus illam clauſulam perpendo: *Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.* Ioan. 11. τὸ *Vt ergo audiuit*, preme. An apta conſequentia promiſſâ ſpecialiſſimâ dilectione, duobus illum diebus fuiſſe commoratum, poſt agnitum dilecti languorem? Si diligit, cur moris vſus eſt: Parum erat tanto amatori dilectum donare valetudine ægrotum, niſi mortuum reſurrectione donaret. Sororibus dilectis fratrem è mortuis reſurgentem, auguſtiori beneficio, tradere curabat. Chryſologus ſerm. 63. *Chriſtus, cui plus eſt mortem vincere quàm remouere languorem, eius amare illud eſt, non vt dilectum alleuet, ſed ab inferis vt reducat: dilecto non languoris medicinam, ſed reſurrectionis gloriam mox parauit.* Vt igitur præſtantiſſimum beneficium capaciori corde exciperetur, diſtulit effectum, deſiderio quidem animum præparatum.

26. *Differtur Ieſu ad amicũ Lazarum profectio, vt capaciores redderentur maioris memoria ex dilatione, ſorores.* Ioa. 11. — Chryſol.

Sepulchro amandato Saluatoris cadauere, *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans, dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum.* Porrò ante Petri, & Ioannis acceſſum iam Maria Domini corpus inungendum quæſierat. *Maria Magdalena venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum à monumento.* Ioan. 20. Cur tot deſideriis ſeſe Dominus denegauit? An non vt deſideria creſcentia capacius redderent pectus ad tantum munus excipiendum? Ita planè. Si cadauer tradendum amanti fuiſſet, illicò inuentum eſſet. At quia

27. *Differtur Mariæ quærenti Ieſu cadauer latitans, vt deſideria dilata caperent munus præſtantiſſimum.* Ioa. 20.

reſurgens

reſurgens dilectus committendus erat amatæ, opottebat ex dilatione muneris capaciùs reddi
Gregor. cor ad exceptionem. Pulchrè Gregorius hom.25. in Euang. *Quæſiuit prius, & minime inuenit, perſeuerauit, vt quæreret; vnde contigit, vt inueniret. Actúmque eſt, vt deſideria dilata creſcerent, & creſcentia caperent, quod inueniſſent.*

28. *Differtur Deipara aſſumptio, vt merita cumularentur vberiorſque gloria, ex deſiderijs capax redderetur.* Amedæ.

Quæſtionem excitat Amedæus hom. de Aſſumpt. Virg. *Cur aſcendente in cælos Domino, Mater eius, quæ tanto eum amplectebatur affectu, non ſtatim ſequuta eſt?* Enoch in cordis munditia cum Deo ambulauit, & non apparuit quia tranſtulit illum Deus. Elias charitatis nimio igne ſuccenſus curru igneo, ac igneis equis præreptus traditur. *Maria vero excedens Enoch cordis munditiâ, & amoris prærogatiuâ maior Eliâ, quare cum illo, quem genuit, non illico in cælum efferebatur?* Profectò gloria Virginis ex meritorum multiplicatione adeo debebat increſcere, vt tot deſideriorum Deipara fouere affectus deberet, vt
Iuſtin. creſcentia caperent, quod reciperent. Reſpondet ſic Amedæo Laurentius Iuſtin. ſer. de Aſſumpt. *Satis* (ait Dominus) *vota tua diſtuli, ſatis te a Regno meo abeſſe permiſi, non vt te negligerem, nec vt vota tua contemnerem: ſed vt cumularem merita, & ad gloriam affectum accenderem.* Vt ſcilicet caperet, quod acciperet. Tanta piſcium gerenda
Petro diſcurſus aptatur. dante Chriſto, captura, tanta Præſuli ſummo committenda erat hominum expiſcatio, vt oporteret illum totius ſecularis noctis inſtantia vacuum oſtentari. Nihil ceperat Petrus diuturnâ piſcatione, nihil ſuis in manibus diuitiarum inuenerat, vt tanta vacuitas præcordia ad exceptionem tanti muneris præpararet.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.

Iuſtè timet Petrus mali alicuius irruptionem ſe peccatorem agnoſcens, in conſpectu Domini ſanctiſſimi commorantem.

Sæpe enim probi ſocietas improbo eſt exitialis, ipſius planè nequitia.

29. Euth. DIximus ex Euthymio Petrum timuiſſe, ſe agnoſcentem peccatorem, ne crimina eius in conſpectu ſanctiſſimi Domini fœdius apparerent, vnde graui incommodo afficeretur. Quod quidem argumentum per tranſenam probatum, Sarephtanæ Viduæ clamore vberius confirmabo.

30. *Ægypty exitio dantur ex Hebræorum ſocietate fidelium.* Exod.14.

Chriſti Domini ad ſcapham Simonis aſcenſus pelago Galilææ, me ad memoriam Rubri maris adducit, vbi Pharaonis currus periere, ad ripam properantibus Hebræis. *Perſequentes Ægypty ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris. Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebantúrque in profundum.* Exod.14. Vtrumque agmen venter ſicci pelagi excipiebat. Tunc Dominus *inter-*
Chald. *fecit exercitum eorum.* Chaldæus, *conturbauit exercitus.* Non diu improbi colligati cum iuſtis fuere. Deus enim videns iniquos probis adhæreſcere, eos conturbauit, vt à iuſtis ablegarentur.
Lipom. Lipomanus, *curru implicati ſunt, & qui ſuper illos erant, excutiebantur.* A iuſtis ſcilicet, relatis eorum criminibus ad aſpectum ex fidelium ſocietate. Apud Ægyptum quotnam flagellis miſeri Gentiles vulnerati ſunt, dum immixti probis degerent? Poſt abſtractionem fidelis populi quieuere At rurſum Hebræis colligari intendentes, priſtina crimina rememorantur in exitium. *Et qui ſuper illos erant, excutiebantur.*

An non Iob conteſtatur? *Tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex ea.* Cap.38. 31. *Excutit Deus terram, vt ſeparet paleas à tritico, improbos nempè à probis.*
Cribro triticum & paleas immitte, huc atque illuc conquatis, vt paleas à frumento diuidere poſſis, paleis vento traditis, vt euaneſcant. Vndenam paleis leuibus nocumentum? Certè quia Iob 38.
frumento copulabantur. Deus igitur, vt liberet Philip.
electorum triticum à palearum ſeu iniquorum ſocietate exitiali, cribro committit, vt frumentum ſeruetur incolume palearum comminutione. Philippus Abbas inibi. *Præ magnitudine virtutis ſuæ Deus vtraque manu tenens margines terræ quaſi cribro huc, atque illuc concutit, ſiue excutit: vt impios velut paleas, & lolium excutiat à frumento iuſtorum.*

Hieremiæ ex ore Dominus, *quid paleis ad triticum?* Cap.23. Chaldæus, ſicut paleam à tritico, ſic ſeparo iuſtos ab impiis, dicit Dominus. Vix zizaniorum germen inter triticum apparet, cùm agricolæ operam impendunt extirpationi: *Vis imus, & colligimus ea?* Et ni benigniſſimus Dominus miniſtros retardâſſet, vt triticum improbâ ſocietate exerceretur, penitus periiſſent, rurſum agricolâ inclamante: *Ecce mandabo ego, & concutiam in omnibus Gentibus domum Iſrael, ſicut triticum concutitur in cribro.* Amos 9. Ad quæ Hieronym. *Deus, qui menſus eſt aquas manu, pro magnitudine ſua vtraque manu tenens margines terræ, quaſi cribrum huc, illucque concutiet, vt paleis, ac ſordibus (peccatoribus) in terram cadentibus, purum frumentum remaneat, quod in horrea condatur.* Non igitur Petrus incongruè expaueſcit, ſe peccatorem agnoſcens, dum propriâ nauiculâ ſanctorum Dominus commoratur.

32. *Incommoda zizaniorum è ſocietate tritici: palearum ex ipſius commixtione.* Hieron.

Amos 9. Hieron.

Observatio V.

Ad illa verba:

Ex hoc eris iam homines capiens.

Nauis Eccleſiæ Petro ad expiſcationem hominum à Domino traditur.

Edocet Petrus Gubernator, quonammodo fidelis nauicula pelagi ſecularis pericula vitare valeat.

33. GALILÆÆ ſtagnum relinque, ad mundiale pelagus, ô Petre, tranſitus agendus, vt omnium Eccleſiarum naues regas, hominúmque des operam expiſcationi, vtroque pelago immiſſo rete.

34. *Cuncta Eccleſiæ naues Petro tradita, vt ex vtroque pelago piſces extraheret.*

Duæ in præſenti Simoni traduntur nauiculæ piſcibus implendæ. Nec enim vna Præſuli ſummo Eccleſia, ſed cunctæ committuntur. Alij Apoſtoli vni aut alteri Eccleſiæ præficiuntur, Petrus autem omnibus: nec ſolùm à mundiali pelago viuos extrahit piſces, ſed & à Purgatorij ſtagno ad æternæ felicitatis ripam Apoſtolico rete adducit. Ideo Dominus, *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Quia *tibi dabo claues Regni cælorum.* Mat. 16. τὸ *In cælis*, & *cælorum* preme. Cunctis Apoſtolis vnius Eccleſiæ clauis tradita, vnius cœli: Petro cœlorum, Eccleſiarum, ſeculi nempe vtriuſque potens piſces è pelago extrahere. Origenes hom. 6. in Matth. *Non modica differentia eſt, quòd Petro data ſunt claues non vnius cæli, ſed multorum cælorum: vt quæcumque ligauerit ſuper terram, ſciant ligata non tantùm in vno cælo, ſed in omnibus cælis. Ad eos autem qui multi ſunt ligatores* (aut piſcatores) *& ſolutores in terra, ſic dixit: vt ſoluant, vel alligent non in cælis ſicut Petrus; ſed in vno cælo, quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alligent, & ſoluant in omnibus cælis.*

Matth. 16.
Orige.

35. *Extrahens Petrus vnam nauim Romā cunctas trahit ſcaphas, ſeu Vrbes.* Baſil.

Cunctæ naues Petro ſubiiciuntur, quia Romanæ Eccleſiæ naui auguſtiſſimæ cunctæ parent ſcaphæ. Vidiſti omnes mundi vrbes Romæ errores ſequutas quemadmodum cymbas alligatas magna nauis attrahit? Aiebat Baſilius orat. in D. Gordium. *Gordius, ſpretis omnibus, vrbanos fugit tumultus, fori clamorem, Magiſtratuum ambitionem, tribunalium faſtum, quibus magnæ Vrbes repletæ ſunt, multáſque ſecum tanquam naues alligatas puppibus cymbas per æquora trahunt.* Roma equidem ſecum totius Orbis Vrbes attraxit ad errorem. At Petrus à Domino Romam ſecularem, Ethnicam accipiens Chriſtianam effecit, vnaque ei Vrbes omnes veluti cymbas alligatas ad veritatis curſum adduxit, daturus operam hominum capturæ.

Naues cunctas Petrus ſummus Gubernator inſtruxit, ne æquore perirent, ſed feliciter ad portum properarent. Nauiculæ hodie piſcium multitudine plenæ penè mergebantur: Hæc philoſophia Romam edocuit, reliquaſque tibi naues commiſſas ab adnata ingluuie abſtinere. Baſilius ad cap. 2. Iſai. *Naues onere immodico degrauatæ ad portum multo cum negotio prouehuntur, ac facilè ſubeunt naufragium. Parili ratione corpora multa, ac redundanti alimonia in imam voraginem perditionis natando immerguntur.* Bacchi cultus Petri ſtudio facilè fuit ab Vrbe Orbéque ablegatus. 36.

Edocet naues Petrus nimio onere ſaturitatis, ſeu ingluuie ſubmergi.
Baſil.

Edocuit præterea mundialis faſtus gloriam nauis imitatricem. *Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non eſt veſtigium reperire.* Sap. 5. Priſtinæ Romæ felicitatis ethnicæ reliquum-ne veſtigium? Quàm cunctæ mundiales gloriæ nauis curſui aſſimilantur! Hildebertus Epiſt. 56. *Bona vaga, bona pennata ſunt hæc omnia. Eorum eſt, nuſquam eſſe diutius, eorum ſtatus nemini ſtatum præfigere certiorem.* Quilibet certè Orbis ſtatus verbis fugacior, naui leuior. 37.

Edocet mundialem gloriam nauis ſimulatricem.
Sap. 5.
Hildeb.

Petrus naues ſuſcipit non vt apud pelagus conſtituat ſtabiles, ſed vt ad portum pergentes adducat. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis, illic naues pertranſibunt.* Pſal. 103. Pertranſibunt vtique illic naues, non morabuntur, non habitacula ſortientur. Baſilius citat. *Quæ mare permeant naues, non moram trahunt in eo, neque immerguntur vndarum æſtu, vndique commendabiles ſunt. Et qui in carne degunt calcantes huius vitæ æſtuoſos fluctus & vndas ipſi ſuperiores effecti, faciunt operationes in aquis multis.* Dummodò planè haud moram in pelago trahant. 38.

Edocet, non eſſe nauibus apud pelagus immorandū.
Pſal. 103.
Baſil.

Edocet denique Chriſtum excipiens, cunctas naues eſſe Domini poſſeſſionem, vnde à procellis ſunt liberandæ. Nunquam enim Dei poſſeſſio poterit deperire. Iuxta L X X. lectionem. *Domine Deus noſter, poſſide nos.* cap. 26. Poſſide inquam, vt à procellis liberemur. Ambroſius lib. 2. de Abel, cap. 3. *Ipſe nos facit adhærere Deo, de ipſo ſalutem ſperare, fugere terrena negotia, in Dei poſſeſſione numerari. Ea eſt enim ſola poſſeſſio, quæ nullis obnoxia tempeſtatibus perpetua gratia fructus ferat. Ipſe nos facit.* &c. An Chriſtus, vel Petrus quidem Vicarius Chriſti, cui cunctas naues commiſit Eccleſiæ, nos edocet Domino hæreſcere ad procellarum ablegationem. 39.

Edocet, naues Chriſto hærentes tempeſtatibus minimè ſubiacere.
Iſai. 26.
Ambroſ.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

TEMPLI PROPHANATORES VAPVLANT, CLAVDI SANANTVR.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput vigeſimumprimum Matthæi.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum Templi propugnatorem.

PROLVSIO.

TEMPLI Chriſtus limina terens prophanatores vulnerat vapulantes quidem, ſed minimè oblatrantes. Dum autem iuſtitia deſæuit in hoſtes, cæcos & claudos conuenit miſeratio, vtrobique Deitate mirabili. Hos ſanat, quia illos percutit. Hieronymus, Non meruiſſent ſanari cæci & claudi, niſi menſis nummulariorum ſubuerſis: ac ſi quodammodo apud Delubra quorumdam iniquitas piis ſit exitialis. Adiicit Matthæus, *Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit.* Quænam? Hieronymus, *Plerique dicunt, hæc mirabilia eſſe vitam Lazari, cæcorum illuminationem. Mihi verò inter omnia mirabilia hoc videtur mirabilius, quòd vnus homo, ſcribis ſæuientibus, (vt qui viderent ſibi ſua lucra perire) ad vnius flagelli verbera tantam eÿciat turbam, menſas euertat, cathedras deturbet, & alia, quæ vix vnus præſtaret exercitus. Igneum quippe & ſydereum in oculis eius radiabat, & Diuinitatis maieſtas elucebat in facie.* Sic Doctor.

Vitalis ligni Chriſti Admirabilis, *ſiue miracula gerentis*, FRVCTVS SECVNDVS.

Hieron.

MATTHÆVS Cap. XXI.

VERS. 10. ET cùm intraſſet IESVS Ieroſoly-

PARAPHRASIS.

10. NOVA pompa, *ſcilicet iumento vectus cùm Ieſus eſſet ingreſſus Ieroſolymam, ſpectaculo*

mam, commota eſt vniuerſa Ciuitas, dicens: Quis eſt hic?

ſtaculo inſolito vniuerſa Ciuitas commouetur, dicens vtique. Quiſnam hic?

11. Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ.

11. *Turbæ autem, quæ illum comitabantur, reſpondebant: Hic eſt Ieſus Propheta in Ciuitate Galilææ, Nazareth hâ exortus.*

12. Et intrauit Ieſus in Templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.

12. *Huiuſmodi ſtrepitu, ſeu acclamatione Ieſus Templum ingreſſus eſt. Qui autem Regiam dignitatem oſtentârat, Regium munus cœpit exercere Delubro pius. Nam cùm vidiſſet in Templo mercatus, ac fori ſpeciem: alios vendentes, alios ementes, aſſidentes nummularios: Ieſus rei commotus indignitate, omnes vendentes, & ementes è Templo vnà cum mercibus exturbauit.*

13. Et dixit eis: ſcriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

13. *Indignationis ſuæ iuſtam cauſam ex Iſaia profert, qui ſub perſona Numinis ait: Domus mea domus precationis vocabitur, vos autem feciſtis eam latronum ſpecum. Tunc enim Templum immolandis Deo victimis ſacratum vertitur in latronum ſpeluncam, cum prætextu religionis populus ſpoliatur.*

14. Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in Templo: & ſanauit eos.

14. *Tunc ad Ieſum cæci & claudi in Templo acceſſerunt, quos lex arcebat ab ingreſſu Delubri. At Templum Ieſu omnes recipit, qui quæſituri properant ſanitatem. cæci vident Ieſum, claudi ſequentes ipſum, ad Regnum accurrunt.*

15. Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid: indignati ſunt;

15. *Primores Sacerdotum, & Scribæ non, vt oportebat, reſipiſcunt; ſed magis inuidiâ exardeſcunt, & dum vident tantis ſtudijs populum applaudentem: præſentem vim in claudis & cæcis ſanandis, in eijciendis mercimonijs authoritatem, pueros conclamantes: Hoſanna filio Dauid, ferunt impatienter.*

16. Et dixerunt ei: Audis, quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis: Vtique, nunquam legiſtis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem?

16. *Submonent Dominum, vti eum compeſceret clamorem. Irâ, ac inuidiâ temulenti profantur: Audis, quid iſti dicunt? At Ieſus ſacræ paginæ teſtimonio illis os obturaturus, Nunquam, inquit, legiſtis, Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? Vultis occludam ora quæ Deus ad gloriam ſuam efferendam aperuit? Si iſti obticerent, acclamarent Authorem lapides hi, quibus vos eſtis duriores.*

17. Et relictis illis, abiit foras extra Ciuitatem, in Bethaniam, ibique manſit.

17. *His igitur, ex liuore quaſi ſalutis deſperatæ, relictis, abijt Ieſus, & egreſſus Ieroſolymam, Bethaniam petijt, atque inibi commoratus eſt, exceptus quidem à pijs cum irrideretur, qui cum Rex acclamabatur apud impios non inuenit hoſpitium.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Templi vapulat contemptus.

TEXTVS.

VERS. 10. ET cùm intraſſet Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa Ciuitas, dicens: Quis eſt hic? 11. Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ. 12. Et intrauit Ieſus in Templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. 13. Et dicit eis: ſcriptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Ieroſolymæ commotione.

1. *Quænam commotio & vndenam* Hieron.

ET cùm intràſſet Ieroſolymam, commota eſt vniuerſa Ciuitas. Aſello vectus Dominus turbæ plauſu, & acclamatione Ieroſolymam eſt ingreſſus, vniuerſâ commotâ Ciuitate. Quænam illa commotio, & vndenam exorta eſt? Hieronymus exiſtimat admiratione totam commotam Ciuitatem. *Tota Ciuitas commouetur, mirans frequentiam, neſciens veritatem.* D. Thomas, Caietanus, aliique plures conteſtantur. Lyranus putat Ciuitate Sacerdotum Principes, alióſque optimates ſignificari: quæ quidem Ciuitas commota eſt indignatione, *Commoti ſunt Principes Ciuitatis irâ, atque indignatione propter honorem Ieſu exhibitum.* Hilarius autem, *Rerum omnium nouitas motum attonitis afferebat.*

Thom. Caiet. Ianſen. Lyran. Hilar.

2. *Authoris ſententia.*

Aſſero totam commotam fuiſſe Ciuitatem, quia tota ad ſpectaculum omnium oculis digniſſimum confluxit; quod celeberrima in pompa aſſolet euenire. Non abnego ſimul turbatam *illo tumultu acclamationum*; (vti notat Euthymius) nouus enim tumultus, repentina inſolita acclamatio potuit metu ciues afficere. Miraberis Romanos milites non accurriſſe, audientes Chriſtum Iſraëlitas Regem appellari, fauſtiſque à populo acclamationibus excipi. Sed Chriſti potentia hoſtes infrænabantur.

3. *An ex contemptu prolata verba?* Lyran.

Dicens: Quis eſt hic? Quonam hæc expreſſâ affectu interrogatio? Lyranus per contemptum dicta verba exiſtimat. Simile illud: *Pauper loquutus eſt: Quis eſt hic?* Eccli. 13. Aptiùs cum aliis abſque contemptu affirmo eſſe prolata. Quis eſt hic, tanto honore exceptus? Ad ſpectaculum enim nondum videntes, & agnoſcentes Dominum confluebant.

4. *Conſequenter Prophetã appellãr, quẽ Meſſiam Regem appellarant.* Hieron.

Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ. Regem appellauerant, & Meſſiam, nunc Prophetam etiam eſſe teſtantur, & ciuibus Ieroſolymitanis indicant, turba cultioribus reſpondente, *Propheta* Græcè articulum habet. Vnde Hieronymus de Propheta illo Deuter. 18. promiſſo locum intellexit. Quare qui Meſſiam acclamarant Regémque Iſraëliticum, conſequenter Prophetam illum eſſe aſſerebant.

§. II.

De Ingreſſu in Templum.

5. *Se Regem probat, Templi immunitati prouidens.* Caiet.

ET *intrauit Ieſus in Templum Dei.* Probat planè Ieſus ſe Regem Iſraël ac Meſſiam dum in Templum Domum Dei venit, Regiáque authoritate Templi prophanatores flagellauit. Regium etenim Delubrorum immunitati prouidere. Caietanus, *Vis terminans celebritatem ſui aduentus, & in Templum ingreditur*, &c. Regem me prædicatis, Regiæ adhuc dignitatis meæ egregius obiiciam documentum.

6. *Num illa ipſa die, qua ingreſſus in Vrbem, prophanatores punierit?* Mar. 11.

Quæritur, an illâ ipſâ die quâ vectus aſello Ieroſolymam eſt ingreſſus, è Templo negotiatores deturbàrit, an alia? Dubitandi ratio ex Marco deſumitur de die pompæ ſic ſcribente: *Et introiuit Ieroſolymam in Templum*, nihilque actum adiicit in Delubro. At de die alia hæc ſubiicit. *Et veniunt Ieroſolymam, & cùm introiſſet in Templum, cœpit eiicere vendentes, & ementes in Templo.* At Matthæus eadem die eiectos Templi ſignat prophanatores, *Et intrauit Ieſus in Templum Dei*, &c. Auguſtinus lib. 2. de Conſ. cap. 68. reſpondet illâ ipſâ die, qua cum pompa Ciuitatem, & Templum eſſe ingreſſum, vbi violatores flagellauit. Sic Marco reſpondet, *Et veniunt Ieroſolymam Per recapitulationem, & repetitionem. Veniunt inquam prima die, qua nunc Dominica eſt; & cùm introiſſet in Templum cœpit eiicere vendentes.* Recapitulatione itaque Marcus vſus id quod primâ die factum fuerat poſtea ſcripſit. *Non enim* (ait ille) *admodum neceſſarius eſt ordo dierum in rebus geſtis narrandis. ſubſcribo.*

Auguſt.

7. *Reiiciuntur alia expoſitiones.* Ianſen. Caietan.

Ianſenius autem è regione opinatur vendentes è Templo die ſecundâ deturbatos, vt docet Marcus, Matthæum vero anticipatione vſum. Caietanus denique veroſimile arbitratur Chriſtum bis expuliſſe ex templo nundinantes, ſemel

die prima, iterum ſecunda die. Melius autem Matthæum noſtrum exponens ait, *ſecundo nunc eiicit. quia non ſe correxerunt eiectio iterum biennio ante.* Non die proximè elapſo, *ſed biennio ante.* Bis quidem Dominus è Templo vendentes, & ementes expulit, ſemel poſt Baptiſmum, & miraculum aquæ in merum mutatæ, iterum paucis ante patibulum diebus.

8\. *Chriſtus edocet primùm ad Templum filijs nobis accurrendum eſſe.* Caiet. Hugo. Imperf.

Et intrauit Ieſus in Templum Dei. Caietanus. *Non iuit ad plateam, aut arcem, ſed ad Templum Dei terminat celebrem aduentum.* Vt Deo adſcribat celebritatem. Hugo Card. *Dedit formam Religioſis, vt priùs introeant Templum.* Imperfectus. *Hoc erat proprium boni filij, vt & veniens ad domum curreret Patris, & illi honorem redderet, qui genuit. Et tu imitator Chriſti factus, cum aliquam ingreſſus fueris ciuitatem, primùm ante omnem actum ad Eccleſiam curre.*

9\. *Atria Templum vocantur.* Caiet.

In Templum. Nundinatores illi in atriis Templi, quæ nomine etiam Templi ſignificabantur, vendidiſſe, & emiſſe Maldonatus, Barradius, & Cornelius admonent, Caietano fante: *Templi nomine intellige atria Templi, in qua licebat Iudæis non ſacerdotibus ingredi, in quibus morabantur orantes Deum. In ipſum enim Templum non erat fas ingredi niſi Sacerdotibus.*

§. III.

Templi Prophanatores flagellantur.

10\. *Vndenam vendentes, ementes, & nummularii apud delubrum?* Hieron.

ET *eiiciebat omnes ementes, & vendentes in Templo.* Hieronymi ſententiam tranſcribens locum interpretabor. *Primo ſciendum, quod iuxta mandata legis, auguſtiſſimo in toto Orbe Domini Templo, & de cunctis penè Religionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hoſtiæ maximè feſtis diebus, taurorum, arietum, hircorum: pauperibus, ne abſque ſacrificio eſſent, pullos columbarum, & turtures offerentibus: accidebat plerumque, vt qui de longe venerant, non haberent victimas: excogitauerunt itaque Sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia quibus opus erat ad ſacrificia, vendebant: vt & venderent non habentibus, & ipſi rurſus empta ſuſciperent. Hanc ſtropham eorum crebra venientium inopia diſſipabat, qui indigebant ſumptibus, & non ſolùm hoſtias non habebant, ſed ne vnde emerent equidem aaes, & vilia munuſcula. Poſuerunt itaque & nummularios, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege præceptum, vt nemo vſuras acciperet, & prodeſſe non poterat pecunia fænerata, quæ commodi nihil haberet, & interdum ſortem perderet, excogitauerunt & aliam technam, vt pro nummulariis colybiſtas facerent, cuius verbi proprietatem latina lingua non exprimit. Colyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuſcula, verbi gratia frixi ciceris, vuarúmque paſſarum, & poma diuerſi generis. Igitur quia vſuras accipere non poterant colybiſtæ, qui pecuniam fænerati erant, pro vſuris accipiebant varias ſpecies: vt quod nummo non licebat, in iis rebus exigerent, quæ nummis coemuntur.* Omnia approbo. Sed Doctoris tanti veniâ dubito, num illa fuerit conſuetudo à Sacerdotibus introducta? Potuit equidem ab ipſis offerentibus paulatim introduci, Sacerdotibus non repugnantibus.

Eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. De Templo, id eſt, de Templi atriis nundinatores deturbauit. *Nec ſolum* (ait Caietanus) *contra homines vendentes, & ementes, ſed & contra inanimatas res preparatas ibidem ad ſeruitium negotiorum vindictam exercet.* 11. *Contra inanima, a q a amorum inſtrumenta deſæuit Dominus.* Caiet.

Et cathedras vendentium columbas euertit. Ambroſius ad cap. 19. Luc. putat abſurdum columbarum venditores tanquam Doctores legis cathedras habuiſſe. Vnde ad myſticum accurrens ſenſum aſſerit venditores columbarum Epiſcopos eſſe, qui dona Spiritus ſancti pecunia vendunt. Hunc quidem Ambroſium reliquoſque antiquos ſecutus interpretes approbo, ſed literalem retinens ſenſum. Credo enim venditores columbarum in quibus ſederent, cathedras habuiſſe: non quales legis Doctores, ſed quales huiuſmodi rerum venditores in foro aſſolent habere. In nummulariis etiam cathedras occupantibus non has, ſed menſas euerſas memorauit, quod præcipuum, & maius erat, ſuppreſſo, quod minus. 12. *Quænam vendentium columbas cathedras* Ambr.

Quonammodo nummularij, & reliquum hominum genus auariſſimum Chriſto non reſtitit? Reſpondet Hieronymus. *Mihi inter omnia ſigna quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt poſtea crucifigeretur: Scribis, & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & videntibus lucra ſua deſpici, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, menſaſque ſubuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non faceret exercitus.* 13. *Mirum maximum, auaros homines in Chriſtum non inſurrexiſſe.* Hieron.

Scriptum eſt: (eis dixit) *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Scripſerat Iſaias: *Domus mea Domus orationis vocabitur cunctis populis.* Cap 56. Et quidem Templum locus precum, quod illi ementes, & vendentes propter nundinas, auaritiam, & negotiationem latronum fecerant ſpeluncam. Theophylactus, *Propter negotiatores vendentes, & ementes, ſpeluncam latronum appellauit Chriſtus Templum. Auaritia enim, & lucri cupiditas latronum morbus eſt.* Illud ſimile Ieremiæ: *Nunquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen meum in oculis veſtris?* Cap. 7. latronum ſpeluncam vocitat Lyranus. *Qui enim illuc conuenerant, ad excoriandum populum aderant.* Myſticè D. Thomas. *Qui in Eccleſia lucris temporalibus inhiant, eiiciuntur ab ea tanquam latrones.* Plura in Panegyrico. 14. *Templum orationis locus.* Iſa. 56. Theoph. Iere. Lyran. Thom.

IN IESVM TEMPLI PROPVGNATOREM
PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS.
EX VAPVLANTE CONTEMPTV.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Commota eſt vniuerſa Ciuitas, dicens: Quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilaæ.

A minimâ Nazaretha Dominus magnus Propheta exurgens proclamatur.

Ex fundamine etenim humilitatis auguſta exædificatio conſurgit.

15. Hugo. HVGO Card. *Hic eſt Propheta à Nazareth, quem prædixerat Moyſes.* Deut.18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus.* Sicut me ſuſcitauit apud deſertum commorantem, ac greges paſcentem, è paruula Nazarethæ Vrbe Meſſias magnus Propheta ſuſcitabitur. Dei enim exædificatio exiguo nititur fundamine, vt conſurgat eleuatiſſima.

16. *Vt Chriſtus ad ſupremum verticem conſurgat humilitatis fundamen ſupponere videtur.* Matth.25. Hieron. Apud Matthæum Dominus, *ſicut homo peregrè proficiſcens vocauit ſeruos ſuos & tradidit illis bona ſua.* Cap.25. Vbi Hieronymus. *Homo iſte Paterfamilias haud dubium, quin Chriſtus ſit, qui ad Patrem poſt reſurrectionem victor aſcendens, vocatis Apoſtolis doctrinam Euangelicam tradidit.* Si Chriſti ex ædificatio hodie conſurgit ad ſuprema, cur *homo* Dominus, & non potiùs Rex appellatur? Imo quia ad eleuatiſſimum verticem machina exſurgit, Deo conditore, humilitatis humanæ ſupponitur fundamentum; *Homo peregrè proficiſcens.* Imperf. Imperfectus hom. 53. aſſerit illa particula: *Homo,* Chriſti humilitatem adnotari. *Homo peregrè profectus Chriſtus eſt poſt victoriam paſſionis ad Patrem iturus: voluntate miſericordiæ homo, non neceſſitate naturæ.* Supponitur itaque Homo voluntate miſericordiæ, fundamentum, vt eleuatiſſima exurgat exædificatio.

17. *Ad iudicandum veniet, humilitatis fundamini adhuc ædificio hærente.* Quid ſi poſt ipſam aſcenſionem adhuc humilitatis fundamini machina innitatur? Certè cùm aſcendit ad Superos, pedes Olιueti vertice addicebat: vnde non mirum ſe non ex capite auro, ſed ex luteis pedibus expoſuiſſe: Homo peregrè proficiſcens. Matth.25. Aſt è ſuperis ad terram reuerſurus expreſſiùs ſuam euulgat ex Nazarethâ terrena exiguitatem. *Cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ.* Electis profaturus: *Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Mat.25. Non ſolum ſe hominis Filium vocat, ſed minimorum hominum fratrem profitetur tunc, quando præſtantiſſima, homines & Angelos iudicaturus, iura Deitatis exercet. An non id ex humilitate exortum? Chryſoſtomus, *O humilitas Chriſti! Eſto quamdiu in corpore contemptibilis erat in Mundo, fuerat veriſimilis ratio, vt propter ſimilitudinem viſionis fratres ſuos homines appellaret. Quid autem dicamus, quod in illa gloria conſtitutus adhuc contentus eſt, eos dicere fratres, quibus ſufficeret ad laudem, ſi bonos ſeruos vocaret.* Cur igitur tantæ humilitatis exhibuit documentum? Chryſoſt. *Meritò, quia veniens in iudicio gloriæ, non mutauit volũtatem priorem.* Quænam prior Domini voluntas, niſi fundamentum humilitatis, de quo aiebat Imperfectus: *Voluntate miſericordiæ homo.* Non mutat ergo in gloria veniens humilitatis fundamen, quia tota gloriæ machina ſuper illud innititur. Ac ſi quodammodo gloriæ corrueret ædificatio ſi non eidem fundamini hæreſceret.

18. *Dei Mater futura Maria, ſe quaſi neceſſariò profitetur ancillam.* Luc.1. Deipara Filium imitata. Angelus inquit, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, & quod naſcetur ex te ſanctũ vocabitur Filius Dei.* Audiens Maria ſe infallibiliter Matrem Dei futuram, ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Luc.1. Quid ancillæ cum Matre? ſi Maria Moyſis in morem temerè intenderet: Non fiat ô Domine, quia tanto impar honori, ſeſe meritò appellaret ancillam. At cùm munus acceptat, ſeque Matrem offert Altiſſimo, *Fiat* exhibendo, quonammodo potuit ſe ancillam profiteri? Imo quia mater futura erat ad verticem ineffabilem conſurgente ædificio, neceſſarium fuit humilitatis fundamina ſupponere. Guarricus Abbas Guarr. ſerm. 3. de Nat. *O Domine, tu matrem me dicis, ego ancillam profiteor. Ancilla Chriſti ſum, & quidem Matrem me præſtabo.* An poſſet ſe præſtare Matrem niſi priùs, ſe profiteretur ancillam? Certè quàm neceſſarium exurgenti machinæ humile fundamentum, tam neceſſaria humilitas altitudini. *Ancilla ſum iam, me Matrem præſtabo.* Quàm ineptè ſine fundamine ſubmiſſionis celſitudinem curas extruere.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et intrauit Ieſus in Templum Dei, & eijciebat omnes ementes, & vendentes.

Rex à turbis Dominus appellàtus, mox curat Templi immunitati, ac reuerentiæ prouidere.

Regius etenim eſt ergà Delubrorum reuerentiam zelus.

19. SENSI cum illis, qui aſſerunt eadem ſolemnis triumphi die, nempe Dominicà Palmarum, Dominum zelo accenſum nundinatores è Templo deturbàſſe. Tunc igitur cùm Meſſias, cùm Iſraëlis Princeps, cùm Iudæorum Rex acclamatur, accurrit ad Templum vt Regiæ dignitati adnatam expendat actionem, nempè mox pòſt acceptum Regni clauum Templorum reuerentiæ prouidere.

20. *Fideli Iſraeli indicitur Templorum cultus, cum primùm Regia præfulgeat poteſtate.* Deut. 7.
Iſraëli Dominus, *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coràm te: erudieritque eas Dominus Deus tibi:* (ſcilicet cum Rex earum, ac Dominus exurgas) *lucos illorum ſubuertite, & confringite ſtatuas*. Deut. 7. Idola comminuite, Delubra euertite, lucos ſuccidite; vt veri Numinis Tabernaculo præſtetur obſequium. Pende illa: *Cùm tradiderit Dominus*, &c. Id eſt, vbi poteſtatem acceperis, mox Dei cultui promouendo ſtudium impende. Auguſtinus ſerm. 6. de verbis Dom. *Cum data, inquit, fuerit terra in poteſtatem. Prius nit in poteſtatem, & ſic dixit quæ mox facienda ſunt. Aras eorum deſtruetis, lucos comminuetis, cum acceperitis poteſtatem.* Prima etenim actio Regis debet Templorum repurgationi impendi. Veneris apud Delubrum Dei adoratur ſtatua adoleſcentum impudicitia: aut Saturni Sacerdotum auaritiâ, &c. Principis, Præſulis prima cura, ſimulacra e Templis deturbare.
August.

21. *Ozias impius in Templum quodammodo, Dominum ſua maieſtate exuerat: pio indurante Ioathan, mox accepto Regno* Iſa 6. Hiero.
Mortuo impio Rege Ozia, eius filius Ioathan ſucceſſor obiicitur. Ille quidem Templi haud curans reuerentiam, ſe ſe Sacerdotum muneri ingeſſit lepræ plagâ flagellatus. Aſt Ioathan Templi iura ſeruauit. Profatur Iſaias, *Anno, quo mortuus eſt Rex Ozias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum.* cap. 6. Vbi pulchre Hieronymus, *Vt habitu in Dominus regnantis oſtenderet.* Cur Deus regnantis habitum oſtentat mortuo Oziâ, Ioathan regnante? Quia quemadmodum impietate erga Dei cultum Oziæ, quaſi obſcurabatur Domini imperium: zelo Ioathan erga Templi cultum rurſum efferebatur. Quàm commendabile Regnum Ioathan, qui vix clauum accepit, cùm à parentis iniuria Deo illata ipſum vindicare procurauit. *Ex quo animaduertimus,* (adiicit ille) *regnante leproſo Rege* (nempe qui lepræ morbo ob irreuerentiam circa Templú corripitur) *nos Dominum in ſua maieſtate regnantem videre non poſſe.* Permittitur à Præſule apud Delubra irreuerentia fidelium conſluentium, ſiue potiùs infidelium Delubri contemptorum: Quonammodò preces Domino profundendæ, qui poteſt obiicere: Me impudentia hominum, procacitas fœminarum, Principe permittente Regia exuit maieſtate: quem exoratis?

22. *Salomon cum Domino ſimul ſedet, quia Rex mox gens illico Templi perfecit fabricam.* 1. Par. 19. Carthuſ.
Quàm pius Salomon, quam Patris circa Delubri cultum æmulator! *Sedit Salomon ſuper ſolium Domini in Regem pro Dauid Patre ſuo.* 1. Paral. 29. Quare Regium ſolium Domini ſolium appellatur? Profectò, quia cùm primùm Salomon Regni clauum tenuit, operam impendit Templi cultui perficiendo. Carthuſianus, *Quia fuit ſolium Regis fidelis, qui præſidendo fuit cultor Dei.* Idest, illico poſt ſeſſionem curauit, vt ſemper Dei maieſtas auguſtiſſima, ex Templi cultu, hominibus obiiceretur; vt *Dominum in ſua maieſtate regnantem* intuerentur.

23. *Salomon Domino regnat, quia mox curat Templi cultum promouere.* 1. Par. 29. Abulenſ. Carthuſ.
De Salomonis inunctione Textus, *Vnxerunt autem eum Domino in Principem.* 1. Paral. 29. Particula illa: *Domino* premenda eſt. Cur Domino inungitur Salomon? Abulenſis quæſt. 25. *Quaſi ad vtilitatem Dei.* Salomon ſolummodo ad Dei vtilitatem ad thronum aſcendit. Exprimit Dionyſius Carthuſ. *Vnxerunt Salomonem in Principem ad honorem Dei.* An non ad iura proferenda, & obſeruanda? Ad improbos comprimendos, probóſque afficiendos muneribus Regiis, Vrbeſque protegendas: Certè adeo Salomon mox poſt aſſumptum Regnum Templi addicitur cultui; vt ſolummodo ad id munus electus in Principem videatur: *Vnxerunt eum in Principem ad honorem Dei.* Quem quidem, in feliciſſimum omen, Reges, Præſuléſque conentur imitari.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et eijciebat omnes vendentes, & ementes in Templo.

Taxaturus Dominus Sacerdotum auaritiam, & irreuerentiam, percutit ſeculares.

Edocens concionatores, ne palam Sacerdotalis ſtatus, præcipuè Præſulum vitia carpant: ſed prudenti aſtu in alijs corripiant.

24. Hieron.
ASSERVIMVS ex Hieronymo nundinatores illos apud Templi atria Sacerdotum mente commorari. Vulnerat Dominus vendentes, & ementes, nummularios deturbat, venditores columbarum ablegat. Cur non Sacerdotum ſibi cognitam taxat auaritiam? cur non ſaltem verbo reprehendit? Euangelicos concionatores Magiſter edocet in ſecularium crimina deſæuire, cum Sacerdotum curat comprimere exceſſus. Non illi palam taxandi ob Sacerdotalis dignitatis reuerentiam, ſed crimen illorum ſic in ſecularibus reprehendendum, vt ipſi intelligant ex eleuatiſſimo ſtatu tranſgreſſores.

25. Magiſtri quidem ſecularium Sacerdotes ſunt, qui quidem minimè ſunt taxandi delinquentes niſi ſecularis prætextu reprehenſionis. Hiſpanè explico: *Sean reprehendidas en caueza de los ſeglares.* Matth. noſtri expendo clauſulam illam: *Et cathedras vendentium columbas euertit.* Cap.21. Ambroſius aſſeruit vendentes columbas eſſe ſacerdotes auaritiæ vitio maculatos, qui cathedris addicuntur ſecularium magiſtri. Dominus autem vendentium ſecularium cathedras ſubuertit. Cur non Magiſtrorum Eccleſiæ? Certè ob reuerentiam ſtatui debitam. Sed tamen ſecularibus ita vulnera infligit, vt quaſi Magiſtrorum cathedras vulneraſſe videatur. Eucherius lib.2.in lib.Reg. *Magna cautela ſubditorum eſt non indicare vitam regentium. Neque enim fruſtra Dominus cathedras vendentium columbas euertit, ſignificans, quia per Magiſtros vita indicatur plebium.* Si Chriſtus iudices & Magiſtros immediatè, ac palam carperet, diſcipuli, ac ſubditi ſeculares eorum dignitatem contemnerent. Corripit ergo latenti aſtu Sacerdotum, Magiſtrorum cathedram, dum ſecularium cathedram manifeſtè deturbat. Audiens enim Eccleſiaſticus hominem ſecularem auaritiam dedecere, colliget quàm indecentior ſit macula Sacerdoti.

Cathedras Magiſtrorum euertit Dominus, ſecularium vendentium cathedras euertens.
Matth.21.
Ambroſ.
Eucher.

26. Chriſtus apud hortum *ad eos, qui venerant ad ſe Principes, Sacerdotum, & Magiſtratus Templi, & ſeniores: quaſi ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus.* Luc.22. Vbi quæritur, quonammodo Dominus hæc dixerit Sacerdotum Principibus, qui venerant ad ſe: Reſpondet Caietanus, *Tanta erat iſtorum cæcitas, vt incredibile non ſit, ex quolibet ordine Primorum ſcilicet Sacerdotum & Magiſtratus Templi aliquem perſonaliter aduenisse.* Exiſtimo tamen minimè illos aduentâſſe. Quonammodo autem Chriſtus loquitur ad *Principes Sacerdotum, qui venerant?* Venerant quidem in miniſtris à ſe immiſſis. Hos autem ita Dominus corripit ac ſi ipſos Sacerdotum Principes vulneraret. Caietanus addit, *Quamuis eſſe potuerit, quod aliqui eorum affuerint illic, rationabilius tamen intelligitur, iſtos non per ſe ipſos, ſed in miniſtris affuiſſe.* Vnde in præſenti negotiatores à Sacerdotibus apud atria Templi collocatos vulnerans Dominus, Sacerdotes ipſos reuerenter compunxit. Alibi plura.

Taxat Ieſus Principes Sacerdotum, carpens miniſtros ab ipſis immiſſos.
Luc.22.
Caietan.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo, & menſas nummulariorum euertit.

In Templo lucris ſtudentes meritò à Domino flagellantur.

Iram etenim Dei ſubeunt quicumque ex Eccleſiaſticâ dignitate, aut munere diteſcere curant.

Eſcob.& Mend.In Euang.de Temp.T.I.

ANGLICVS Doctor myſticè ſic locum interpretatur, *Qui in Eccleſia lucris temporalibus inhiant, eijciuntur ab ea.* Quam horribile ſupplicium te ab Eccleſiæ dignitate deturbari, exutum verè Sacerdotali ſtolâ, ſeculari datum amictui? 27.

Thom.

In ſeruum Giezi ſic Propheta inuectiuus exurgit: *Accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, vt emas olivueta, & vineas, & oues, & boues, & ſeruos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi.* 4.Reg.5. Ad quæ Caſſianus lib.7. cap.14. *Giezi ea, quæ nec antea poſſederat, volens acquirere, æterna leprâ, Eliſæi* maledictione perfunditur. Sacerdotum taxat auaritiam, qui ex penu ſeculari non habentes quod colligant, ad Sacerdotale ſeu Eccleſiaſticum munus accurrant, vt ex eo recipiant, & cuſtodiant quæ ex ſeculo minimè potuiſſent. Hi meritò plaga ſeculi corripiuntur. 28.

Sacerdos curans acquirere ex miniſterio, quod ſecularis non compararet, punitur ſeculari plaga.
4.Reg.5.

Quàm acris illa vox: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Matt.21 *Vos autem.* Quinam? Vereor ne Sacerdotibus ſint verba accommodanda. Apud Ieremiam Deus. *Veniſtis, & ſtetiſtis coram me in domo hac* (Templo videlicet) *in qua inuocatum eſt Nomen meum;* (quia domus orationis eſt) *& dixiſtis: liberati ſumus, eò quod fecerimus omnes abominationes iſtas.* Sacerdotum aſtu negotiatores ad Dei domum accurrunt, vt Sacerdotes auari lucris ſtudium impendant. *Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt Nomen meum?* Cap.7. legit Chryſoſtomus hom. 13.in Matth. *Numquid ſpelunca hyena facta eſt domus mea mihi?* Et adiicit: *Hyena beſtia eſt ſanguinora, beſtia, quæ corporibus delectatur: beſtia quæ non delectatur niſi cadaueribus mortuorum. Hoc autem dicitur de Sacerdotibus Iudæorum.* An non Sacerdotibus Chriſticolis illis, qui ex Sacerdotali munere ſolùm lucra aſpiciunt (vnde cadaueribus delectantur humandis) hæc poteſt ſententia accommodari? Hi quidem Deo ipſi hyæna ſunt effecti: *Spelunca hyæna facta eſt domus mea mihi.* Væ illis tanquam latronibus puniendis. An non latro lethaliter plectendus Sacerdotali expoliatur amictu & ſeculari addicitur poteſtati? An non ex ſpelunca abſtracta lapidibus obruitur hyæna? *Proiiciam vos* (Deus ait) *à facie mea ſicut proieci omnes fratres veſtros vniuerſum ſemen Ephraim.* Ibid. Et quodnam horribilius ſupplicium Sacerdoti lucris ex munere ſtudenti, quàm à facie Domini, ſeculari turbæ addicendo deturbari? 29.

Sacerdotes auari hyæna corporum defunctorũ amatores ob lucrũ animarum minimè. Atriter puniendi.
Iere.7.
Chryſoſt.

Olim Dominus ad Aaron Sacerdotum Præſulem: *In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael.* Num.18. Nec partem Dominus Sacerdotibus in terra concedit, totos ſibi curat colligari, ipſo Domino illius partis, quæ è terra erat comparante, vices gerente: *Ego pars.* Pharao Sacerdotibus ſuis ſolis permiſit terræ poſſeſſiones, reliquis omnibus ſuas pro frumento vendentibus. Gen.47. Audi Origenem hom. 19. *Pharao terras conceſſit Sacerdotibus, Dominus autem Sacerdotibus ſuis partem non concedit in terra; ſed dicit eis: Ego ſum pars veſtra. Videte Domini Sacerdotes, quæ ſit differentia; ne fortè qui partem habent in terra, & terrenis ſtudiis vacant, non tam Domini, quam Pharaonis Sacerdotes eſſe videantur.* Quid ſi te non ſuum, ſed Pharaonis 30.

Auari Sacerdotes Pharaoni, nō Deo deſeruiunt.
Num. 18.
Orig.

Sacerdotem Dominus eſſe comperiat? Profectò te ad Pharaonis idolorum cultum deturbabit. An non auaritia *ſeruitus idolorum*? Ergo idolis ſeruiat, qui idolis mancipatur. Non te pudet Sacerdotem Regem cum ſecularibus mancipiis miſerè colligari? Redeo ad Chryſoſtomum.

31. *Pharaonis Sacerdos eſt, qui cadaueribus humãdis delectatur, non animos inſtruendos ſuſcipit.*

Hyæna beſtia eſt, quæ corporibus delectatur. Ex hominibus ſibi commiſſis inferiorem, & viliorem portionem curandam accipiunt Sacerdotes, minimè ſuperiorem. Totus homo Sacerdoti traditur, animus inſtruendus, ad ſpiritualia promouendus, à terrenis auocandus; corpus autem egens reficiendum Eccleſiæ annona, redundanti, cadaueri ſacræ addicendum ſepulturæ. Porrò illi animi omnino cura neglecta, corpus ſuſcipiunt curandum non viuum, ſed cadauer humandum, ſi lucri ſpes. An non id, munus exequi Sacerdotis Pharaonis? De his pulchrè addit Origenes, *Pharao vult Sacerdotes ſuos habere poſſeſſiones corporum, & non animæ.* O crudeles hyænæ! quæ cadaueribus delectamini!

Orig.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo.

Inflicto vulnere Chriſtus auaros è Templo deturbauit.

Auaritia etenim homines immutat in beſtias diuerberandas, percutiendas.

32. MIrum, mitiſſimum Dominum, qui ſeſe manſuetudinis expoſuit exemplum: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde,* non iam verbis homines, ſed verberibus vulnerarit. Profectò ſi Chriſtus homines percuſſiſſet, me in admirationem raperet. Non homines, ſed beſtias vulnerat, qui punit auaros; auaritia enim homines commutat in beſtias.

33. *Auaro nullus intellectus. Equus quidē & mulus fuſtibus percutiendus.*

Iud. 6.
Ambr.
Luc. 6.

Hebræis Propheta à Domino immiſſus, *Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis Deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluiſtis audire vocem meam.* Iud. 6. Ambroſius myſticè aſſerit Hebræis idolis ſeruientibus ſignari eos, qui auaritiæ libant, idolorum quidem ſeruituti. Hi non audiunt, qui humanitate ipſa exuti, auribus audiendi expoliantur. Clamat Chriſtus: (inquit ad Pſal. 118.) *Theſaurum vobis condite in cælo. Hoc diuites audire non poſſunt. Clauſas habent aures, & ſono æris obtuſas. Nummi magis illis reſonāt, quam verba diuina.* Vnde Lucas, *Audiebant hæc omnia Phariſæi, qui auari erant, & deridebant eum,* cap. 6. Qui igitur humanitate expoliantur, ad bruta diuertentes ſine rationis vſu, ſine æſtimatione non verbis admonendi, ſed afficiendi plagis. Theodoretus quæſt. 36. ad cap. 28. Deuter. *Hi improbi non tam mouentur promiſſionibus, quam plagarum inflictionibus.*

Theod.

34. *Aſino ſtultior eſt verberans, dus equidem docetur ab aſina.*

Num. 22.

Balaam auaritiam Deus per iumentum coërcet; hominem in brutum mutatum ſignificans. *(cernens Angelum aſina ſtantem in via euaginato gladio, auertit ſe de itinere, quam cum verberaret Balaam, & vellet ad ſemitam reducere, aſina iunxit ſe parieti, & attriuit ſedentis pedem.* Num. 22. Verberata aſina reuerberat percuſſorem. Ac ſi diceret: Dignior tu verberibus aſinâ, qui obcæcatus auaritia Dei prohibitionem tranſgredi conaris, quam ego terrore Angeli non tranſgredior. Auguſtinus quæſt. 48. *Hoc ipſo confundens illam dementiam, quod prohibitionem Domini per Angelum factam tranſgredi aſina non auderet, quam ille cupiditate tranſgredi conaretur.*

Auguſt.

35. *Homines auaritia reddit beſtias ſine ratione ſimiles.*

Ezech. 33.

Vis Iudæ metamorphoſim contemplemur? Ezechieli Dominus, *Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, qui in canticum oris ſui vertunt eos, & auaritiam ſequitur cor illorum.* Cap. 33. Vbi auaritiæ ſe committunt, tanta illos capit dementia, vt (in morem beſtiarum) non cum eis ſit verbis agendum, ſed funibus. Verbis, ac benignitatis actionibus curauit Dominus Iudam auaritiæ morbo correptum à barathro reuocare. *Maligno autem cordi.* (loquor cum Leone ſerm. 11. de Paſ.) *nunc furtis fraudum dedito nihil vnquam miſericordiæ Saluatoris inſederat: nec piis acceperat auribus Domini verba dicentis: Non veni vocare iuſtos ſed peccatores.* Quid plura? *Proiectis argenteis in Templo, abijt, & laqueo ſe ſuſpendit.* Matth. 27. Fune vulneratur, qui verbis non feritur. Bruteſcens enim animus fuſtibus eſt agendus.

Leo.

36. *Ex auaritia homines mutantur in feras.*

Gen. 37.

Conueniunt fratres Ioſeph vt adoleſcens venundaretur, è ciſterna extractus. *Prætereuntibus Madianitis negotiatoribus extrahentes eum de ciſterna vendiderunt Iſmaelitis viginti argenteis.* Geneſ. 37. Mox poſt auaritiam mente admiſſam, *tulerunt tunicam eius, & in ſanguine hœdi, quem occiderant tinxerunt.* Hanc cum miſſam agnouiſſet Pater ait: *Fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph.* Ibid. Hœdum illi occiderunt, non fratrem. *Fera peſſima comedit eum.* Opus hoc auaritiæ neceſſariò perfectum à beſtia. Auari enim omnem exuunt humanitatem. Chryſologus ſer. 29. *Sic auaritia ſiccauit mentes, ſic corda depreſſit, ſic quod in eis fuerat humani ſenſus ferinam in rabiem commutauit: vt non offenſam Dei, non ſancti patris dolorem, non proprij ſanguinis ſenſum meminiſſe permiſerit. Intuere quid auro grauius, quod cum mores hominum perdit, perdit & naturam.* An non verè profatur genitor? *Beſtia deuorauit Ioſeph.*

Chryſol.

37. *Aſinus auarus contra quem fera cuncta.*

Chryſ.

Quod ſi loco Prouerbij circumferebatur? *Contra aſinum fera:* In ſtultiſſimum auarum ipſe auaritia cunctarum ferarum gerens perſonam crudelis exurgit. Chryſoſtomus hom. *Quod nemo læditur, &c.* profatus eſt: *Amor pecuniæ vt fera quædam omnium corda poſſidet. Et cum lupis, vrſis, leonibus ferocius ſæuiat: ſuauis tamen videtur hominibus.* Quid dementius? *Volutari in cæno eius tanquam aſini delectantur. Tales omnes qui auaritiæ huic manus dederunt, turpiores etiam ſunt iſto animante.*

38. *Quam aſinus qui diues eſurit.*

Horat.

Vis huius aſini ſtoliditatem deſcribam? Horatius lib. 1. epiſt. 2. *Semper auarus eget.* Non ſolum quia creſcentem ſequitur cura pecuniam, Maiorúmque *fames;* (vt cecinit idem lib. 3. Carm. Od. 16.) Sed auaro *deſunt multa,* imo omnia quæ poſſidet, minimè in domini cedunt vtilitatem. Semper eget, eſurit, ſicco ventre, ſolummodo marſupio ſatiato. An non homo huiuſmodi cum aſinis eſt annumerãdus. Audi Textorem Emb. 85.

Textor.

Septi

Septitius populos inter ditiſſimus omnes
Arua ſenex nullus quo magis ampla tenet.
Defraudans geniumque ſuum, menſaſque paratas,
Nil præter betas, duráque rapa vorat.
Cui ſimilem dicam hunc, inopem quem copia reddit.
Anne aſino? ſic eſt, inſtar hic eius habet.
Namque aſinus dorſo pretioſa obſonia geſtat,
Séque rubo, aut dura carice pauper alit.
Num non cum aſino fuſtibus agendum?

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo.

Ipſe Dominus Sacerdotes percuſſit auaros.

Nec enim ſecularis poteſtas in Chriſtos Domini debet inſurgere, aut aduersùs eos ſublatrare; ſed taxandos Deo, aut eius Vicario relinquere.

39. Pius. EXISTIMAT Pius I. epiſt. 1. Chriſtum non aduersùs ſeculares, ſed aduersùs Sacerdotes in Templo negotiatores deſæuiiſſe, illóſque flagello vulneraſſe. Quod ſi requiras rurſum cur manſuetiſſimus, qui calamum quaſſatum non frangit, cedrorum quatiat verticem? reſpondebit Pontifex Chriſtum ad puniendos Eccleſiæ miniſtros vſum non fuiſſe Petri, aut cuiuſuis Diſcipuli manu, quia tunc ſeculares cuncti non decenter corriperent Sacerdotes. Ediſcant ſeculares in Chriſtos Domini non audere exurgere, non aduerſus eos obmurmurare, eorum delicta non corripere, à ſolo Domino, aut eius Vicario punienda.

40. *Ad Deum Deorum pertinet Deos punire, ſeu Sacerdotes carpere.* Pſalm. Anacl. David cecinit, *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* Pſalm. Ad ipſum immediatè pertinet Chriſtos Domini corripere, & vulnerare. Anacletus Pap. epiſt. ad Epiſc. Ital. fatur, *ſiquet quod Sacerdotes à Deo ſunt iudicandi, non ab hominibus lacerandi; ſed potius ab hominibus fidelibus portandi*; (homines ſeculares appellat) *ipſo Domino exemplum dante, quando per ſe ipſum, & non per alium vendentes, & ementes eiecit de Templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium proprio euertit flagello, & eiecit de Templo, & ſicut alibi ait: Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos decernit.*

41. *Solus Deus poteſt Sacerdotes ſeruos diuerberare.* Rom 14. Anacle. Horribile ſupplicium diuerberatio, ſeruus verbere afficitur. An ô ſecularis, exiſtimas Sacerdotem tibi ſeruire, qui eum aut verbo, aut actione vulneraſti? *Tu quis es,* (ait Paulus) *qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Rom. 14. Sacerdos Dei ſeruus ſolius, Deo ſoli delinquit, ab ipſo ſolo corripiendus. Anacletus citat. *Nullus, vt reor, inuenitur inter nos, qui velit, ſuum ſeruum ab alio, quam à ſe iudicari. Quod ſi præſumptum fuerit, aut multa ipſe indignatione iraſcitur, aut potius vltionem quærit ſuper eum. Si vero hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus Deorum, & Dominus dominantium, qui vltionem ſuorum promiſit non differre ſeruorum?*

Cum ſecularis quocumque prætextu vulnerat Sacerdotem, ipſum Dominum percutit, imo oculorum eius pupillam audet lacerare. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. Et quodnam ſupplicium huiuſcemodi delinquenti paratur? Subiicit Anacletus, *ſi aliquis nunc oculos alicuius Principis in malum incipit tractare, manifeſtè reus Maieſtatis iudicatur, & infamis efficitur, aut potius capitali ſententia ſubiacet.* Solus Deus potes tangere Sacerdotes, quin eius oculi vulnerentur. Quid, ſecularis, contra Sacerdotem deſæuis ipſius Dei lumina vulneraturus læſæ reus Maieſtatis? *Quapropter oportet omnes ab his cauere, & non ſolum non facere, ſed nec facientibus conſentire. Quia non ſolùm qui faciunt damnantur, ſed qui conſentiunt facientibus.* 42. *Sacerdotem ſecularis vulnerans Dei lumina percutit.* Zach. 2. Anacl.

Pudeat te à Gentili accipere documentum. Dum Dei Filius ad Pilati tribunal ſiſteretur, & veritatis efficeret mentionem: *Ego ad hoc veni in Mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati:* Præſes interrogauit, *Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos.* Ioan. 18. Cur Pilatus quæſtionis ſuæ non expectauit ſolutionem? Reſpondet Lyranus. *Quia erat de Regno ſpirituali, vt viſum eſt, ipſe autem non habebat ſe intromittere niſi de temporalibus: Ideo hoc aduertens iterum exiuit ad Iudæos.* Exiuit planè vt curaret loco ſolutionis quæſtionis illius, ipſius vincti ſolutionem. Aſſerit Lyra, veritatem ſonuiſſe Pilato *participationem veritatis diuinæ.* Hic reus haud ſecularis eſt, Propheta eſt, Sacerdos eſt veritatis diuinæ præco, emittatur à carcere, ſeculari potentiâ non lædatur, ipſa ſomniatrice fœmina inclamante: *Nihil tibi & iuſto illi,* quia ſecundùm ordinem Melchiſedech *Sacerdos in æternum.* 43. *Pilatus arbitratus Ieſum Eccleſiaſtici eſſe iuris, ſe curauit à cauſa expedire.* Ioan. 18. Lyran.

Quid ſi ſecularis audeat Sacerdotes vulnerare? Ipſe Dominus flagellatores flagellabit. Auguſtinus aiebat, *Flagellandus ab eis eos ipſe flagellabit.* Dixerim Doctoris veniâ, *Flagellatus ab eis eos ipſe flagellauit.* Nec enim Dominus ante commiſſam nequitiam in homines inſurgit. Quandonam ergo Chriſtum ſeculares illi flagellauerant, niſi cum Sacerdotibus (Doctore adnotante) apud Templi atria negotiationem exercentes propriam auaritiam tribuebant? Flagellis famam Sacerdotum ſeculares afficitis? Vos acriter flagellabo. Nec enim felices degunt, qui Sacerdotali ſtatui aut verbis, aut actionibus vulnera infligunt: Secus qui Chriſtos Domini contingere non audet. Sybaritis barbaris hominibus à Diis hoc datum oraculum authore Athenæo lib. 12. cap. 6. 44. *Chriſtus flagellatores Sacerdotum ſeculares flagellat.* Auguſt. Ath.

Semper eris felix venerans gens numina Diuûm
Donec plus ſuperis fueris venerata virum quem
Intima ſeditio tunc, & tibi prælia ſurgent.

Vereor, ne ob irreuerentes, aduersùs Diuos Sacerdotes, auſus præliis diris Chriſtiana Regna perturbentur, comminuantur.

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba.

Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in Templo.

Vendentes ad ſacrificia boues, oues, columbas, & ementes ad ſacrificandum Dominus è Templo, flagellis inflictis, deturbauit.

Acriter enim puniendi, qui deuotionis, aut ſacrificij prætextu, crimini alicui ſtudium impendunt.

45. QVID illi niſi quæ ad ſacrificium erant neceſſaria, vendebant, oues, boues, columbas? Quid illi emebant, niſi quæ ad ſacrificium offerendum deſeruirent? An non id licitum, & honeſtum? Cur ergo noluit Dominus tolerare? Profectò quia religionis prætextu auaritiæ incrementis ſtudebant. Venditores auari ſub occaſione ſacrificij puniantur, emptores annuentes ſacrificium maculà vel leui fœdantes acriter vulnerentur. Caietanus aſſerit non ſolum bis biennio, ſed vna ac altera ſequenti die bis Dominum puniiſſe Templi contemptores. Quam iuſtè, ſi occaſione, vel prætextu ſacrificij crimina perpetrantur, libido effrænatur, verba immodeſta commiſcentur.

46. *Taxantur Templorum latibula, vbi impudicis colloquiis ſtudium impenditur.* Iud. 6. Pineda. Philo.

Ad Gedeonem Dominus, *Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſque aram Baal; quæ eſt patris tui, & nemus, quod circa aram eſt, ſuccide.* Iud. 6. Erige altare, vbi boues poſſint immolari. At lucum mox ſuccide. Quare nemus à loco altaris ablegandum? An non defeſſis gratam offeret vmbram? An non ſacrificium oblaturos gramine ac foliis excipiet? Solebant Gentes quas impij Iſraëlitæ imitabantur, circa aras plantare lucos, in quibus voluptati, atque deliciis indulgentes nefaria ſacra celebrarent, authore Pineda lib. 7. de reb. Salom. Cap. 10. Iubet igitur Deus lucos ab altaris conſpectu deturbari, ne quis nefarius prætextu ſacrificij offerendi ad latibula nemorum diuertat voluptati ſtudium impenſurus. Philo lib. 1. de Monarch. *Verum Dei Templum non amænitates poſtulat, ſed ſeueram caſtimoniam.* Quis dubitet? Ergo nemora ſuccidenda, quia ex latebris offerunt latrocinantibus ſecuritatem. Adiicit pulchrè, *Condenſa ſyluarum maleficis conueniunt, ex latebris ſecuritatem, & inſidiarum occaſionem quærentibus.* Qui noctis inſtantia occaſione precis pro defunctis profundendæ Templi reſerat oſtia, vereor ne maleficis, id eſt, malefactoribus nemora plantet, latibula tenebricoſa præſtet ad inſidias, ad latrocinia.

47. *Vno ſolummodo latrocinante apud*

Dominus ait, *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.* Deuter. 6. Vbi Hieronymus ad cap. 4. Oſeæ: *In lege præceptum eſt, vt iuxta altare luco, & arbores non plantarentur. Ne ſcilicet paſſiua, & voluptuoſa religionis, auſteritatem veræ religionis auertat.* Suppone, vnum ſolummodo vſurum voluptuoſà religione, hoc eſt, ſub prætextu deuotionis, precum, ſacrificij, operam daturum voluptati ſermone impudicè commixto. Sufficientiſſima ratio eſt nemora ſuccidendi, oſtia Templi obſerandi. Dum tempore diurno viget ſacrificij neceſſitas, cum ex pia inſtitutione Monumenta inuiſuntur, & ſi accidentaliter praui vſus licentia immiſceatur, non ideo Templa recludenda. At nocturna inſtantia, vel vno illicitè latrocinante, delubra omninò prohibenda ſunt. *Templum ſino impudico, id efficet ſpeluncam omnino commonendam.* Deut. 6. Hieron.

Domus (inquit Chriſtus) *mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Ne igitur lateat latrocinium, nemora ſuccidantur. Id præſtitit Dominus non ſolùm negotiatores, ſed & menſas, & cathedras euertens, miraculo quidem excitato. Celebrat ſponſa, *ſimilis eſt Dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes Bethel.* Cant. 2. Ceruus ſerpentibus nemorum cauernis latitantibus exitialis oſtenditur? Chriſtus ſuccidens nemora, cauernas ſerpentibus euacuauit, expurgauit delubra. Theodoretus, *Docet hîc ſponſa internecionem idololatria,* (ſeu auaritiæ, quæ eſt idolorum ſeruitus) *illatam ab ſponſo ſuo. Montes enim & colles vocat lucos delubrorum; ſuper quæ verborum ſapientia (Domus mea domus orationis vocabitur) & miraculi virtute* (vt aiebat Hieronymus) *ſaliens, atque tranſiliens penitus euertit, atque deſtruxit.* Vtinam ô Domine, apud ſancta Delubra nullus iam lucus, nulla cauerna latrociniis apta, nulla ſerpentum latibula reperiantur à te comminuenda. 48. *Chriſtus ceruus ſerpentes è latibulis Templorum deturbans.* Cant. 2. Theod.

Profectò me ad Templorum reuerentiam allicit & ſupplicij horror, & præmij magnitudo. Tam acriter à Domino puniuntur Delubri contemptores, vt illud ipſum impudicè apud Templum ſe gerere, ſit quodammodo in gehennam deturbari. Vnde eiici de Templo negotiatores tibi ſit Tartaro addici. Aiebat Diſcipulis Dominus, *Timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. *Eiuſmodi fuit vallis illa, quam Chriſtus Dominus gehennam vocat* (*vt ait Hieronymus Matth. 10.*) *irrigua, ac nemoroſa in qua lucus Templo conſecratus.* Sic Abulenſis in cap. 7. Deuter. quæſt. 3. Gehenna, in Templo vbi lucus eſt? Ita planè: Idem enim eſt apud Templum ad latibula pergere deuotionis prætextu, vt rei iniquæ ſtudium expendatur, ac gehennæ amandari delinquentem. Exiſtima iam de ſalute tua actum, cum te videris Templi contemptorem. 49. *Contemptor Delubri latibula quæritans ad libidinem, vel hic gehenna addicitur.* Matth. 10. Abul.

Secùs Delubris obſequium præſtantes, qui quidem Templo fideles quodammodo iam beatitudine potiuntur. Vnde illud ipſum te fideliter erga Templum gerere, idem fit ac felicitate æterna donari. Præcepit Deus tribus anni temporibus Iſraëlitas ad feſta celebranda in Templum conuenirent. Exod. 13. Vbi Theodoretus quæſt. 54. *Vt eiuſmodi feſta celebrantes ſacris Dæmonum non delectentur; ſed in Templo Creatoris omnia bona ſuppeditantis feſtiuà fruantur beatitudine.* Hac quidem fruuntur fideles, dum apud Delubrum nullum Diabolo libamen offerunt, nullum Veneri ad ſpeluncas confugientes, ad nemorum latibula properantes ſacrificium præſentant. 50. *Obſequium Templo præſtantes vel hic gloria potiuntur.* Exod. 13. Theod.

OBSER

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Et eiiciebat omnes vendentes, &c. Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.

Orationis domus auguſta corruens in ſpecum latronum conuertitur.

Qui enim ex perfectionis gradu eleuatiori excidunt, inferiori baratro addicuntur.

51. *De vino optimo optimum acetum. De ſpirituali viro orationi dedito latro flagitioſus.* Orig.

Mirabar profectò primum ſignum Ieſu miſericordiæ, cùm aqua mutaretur in vinum: nullaque ſtilla humoris frigidi remaneret, vndâ in vndam omninò mutatâ. Noſtræ iam mirabor iniquitatis conuerſionem, vini, inquam, in acetum, quando orationis domus adeo in latronis conuertitur ſpeluncam, vt nec priùs nomen remaneret. Myſticè interpretor. Sacerdotalis ſuprema dignitas, ſpiritales viri vertice ſanctitudinis collocati, merum vtique pretioſiſſimum adeò in acetum declinauit, vt nulla vini particula remaneret. Vulgariſſimum illud proloquium? *Del mejor vino mejor vinagre.* Origenem præmitto in cap.2.Ioan. *Sola orationis domo neglectà latrones etiam recipit.* Spiritualis vir negligit orationis exercitamenta? Quàm miſerè diuertet ad latronem! Cum ſecularibus iniquis legis tranſgreſſoribus computabitur.

52. *Ex gigante ſpirituali carnalis gigas oritur.* Pſal.18. Gen.6. Bachiar.

Qui *exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* Pſal.18. Egreſſioni reſpondebit occurſus, celſitudini humiliatio. Vt Sol emicabat cœlis ſuperioribus hæreſcens gigas vtique: tota gigantea ſtatura obtenebrabitur; vt qui gigas ſpiritu fuit gigas ſit & iniquitate. Exemplum ſubiicio. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant; gigantes autem erant ſuper terram.* Gen.6. Exponit myſticè Bachiarius Epiſ. de recip.lapſ. Gigantes erant ſuper terram poſtquam Dei filij ſeſe luxuriâ contaminârant, quia qui gigantea ſtaturâ ſpirituali erant, gigantes etiam crimine carnali oſtentantur. *Max vt concupierunt filij Dei filias hominum, nati ſunt in terra gigantes. Quòd enormius nimium, & vltra ſtaturam peccantium gigantis forma eſt.* Concipientes illæ animæ miſeræ dolorem, iniquitatem pepererunt eiuſdem ſtaturæ; vt ſit giganteæ altitudinis peccator qui auguſtæ magnitudinis Dei filius extiterat.

53. *Ex ſpirituali Iuda nebulo.* Ierem.7. Batab.

Iudas Dei filius auaritiæ hominum filiæ, illigatur amore. Illicò ex orationis domo in latronum ſpecum deturbatur, factus dux peccatorum. *Amice, ad quid veniſti!* Ad quàm profundum iniquitatis barathrum deturbatus es. Clamat Dominus cum Propheta, *Numquid ſpelunca latronum facta eſt domus iſta?* Ierem.7. Vatablus ex Hebræo, vertit, *Num ſpelunca nebulonum facinoroſorum domus hæc?* Ex Angelo orationis exercitamentis addicto, ex ſpirituali viro, non communis ſtaturæ peccator, ſed latro, ſed nebulo facinoroſus exurgit Iudas: Amice, ad quid veniſti? Quis crederet ex tanta ſpiritus eleuatione tantum monſtrum, tam procerum gigantem educendum?

54. *Spiritualis vir, præcipuè Sacerdos, obuertitur totus à ſummo in ſummum.* Ierem.7. Chryſ.

Chryſoſtomus autem hom.13. in Matt. legit: *Numquid ſpelunca hyænæ facta eſt domus mea mihi?* Quid hyæna? *Hyæna hanc dicitur habere naturam,* (adiicit Doctor) *quia ſpinam vnicam habet, quæ flecti non poteſt. Denique, ſi vertere ſe voluerit, tota conuertitur.* Si ſecularis delinquit, non omnino (ſæpe) ad iniquitatem conuertitur, non audet ad Sacramenta indignè accedere, ſacrorum iura ſeruat, &c. At Sacerdos, aut Religioſus delinquens (ſi non, de regulari more, mox ſurgit velociùs) tam miſerè prolabitur, vt à ſummo conuertatur in ſummum: nec vereatur ad Sacramenta indignus accedere, nec ſacrorum iura ſeruet, nec aliquid apud præcordia eius de verecundia Diſcipuli relinquatur.

55. *Iudæi ex rubo floribus virtutum ornato, ſe conuertunt in aridũ lignum aptum ſolum incendio.* Dan.3. Titus.

De Iudæis Dominus, *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Luc.23. An non Iudæi orationis olim rore perfuſi flammas Babylonicas extinxere? Dum illis inerat ros fidei, ac precum, flamma parcebat, vt Babylonis pueris, quibus *Angelus Domini fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem.* Dan.3. Poſtea verò illo carentes rore, & ſiccos flamma comburit. Titus Boſtr. *Quid ergo aliud reſtat, quam vt vos tanquam aridum, & inutile lignum comburant?* Per rubum ardentem ſine læſione ſignatos Iudæorum Proceres ſanctitudine olim fulgidos aſſeris quidam grauis noſter Iudicum interpres. Qui ergo rore precum muniti à flammis liberantur, ſicci incendio dant materiam. An è rubo florenti, Dei throno, lignum vile ſolum aptũ conflagrationi? Nonne poteſt alij miniſterio deſeruire? Minimè planè. Rubus graciles rami vitis morem gerunt, dum præſciſſi ſoli dant incendio miniſterium. Vt ſcilicet ex vino optimo fortiſſimum linquatur acetum: *Si vertere ſe voluerit tota conuertitur.*

56. *Quia Deus eſt dum viri ſancti quaſi immenſitate creſcunt in quos aſſtatur quodammodo immenſus.* Pſal.81. Bruno. Orig. *Pene irremediabilis horum lapſus.*

Dauidem teſtor præcinentem. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum in medio autem Deos diiudicat. Vſquequo iudicatis iniquitatem.* Pſal.81. Ex mente Brunonis, vſquequo iudicatis iniquitatem veſtram eſſe propagandam? Vſquequo increſcet veſtra iniquitas? Dij eſtis, & ſi ſanctitas de more Deifico quodammodo ad infinitudinem exurgebat: de more Deitatis veſtra quaſi in infinitũ, aut immenſum producetur iniquitas. *Vſque ad quem modum iudicabitis iniquitatem?* Deum ipſum occidetis. Origenes hom.9. in Ioſue, *ſicut magnus eſt profectus, ita & diſceſſus terribilis.* Addit horribiliter. *Atque irremediabilis pene lapſus.* O quàm difficilè ſpiritualis viri lapſus reparatur? Vidiſti acetum ad merũ recurrere? Non vidi. Neſcio, an affirmare poſſis, te vidiſſe Religioſum iniquũ, qui ad priſtinum ſanctitatis verticẽ rurſum aſcenderet. Ego autẽ aliquando aſpexi, ſed potentiſſimæ manus Dei opus ſum contẽplatus. Dum ſcilicet huiuſmodi delinquentis facies cõfuſione ſuffunditur, vt laboribus excitatus in morem Prodigi adoleſcentis, ad domum paternam reuertatur.

SECTIO SECVNDA.

Claudi ſanantur.

TEXTVS.

VERS. 14 ET acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in Templo, & ſanauit eos.
15. Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid: indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis: Vtique nunquam legiſtis: Quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? Et relictis illis, abiit foras extra Ciuitatem in Bethaniam, ibíque manſit.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De miraculis in Templo editis.

1. *Miraculis ſequentibus prius confirmat.* *ET acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in Templo, & ſanauit eos.* Vt ſcilicet miraculum primum vno & altero ſequentibus confirmaret, oſtenderétque quanam potentiâ Templi prophanatores vulneraret, cæcos miſerè, dum cæci accedentes illuminantur. His certè miraculis in Templo editis, & honorem exhibentes ipſi confirmantur, & contemptores confunduntur. Caietan. Caietanus, *Miraculorum teſtimonio, tunc fidem honorantium* Templum *confirmauit, & aduerſantes confutauit. Splendidos radios Sol* (Barradius ait) *ad occaſum properans emittebat.* Et motibus appoſitè ſuggerit: *Si claudus, ſi cæcus animo es cum Templum adis, ad Chriſtum accede.* Quàm cæcus, qui templi iura non ſeruat! ô ſi *in Templo* Dominus cæcos commorantes non ablegaret iratus, ſed miſericors lumine donaret!

2. *Videntes autem Principes ſacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in Templo: Hoſanna filio Dauid, indignati ſunt.* Inuidi oculi flagrantium radiorum non poterant ferre fulgorem: & dum deberent collaudare tot mirabilium excitatorem, non ſolùm non laudant, ſed & indignatione afficiuntur. Caiet. Caietanus, *Principes, & Doctores non ſolùm abſtinent a laudando Ieſum viſis etiam miraculis, ſed indignantur, impotentes occultare venenum internum.* Nam Menand. vti Menander adnotauit in Duce prophano, *Nequis fortior frænum liuori inferre.*

§. II.

Inuidis Saluator reſpondet.

3. *Liuoris effectus.* ET *dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt?* Dum admiranda Chriſti opera fidem, & commendationem Procerum poſtularent, Principibus ſacerdotum non fidem, non laudem, ſed indignationem pepererunt. Hor. Bellè Horatius epiſt. *Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis aceſcit.* Si inuidia eorum opplebantur præcordia, quodcunque Chriſtus infunderet merum dulciſſimum acri liuore corrumperetur. Eleganti ſimilitudine Imperfectus expendit: *Quemadmodum columna in Templo ſi ſteterit recta, accepto pondere, amplius confirmatur: ſi autem obliqua fuerit, amplius ad latus vadit. Sic & cor hominis, ſi rectum fuerit, videns opera alicuius viri iuſti, aut audiens, per doctrinam ſapientia eius magis confirmatur. Si autem fuerit peruerſum cor, non confirmatur, ſed magis ad inuidiam excitatur, & magis peruertitur.* O antiqui Templi columnæ tanto miraculorum pondere minimè confirmatæ, ſed propter liuorem euerſæ delubro ruinam afferentes!

Audis, quid iſti dicunt? Scilicet, pueri in Templo clamantes, & dicentes: *Hoſanna filio Dauid.* 4. *Calumnia Iudæorum.* Si audis, cur pateris? Cur non illos infrænas? Cur ſilere non efficis pueros, qui id tibi tribuunt, quod tuum non eſt, nempe Meſſiæ dignitatem? *Interrogant* (ait Caietanus) *Ieſum, ſi audit, vt* Caiet. *crimen aut læſæ maieſtatis, aut vſurpantis Meſſiæ nomen in ipſum Ieſum retorqueant, tanquam ipſe ſe acclamari Meſſiam procuret.*

Ieſus autem dixit eis: Vtique. Græcè ναί, quod 5. *Affirmatiuè reſpondet Dominus.* eſt aduerbium affirmantis, & concedentis. Ac ſi diceret, *Fateor me audire.* Caietanus confutatiuam aſſerit fuiſſe reſponſionem, *monſtrando cauſam puerilis dicti non eſſe hominem aliquem procurantem, & excitantem, ſed Deum implentem ſic antiquas prophetias.* Caiet.

Chriſto potiùs congruebat interrogatio hæc, vt obſeruat Chryſoſtomus hom. 68. qui dicere Chryſ. potuiſſet: *Non audiſtis, quid iſti dicunt?* Et Eu- Euth. thymius, *Æquum potius erat, vt diceret eis Chriſtus: Auditis, quid dicunt hi filii veſtri, qui nunquam me viderunt?* Cur igitur indignatione corripimini?

§. III.

De reſpectu ad Pſalmum Dauidicum.

NVnquam *legiſtis: Quia ex ore infantium, &* 6. *Carminis Dauidici expoſitio.* *lactentium perfeciſti laudem:* Vos Sacerdotum Principes, & Scribæ. Legis periti, in Scripturarum lectione verſati nunquam legiſtis Pſal. 8. Pſalmum octauum? An non in illo Deus aſſeritur

ſitam

ſuam laudem ex ore infantium, & lactentium perfeciſſe? Ex ore infantium, (Dauid cecinit,) *& lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum, & vltorem,* Pſal. 8. Id nunc præſtat Dominus, ex ore infantili ſuas laudes perficiens. Non ſunt igitur Dei proclamantis

Thom. organa comprimenda. D. Thomas ad Pſalm. 8. *Spiritus ſancti inſtinctu laudabant.* Theophylactus hîc, *Idcirco dicit Dauid: Ex ore infantium, innuens, quòd ea verba non ab illorum mente procederent, ſed quòd os ſolum diuinâ gratiâ mouebatur.* Os ſolum, nam puerilis mens tantæ erat

Chryſ. expers laudationis. Chryſoſtomus, Quàm *rectiſſime, ex ore, dictum eſt. Non enim ex mente illorum illa verba procedebant; ſed virtute Dei tenera illorum lingua, ad formanda hæc verba, ducebatur.*

7. *Perfeciſti laudem.* Hebraicè, *iaſadtha hhoz,*
Quid laudem perficere, &c. id eſt, *Fundaſti fortitudinem.* Ex ore imbecillium infantum diuinam Meſſiæ fortitudinem Deus

Caietan. fundauit, & ex infirmo firmauit eloquio. *Vt deſtruas inimicum,* & vltorem. Hebraicè, *lehaſchbit oieb vmithnachem,* id eſt, *Vt ceſſare facias inimicum, & vlciſcentem ſe.* Seu vt confundas, & compeſcas, tandemque inimicos illius Phariſæos, Sacerdotum Principes qui ſe ſe cupiebant vlciſci, euertas. *Ex his ſcriptis in Pſalmo octauo* (cum

Caiet. Caietano loquor) *verbis confutati ſunt Sacerdotes, & doctores; & firmata eſt fides credentium, audiendo etiam teſtimonia Prophetarum in vocibus puerorum impleri.*

8. *Infantium, & lactantium.* An hi ſugentes
Num miraculo lactentes locuti? vbera? Affirmat Euthymius. *Stupore pleniſſimum eſt hoc miraculum. Tunc enim chorus puerorum*

lactentium clarè loquutus eſt. Chryſoſtomus & Baſilius conteſtantur, aſſerentes Deum ſuam maximè potentiam excitato à Chriſto miraculo oſtendiſſe, *quod vires* (ait Chryſoſtomus) *imbelles mouerit, & linguam balbutientem expeditam fecerit.* Euthy. Baſil. Chryſ.

9. *Aliorum expoſitio.* Caiet. At Caietanus exiſtimat pueros lactentes annorum fuiſſe plus minus trium, quà ætate iam ambulant, & fari incipiunt. Porrò vſque ad tertium annum ab Hebræis fœminis lactatos infantes illud matris Machabæorum ad filium confirmat. *Te in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi.* 2. Mach. 7. Imperfectus aſſerit infantes, & lactentes turbas acclamantes vocitari. *Hoſanna infantes dicebant, infantes non ætate, ſed ſimplicitate.* Anſelmus, D. Thomas, & Carthuſianus idem affirmant. 2. Mach. 7. Imperf. Anſelm. & alij.

10. *Authoris ſententia.* Ego autem arbitror de pueris grandiuſculis, qui fari iam ſcirent ſermonem procedere. Ideo noſter Matthæus, *Videntes Principes Sacerdotum pueros clamantes in Templo.* Non appellat *infantes,* ſed *παιδας,* id eſt, *pueros,* quia grandiuſculi erant, inter eos forſan aliquibus trium annorum lactentibus commixtis. Addo Sacerdotes non mirari, quod loquantur infantes, miraculum non calumniari: ſed *Audis,* inquiunt, *quod pueri dicunt?* Si miraculum viderent tacuiſſent, nec illud Domino veluti digito indicaſſent. Quid Dauidi? Reſpondeo, in Pſalmo nomen infantium, & lactentium latiùs pro pueris grandiuſculis vſurpari, quorum fortaſſe aliqui lac ſugebant. *Relictis illis, abiit foras, &c.* Vide num. 33.

IN IESVM TEMPLI
PROPVGNATOREM
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.
EX CÆCO SANATO.

Observatio I.

Ad illa verba:

Et acceſſerunt ad eum cæci in Templo, & ſanauit eos.

Aptè à Domino poſt contemptores Templi vulneratos, illicò cæci ſanitati reſtituuntur.

Cæcitate enim laborant, qui apud delubrum ſe irreuerenter gerunt.

11. Barrad. BARRADIVS noſter ſapientiâ, & ſanctitudine dignus, qui doctorum cathalogum producat, ſic de miraculo: *Si cæco animo es cum Templum adis, Chriſtum accede, poſtula reuerentiam mentis ſanitatem.* Quàm inſanus qui ſe apud Templum ſanctiſſimum irreuerenter gerit?

12. *Se cæcum mente Iacobus profitetur, dum aduertit apud Templum nō reuerenter vigilaſſe, ſed ſomno correptum fuiſſe.* Mentis cæcitatem arguit vel inuoluntaria circa Templum irreuerentia. Poſt ſomnum Iacobus euigilans ſcalæ imaginem mente voluendo clamat: *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Pauénſque ait: *Quàm terribilis eſt locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli.* Gen. 28. Vbi Bernardus ſerm. 8. Dedicat. *Miratur Iacob gratiam, & dignationem expaueſcit. Terribilis planè locus, & dignus omni reuerentia, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli ſancti frequentant, quem ſua quoque præſentiâ Dominus ipſe dignatur ornare. Verè, inquit, Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* O quàm cæcus in conſpectu Domini apparuit! *Et ego neſciebam.* Apud delubri oſtium iacui, ſomno indulſi, dum deberem procidens adorare, & cœleſtia meditari arcana? *Et ego neſciebam,* mentis procul dubio cæcitate laboro. Geneſ. 28. Bernard.

Quanta

13. *Accedens ad Templum magna viſus vi pollere debet.* Chryſ.

Quanta viſus interni vi pollere debet, qui ad medicam Templi accedit officinam! Chryſoſtomus hom.7. in epiſt. ad Eph. *Qui ſe conferunt in medicorum officinam, illis non eo ſimpliciter eundum eſt, ſed aperiendi oculi, vt diſcant, quomodo curentur, ac pharmacis vtantur. Ita & nobis qui in Templum conuenimus, non hoc tantummodo agendum, ſed diſcendum, quid ad ſalutem proſit.* Signum perſpicuum te oculos captos lumine prætendere, cum mente non perpendis quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, & aliis aſpicientibus verè, tu cæcam exhibes irreuerentiam. *Stat Sacerdos* (pergit Pater hom. 15. ad Hebr. *Dei orationum offerens cunctorum: tu autem rides nihil timens, non contremiſcens, non colligens te ipſum. Et in aulam quidem Regiam intraturus oculis componis te ipſum: hîc autem ingreſſurus, vbi eſt aula Regis & talis, qualis cœleſtis eſt, rides?* Non te ipſum *oculis componis,* lumine captus cum cæco extra Templum à Domino ſanaturus accurre: *Ieſu fili Dauid, miſerere mei.*

14. *Quam cæcus, qui ſe in Templo irreuerenter gerit.* Chryſ.

15. *Cæco carpitur verò igne qui apud Templum ad fœminas lumina admouet.* Cyrill.

An non illi cum cæcis computandi, qui in conſpectu Domini ad fœminas impudica lumina admouerit! Quàm cæcus, qui apud Delubrum cæcò carpitur igne! ſe omninò mente obtenebratâ laborare oſtentans. Cyrillus Ieroſol. Præfat. Cathechel. *Ne imiteris cæcos illos, qui nulli vacant meditationi; at reuerentiam adhibe* in Templô, vbi aderunt *viri cum viris, mulieres cum mulieribus.* Apud Noëmi Arcam erat & vxor eius, & vxores filiorum eius, vtique à Noë & filiis licèt maritis ſeparatæ. Quia Arca illa Templi imaginem referebat. Cyrillus, *ſiquidem, Arca erat vna, & oſtium clauſum. in ea erat vxor Noe, & vxores filiorum eius. Sed quid hæc ſignificabant? ſi concluſa eſt Eccleſia, & vos omnes intus, hæc tamen ſeparantur: viri vt ſint cum viris, mulieres cum mulieribus, ne ſtudium ſalutis ſit* cæcis *perditionis occaſio. Procul ſint affectiones.* Cæcitas mentis ablegetur, dum adeſt terribilitatis loci meditatio: *Quam terribilis eſt locus iſte!* Rupertus, non dubium quin eſt locus Templum Dei in quo terribilia Dei opera Iacob miratus expauit.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba.

Et acceſſerunt ad eum Claudi in Templo, & ſanauit eos.

A Domino ſanantur & Claudi Delubri contemptores.

Claudicant enim qui Templorum reuerentiam lædunt.

16. *Irreuerentia erga Templa ſapit infidelitatem.* Barrad.

PEROIT Barradius, *Si Claudus es cum Templum adis, accede ad Chriſtum, poſtula reuerentiam.* Sine qua qui pergit ad Templum fide obiicitur claudicare. Deum ore profitetur, quem irreuerentis cordis operibus abnegat.

17. *Fide claudicat, qui credere ſe indicans Deum adeſſe in Tēplo, irreuerentia operibus abnegat.* Matth. Bernar.

Virgines illæ, *Domine, Domine,* (inclamitabant) *aperi nobis.* Quibus ſponſus Eccleſiæ Domo obſeratâ, reſpondit: *Neſcio vos.* Matth. 25. Cur à Templo Domini deturbantur quæ ad olçum comparandum properabant? Profectò quæ integro greſſu feſtinare videbantur, verè claudæ obiiciuntur ſponſo, quia clamantes. *Domine, Domine,* haud opere impendebant obſequium. Apud Templum Domine, Domine voce proferimus, quem abeſſe operibus irreuerenter affirmamus. Quam clauda fides! Bernardus, *in loco iſto* in Templo (ait ſerm.6. de Temp. Dedic.) *verè Dominus eſt; ſi tamen ſeruiamus ei in ſpiritu, & veritate. Non enim Dominus erat apud eos, quibus dicebat: Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dicitis? Cum quanta ergo reuerentia hic eſſe debemus, & ſtare in loco iſto, vbi Deus eſt operans?* Ac ſi diceret. Si Deus apud Templum non ſolùm adeſt, ſed operatur tibi munera exhibens: tu apud Delubrum non ſolûm voce exprimas, *Domine, Domine,* ſed internâ reuerentiâ affectus infrænando te immaculatum Numini præſenta.

18. *Qui ad Delubrum accedit quaſi fugiens veniat, vt intelligas, neceſſariam ſibi pedum ſanitatem.* Exod. 21. Lipom.

Tibi ad Templum acceſſuro ſanitas pedum eſt neceſſaria. Templum enim locus refugij eſt. De quo Dominus, *Conſtituam tibi locum, quo fugere debeas.* Exod. 21. Vbi Lipomanus aſſerit Templa noſtra locis illis refugij expreſſa fuiſſe. *Ex quo colligitur, quod priuilegio, quibus Eccleſiæ ad aſyla publicè deputantur. ſancta ſunt, & bona, ac in diuina ordinatione fundata, quia inſons ab iniuſta, & illegitima violentia defendatur. Quare hæc priuilegia non ſunt temerè abroganda, ſed tanquam Reipublicæ neceſſaria, & tanquam bona ordinatio conſeruanda.* Ergo Templa noſtrâ Ciuitates refugij ſunt. Iam premo particulam illam: *Quò fugere debeas.* Fugientis habitum præ te debes ferre, quicumque ad Delubrum accedis. An non ad fugam neceſſaria pedum eſt ſanitas? An Claudus fide poterit inſtante periculo, arreptâ fugâ ad refugij locum accedere? Quomodo igitur claudi habitum geris, dum *Domine, Domine,* mendaciter proclamas, & Dei præſentiam, auguſtámque maieſtatem, impudicis actionibus abnegare non vereris?

19. *Claudicat fides eorum, qui ore profitentur Dei præſentiam in Templo, & patant eorum irreuerentiam oculis Numinis nō patere.* Iere. 7. Galfr.

Audi Ieremiam. *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes; Templum Domini, Templum Domini eſt,* cap.7. Quærit Galfridus, *quæ ſunt iſta verba mendacij, in quibus nos Propheta confidere prohibet? Si propter repetitionem verba dicuntur, quomodo verba mendacij? Nonne enim Templum Domini eſt Eccleſia Chriſti? Templum Domini etiam illud, quod Salomon ædificauit ſuo tempore, fuit?* Reſpondet appoſitè. *Ideo verba mendacij erant, quia fecerant illud ſpeluncam latronum. Timeamus & nos, & cogitemus, quomodo nos oporteat conuerſari in domo Dei. Vanè & perniciosè confidit in verba mendacij, qui ſic dicit: Templum Domini, Templum Domini eſt.* O fidei claudicatio! *Abſit ab ipſius graſſatio Templi tua prauitas aut non appareat Deo, vel non diſpliceat, vel ab eo puniri non debeat: cuius oculis cùm omnia nuda ſint, & aperta, quod in Templo ſuo, in Sanctuario ſuo committitur ignorabit?* Sic ille noſtram claudicationem fidei expreſſit.

20. *Angeli ambulantes docent claudos fide à Templis deturbandos, ſi à Domino non ſanãtur.* Iſai.6. Gen.28.

Quo habitu nos oporteat in Templo commorari Angeli Iacobum docuerunt. *Et vidit Iacob Angelos aſcendentes, & deſcendentes.* Gen.28. Cuncti ſpiritus, qui alibi ſtantes obiiciuntur ante Thronum iuxta illud Prophetæ: *Seraphim ſtabant ſuper illud.* Iſai. 6. hîc aut deſcendunt, aut aſcen

aſcendunt, nullus ſiſtit. Vt ſcilicet oſtendant coram Numine in Templo commorante hominibus pedes neceſſarios eſſe ad aſcenſum, & deſcenſum. Bernard. Bernardus illo ſerm. 6. *Vidit Iacob Angelos, aſcendentes, & deſcendentes, & hic* (in Templo) *ſunt etiam Angeli aſcendentes, & deſcendentes. Cum quantâ ergo reuerentiâ hic eſſe debemus, & operari in loco iſto, vbi Deus eſt operans, & Angeli aſcendentes, & deſcendentes?* Tu ſolus vtroque pede claudus procumbes, cùm apud Templum nullus non miniſter currit ad obſequium? *Accede ergo ad Chriſtum, poſtula reuerentiam*, te Claudis ſanitate hodie donandis immiſce. Alibi plura.

Observatio III.

Ad illa verba:

Videntes Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes.

Frementibus Sacerdotum Principibus, & ſcribis in Dominum, infantium vox exaudiebatur.

Ea eſt enim Veritatis vox, quæ, nulla vociferante calumnia, valeat confundi.

21. Euth. AFFIRMABAT Euthymius, magno Chriſti excitato miraculo, lactentes infantes fuiſſe loquutos. Ego equidem non minori quodammodo prodigio factum aſſeruerim, quod vociferante contra Dominum iniquitate, frementibus Sacerdotum Principibus, murmurantibus ſcribis, populi turbâ excitante clamorem, & plauſum: gracilis puerorum vox audiretur, verba exprimerentur proferentia: *Hoſanna filio David.* Menan. Profectò me ab admiratione Gentilis Comicus reuocauit.

Licet fœminea gracilis Veritatis vox
Calumniatorum crepitu non confunditur.

22. *Iob ægra voce veritatem profundens, fortior perſonas cunctis vociferantibus.* Ambr. Sint tibi Principes Iudæorum, & Scribæ cuncti illi, qui aduersùm Iob patientiſſimum inſurrexére. Calumniatur Sathan, vxor ſtultis clamoribus aera verberat, maritum ſimul curans vulnerare. Æger ille ſtercori addicitur, voce gracili myſteria peruulgat. An ægra vox à tumultuante clamore confunditur? Audi Ambroſium, cap.2. Enar. in Iob. *Iob in ſtercore myſteria loquitur, fortioréſque erant ſermones ægri hominis, quam illorum, qui non ægrotabant.* Gracilis enim veritatis vox licet *fœminea, calumniatorum* tumultu *non confunditur.*

23. *Semper veritatis vox calumniantiũ clamorem confundit.* Matth.10. Hilar. Diſcipulis futuris veritatis peruulgatoribus Dominus inquit: *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate ſuper tecta.* Matth.10. Vbi Hilarius Can.10. *Id, quod à ſe dictum eſt, cum libertate fidei, & confeſſionis vult eſſe loquendum. Idcircò quæ in tenebris dicta ſunt, prædicari iuſſit in lumine, & quæ ſecreto aurium commiſſa* ſunt, ſuper tecta, id eſt, ſuper ex-

Eſcob & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

celſa loquentium, *præconia audiantur.* Ac ſi diceret, Fidei myſteria, ac Dei præconia ſuper excelſa loquentium audienda ſunt. Quonam modo audientur, ſi excelsâ mundus voce, tumultuanti clamore Apoſtolos loquentes confundit? Nunquam non veſtra vox ſuper eorum clamorem exaudietur; quia veritatis accentus confundi non poteſt.

Ad prælia, ad ſeditionum horribilem tumultum Præcones Euangelici aduocantur. *Cum audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri.* O Domine me gracili voce, quomodo Pharao exaudiet, tot clamoribus turbæ aduerſum virum concitatis? Dic mihi, quando milites vociferantur; tubæ ſtrepitus aſſolet exaudiri? Ita planè. Gracilis veritatis vox tubæ clangorem imitatur, ſante Ioanne. *Audiui poſt me vocem magnam tanquam tubæ dicentis, &c.* Apoc.1. Quare vox *tanquam tuba* exaudita? Rupertus. *Quia veritas palàm omni Mundo loquitur, rectè non per qualemcumque vocem, ſed per vocem tubæ magnam, id quod dictum eſt, ſignificari decebat.* 24. *Veritas tuba eſt clamantium ſtrepitũ vincens.* Ap. c.1. Rupert.

Sapientia quidem appoſitâ menſâ, *miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis.* Prou.9. Aliter, *puellas ſuas.* Ambroſius ad Pſalm.118. *Sapientia cum altiſſimâ prædicatione conuocat ad craterem dicens: Relinquite infantiam.* An prædicatio altiſſima à puellis in medio exercitus irruituri tumultu? Certe ea eſt veritatis vox, vt nulla poſſit eleuata calumniatorum voce ſuperari: *Altiſſima* eſt prædicatio, ſi alta calumnia eſt. 25. *Veritatis prædicatio ſemper eſt altiſſima, calumniatores vociferantes confundens.* Prou.9. Ambr.

Senes Impudici aduersùs Suſannam conclamabant, ſeductus populus tumultu æthera percutiebat. Tunc fœmina mortis inſtantis metu perculſa, famæ vulnere ægra vocem emittit; de qua Textus. *Et exclamauit voce magnâ Suſanna, clamauerunt autem & ſenes aduerſùs eam.* Dan.13. Et cur non ſimul, ſenes voce magnâ clamitaſſe aſſeruntur? An ſenes victores victæ puellæ ſauciæ, confuſæ, ægræ voce confunduntur? Addit Hieronymus difficultatem, ac ſimul indicat ſolutionem. *Magna vox erat, non aëris percuſſione, & clamore faucium, ſed veritatis pudicitia magnitudine, per quam clamabat. Vnde & ſancta Scriptura in exclamatione ſeniorum non appoſuit magnam vocem.* Quantumuis enim eleuatus clamor calumniatorum, à gracili admodum puellari veritatis voce vincendus eſt. En *fœminea veritatis vox calumniatorum crepitu non confunditur.* Ambroſius lib.1. de fuga Secu. cap. 9. *Denique cùm morte damnaretur mulier exclamauit quaſi iudex reorum arbitra calumniantium: non timore mortis perita, ſed arguentis cenſura poteſtate præcelsâ.* Cuius vocem nullus poterit calumniantium tumultus ſuperare. 26. *Senum tumultuoſus clamor à gracili ægra voce fœminæ veracis confunditur.* Dan.13. Hieron. Ambr.

Obſervatio IV,

Ad illa verba.

Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in Templo, & ſanauit eos.

Qui Templi contemptores ſolummodo à Templo deturbauit, Iudex, qui iuſtè poſſet capite plectere: Miſericors cæcos, & claudos ſanat.

Vincitur enim à Dei Miſericordia effectus iuſtitiæ expreſſio.

27. IVDICEM hodie Dominus ſeuerum, & Miſericordem patrem agit. Putabam æquali lance iuſtitiam,& miſericordiam fuiſſe librandam: vt qui cæcos & claudos ſanat, Templi ſaltem contemptores excæcaret, contereret. Digni morte, ſolummodò exilio damnantur, dum cæleſtis medicus & cæcis lucem, & claudis dat ambulationem. Profectò ea eſt Miſericordia,vt æqualis cum ſit iuſtitiæ eam tamen ſpecie viſibili vincere videatur. Seueriſſimus Iudex è Templo contemptores ſacrilegos deturbat,omnes cæcos,& claudos donat ſanitate.

28. *Medicus Ieſus oculis ſanat, Iudex palpebris delinquentes interrogat.* Pſal.10. Orig.

Quàm aptè Dauid de Chriſto ſimul medico, & Iudice! *Oculi eius in pauperem reſpiciunt, palpebra eius interrogant filios hominum.* Pſalm.10. Oculi Dei cœleſtis medici pauperes ægrotantes cæcos,claudos aſpiciunt, dum Miſericors medicus apparet. At, dum Iudex delinquentes puniturus oſtenditur,non oculis, ſed quaſi palpebris, quibus lumina clauduntur, periculum facit; vt ſcilicet crimina non videat, quæ punire cogatur. Origenes in Cat.Græc. *Dei potentia in ſpectatrices,& cuſtodes oculi ipſius dicuntur, quæ pauperi adiuncta illæſum, & indemnem illum cuſtodiunt. Hu circa ipſum adhibitis palpebra oculorum Dei exquirunt facta, & mentes hominum. Hinc. clementia Iudicis innoteſcit. Nam ſi oculis,non palpebris exquireret,intolerabile eius iudicium eſſet: ſed cùm eorum facta palpebris ſuis exquirat, non omnia eorum,qui iudicantur delicta, nec quali magnitudine ſint,exquirit.*

29. *Iudex & ſaluator oſtenditur Dominus hodie, duplici cornu vſus in peccatorum medicamen: eos ventilans ad ſuperos.* Deut 33. Tertul.

Certè cæcis illis, & claudis, vt vidimus myſticè ſignabantur illi ipſi, qui Templi contemptores deturbati à Delubro, humiles ad poſtulandam cæcitatis & claudicationis fidei ſanitatem rediere. Hos quidem percuſſit Dominus vt ſanaret,ventilauit,vt ad cœlum emitteret. Moſes è vita diſceſſurus ſic de Ioſepho Chriſti imaginem referente. *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius,cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ.* Deut.33. Vbi Tertullianus lib.aduer.Iudæos,cap.11. *Non vtique Rhinoceros deſtinabatur vnicornis, vel Minotaurus bicornis, ſed Chriſtus in illo ſignificabatur Taurus ob vtramque diſpoſitionem aliis ferus vt Iudex: aliis manſuetus, vt ſaluator. Cuius cornua eſſent Crucis extima.* Pende illud: *Aliis ferus vt Iudex,aliis manſuetus vt Saluator.* Non vnicornis, ſed bicornis Chriſtus exprimitur, Taurus, inquam,quia Iudicem ſimul,& Saluatorem agit. Iudex homines ſacrilegos cæcos, claudos fide deturbat à Templo, Saluator cæcos & claudos excipit reuertentes,ſanat. O Domine, te potius vnicornem, quàm taurum vocitarem, quandoquidem ipſa ſeueritas iuſtitiæ tota eſt miſeratio, ſapiénſque dulcedinem Crucis, potiùs homines vngit quàm ventilat; cornu eſt olei, non rigoris inſtrumentum.Ventilat planè. Sed vt a terra homines immittat ad cœlum. *Hoc more* (adiicit Tertullianus) *cornutus gentes nunc ventilas per fidem,auferens de terra in cælum.*

30. *Templum ingreſſus, locum ſcilicet ſuum, totus Ieſus miſericors, qui quaſi egreditur à loco ſuo cum punit.* Mich.1. Lyran.

Profectò tota hodierna actio Domini ad miſericordiæ ditionem ſpectat, ſi quidem Templum Dei locum ſuum ingreſſus eſt. *Et intrauit Ieſus in Templum Dei,& eiiciebat,&c.* Si non eſſet eiectio illa quaſi ventilatiò ad homines cœlo inferendos poſt cæcitatis ablegationem, non diceretur in Templum intràſſe,ſed egreſſum eſſe. Audi Michæam. *Egredietur Dominus de loco ſancto ſuo. Et deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terra,& conſumentur montes,* cap.1. Vt omnia conterat, & in puluerem redigat, de loco ſancto ſuo, ſiue de Templo egreditur. Nam cum proprium ſit Deo miſereri,præcipuè apud Delubri habitaculum:cum peccatores conatur euertere,de loco ſancto ſuo molitur egreſſionem. Lyranus, *Proprium eſt Dei parcere in Templo, & ideo hic locus eius dicitur miſericordia.* (Quia propitius maximè in loco ſancto ſuo.) *A quo videtur egredi, quando punit ſecundum rigorem iuſtitiæ. Et talis egreſſus non eſt per motum localem, ſed quia cauſa efficiens ſimilitudinariè videtur egredi in effectiua, quando ipſum producit.* Ergo intrans in Templum totus diffluet miſericordiâ. Punit Delubri contemptores, ſed vt cæci & claudi recurrant ad medicum. Tunc etenim Dominus delinquentibus maximè miſeretur, cum exerens cornu eos vulnerat ad ſuperos ſimul ventilandos.

31. *Segniter iuſtitia ſæuit, feſtinante miſericordia.* Pſal.17. Pſal.84. Ambr.

Id quod ex vtraque apparebit actione. Puniturus Delubri contemptores in Templum intrauit,& flagellum è funiculis efformans, (iuxta plurium ſententiam confundentium duplex ſimile miraculum) iam negotiatores vulnerat, iam menſas nummulariorum euertit, iam cathedras vendentium columbas comminuit,iam ſermone profundit facinoris mirandi rationem: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Quam ſegniter iuſtitia deſæuiit! At repentè,vnico temporis inſtanti cæcos, & claudos ſanitate donat: *Et acceſſerunt ad eum cæci,& Claudi in Templo,& ſanauit eos.* Dauid adnotauit, *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit,volauit ſuper pennas ventorum.* Pſ.17. Vndenam tanta pernicitate fertur? Quia benefacturus proficiſcitur. *Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.* Pſal.84. Quare non pernix incedit,ſeu aduolat,ſed lentè graditur? Quia puniturus accedit. Appoſitè Ambroſius ad Pſal.37. *Cùm iraſcitur in reum, differt: cùm miſeretur, properat, vt abſoluat.*

32. *Tardus ad Dauidem puniendum, velociſſimus ad eundē veniā donandum.* 2.Reg.12.

Dauid ipſe deliquerat adulterio,& homicidio maculatus. Quam tardo Deus curſu inceſſit ad vindictam! Inter adulterium, & Vriæ interitum plures dies prolapſi: poſt mortem Vriæ vſque ad

Nathanni

Nathami acceſſum ad Regem, non paruum exceſſit temporis interuallum. Poſt tam productas moras, *miſit Dominus Nathan ad Dauid*, qui parabolâ obiectâ, Regis crimina exprimeret. Certè pœnitente Dauide, & clamante: *Peccaui Domine*, illicò profatur Propheta: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* 2.Reg.12. Quàm tardus ad puniendum, quàm velox vt excitaret Regem ad pœnitudinem, & eum veniâ donaret! Chryſoſtomus hom.5.de Pœnit. *Dicenti Dauid: Peccaui, ſtatim Nathan reſpondit: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum a te, & antea non ſtatim poſt lapſum puniuit eum. Cernis Deum fratrer tardum ad pœnam, velocem ad veniam.* Templi contemptores ſacrilegos tardo impetu punit, cæcos, & claudos (ipſos myſticè) velociſſima penna, in qua ſanitas, donat valetudine.

Chryſ.

Observatio V.

Ad illa verba.

Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.

Chriſti perfecta laus inuidis Iudæis cedebat in ruinam.

Inuidia etenim ſuimet eſt ſupplicium.

33\. *Cur Dominus è Templo egreſſus profectus fuerit in Bethaniā, nec apud Ieroſolymam exceptus hoſpitio?* Caiet.

PErfeciſti (inquit Dauid) *laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum.* Pſalm. 8. Curauit Dominus omnem calumniandi occaſionem à Pontificibus tollere. Vndè poſt geſta apud Templum, *relictis illis abijt foras extra Ciuitatem in Bethaniam, ibique manſit.* Caietanus locum commentatur, (cuius in Commentario diſtuli ſententiam, ne ruſum tranſcribere cogerer) hiſce verbis: *Bethania Caſtellum quaſi ſtadijs quindecim diſtabat à Ieruſalem. Ibi Dominus diuerſatus eſt. Significauit namque per hoc Euangeliſta, quòd poſt tantum honorem in Ieruſalem diuerſorium ibi non habuit: proculdubio, quia noluit. Et hoc, vt omnis calumniandi occaſio tolleretur Pontificibus. Completo ſiquidem myſterio ſolemnis aduentus, rediſt Ieſus ad ſolitum ambulandi modum cum Diſcipulis ſuis, & ad ſolitum officium prædicandi.* Vndenam igitur Pontifices calumniatores inſurgebant? Profectò inuidiæ flammis vrebantur. Cur ergo, ô Domine, aduerſus illos flagellum non admoues, vt cum Templi vapulent contemptoribus qui verum Dei Templum curabant euertere? An non ſufficit inuido flamma ſua? Ipſo crudeliſſimè liuore torquetur. Laus Domini ab infantibus, & pueris emiſſa inuidorum eſt flagellatio: *Vt deſtruas inimicum.*

34\. *Inuidi fratres Ioſephum Chriſtū vulnerare intendunt, ſed ſeſe vulnerarunt.* Gen.49.

De Ioſepho Chriſti imagine Iacob præfatur, *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens: Inuiderúntque illi habentes iacula.* Gen.49. Preme illam particulam: *Habentes iacula.* An iacula habebunt vt iaciant, vt in alium, id eſt, Ioſeph accreſcentem contorqueant? An vt ipſi ſuiſmet iaculis vulnerentur? Profectò iacula habent, non emittunt, quia dum Ioſepho inuident Saluatori, ipſi ſuomet liuore vulnerantur. Ambroſius, *Quis eſt ampliandus niſi Chriſtus, cuius gratia ſemper augetur, & finem proceſſus ſui non habet gloria? Quia ergo videbant eum creſcere fratres Pontifices Sacerdotum, &c. Inuidere cœperunt; vnde & dicebant: Neſcimus, vnde ſit. Ille curabat eos, (Acceſſerunt ad eum cæci & claudi, & ſanabat eos) & illi negabant eum. Sed vanum conſilium ſpiritus veſtri, ait Iſaias. Conuitia enim, quæ quaſi iaculantes ſagittas dirigebant in eum, ſoluit omnia, contriuit eorum potentiam.* Adnota illud: *Quaſi iaculantes ſagitas.* Non enim emittebant. Sed quaſi emittere conabantur in Dominum, & verè habebant iaculorum effectus: *Habentes iacula.* Sic planè *contriuit eorum potentiam*, non vulnere inflicto à Domino, ſed illis ipſis ſeſe vulnerantibus ex gloriæ Dominicæ concepto liuore.

Eſcob.& Mend.in Euang.de Temp.T.I.

Ambr.

Dominus ſub hoc ſenſu Moyſi aiebat: *Ego indurabo cor Pharaonis.* Exod.4. Quonammodo Deus Regis, obdurabit præcordia? Porrò tot in Hebræos congerens beneficia, vt inuidus Princeps ſuomet liuore diſtorqueatur, & induretur. Pulchrè ſic Rupertus expoſuit. *Pharao oderat filios Iſrael, & ipſum illius odium ſurrexerat ex inuidiâ. Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis.* Exod.1. *Eſt autem inuidiæ proprium, vt quantò eis, quibus inuidetur, maiora conferuntur beneficia: tantò magis ipſa inuidia confirmetur. Igitur dum dicit Deus: Ego indurabo cor Pharaonis, ſubaudiendum eſt: Non eum corrumpendo, ſed filios Iſrael, quibus ipſe inuidet, viſitando charitate. Hoc ego quidem facio intentione charitatis; ſed illi inuidenti ad duritiam cordis, ad incrementum cruciatûs.* 35.

Ex obiectione alieni boni, cor inuidi obduratur, diſcerpitur. Exod.4. Rupert. Exod. 1.

Inclamat Iſaias, *Quare feciſti nos, Domine, errare à viis tuis? Et quare cor noſtrum induraſti, ne timeremus te?* cap.63. Reſpondet Dominus, *Quæſierunt me, qui antea non interrogabant: inuenerunt me, qui non quæſierunt.* Ibid. dum à Gentibus laudor, dum quæror, dum meum dilatatur Imperium, vos ex inuidiæ affectu induramini, & diſcerpimini. Rupertus ad Exod.4. *In hoc feci vos ô Iudæi à viis meis errare, & in hoc cor veſtrum induraui, quod a non quærentibus me Gentibus inueniri volui. Vos propter odium indurati eſtis*, & creſcente nequitiâ, & flagellorum vulnere deſperatiori reddito. 36.

Torquentur inuidi Iudæi Chriſto celebrato: Hoſanna. Iſai.63. Ruper.

O inuidiæ malignitas ſine vlla compenſatione voluptatis tota iniqui ſupplicium! Torquet luxuria, ſed poſt breuem voluptatem. Diſcerpit latrocinium, ſed poſt lucri aliqualis reditum. Inuidia autem nunquam non torquet alumnum. Chryſoſtomus hom.41.in Matt. *Tale eſt malum inuidia, quæ nulla vnquam malignitas peior inuenitur. Nam adulterio inquinati, voluptatis ſaltem iniquæ fructum, vt putant, aliquem capiunt. Inuidi autem, & multo ante ſeipſos, quam eos, quibus inuident, perturbant, & cruciant.* 37.

Inuidia ſine voluptatis particula tota eſt ſuimet ſupplicium. Chryſoſt.

Quàm appoſitè nullum in inuidos iaculum intorquetur delinquentes, ſi liuor ipſe ſui ipſius ſupplicium eſt! Cecinit Græcus Periander, 38.

Inuidus ſeipſum punit crudeliſſimè. Periand.

Nemini inuideas.

Quemadmodum rubigo propria eſt frumenti ægritudo: ſic inuidia inuidi eſt infirmitas.

Quemadmodum ærugo ferrum: ſic, inuidia animam illius, in quo ineſt, conſumit.

Deſcribit Ouidius Metap.lib.2.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores,
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo.
Succeſſus hominum carpitque, & carpitur vnà,
Suppliciúmque ſuum eſt.

Et grauiſſimum planè ſupplicium. Nam ſi dari hominem Leoni diſcerpendum horribilis flagitij vindicta: quid ad omnium ferarum inuidiam colligationem hominem miſerum immitti? *Anacharſis* (ait meus Antonius Paduenſ.ſer.62.) *percontatus*, cur homines ſubinde triſtentur, & horribilibus doloribus afficiantur? reſpondit, *Quia non ſolùm propria mala eis moleſta ſunt, ſed etiam inuidis aliena bona.* O dirum vulnus, quod non ſolum proprij aceto mali, ſed & alieni oleo boni exaſperatur!

LIBER

LIBER TERTIVS.

CÆCVS NATVS.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput nonum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum cæcos illuminantem.

PROLVSIO.

PRÆTERIENS, non euentu fortuito, ſed meditatâ prouidentiâ, Dominus cæco nato videndi facultatem donauit in Sabbato vſus luto pro oleo, ex vndæ Siloe miniſterio. Vt ſcilicet, ex Richardi Laurentini mente, curatio tota Mariæ Sabbati Dei, & Siloe fontis vbi quieſcit (quo potatur ipſe) ſaperet pietatem. *Donauit Dominus ſanitatem,* (ait Ambroſ.lib.1.epiſt.25.) *non medicinam exercuit, Iudæi interrogant: Hic peccauit, an parentes? debilitates corporum referentes ad merita delictorum; Ideo Dominus ait: Neque hic peccauit, neque parentes eius; ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Quod enim naturæ defuit, Creatori competit reformare, qui author naturæ eſt. Vnde addidit: Cùm in hoc Mundo ſum, lux ſum huius Mundi. Hoc eſt, omnes poſſum videre, ſi me lumen requirunt. Accedite & vos, & illuminamini.* Quomodo audebit iniquus accedere? Sabbatum eſt, (ait Richardus) adeſt Siloë fons, Mariæ te manuducit patrocinium.

Vitalis ligni Christi Admirabilis, ſiue miracula gerentis, FRVCTVS TERTIVS.

IOANNES Cap.IX.

VERS.1. PRÆTERIENS Ieſus, vidit hominem cæcum à natiuitate.

PARAPHRASIS.

1\. *A Cæcis mente diſcedens Dominus, vidit hominem mente videntem corporis oculis captum, idque à natalitio, vt medicis eſſet malum inſanabile.*

2\. Et interrogauerunt eum Diſcipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?

2\. *Suſpicantes Diſcipuli omne corporis vitium ex animi vitio naſci, de cæco interrogant Saluatorem: cuius vitio accidiſſet, vt cæcus naſceretur? Rabbi, vnde huic tantum malum? Ex ipſius-ne peccato, an parentum?*

3. Reſpondit Ieſus : Neque hic peccauit, neque parentes eius: Sed vt manifeſtentur opera Dei in illo,

3. *Reſpondit Dominus, Nec hic ſuo peccato commeruit, vt cæcus orietur, qui cum nondum eſſet peccare non potuit ; nec parentes eius : non enim punit Deus liberos ob parentum flagitia, ni filij exſurgant eorum imitatores. In hoc prohibita non eſt infelicitas, vt per eum hodie hominibus Dei potentia, ac bonitas innoteſcat, cui Iudæi cæcitas reclamat.*

4. Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: Venit nox, quando nemo poteſt operari.

4. *Ego in hoc miſſus ſum in Mundum, vt gloriam Dei factis huiuſmodi procurem. Hoc mandatum mihi exequendum gnauiter, quandiu dies eſt; nam luce ſolent homines operari. Dum præſens dies operanti præbet facultatem, quæ ad ſalutem æternam pertinent præparentur.*

5. Quandiu ſum in Mundo, lux ſum Mundi.

5. *Ego Mundi lux breui ſum extinguendus, tunc fruſtra deſiderabunt lucem, qui nunc operari noluerunt.*

6. Hæc cum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius.

6. *Iam verò miraculum expectantibus Diſcipulis, Ieſus expuit in terram, ac ſputo commixto puluere, fecit lutum, id illenit oculos cæci, Paternum ac ſuum referens opificium, quo primum hominem ex puluere humore macerato finxerat. Eiuſdem authoris erat, reſtituere, quod perierat, qui condiderat, quod non erat.*

7. Et dixit ei : Vade, laua in natatoria Siloe (quod interpretatur *Miſſus.*) Abiit ergo,& lauit : & venit videns.

7. *Ad piſcinam Siloë cæcus immittitur, euntem magna vis populi non ſine riſu comitatur hunc cæcum ad piſcinam ſolum* Miſſus *nomine nobilem. Vbi ventum eſt ad aquas abluit ille lutum ab oculis, ac domum rediit apertis oculis duplici pulſa cæcitate. Vnicè eſt miſſus à Patre, qui ſolus hominum mentes illuminat.*

8. Itaque vicini, & qui videbant eum priùs, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic eſt, qui ſedebat & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic eſt.

8. *Itaque vicini, cæterique, qui eum publicè mendicum agnouerant, oculos autem mutatos aſpicerent, dicebant : Nónne hic eſt ille, quem ante Templum ſedentem iuxta viam, ac mendicantem vidimus? Nonnulli dicebant, Is ipſe eſt.*

9. Alij autem: Nequaquam, ſed ſimilis eſt ei. Ille verò dicebat: Quia ego ſum.

9. *Alij contra, Non eſt ille, ſed eſt alius illi ſimilis. Diſſentientibus illis inter ſe cæcus ipſe dicebat, ſum idem ille mendicus à natalitio cæcus.*

10. Dicebant ergo ei ; Quomodo aperti ſunt tibi oculi?

10. *Atqui, inquiunt, nos te vidimus cæcum, nunc apertis cernentem oculis videmus. Vnde accidit, vt priùs tibi clauſi, nunc aperti ſint oculi?*

11. Reſpondit: Ille homo, qui dicitur Ieſus, lutum fecit, & vnxit

11. *Homo ille, ait, qui dicitur Ieſus, lutum fecit, eóque oculos meos inunxit, quo facto, dixit : Abi ad piſcinam Siloë, atque*

oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, & laua: & abij, laui, & video.

atque illic laua oculos. Abij, laui, & video. Tunc illi occaſionem calumniandi Ieſum quærentes, quòd tẽperato luto & oculis inuncto nonnihil operis feciſſet in Sabbato.

11. Et dixerunt ei: Vbi eſt ille? Ait: Neſcio.

11. *Rogant, vbinam eſſet ille, qui hoc feciſſet. Qui reſpondit, ſe neſcire, quis eſſet. Ieſum ille de nomine quidem, de facie autem non nouerat.*

13. Adducunt eum ad Phariſæos qui cæcus fuerat.

13. *Adducunt eum ad Phariſæos, vt apud hos re ſimpliciter narratâ, Ieſum proderet, quod Sabbatum violaſſet.*

14. Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius.

14. *Nam Sabbatum erat, quum Ieſus cæci oculos, commixto oris humore pulueri, aperuiſſet.*

15. Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi, quomodo vidiſſet. Ille autem dixit eis: lutum poſuit mihi ſuper oculos, & laui, & video.

15. *Rurſus igitur Phariſæi hominem percontantur, quomodo ex cæco videns eſſet effectus. Ille nil metuens, (quia aſſertor veritatis) ſimpliciter rem narrans, lutum, inquit, temperatum ſaliua oculis meis inunxit, iuſſuſque in Siloe laui, deinde video.*

16. Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit. Alij autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? & ſchiſma erat inter eos.

16. *Hoc audito, quidam ex Phariſæis dicebant, Non eſt hic Ieſus à Deo, tametſi Patrem Deum habet in ore. Nam ſi Deum haberet authorem, haud huiuſmodi facto violaret Sabbatum, quod Deus iuſsit obſeruari. Rurſus alij ſanabiliores, ſi hic non eſſet, inquiunt, Deo gratus, ſed ob violatum Sabbatum eſſet nefarius, quomodo poſſet hæc patrare miracula. Ad hunc modum de Ieſu inter illos ſententijs variatum eſt.*

17. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta eſt.

17. *Porrò Phariſæi, qui vndecunque anſam captabant calumniandi, rurſus appellant eum, qui cæcus fuerat. Tu, aiunt, quid ſentis de illo, qui tibi aperuit oculos? Mendicus autem ſimpliciter & intrepidè ſuam mentem aperuit. Mihi videtur eſſe Propheta; magnum quempiam, & inſignem virum hoc titulo ſignificans, cuius famam acceperat.*

18. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat.

18. *Erant equidem permulti Iudæi, quibus perſuaderi non poterat, hunc eſſe eundem illum, qui mendicans, nuper Templi ſediſſet ad fores à natalitio cæcus. Vocati ſunt igitur parentes, qui peculiaribus etiam indicijs filium ſuum noſcere poterant.*

19. Et interrogauerunt eos

19. *Dicunt parentibus, Numquid eſt iſte veſter filius, quem vos dicere ſoletis*

dicentes: Hic eſt filius veſter, quem dicitis, quia cæcus natus eſt: Quomodo ergo nunc videt?

cæcum fuiſſe natum? Et quid, dicitote, accidit, vt nunc videat? Illi ſentientes Phariſæos anſam venari calumniæ, cautè reſpondent.

20. Reſponderunt eis parentes eius, & dixerunt: ſcimus, quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt:

20. *Hoc, quod habemus indubitatum teſtari poſſumus. Scimus hunc filium noſtrum cæcum fuiſſe natum.*

21. Quomodo autem nunc videat, neſcimus: aut quis eius aperuit oculos, nos neſcimus: ipſum interrogate, ætatem habet, ipſe de ſe loquatur.

21. *Neſcimus autem redditi viſûs modum, & authorem. Habet ætatem, ex ipſo magis percontari oportet: ipſe de ſe quod nouit, proloquatur.*

22. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret.

22. *Hæc parentes, non quod neſcirent, quid filio accidiſſet; ſed maluerunt filium vnum venire in periculum, quàm eum illo communi in periculo inuolui. Iam enim Iudæi conſpirauerant, vt ſi quis Ieſum auderet Meſſiam profiteri, è Synagoga deturbaretur, quod apud Iudæos opprobrij magni loco ducebatur.*

23. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipſum interrogate.

23. *Hoc metuentes parentes, inuidiam teſtimonij reijciebant in filium. Ætatem habet, inquiunt, ex ipſo ſciſcitemini.*

24. Vocauerunt ergo rurſum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt.

24. *Reuocatur is, qui fuerat cæcus, vt ſibi teſtis eſſet, & patronus, ſimúlque gloriæ Chriſti præco. Quod ex cæco, aiunt, factus es videns, noli Ieſu adſcribere, cui nihil debes: ſed gloriam iſtius beneficij Deo tribue. Nos enim certum habemus, quòd hic Ieſus homo ſit ſceleroſus, cui cum Deo nihil eſt commercij.*

25. Dixit ergo eis ille: ſi peccator eſt, neſcio: vnum ſcio quia cæcus cùm eſſem, modò video.

26. *Ad hæc cæcus circunſpectè reſpondens, An, inquit, homo ſceleroſus ſit, alij viderint, de hoc non eſt meum iudicare. Vnum illud teſtari poſſum, me priùs fuiſſe cæcum, & nunc videre.*

26. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?

26. *Quid, inſtant, fecit tibi, aut quibus modis tibi oculos aperuit? Vt inuenire poſſent, vnde Ieſu illam gloriam non adſcriberent.*

27. Reſpondit eis: Dixi vobis iam, & audiſtis, quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis Diſcipuli eius fieri?

27. *Modò, ait mendicus, dilucidè ſicut res habet, narraui: ex audiſtis ſemel, quorſum attinet eadem repetere? An ideo tam diligenter ſcrutamini facti modum, vt re exactè cognitâ vos quoque ad tam diuinæ ſcholæ pergatis magiſterium?*

28. Male

28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu Diſcipulus illius ſis. Nos autē Moyſis Diſcipuli ſumus.

28. Phariſæi irritati non reſponſum reddunt, ſed conuitium ingerunt, id homini velut ſummum malum imprecantes, quo ſolo ipſi quoque poterant eſſe felices. Tu huius ſis Diſcipulus, nos Moyſi diſcipuli talem Magiſtrum abominamur.

29. Nos ſcimus, quia Moyſi loquutus eſt Deus: hunc autem neſcimus, vnde ſit.

29. An non certiſſimum, Moyſi Deum fuiſſe locutum? Hominem autem iſtum cur audiamus, qui vnde profectus ſit, neſcimus? Vult illi credamus? ſuam nobis probet authoritatem.

30. Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile eſt, quia vos neſcitis, vnde ſit, & aperuit oculos meos.

30. Admiror (rurſum cæcus) profiteri vos neſcire vnde ſit Ieſus, cum illud negari non poſſit, per eum mihi oculos eſſe apertos, quos natus etiam habebam clauſos.

31. Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

31. Illud extra controuerſiam, (vos teſtor) Deum vota peccatorum non exaudire. Verum ſi quis illum piè colit, & eius quem colit religione, voluntati obtemperat, hunc audit. Præcipua, fateor, Deo gloria tribuitur, tamen pius Dei cultor, & amicus Deo ſit oportet, ad cuius vota tam inſigne mihi præſtitit beneficium.

32. A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.

32. An vulgare miraculum, quod in me videtis excitatum? Multa prodigia memorantur, quæ Deus olim per maiores noſtros geſſit: ſed ſanctos, non peccatis contaminatos.

33. Niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quidquam.

33. Quod niſi Ieſus iſte profectus eſſet à Deo, niſi illi Dei virtus adeſſet, ex ſe nihil omnino poſſet efficere.

34. Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

34. Tu (reſpondent exprobrantes ei priſtinam cæcitatem) in peccatis natus es totus, & nos doces, qui Religionis arcem, & legis tenemus profeſſionem? Eiecerunt igitur hominem è Synagogâ velut impij Magiſtri impium alumnum.

35. Audiuit Ieſus, quia eiecerunt eum foras, & cum inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

35. Porrò ab impiorum communione ſecludi, iungi eſt Saluatori. Renunciatum Ieſu de ſua gloria præcone, nactus eſt illum obuium. Heus tu, inquit, credis ne in Filiū Dei?

36. Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt Domine, vt credam in eum?

36. At ille, cùm Ieſum de facie nondum noſſet, magno tamen affectu ſic noſſe cupiens eum, Quis eſt, ait, ille, Domine, vt ſi norim, credam in illum? Haud hæc vox diffidentis, ſed ardentis videre tanti beneficij authorem.

37. Et dixit ei Ieſus: Et vidiſti eū, & qui loquitur tecum ipſe eſt.

37. Quem videre, Ieſus, inquit, cupis, iam vidiſti: & qui nunc loquitur tecum, ipſe eſt, in quem credere oportet.

38. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum.

38. Nihil ille cunctatus, magnâ profeſſus eſt alacritate, ſe credere. ſimulque cum dicto ad Ieſu genua accidit, & adorauit eum; re nimirum ipsâ declarans, quid de illo ſentiret.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Cæcus illuminatur.

TEXTVS.

VERS. I. PRÆTERIENS Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate. 2.
Et interrogauerunt eum Diſcipuli eius: Rabbi, quis peccauit,
hic, an parentes eius, vt cæcus naſceretur? 3. Respondet Ieſus:
Neque hic Peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. 4.
Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando
nemo poteſt operari. 5. Quandiu ſum in Mundo, lux ſum Mundi 6. Hæc
cum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper
oculos eius. 7. Et dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë (quod interpretatur)
Miſſus. Abiit ergo, & lauit, & venit videns.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Diſcipulorum Quæſtione circa cæcum natum.

1. *An egreſſus è Templo mox cæcum illuminarit?* Caiet.

PRÆTERIENS *Ieſus.* An Chriſtus mox, vt è Templo (ad quod confugerat, vt lapidum impetum vitaret) exiuit, cæcum illuminarit? Caietanus, quem Ianſenius imitatur, non liquere affirmat, in negantémque partem diuertiſſe videtur. Probat, quia quando Chriſtus Cæcum lumine donauit, Diſcipuli aderant: cùm verò è Templo exiit vbi abſconditus ſolus aderat, non comitabantur. Aſſero ſtatim atque Templo exiuit, cæcum illuminaſſe. Ita Chryſoſtomus hom. 55. Euthymius, Theophylactus, & alij ex antiquis, & modernis. Caietani, argumentum non multum habet ponderis. Cum è Templo exiit Dominus, non aderant Diſcipuli. At exeunti occurrerunt, adfuerúntque miraculo.

Chryſ. Euthy. Theoph.

2. *Attentè Ieſus cæcum aſpexit.* Chryſ.

Vidit hominem. Vidit planè oculos admouens tam attentè, vt Diſcipuli adnotantes illam proferrent quæſtionem: *Peccauit hic, &c.* Chryſoſtomus, *Tam diligenter cæcum intuitus eſt Chriſtus, vt Diſcipulos ad interrogandum conuerteret.*

3. *Quonam in loco vidit?*

Quonam loco viderit cæcum? Chryſoſtomus hom. 56. putat, illum ad ianuam Templi ſediſſe, & mendicaſſe. Vnde illud infra: *Nonne hic eſt, qui ſedebat, & mendicabat? Non ſtatim* (ait) *cæcus hic mendicabat, ſed ſedebat ad Templi ianuam.* Itaque e Delubro egreſſus Dominus, cæcum circa ianuam aſpexit.

4. *A natiuitate cæcus cur dicitur?* Ambr.

Cæcum à natiuitate. A natiuitate cæcus dicitur, vt miraculi magnitudo oſtendatur. Ambroſius epiſt. 75. *Non otioſè hoc eſt poſitum. Eſt enim cæcitas, quæ plerumque vi ægritudinis aciem obducit oculorum, eademque temporis ſpacio mitigatur. Eſt cæcitas, quæ humoris infuſione generatur. Ea quoque, vitio plerumque ſublato, medicina arte depellitur. Vt cognoſcas, quia quod iſte ſanatur, qui à generatione ſua cæcus eſt, non artis eſt, ſed poteſtatis. Hos enim ſanauit Dominus Ieſus, quos nemo curaret.*

5. *De Diſcipulorum mente.* Chryſ.

Et interrogauerunt eum Diſcipuli eius. Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? An exiſtimant hominem poſſe peccatum committere, antequam naſcatur? Chryſoſtomus. *Abſurda interrogatio: quomodo enim peccauit, antequam natus eſſet?* Refert Ianſenius nonnullos intelligentes Diſcipulos iuxta vulgarem Iudæorum errorem credidiſſe animas in multa corpora migrare, pœnámque in ipſo corpore luere, ſi antè aliquo ſe obſtringerent crimine. Legendus Philo lib. de ſomniis ad illud: Vidit Iacob ſcalam. Error hic Origeni tribuitur. De cuius refutatione Cyrillus lib. 1. in Ioan. Cap. 9. Aſſero in Diſcipulorum vel imperitam mentem huiuſmodi errorem non veniſſe; nec propterea Dominum rogaſſe. Quis enim abneget à Chriſto fuiſſe veritatem edoctos?

Philo. Orig. Cyril.

6. *Simpliciter Diſcipuli interrogant, &c.* Dionyſ. Carthuſ.

Cur igitur quæſierunt? Puto non intellexiſſe, quid ex interrogatione ſequeretur? Dionyſius Carth. *Cum eſſent Diſcipuli ſimplices, ſimpliciter quæſierunt.* Præterea potuerunt de peccato, aut originali, aut conſequenti loqui. Ac ſi dicerent: Natus-ne eſt cæcus propter præuiſum à Deo peccatum, quod poſt natiuitatem commiſit? an propter peccatum originarium? an propter peccata parentum? Profectò propter parentum crimina puniri filios exaudierant. Cyrillus. *Quoniam in Propheticis libris ſcribitur, quod peccata parentum filiis Deus tribuat, hac de cauſa cæcum natum hominem illum Apoſtoli arbitrabantur.* Quare filij nonnunquam ob parentum crimina puniantur, docet Doctor Angel. 1. 2. p. q. 87. a. 8. & 2. 2. q. 18. a. 4.

Cyrill. Thom.

§. II.

De Chriſti ſolutione.

7. *Peccatum nõ erat cauſa propinqua illius cæcitatis.*

RESPONDIT *Ieſus. Neque hic peccauit, nec parentes eius.* Certè cæcus ille eiuſque parentes

rentes tum originali macula fuére contaminati, tum alia poſtea peccata ſaltem venialia cõmiſerunt. At peccata quæ cæcus contraxit & commiſit, & quæ illius parentes commiſerunt, haud cauſa huius cæcitatis extitere. Chryſoſtomus. *Non ſimpliciter dixit Chriſtus: Neque hic peccauit, nec parentes eius: ſed addidit: vt cæcus naſceretur. Peccauit namque hic, & parentes eius; ſed non propterea cæcus eſt.* Scio peccatum originale cauſam fuiſſe illius cæcitatis generalem, & remotam, & ſine qua non. Si enim filij Protoparentis labe non inficeremur, cæcitate, aut morbis non grauati fuiſſemus. At Chriſtus de cauſa propria, ac propinqua loquutus.

Chryſ.

8\. *Particula, vt expenditur.* *Sed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Theophilact. *Hoc loco non cauſa, ſed euentus deſignatur.* Si euentum, non cauſam ſignificet particula, *vt* ſenſus erit, hominem illum oculis fuiſſe captum, eueniſſe autem, vt opera Dei in illo manifeſtarentur. Cauſam potius ſignificare reor: Non eſt homo hic priuatus oculorum lumine, quod vel ipſe, vel parentes peccauerint, ſed vt miraculum in eo diuina operaretur potentia, voluit Deus ſic illum naſci. Lyranus, *Licet parentes pro peccatis ſuis aliquomodo puniantur in filiis monſtroſis, in quantum talia monſtra ex diuina iuſtitia naſcuntur; tamen frequentius fit ſine peccato, ſcilicet propter indiſpoſitionem materiæ, vel debilitatem virtutis, quæ eſt in ſemine. Veruntamen quamuis talia ſunt a caſu reſpectu naturæ creatæ; ſunt tamen ordinata reſpectu diuinæ prouidentiæ. Et aliquando ordinantur ad declarationem diuinæ virtutis in operibus miraculoſis, & ſic erat de iſto cæco.*

Lyran.

9\. *Auguſtini expoſitio, & aliorum.* *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Auguſtinus, Me oportet operari miracula, donec mundum meis radiis illuſtro. Quandiu enim ſum in mundo lux ſum mundi, diémque efficio. Venit nox impiis ſcilicet per iudicium, in qua nemo poterit operari ſalutis opera, in qua nec miracula in mundo fient, neque fides erit, aut iuſtificatio. Chryſoſtomus, *Donec dies eſt, dum licet hominibus in me credere, dum hæc vita durat, laborandum eſt. Venit nox, hoc eſt, futurum tempus, quando nemo poterit operari; id eſt, quando non eſt amplius fides, neque labores, neque pœnitentia.* Theoph. Euth. & Rupertus conteſtátur.

Chryſ.

Theoph. & alij.

10\. *Authoris ſententia.* Aliter probabilius interpretor. Chriſtus tempus vitæ ſuæ diem, diſceſſum autem ſuum noctem appellauit hoc ſenſu: Volo cæco huic videndi facultatem mirabiliter impertiri. Etenim me oportet *opera Patris mei*, hoc eſt miracula operari, *donec dies eſt*, ſiue quandiu hoc in orbe vitam gero; quandiu enim viuo, *dies eſt*, quia quandiu ſum in mundo *lux ſum mundi. Venit nox*, in qua homines minimè operantur: ſic etiam *venit nox*, id eſt meus occaſus, meus è mundo diſceſſus ad ſuperos: tunc autem non operabor miracula agens inter homines vitam, quemadmodum nunc operor. Volo igitur cæco huic nunc oculorum lumen largiri. Sequor Ianſenium, Salmeronem, Toletum, Maldonatum, Lyranum, Titelmanum, Barradium, & alios.

Ianſen. & alij.

11\. *Redditur cauſa, cur velit cæcum illuminare.* *Quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Me oportet operari nunc miracula, hominéſque docere, donec dies eſt; eſt autem dies quandiu ſum in mûndo; quoniam ego lux ſum; & ſol mundi: ſiue redditur cauſa, cur velit cæcum illuminare, videlicet, quod lux ſit mundi. Quaſi dicat: Quandiu ſum in mundo, lux ſum, & ſol mundi; ideoq; cæco, qui in tenebris degit lucem exhibere lubet

§. III.

De luto adhibito, & cæco lauante, & vidente.

HÆc cùm dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius. Collyrium admirandum! An inunxerit palpebras, an ipſoſmet oculos, qui intra palpebras continentur? Reſpondeo ipſos oculos inunxiſſe. Quare lutum adhibitum? Exiſtimo, vt oculorum eſſet materia. Etenim cæcus oculos integros non habuiſſe videtur: ſed fractos, comminutos, & humoribus ab exortu vacuos. Chriſtus verò è terra veluti materia nouos Adami filio oculos efformauit. Obiicis iuſſiſſe Chriſtum oculos ablui, atque adeo lutum ablegari. Reſpondeo, cum cæcus abluit oculos, non fuiſſe lutum ab oculis reiectum, ſed in oculos transformatum. Irenæus, lib. 5. cap. 15. *Ex qua terra Deus formauit cæco oculos, ex hâc plaſmatus eſt homo.* Chryſologus ſerm. 176. *Chriſtus imponit lutum, vt creante manu inde ſuppleret homini lumina, vnde hominem fecerat totum.* Et Theophylactus huius ſententiæ memor, ait: *Quidam dicunt, quod lutum ſit in oculos efformatum.* 12. *An oculos ipſos inunxeris luto?* *Lutum oculorum materia.* Irenæ. Chryſ. Theoph.

Vade, laua in natatoria Siloe. (quod interpretatur Miſſus.) Siloë à verbo Hebræo שלח *Salach*, id eſt *mittere*. Erat enim Chriſti à Patre immiſſi aqua illa ſimulacrum. Quidam aſſerunt Siloë nomen eſſe piſcinæ, ſiue natatoriæ, non autem fontis. Fontem eſſe Ioſephus affirmat lib. 6. de Bello. cap. 8. *Siloe fons eſt dulcis, ac plurimus.* Hieronymus, Iſai. 8. *Siloam fontem eſſe ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, ſed incertis horis, diebuſque ebulliat, & per terrarum concaua, & antra ſaxi duriſſimi cum magno ſonitu veniat, dubitare non poſſumus, nos præſertim, qui in hac habitamus Prouincia.* Et Adrichomius in deſcrip. Ieruſ. num. 20. *Siloe* (inquit) *fons cui piſcina, ſiue natatoria Siloe, quæ & piſcina inferior nuncupatur, coniuncta eſt in Occidentali latere vallis Ioſaphat, è radice montis Sion ſcaturit. Aqua eius dulcis, clara, & vberrima cum ſilentio fluit in torrentem Cedron.* 13. *De Siloe fonte.* Ioſeph. Hieron. Adrich.

Cur natatoria dicitur? Quemadmodum Probatica piſcina dicitur non propter piſces: ſic Siloe dicitur natatoria non propter natationem, ſed quia ſtagnum erat, quod ad illum natandi vſum poſſet deſeruire, quemadmodum piſcina ad piſcium habitaculum. De Siloe ſic Epiphanius de vita Proph. cap. 7. Fontem Siloam cauſa *Prophetæ* (Iſaiæ) *Deus effecit: quoniam prius quàm moreretur, puſillum precatus eſt, vt vndas illinc erumpere dignaretur, & confeſtim dimiſit illi cœlitus aquam viuentem. Vnde ſortitus eſt locus ille appellationem Siloam, quod ſonat Dimiſſum.* Fons igitur hic Iſaiæ precibus è cœlo miſſus Chriſti mittendi præferebat imaginem 14. *Cur Natatoria dicitur.* Epiph. *Vndenam ſit Miſſus vocicaturi*

Abiit ergo, & lauit, & venit videns. Chriſti iuſſui cæcus obtemperat, petit ſtagnũ, oculos lauat, protinus optatiſſimum lumen oculi recepere. Adnotat Barradius Chriſtum cæco prius plura verba feciſſe: quis eſſet an luce donari vellet? fidem demũ excitaſſe. Nec aliter cæcus tuliſſe oculos ſuos luto cõpleri. Quæ quidẽ Euangeliſta prætermiſit. 15. *An cæco Chriſtus prius fuerit locutus?* Barrad.

I N

IN IESVM CÆCOS ILLVSTRANTEM

PANEGYRICVS PRIMVS MORALIS CIRCA LITERAM.

EX DATO LVMINE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Præteriens Ieſus, vidit hominem cæcum à natiuitate.

Cum Dominus lapidibus impeteretur, & fugeret, videt iuxta Templi oſtium cæcum, cui impertit lumina.

Auguſtiſſimi etenim Præſulis eſt proprio periculo ſubditorum calamitatibus prouidere.

16. *Tuxantur Præſules non per ſe ſubditos inuiſentes.*

CAPITIS octaui fine Ioannes ait: *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de Templo.* Pergit Capitis noni initio. *Et præteriens Ieſus vidit hominem cæcum.* Id eſt cùm fugeret aduerſarios è Templo exit, vt videat miſerum, vt lumine donet: de noſtra planè incolumitate magis, quam de propria ſollicitus.

17. *Verus ſaluator exit, & præterit; vt miſeriam videat ſubditorum.* Iudi. 3.

Othoniel populi Iſraëlis Saluator Chriſti geſſit imaginem. De illo Textus, *Fuítque in eo ſpiritus Domini, & iudicauit Iſrael: egreſſúſque eſt ad pugnam.* Iudic. 3. En boni Saluatoris partes, non in clauſtris, atque in Templi adytis deſidere, vbi hoſtium impetus in eum ob Delubri religionem comprimantur: ſed in Solem ac puluerem, ſeu arenam deſilire: in mediiſque periculis miſeris ſubditis ſalutem impendere. Si in Ieſu Spiritus Domini, (*Fuítque in eo Spiritus Domini*, iuxta illud Iſaiæ. *Et requieuit ſuper eum Spiritus ſapientiæ*, &c.) non poterat non proprio periculo procedere ad campum, vt ſubditis prouideret. Chryſoſtomus hom. 34. ad Hebr. *Spiritus ſanctus in animam mollem pati non poteſt, vt permaneat.* Sunt qui Præſulatus munus intrà clauſtra curant exercere, vbi ſubditorum ſine proprio incommodo ſaluti prouideant. Qui quidem prætereuntes non vident miſerorum egeſtatem. Prætereat Præſes, & videat inopes errantes, queis ſuccurrat. *(Chryſ.)*

18. *Ieſus in ſalutem ſui populi egreſſus eſt.*

De Chriſto Propheta, *Egreſſus eſt in ſalutem populi ſui.* Habac. 3. An non abundè muneri ſatisfaceret, ſi throno hæreſcens ſubditorum commodis prouideret? Quare ad populi ſalutem egreditur? Si lapidatur? Si trucidatur? Si ſuffigitur? Lapidetur, trucidetur, ſuffigatur, dum Præſulis auguſtiſſimi implet obligationem. Ambroſius lib. de Iacob & vita beat. Cap. 6. de Patre æterno loquutus, *Proprio Filio non pepercit. Quaſi morituri Filij ſuſcepit periculum, quaſi orbitatis hauſit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino ſtudium tuæ ſalutis, vt propemodum de ſuo periclitaretur, dum te lucraretur.* Et ideo *egreſſus in ſalutem populi ſui.* Prætereat vt videat, etiam cum lapidibus impetitur. De ſuo periclitetur, dum ſubditos lucratur. *(Habac 4. — Ambro.)*

19. *Quos cæcos in Templo quærentes ſe videt, ſanat, quærit eos, qui extra domum verſantur.* Mat. 21. Hieron.

Si cæci, & claudi intrant ad Templum à Domino apud Templum commorante excipiuntur, ſanantur. *Acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in Templo, & ſanauit eos.* Matth. 21. At ſi cæcus extra Templum mendicat, Templum Præſul hominum deſerat, è Throno Rex egrediatur, vt præteriens aſpiciat, & ſanet. Pulchrè Hieronymus ad Habac. *Egreſſus in ſalutem populi ſui. Quia hi, qui indigebant ſalute, ad eum intrare noluerunt, ipſe egreſſus eſt de maieſtate ſua, & de loco ſuo; vt eos, qui foris erant, duceret in terram manſuetorum, regionémque viuentium.* Ad iratorum, ad lapidantium terram lapidibus vulnerandus egreditur Dominus, vt cæcum ad manſuetorum terram adducat.

20. *Properat proprio incommodo, vt miſero ſubdito prouideat.* Chryſoſt.

Pondera Chriſti ad cæcum requirendum properationem. Exit fugientis habitu, tanquam qui in labores irrueret, & miſerum ſubleuaret. Præſulis etenim proprium eſt ſimili ſollicitudine ſubditorum calamitatibus prouidere. Chryſoſtomus Paulum ex huiuſmodi irruptione commendat hom. 8. de eius laud. *Irruit Ozias*, (ad honorem apud Templum) *ſed leprâ commaculante punitus eſt. Irruit Paulus, ſed Apoſtolatus gloria coronatus eſt. Non enim in Sacerdotium, nec in honorem: ſed in miniſterium irruit, atque labores.* Quam ſolliciti ad Præſulatum ambiendum plurimi, quanta velocitate exeunt, vt venentur honores; quos cum poſſideant, proprio commodo indulgentes vix ſemel exeunt ad oculum erroneam requirendam. Prætereant, vt videant: *Præteriens* enim *Ieſus, vidit cæcum.*

OBSER

Observatio II.

Ad illa verba:

Præteriens Ieſus, vidit hominem cæcum, &c.

Videtur-ne caſu miſer ille? caſu ne lumine donatur à Domino?

Quàm miſeri, quorum ſalus æterna, aut mors ab incerto dependet euentu.

21. VIDIMVS ex ſententia quorumdam caſu cæcum à Domino aſpectatum dum tranſiret. Certè licet cœleſti prouidentiâ factum, vt Chriſtus tranſiret, & videret: reſpectu deſidiæ cæci nati caſu reſpectus eſt. Nec enim ille Dominum rogauit, vt viſu donaretur, quemadmodum cæcus alter inclamans: *Ieſu fili Dauid miſerere mei.* Caſu videtur præterire Ieſus? caſu homo lumine donatur? Æterna ſalus, aut æterna mors ab incerto caſu dependeat? Proh hominum carpendam deſidiam!

22. *Cæca Samaritana caſu venit ad medicum iuxta propriam deſidiam.* Ioan.4.

Chriſto iuxta fontem Sichar ſedente, Samaritana acceſſit fœmina. *Venit autem mulier de Samaria haurire aquam.* Ioan.4. An caſu cæca illa ſpiritu obtenebrato lumine donata eſt? Certè ſi Domini pietatem contempleris, non caſu ſalus perfecta eſt; ipſe etenim miſerandam peccatricem cæco ſuccenſam igne requiſiuit. At ſi fœminæ deſidia ſit aſpicienda, caſu acceſſit ad medicum. O damnabilis deſidia meretricis! Tot nubibus lumina ſuffunduntur, & caſu ad Siloë verè Miſſum fontem properaſti? Ambroſius ad illa verba: *Erat autem ibi fons Iacob,* ait; *Ibi fons eſt, vbi Chriſtus eſt.* Ipſa medici pietas te ignorantem adduxit: tota eſt pietas illuminatio tua, quam deberes anxio ſpiritûs affectu procurare. Quantùm in te periculosè euentui ſubiacebas. Chryſologus ſerm.93. *Illa intrauit exhibita, non præſumens. Ipſe ſic fecit ſiſti ſibi, qui illam cœleſti ſententiâ fecit abſolui.* Non præſumens veniſti, ſed exhibita? Ergo tota eſt iudicis pietas abſolutio, quam debuiſſes præmiſſâ ſollicitudine quæritare. O miſera felix! Si Ieſus ex itinere fatigatus non ſederet ſic ſupra fontem? ſi non te pietas adduceret? Æterna ſalus, aut mors aleæ tradenda?

Ambr.

Chryſ.

23. *Non caſu Domino, ſed caſu Magis, & paſtoribus lux exhibetur.* Ambr.

Naſcitur Dominus Mundi ſalus dum medium ſilentium tenerent omnia, dum homines ſomno ſoporarentur? Nullus ex cæco hominum genere noctis habitatore lucem quærit cœleſtem. At Sol ipſe ad paſtores pergit illuminandos, Gentiles Proceres cæcos idololatriâ luce donat. Ambroſius lib.2. in Luc. *Quòd ſi ætas carnis ignara operis fuit, profectò Deus erat, qui diuinitatis operibus exercebat carnis ætatem, qui paſtores faciebat in illa regione* (Regéſque in alia) *vigilare*, ſiue oculos aperire. Opus totum erat Diuinitatis, facinus miſerationis cœleſtis. Et paſtores &

Eſtob & Mend. in Euang. de Temp. T.I.

Magi tenebris offunduntur, cæci minimè pergunt ad medicum. Quid ſi cum Herode ſoporaremini? Quid ſi medicus non Sol elucesceret, cuius in pennis ſanitas? Caſui reſpectu deſidiæ veſtræ ſalus æterna committenda eſt! ô dementia!

24. *Simonem Magum imitantur, qui caſu, aut euentui ſuam ſalutem, aut mortem æternam committunt.* Act.8.

Magum Simonem imitamini, qui Apoſtolis ſe taxantibus, quòd pecunia conatus eſſet paracleti diuitias comparare, dixit: *Orate pro me ad Dominum, vt nihil horum, quæ dixiſtis eueniat in me.* Act.8. *τὸ eueniat* adnotandum. Certè verbum hoc à caſu ſuam ſortitur ſignificationem. Magus de propriâ ſalute minimè curat, ſed relinquit euentui. Orate vos, ne mihi eueniat damnatio. Et cur non anxiè preces effundis, ne ſalus, aut mors æterna relinquatur euentui? Chryſoſtomus homil. 18. in Act. *Oportebat, illum toto corde pœnitentiam agere, oportebat plorare. Ille autem obiter hoc faciebat.* Pende particulam *Obiter.* Ad itineris caſum cæcitatis remittebat ablegationem. Si Ieſus præterit, ſanabor. O dementia, quot hominum millia millium ad Tartarum deturbaſti! Demoſthenes 2.Olynth. aiebat, *Incredibile eſt, alicui tantam ignauiam eſſe inſitam, vt ſalutem ſuam negligat.* Pudeat tam viſibile expoſuiſſe Chriſtianum, quod Gentilis incredibile arbitratur.

Chryſ.

Demoſt.

Observatio III.

Ad illa verba:

Præteriens Ieſus, vidit hominem cæcum à natiuitate.

Mirum fuiſſet, ſi videns cæcum, non illuminaret.

Deum enim reſpicere, idem eſt, ac hominum miſereri.

VIDIT cæcum, & lumine donauit. Nec enim Dei oculi vident, quos ſalute non ſint donaturi. Vident homines hominum ærumnas, & prætereunt. Videt Leuita à latronibus vlneratum, & tranſit. O Samaritani Ieſu pietas! Videt & quaſi neceſſariò miſeretur, olei & vini infuſione. 25.

26. *Iſraël cæcus aſpectu Domini illuminatur.* Iud.6 Bleſen.

Laborante Iſraële, tenebris tribulationum obruta, Gedeon affatur cœlicolæ. *Obſecro mi Domine ſi Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi ſunt miſericordiæ eius, quæ narrauerunt patres noſtri. Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madiam. Reſpexitque ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madiam.* Iudic. 6. In quanam ô Domine, vadam *fortitudine*? In *hac* quidem, quâ donaris, dum à Domino reſpiceris. Nec enim ſcit Deus hominem aſpicere, niſi ſimul miſerendo, & ſanando. *Liberabis Iſraël.* Vbi ſunt quæris, Dei *miſericordiæ*? Palpebris luminum abſconduntur. Lumina admoueantur, adeſt miſericordia. Bleſenſis, *Facies Domini miſericordia eius eſt.*

27. *At tenebras depellendas ærumnarum ſolam Dauid faciem Domini requirit.* Pſal. 79. Ambr.

Luget Dauid populi ærumnas, dum canit: *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui? Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in menſura? Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos. Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.* Deſperata pene Iſraëlis ſalus, lethalis ægritudo: ſed aſpice. Nec enim poteſt ô Domine reſpectus tuus à noſtra ſalute ſeparari. Ambroſius, *Aſpectus Dei ſalus noſtra eſt, atque in eius vultu noſtrum eſt adiutorium.*

28. *Iuſtos aſpiciens, confirmat: peccatores conuertit.* Salu. Habac. 3. Auguſt.

Aſpicit quidem iuſtos, vt reddat ſtabiles; peccatores reſpicit vt conuertat. Saluianus de iuſtis à Domino aſpectatis inquit: *Ecce cur aſpicere Deus homines iuſtos dicitur, vt conſeruet, vt protegat. Aſpectus enim Diuinitatis propitia munus eſt cõſeruationis humanæ.* De peccatoribus autẽ qui ex Domini pœnitentes aſpectu, ſeu videntes Propheta, *Aſpexit, & diſſoluit gentes.* Habac. 3. An vt comminueret? Certè vt conuerteret. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 32. *Aſpexit, hoc eſt, miſertus eſt, & fecit pœnitentes.*

29. *Petrus cæcus illuminatur Domino reſpiciente.* Matth. 26. Hieron.

Quàm captus Petrus lumine, cum Saluatorem Solem abnegauit! Tot nubibus lumina ſuffunduntur quot ille & negationes & abiurationes multiplicat. Quis eum à tanta cæcitate liberabit? *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum, ille autem continuò egreſſus foras, fleuit amarè.* Matt. 26. Fleuit equidem, vt diſſolutis nubibus lumina apparerent. Certè ex aſpectu Solis cæcus illuminatur. Hieronymus, *Nec enim fieri poterat, vt in negationis tenebris permaneret, quem lux reſpexerat Mundi.* Fieri-ne poteſt vt reſpiciente te ô Domine, tenebris offundamur! Minimè. Nec enim Sol & tenebræ ſimul morari poſſunt. Ergo *reſpice, & ſalui erimus.*

Observatio IV.

Ad illa verba.

Vidit hominem cæcum à natiuitate, &c.

Quælibet animi cæcitas luti maſſa, ſeu collytio ſanatur,

Vbi aſſero, ſuperbiæ, auaritiæ, luxurieíque tenebras humanæ fragilitatis, ſeu mortalitatis memoriâ ablegari.

30. *Cæcitas ſuperbiæ, auaritiæ, & luxuriæ.* Iud. 16. Auguſt.

HOMINES à natalitio concupiſcentiæ ſtimulo agitati, ſuperbiæ, auaritiæ, ac luxuriei tenebris preſſi miſerè obcæcantur. Traditur homo hiſce Philiſthæis, vt in Sampſonem conuertatur. *Quem cùm apprehendiſſent Philiſthijm, ſtatim eruerunt oculos eius.* Iudic. 16. Sua quemque Dalila excæcat. Tibi aut ſuperbia, aut auaritia, aut luxuries eſt Dalila, Philiſthiim eſt. Auguſtinus ad Pſal. 57. *Parua-ne pœna eſt excæcatio cordis, obſcuratio mentis?* Et ſerm. 38. de verb. Dom. *Qui ſe auertit à lumine vero,* (Deo ſcilicet ob peccatum) *iam cæcus efficitur.* Me miſerum. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* O cæce nate, *forti animo eſto, in proximo eſt, vt a Deo cureris.* Humdinum ſtercore oculis immiſſo offuſus es, ſeu vitiorum vilitate obiectâ lumen amiſiſti, e felle amaritudinis peccati pulueribúſque mundialis felicitatis perituræ collyrium conficiendum. A cæleſti medico oculis lutum apponitur. *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius.* Quis lutum ad oculos venire cerneret, & non ſibi cæcitatis incrementum timeret? Certè in oculorum perniciem pulueres aſſolent excitari. Attamen puluis, ſiue humanæ miſeriæ ac mortalitatis memoria præſentiſſimum eſt noſtræ cæcitatis medicamen. Paucis confirmo.

Capvt Primvm.

Superbiæ cæcitas luto humanæ terminationis exterminatur.

SVperbiæ venti nubes excitent oculis mentis humanæ. Quàm facilè ex pulueris obiectu diſperguntur. *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, & terra adiuuit mulierem, & abſorbuit flumen.* Apoc. 12. Quam ſuperbus obiicitur Draco, cum fluminis tumentis in morem hauſturus pelagus decurrens deſcribitur? Porrò tota illa ſuperbia Angelos excæcatura leuis terræ contactu diſſoluitur: *Terra adiuuit mulierem.* Andreas Cæſarienſ. *Terra iuuit illam. Iuuit ſummiſſione eorum, qui dicere ſolent: Ego ſum cinis, & terra, omnes ſuperbi Diaboli vires eneruans.* 31. *Adiuuamur à terra contra ſuperbiſſimi Draconis potentiam.* Apoc. 12. Andr. Cæſ.

Extra paradiſum Adamus eſt conditus. Quare? Profectò ex peccati præſcientia id à Domino præſtitum. Nam cum propter peccatum homo à paradiſo erat deturbandus, difficilè à cæcitate ſuperbiæ recederet, ſi non haberet præſentiſſimum originalis terræ remedium. Ideo extrà paradiſum efformatur ex puluere, vt ad patriam propriam ablegatus, poſſit recurrere ad ſui originis miſeriam, è qua maſſa fiat oculis obtenebratis apponenda, collyrium. Gloſſa confirmans, ait: *Ideo non fuit conditus homo in paradiſo, quia Deus præſciebat Adamum peccaturum, & inde pellendum ad hanc terram, vbi eum condiderat.* 32. *Adamus ſupercilium dimiſſus relegatus in puluerem natalitij ſui.* Gen. 2. Strab.

Vidiſti pelagus horribiliter infremens, cùm vndis tumeſcentibus videtur rupium verticem deleturum? Circa ripæ arenam tota eius ſuperbia ſubmittitur. Superbiſſimo affectui obiicere procura propriæ infirmitatis arenam: protinus manſueſcent horrores. Euſebius Galican. ſerm. 1. de Epiph. *Qualibet* vitiorum irruptio, aut *tribulatio ita ab humilitate vincitur, ſicut in planis littoribus ſine aliquo fragore vnda conſumitur.* Humilitas hîc ſit tibi humanæ infirmitatis lutum. Quemadmodum ergo in planis littoribus ſine aliquo fragore vnda conſumitur, quia arena ſupercilia depreſſit ventorum: haud aliter ſuperbia ex obiectu terrenæ fragilitatis humanæ deprimitur. En nebulæ ſuperbiæ excæcantes mentem appoſito ablegantur ex luto. 33. *Pectus tumidum, inſtar pelagi, arena fragilis obiectu ſubmittitur.* Euſeb. Gal.

Capvt Secvndvm.

Cæcitas auaritiæ tollitur, ex puluere facto collyrio.

34. *Iob puluere oculis addicto, auruſſi cæcitatē auaritiæ.*

O Quam facilè auaritiæ tenebræ in pulueris humani conſpectu, diſperguntur! Cum Iob temporalibus bonis ſpoliatur, auaritiæ increſcunt (myſticè) appetitus. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite, corruens in terram adorauit, & dixit: Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* cap. 1. (Iob. 1.) Cuiuſnam vteri meminit? Chryſoſtomus (Chryſoſt.) apud Comit. in Cat. aſſerit qualemcumque ortum ſuum excogitaſſe, ſed particulam primi illius opificij meminiſſe, quo ab vtero terræ, & limo parente *coagmentatus eſt.* Et quare Iob ad puluerem originis confugiebat? Certè vt facilè ex mentis oculis obcæcantem diuitiarum amorem depelleret. An diligam diuitias ſimul cum domino perituras?

35. *Iudæi ſemper diuitias diligunt, quia collyrium ex puluere ſepulturæ non conficiunt.*

Cur exiſtimas Iudæos numquam non cæcos lumine adhuc perituras ſic amare diuitias, vt per mare, per terras, per ſaxa, per ignes nullum non moueant lapidem, vt bona comparent peritura? Mortalitatis collyrio non vtuntur. Paulus ait, *Vſque in hodiernum diem dum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor illorum.* 2. Cor. 3. (2.Cor.3.) Nunquam non obcæcantibus nubibus ſuffunduntur: *Velamen poſitum eſt ſuper cor illorum.* Semper cæci acquirendis diuitiis ſtudium impendunt. Cur lumen oculorum non receperunt? *Mortuus eſt Moyſes, & non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem.* Deut. 34. (Deut.34.) Copulentur duæ particulæ: *Vſque in hodiernum diem. Vſque in præſentem diem.* Profectò vſque in hodiernum diem Iudæi cæci ſunt diuitiarum amatores, quia vſque in præſentem diem ſepulchri Moſis terram oculis non adhibuerunt, cæcitatis quidem præſentiſſimum medicamen. Drogo (Drogo.) de Sacram. Paſſio. *Propterea vſque hodie diuitiarum amatores* (de Iudaico ingenio) *velatam habent faciem, quia ab homine mortali ſepulchrum non inuenitur.* Si cæci in foueam ſepulchri, feliciter planè, caderent, à cæcitate amoris diuitiarum liberarentur.

36. *Abrahā præparatis oculis collyrio pulueris, cæcitatem auaritiæ tenebras ablegabat, in hærentes.*

Abraham diuitiis affluens, earum minimè cæcabatur affectu. Quare: Quia collyrio è puluere humanitatis confecto oculos inungebat. *Loquar* (inquit) *ad Dominum, cum ſim puluis, & cinis* Gen.18. (Gen.18.) Ad quæ Gregorius (Gregor.), *Quid diuitias ſuas æſtimabat, qui ſeipſum cinerem, puluerémque putabat?* Ac ſi diceret: Lumina clariſſima mediis in diuitiis oſtentabat qui pulueris & cineris collyrio frequenter vtebatur.

37. *Appenſis oculis ſepulchrū, perſpicaciter videbat ex pulueris ope, ne diuitijs inhæreret.*

Alibi Patriarcha: *Aduena ſum, & peregrinus apud vos: date mihi ius ſepulchri vobiſcum.* Gen. 23. Illam pende particulam, *Ius ſepulchri.* An non aptius dixiſſet: Date mihi diuitis iura, ſiquidem diuitiis cuncta obe-

Eſcob.& Mend.in Euang.de Temp.T.I.

diunt? Certè vir ſanctiſſimus & ditiſſimus (Gen.3.) ſic diuitias poſſidebat, ac ſi ſolummodo ius haberet ad ſepulchrum. Colligo hinc, quàm liberú cor Abrahæ à cæcitatis ſuffuſione. Chryſoſtomus, *Qui ſolo intuitu mortis terram poſſidebat, parum illi viuendo adhærebat.* τὸ *Intuitu mortis*, preme. Intuitus planè, ſiue viſus hominis ex mortis puluere conſeruatur, ne auaritiæ tenebris poſſit offundi.

Capvt Tertivm.

Nubes luxuriei haud inſident luminibus, collyrio pulueris præparatis.

38. *Cinæi luto oculis obiecto, voluptatum fugitantes fuere.*

PRofectò à cataractis voluptatum nos facilè expediemus, nubéſque volitantes vt luminibus inſideant ablegabimus quicumque ad præſentiſſimum pulueris medicamen confugerimus, luti antidotum quærere curabimus. De Haber Cinæo ſic Textus: *Haber autem Cinæus receſſerat quondam à ceteris Cinæis fratribus ſuis.* Iudic. 4. (Iudic.4.) Filij Cinæi aſcenderunt de Ciuitate Palmarum cum filiis Iudæ in deſertum ſortis eius: Inde Haber tabernacula tranſtulit, tetenditque in valle iuxtà Cades, vt à ſuis fratribus procul recederet homo turbæ fugitans, ſolitudinis amans. Vnde Moyſes, *Tollens tabernaculum tetendit extra caſtra procul.* Exud. 33. (Exod.33.) Vbi Procopius ad Cap.7. Iſai. *Humanis enim ſe rebus eripiens, tentorium ſuum fixit extra caſtra: id eſt, vitam ſuam firmam, & perturbationibus vacuam reddidit.* Cinæi itaque in tabernaculis habitabant, vt oſtenderent ſe à luto compactos. Paulus hinc: *Cogitantes citò ex hac vita exeundum, neque hic diutiùs permanendum.* Hebr.11. (Hebr.11.) Vnde per tabernaculum in ſacris vita lutea aſſolet ſignificari. *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* 2. Pet. 1. (2.Pet.1.) *Generatio mea ablata eſt, & conuulſa eſt à me quaſi tabernaculum paſtorum.* Iſai. 38. (Iſa.38.) Quare ergo Cinæi, ſeu Rechabitæ Regularium priſtinum ſimulacrum nunquam non apud luteum tabernaculum habitabant? Vt mortis inſtantis memoriâ (inquit grauis Societatis interpres) à vitæ voluptatibus euocarentur. Lutum etenim noſtræ fragilitatis nullam relinquit voluptatis cæcitatem oculis inſidere. Vel Gentilis cecinit Lucretius 3. (Lucr.)

Et metus ille foras præceps Acherontis agendus
Funditus humanam qui vitam turbat, & imo
Omnia ſuffundens mortis nigrore, nec vllam
Eſſe voluptatem liquidam, puramque relinquit.

Si vel liquidæ ac puræ voluptatis lutum frænat affectus: quid impuri amoris non tenebras ableget? Nos Chriſtianus ille Poëta Iacob. Bill. (Iacob. Bill.) Anthol. ſac. collyrium nos edocet, ad oculos ab hiſce nubibus liberandos.

Cum te turpe aliquid tentat, fac illico mentis
Se ſe mors oculis offerat atra tuis.
Flante velut valido nubes Aquilone fugantur,
Sic meditata ſcelus mors procul omne fugat.

39. *Præ foribus vrbium ſepulchra, in florem voluptatis antidotum.* Chryſoſt.

Antiqui antè portas Ciuitatis ſepulturas ſtatuebant velut ſcholas vtique, quibus homines delitias contemnere edocerentur. Chryſoſtomus ſerm. de fide, & lege nat. *Vt contendens intrare in Ciuitatem quæ floret, prius quam videat, quod ſecum concipit, videat primum quod ſit, ante portas ſunt ſepulchra. Vbique ante oculos eſt noſtra humilitatis ſchola: & docemur, in quid deſinemus tandem.* Ante roſis, aut floribus coronabis antequã marceſcant, Ciuitatem florentem ingreſſus, ſi oculis excæcandis florum pulchritudine lutum mortalitatis obieceris? O tempora! Non apud noſtrates extra Ciuitates ingreſſuris ſepulchra ædificantur: ſed ædificatarum domorum ruinæ vbique ante oculos eſt noſtræ humilitatis ſchola.

40. *Dignus Agnum ſequi ex puritatis affectu erit, qui lutum oculis appoſuerit.* Matth. 16.

Virginitate fulgidi viri ac fœminæ *Agnum ſine macula ſequuntur* quocunque *ierit; quoniam virgines ſunt.* Quòd ſi virginitatis, flante luxuriei vento, ſiue ſæuiente flamma deperiit vitor, vt ſis Agno dignus ſequendo puritatis efficit affectus. Vndenam puritatis amore conflagrabo, nubibus luminum ablegatis? Docet Dominus, *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Matth. 16. Dum Crucem tollas, Chriſtum ſequendi dignus efficeris quicumque Chriſtianæ das nomen militiæ. Et quænam Crux humeris aſportanda? Chryſoſtomus hom. 5. ad Popul. *Hæc dicebat* Dominus, *non vt lignum ſuper humeros feramus, ſed vt mortem ſemper ante oculos habeamus.* Oculis enim maſſa ex luto mortalitatis appoſita ab excæcantis eos liberat libidinis ſuffuſione. Alibi perſequor argumentum. Chryſ.

Observatio V.

Ad illa verba:

Peccauit hic, an parentes eius, vt cæcus naſceretur?

Quæritant à Domino Apoſtoli, an ex aliquo peccato commiſſo cenſus, aut redditus ſit cæcitas illa?

Peccati etenim aſſolet Deus cenſum perſoluere, donec à pœnitudine redimatur.

41. NVM peccauerit cæcus Apoſtoli meritò interrogarunt, eum videntes cæcitate laborare. Aſſolet enim Deus peccatum ab homine commiſſum apud iræ ſuæ theſaurum cuſtodire, vt cenſum tribulationum peccatori perſoluat, donec ille pœnitudine cenſus redemptioni operam impendat. Nec enim hic cenſus redimitur à ſoluente, niſi ex accipientis pœnitudine. Curas non accipere neceſſarium Dei ſoluentis redditum tribulationis? Da operam, vt ex pœnitentiâ tua cenſus redimatur. Niſi enim Deus redimat, tribulationis cenſus eſt perſoluendus.

Paralyticus delinquens à Deo accêpit criminis cenſum ægritudinem, ſoluente quidem Deo per triginta & octo annorum ſpatium. Petit ille à paralyſi ſolui. At Dominus ait: *Remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. Domine, prius miſerũ homuncionem a corporis ægritudine libera. Proh Medici peritia, imò Dei ſoluentis infallibilis cura! Ægritudo illa cenſus erat ex crimine. Ideo Dominus curat priùs redimi delictum, ex quo cenſus languoris: vt à ſolutionis obligatione (fari ſic liceat) liberetur. Hieronymi ſententia confirmo. *Remittuntur tibi peccata tua. Datur nobis intelligentia, propter peccata euenire nobis pleráſque corporis debilitates: Et idcirco remittuntur priùs peccata; vt cauſis debilitatis ablatis, ſanitas reſtituatur.* Liceat mihi vulgari idiomate exprimere. *Redimeſe primero el principal, para que los redditos, o cenſo, no ſe paguen.* 42. *Redemptioni capitalis, ſeu peccati curã Deus impendit, vt paralyſis cenſus non reddatur.* Matth. 9. Hieron.

Acutè Tertullianus lib. de Pudic. cap. 3. Peccatum cenſus caput vocauit. Peccati cenſus. *Cabeza, o principal de cenſo, o renta.* Donec caput redimatur ex pœnitudine, cenſum tribulationum, & laborum Deus fideliſſimus retributor perſoluet in mille generationes ob peccata parẽtum fortaſſe filiis tribulatis, perpetuo quidem cenſu. *Ego* (inquit Dominus) *viſitans peccata parentum in filios vſque ad tertiam, & quartam generationem.* Exod. 20. *Viſitans,* ſiue *reddens.* Iam ô Domine, renuncio ius cenſus, mortuo filio, vxore ægrotante, diuitiis pereuntibus redditumn capitalis ſatis accepi. Stude ô miſer peccati redemptioni; nec enim ceſſabit ſolutio donec capitale criminum redimatur. Hæc enim (Tertulliano anthore) obligatio *cenſus peccati eſt.* 43. *Reddit Deus capitalis, ſeu peccati perentum non redempti cenſum perpetuũ filiis.* Exod. 20. Tertull.

Hinc aſſero cunctas hominum calamitates, mortemque ipſam cenſum eſſe, aut redditus peccati pœnitudine non redempti. Paulus, *ſtipendia peccati mors.* Rom. 6. Mors certè, omniaque ipſius adminiſtrantia mala huius capitalis lucrum eſt. Ambroſius legit. *Quæſtus peccati mors.* Vulgariter ſi dixeris: *Redito, y lucros del peçcado.* Protoparentes peccatum iræ Dei theſauro ſtatuerũt, ex quo homines filij cunctarum calamitatum cenſum, redditus annuos, (quotidianos inquam) accipiunt. Tertullianus ad Iudæos cap. 2. *Adam, & Eua, ſi ſe diligerent, in ſemetipſos homicidium non commiſiſſent.* Imò in omnes filios (Chriſtum & Deiparam ſi demas.) Omnes morimur, reliquiſque communibus malis exercemur boni, & mali. Nec enim capitale quoad communia huiuſmodi incommoda redimitur. Hildeb. Epiſt. 56. *Attende miſerias, hominis intuere cineres, vectigalia peccati ſunt.* Originarij criminis communia hæc mala ſunt cenſus: peculiaria ſupplicia ſingulorum hominum ſpecialis actualis peccati lucrum, & ſtipendium. 44. *Cuncta calamitates redditus ſunt peccati.* Rom. 6. Ambr. Tertul. Hild.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Quis peccauit, hic, an parentes eius, vt cæcus naſceretur?

Contemplati Apoſtoli homuncionem in tenebris ambulantem, illico congruè peccari recordantur.

Peccator enim nunquam non verſatur in tenebris.

45. Illæ tenebræ ô Domine, criminis ſuſpitionem videntur tuis Diſcipulis ingeſſiſſe. In tenebris ambulat? *Quis peccauit, hic, an parentes eius?* Nec enim tenebræ aliunde aſſolent educere exortum. Tenebrarum, cæcitatis humanæ iniquitas parens eſt.

46. *Peccatum primum paradiſum ipſũ orientis barẽtem tenebris obcæcauit.* Gen. 3.

Primorum parentum primaria crimina contemplere. Poſt peccatum Dei vocem audiunt, *ambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem.* Gen. 3. LXX. legunt, *Ambulantis ad veſperam.* Miror in paradiſo Orientali plaga conſito tenebras reperiri adeo graues, vt ipſe Deus quodammodo obcæcatus incedat: *Ambulantis ad veſperam.* Reum aduocat ad tribunal. *Adam vbi es?* Vndenam tam horribiles tenebræ peruolarunt? Profectò ex hominum delicto. Nec enim abeſſe poteſt cæcitas, vbi adeſt iniquitas. Quàm pertinax tenebra, quæ paradiſi lumina ſuffocauit. Ambroſius ad Pſal. 89. *Denique in paradiſo, vbi ſemper matutinus erat dies, veſper eſt factus. Quotiam omnia peccata tenebroſa ſunt.* (Ambr.)

47. *Peccator internis tenebris obruitur inferno horribilioribus.* Matth. 22. Hilar.

Qui ſine indumento nuptiali Regium conuiuium iniuit in tenebras mittitur, Rege iubente: *Ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. Cur *exteriores*, & non interiores, aut abſolutè *in tenebras* dixit? Reſpondet Hilarius hom. 1. de Aſcenſ. *Ligatis inquit, manibus, & pedibus, id eſt, damnatis operibus eiicite eum & in exteriores tenebras.* Ac ſi diceret: Qui in internis verſatur iam, horribilioribus inferno, cæcitatis mentalis tenebris, & in externas tartareas emittatur, leuiores vtique.

48. *Vel ipſe Deus tot offuſum tenebris peccatorem quæritat, quaſi non videat.* Deut. 33. Caiet.

Dominus in peccatores cæcitate mentis percutiendos, ait: *Vbinam ſunt? Ceſſare faciam ex hominibus memoriam illorum.* Deut. 33. Preme illud: *Vbinam ſunt?* Ac ſi diceret, *Adam vbi es?* Peccati enim tenebris abſconditur. Iuxta Hebræum. *Faciam ambulare eos, id eſt in angulis, latebriſque abſcondi.* Caietanus. *Ita vt non audeant comparere. Sed in tenebris morentur.* Nam cùm ſemper in tenebris peccator commoretur, ſemper pauore concutitur. Lucretius 3. (Lucr.)

At mens ſibi conſcia facti
Præmetuens, adhibet ſtimulos, terrétque tenebris.
Nec videt interea, qui terminus eſſe malorum
Poſſit, nec qui ſit pœnarum denique finis.

Quid peccati tenebræ niſi horrores valeant parturire?

Eſtob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Peccauit hic, an parentes eius, vt cæcus naſceretur?

Incidentes Apoſtoli in peccatum cæci illius, mox ad parentum memoranda peccata perrexere.

Plerumque enim filiorum crimina aſſolent à parentum iniquitate deriuari.

Superfluere quis excogitabit illam particulam: *An parentes eius*, poſtquam Apoſtoli quæſitârant: *Peccauit hic?* Peccata enim filiorum aſſolent plerumque à parentum iniquitate profluere. Vnde videns filium impudentem non aſſero à parentibus criminoſis profluere: ſed vereor ſaltem, ne parentes iniquitatem filios edocuerint. 49.

Aduentantibus Magis poſt Ieſu natalitium, *turbatus eſt Herodes Rex, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Matth. 2. Quid mirum tyrannum Herodem nato vero Iudæorum Principe diſturbari, ſi Regno priuari timeret? At nunquam ſatis mirabor Iſraelitas afficiendos lætitiâ ex Meſſiæ aduentu, turbatione vulnerari. Vndenam ſubditi tanta ingratitudine de optatiſſimo dolent aduentu? A parentibus ingratis huiuſmodi filiorum deriuatur ingenium. Illi poſt liberationem à captiuitate, eiuſdem captiuitatis amore afficiebantur: *Quando ſedebamus ſuper ollas carnium.* Hi autem in conſpectu liberatoris rurſum ſeruitutis videntur affici deſiderio. Chryſoſtomus hom. 6. in Matth. *Ieroſolyma quam habuit cauſam timoris, cum certè illum audierit eſſe, quem Saluatorem eius, atque beneficum, & liberatorem Propheta ante prædixeram? Quanam igitur ratione Iudæi turbati ſunt? De ipſa nimirum prauitate ſententia, qua priùs auerſabantur patres eorũ Dominum beneficia conferentem.* Filij parentum beneficia contemnentium, deſpiciendo adnati beneficio: ingratorum parentum ingrati hæredes.

50. *Turbantur Iudæi Christo liberatore nato, quia filij ingratorum.* Matth. 2. Chryſ.

David præcinit: *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Pſal. 44. Si cor voluntatis appellatur domicilium, ſedes amoris, quonam modo verbum diuinum ex intellectu procedens, ex corde amoris ſede dicitur exoriri? Ambr. *Chriſtus eſt, quem Pater genuit ante luciferum, vt æternũ, ex vtero generauit vt Filium; ex corde eructauit vt verbũ.* An non repugnat ex corde vt Verbum eructari. Cur non potiùs ex intellectu? Rupertus reſpondet. *Eructauit cor meum verbum, id eſt, protulit ſecreta eſſentia mea verbum bonum. Ego ex me ipſo eſſentialiter genui Filium bonus bonum: bonum inquam, ſicut ego bonus ſum.* Ac ſi diceret. Quia filius ſimilitudinem, & imaginem patris gerit, meo ex corde verbum, meam perfectè imaginem, imo me ipſum referens eſſentialiter dicitur exortum. Ex corde bonitas, aut malitia procedit, fante Domino: *De corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia.* Matth. 25. Similiter cogitationum bonarum

51. *Vix poteſt ex bono parente malus filius naſci: & bonus de improbo.* Pſal. 44. Ambr.

Neceſſariò quodam modo è bono patre bonus filius, & è contra.

Neceſſariò quodam modo à bono patre bonus filius, & è contra.

bonarum, ac virtutum officina eſt. Filius igitur vndequaque probus e Dei corde dicitur appoſitè profluxiſſe. *Ego ex me ipſo eſſentialiter genui Filium bonus bonum.* Nec potuit Pater bonus malum Filium generare. Vnde vſus Vates verbo *eructauit*, quod neceſſitatem productionis huiuſmodi indicat. Bernardus, *Eructatio non mo.o cum non vis, ſed cum neſ.is erumpit.* Quemadmodum igitur in diuinis neceſſariò ex bono Patre bonus Filius procedit: in humanis quodammodo ex bono parente bonus filius neceſſariò exurgit; ex improbo malus.

Bernard.

52. Samſonis parenti Angelus profatur: *Sterilis es, ſed concipies, & paries filium. Caue ergo, ne bibas vinum, & ſiceram, nec immundum quidquam comedas, Quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus.* Iud. 13. Quia filius Nazaræus abſtinebit à vino, mater iubetur abſtinere? Quid parens mero potetur? An non filius à lege ſibi prohibito liquore recedet? *Caue ergo.* Lex Nazaræorum matri indicitur, non quia Nazaræa ipſa, ſed quia Nazaræum paritura eſt. τὸ *ergo* ponderandum. Mater quaſi ex neceſſitate conſequentiæ tenetur obſeruare quidquid filius fuerit obſeruaturus. Sic Hieronymus.

Vt arceatur Samſon vinũ & ſiceram non hauſturus, matri prohibetur.
Iud. 13.

53. Anna Samuelis futura parens, *loquebatur in corde ſuo, tantùmque labia illius mouebantur. Æſtimauit ergo eam Heli temulentam*, & profatur: *Vſque quo ebria eris?* At illa: *Vinum, & omne, quod inebriare poteſt non bibi.* 1. Reg. 1. An non hoc felix auſpicium natalitij Samuelis? Hieronymus lib. 2. cont. Iouin. cap. 10. *Samuel vinum, & ſiceram non bibit; erat enim filius repromiſſionis, & per abſtinentiam ab ea conceptus.* Anna per abſtinentiam concipit eum, qui debebat à vino, & ſicera abſtinere. Nec enim temulentia pareret ſobrietatem. Quàm dulciter Marullus cecinit!

Anna abſtinet à mero, filium Nazaræum paritura.
1. Reg. 1.
Hieron.

Marul.

Scilicet eſt olim vis rerum in ſemine certa,
Et referunt animos ſingula quaque patrum.
Nec leporẽ canis Æmatius, timidámue columbam
Notus Hyperboreo falco ſub axe creat.

Et Seneca in Hipol.

Redit ad authores genus,
Stirpemque primum degener ſanguis refert.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Nec peccauit hic, nec parentes eius, ſed vt, &c.

Licèt deliquiſſet cæcus, & eius parentes, Chriſtus curat eorum exceſſus diſſimulari.

Quàm Deificum proximorum exceſſus operire!

54. Non dubium quin & filius & parentes in Adamo peccauerint, & ſaltem leuia actualia peccata admiſerint. At Dominus videtur abſolutè eos à crimine liberare quod ad cæcitatem illam eius cognitio non pertineret. Dei proprium, eorúmque qui Dei veſtigia ſequuntur ſic dare operam relationi rei cuiuſuis, vt peccata proximi diſſimulare valeant.

Cum narras factum aliquod abſtine à non neceſſaria proximi criminis mentione.

55. De Ieroſolyma illud a Domino ex ore Euangeliſtæ: *Et exeuntes de monumentis poſt Reſurrectionem eius venerunt in ſanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis.* Matth. 27. Sanctam ò Euangeliſta Ieroſolymam tot peccatis laceram, nece Saluatoris ſauciam, maximo maculatam crimine appellas? An non verius cum Domino inclamares: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, &c.* Vnde nam ſancta Ciuitas criminoſa? Paſchaſius. *Sancta ideo vocatur vel propter Templum, ſeu propter Sancta ſanctorum, vel ideo quia priùs ſancta fuerat.* Profectò, quia ad narrationis defunctorum ſurgentium veritatem non ſpectabat criminis Ieroſolymæ memoriam gerere, Euangeliſta abſtinet a mentione delicti, Ciuitatemque ſanctam de antiqua iuſtitia, aut de Templi religione appellat.

Sanctam Matthæus Ieroſolymam Deicidam appellat, quia ad narrationem non erat neceſſaria delicti memoria.
Matth. 27.
Paſchaſ.

56. Fratribus venditoribus Ioſeph. *Nolite pauere, neque durum eſſe vobis videatur, quod vendidiſtis me in his Regionibus. Pro ſalute autem veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.* Gen. 45. Ac ſi diceret, Me non vendidiſtis, ſed Deus me ad multorum ſalutem in Ægyptum immiſit. Non venditio illa, miſſio fuit: non crimen, ſed myſterium. Ambroſius, *Non durum vobis videatur, quoniam huc me vendidiſtis. Ad vitam enim veſtram me miſit Deus.* Venditio hæc opus Dei fuit, non malitia veſtra. *Nec hic peccauit, nec parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Cæcitas veſtra ad operum Dei manifeſtationem quaſi neceſſariò præmiſſa eſt: *Non durum eſſe vobis videatur, quod me vendidiſtis. Pro ſalute veſtra miſit me Deus.* Hîc ſolummodo Dei prouidentia obiiciatur, de crimine autem cuius memoria non pertinet ad narrationem, *in cubilibus veſtris compungimini.*

Ioſeph abſtinet à delicto fratrũ (vt delicto ponarrãdo) quia eius mentio neceſſaria non erat ad ſalutis prouidentiã, quia Deus Ioſephum ad Ægyptum adduxit.
Gen. 45.
Ambr.

57. Mors Moyſi deſcribitur. *Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini, iubente Domino.* Deut. 34. An non Moyſes mortuus cœleſti ſupplicio, quia lapidem vulnerarat, ſante Domino; *Non introduces populos.* Cur ergo & ſeruus vocatur Domini, & mortuus Domino iubente dicitur? Vt conſtet hominibus ex narratione ſolùm mortuum illum fuiſſe: nec ſine neceſſitate criminis prælapſi mentio peragatur. Ambroſius, *Mortuus eſt per verbum Dei. Verbo autem Dei cœli firmati ſunt. Per verbum autem Dei non lapſus hominis, ſed firmamentum eſt.* En cæci hiſtoria. *Non peccauit hic, vt cæcus naſceretur, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Mors Moyſis firmamentum eſt ſanctitudinis, haud criminis ſupplicium, opus Dei eſt firmamenti ædificatio. Mors Prophetæ Dei opera egregia manifeſtat.

Moyſes mortuus, nõ quod peccarit, ſed vt opera Dei in illo manifeſtarentur.
Deut. 34.
Ambr.

58. Aliquando quidem *locuta eſt Maria, & Aaron contra Moyſem.* Num. 12. Vbi Abulenſis. *Nolebat Deus fatuitatem Aaron in hoc facto coram populo oſtendere, & hac ratione non percuſſus eſt lepra cum Maria.* Cur ò Domine crimen fœminæ manifeſtas, Aaronis autem omnino diſſimulas? Theodoretus. *Aaron autem radix erat Sacerdotum.* Vnde Dominus quaſi affectat innuere reprehenſionem fuiſſe illam, non murmurationem. Id quod circa delictum ſororis non præſtitit; quia profundiori ſilentio ſacerdotum crimina obruenda ſunt, quam ſecularium ob ſcandalum

Narrans neceſſario Textus Mariã lepram oboriam, ſupprimit Aaronis ſacerdotis crimen quod occultè reprehendit, quia haud neceſſarium narrationi.
Num. 12.
Abul.
Theod.

ſcandalum excitandum. Tacuit ait ille Aaronis crimen *ob ſcandalum vitandum*. Poſtea autem Sacerdotis Dominus crimen taxauit. *Egredimini* (Deus ait) *tantum tres ad Tabernaculum fœderis*. Ibid. Ad quæ Oleaſter, *Diſcant hinc omnes, qualiter arguere debent alios. Non in conſpectu multitudinis eos arguit, ne eorum peccata vulgo traderentur.* Spiritu Dei proximorum exceſſus enarratio ſupprimitur, cùm neceſſariò non ſit aperienda: Diaboli autem euulgatur, de quo alibi.

Num. 12. Oleas.

Observatio IX.

Ad illa verba.

Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit ſuper oculos eius.

Luto facto, appoſito oculis, lucem Dominus cæco reſtituit.

Per viliora etenim inſtrumenta Deus glorioſiorem gerit triumphum.

59. QVID luto vilius? quid luce celſius? lux à luto exoritur? Oculi luto inunguntur ad lumina ſuccendenda? Puluis tenuis officit viſui, & luti maſſa mater eſt illuminationis? O Dei potentia inſtrumento viliori auguſtiora geſta perficiens!

60. De Samgar Iſraëlis Saluatore ait Textus: *Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos vomere.* Iudic. 3. Alij, ex Hebræo, *Documento bouis*. Id eſt, vt alij vertunt, *Baculo aculeo, ſeu ſtimulo bouis*. Quo quidem lanceæ, ſeu gladij loco ſexcentos occidit. Caietanus aſſerit vnà cum aliis ruſticis eorum genere armorum vſis tantum facinus perfeciſſe. Sed ſoli Samgar Vulgatus factam tribuit ſtragem. Ita Samſon *arreptâ mandibula interfecit mille viros*. Iudic. 15. Ita Dauid qui quaſi tenerrimus ligni vermiculus dicitur *octingentos interfecit impetu vno*. 2. Reg. 23. Proh Deus immortalis! Quonammodo tam fragilibus inſtrumentis tam auguſtæ victoriæ comparantur? Reſpondeo ex Ruperto ad Reg. locum, Deus qui in iudicibus & Rege pugnabat, *per humiliora inſtrumenta, glorioſius triumphabat.*

Samgar ſtimulo, Samſon mandibula, Dauid ore vermiculo egregia facinora (Deo operante) perfecerunt. Iud 3. Iud. 15. 2 Reg. 23. Rupert.

61. Quid ſi non viris fortiſſimis Deus ad huiuſmodi victorias perficiendas tam vili, ac fragili vtatur inſtrumento: ſed fœminea teneritudine? *Benedicta inter mulieres Iahel, & benedicatur in tabernaculo ſuo.* Iudic. 5. Proxima verba expendo: *Benedicatur in tabernaculo ſuo.* Commendatur Iahel, quòd necans Siſaram in tabernaculo ſuo manſerit, neque extra domus limen pedem extulerit. Domi Iahel victoriam peperit, quam fortiſſimus virorum exercitus reportare non potuit. Abulenſis quæſt. 9. *Benedicitur in Tabernaculo ſuo, quia tantum ipſa egit in tabernaculo, ſicut bellatores in pugna, ſcilicet quia in domo ſua occidit Siſaram.* An non Deus pugnauit in fœmina, qui inſtrumento viliori auguſtiores perficit victorias?

Fragilis fœminæ manu Deus auguſtiſſimum agit triumphum. Iud 5. Abulen.

62. Dauid cecinit tam admirabilem Dei triumphum. *Et ſpeciei domûs diuidere ſpolia.* Pſalm. 67. Aliqui explicant, *ſpeciei domûs, id eſt, mulieri, fœminæ, vxori.* Caietanus ex Hebræo, *Habitatrix domus diuidet ſpolia.* De viro autem fortiſſimæ huiuſcemodi mulieris dicitur in Prouerbiis. *Spolys non indigebit.* Cap. 31. Quia vxor, quæ domum curat, plura ſpolia domi refert ex colo & fuſo, quam viri potentiſſimi ex gladio, & lanceâ, Domino videlicet fragili inſtrumento mirabilem triumphum agente.

Deus fœminarum colo pro gladio vtitur. Pſalm. 67. Caiet. Prou. 31.

63. Confirmo ex Saluiano lib. de Gubernat. c. 7. profante: *Quando euidenter intelligi Deus voluit, magna opera a ſe patrari, aut per paucos, aut per infirmos acta res eſt, ne opus cœleſtis dexteræ virtuti aſſignaretur humanæ. Ideo quidem & Dux Siſara, quem Hebræus timebat exercitus, à muliere proſtratus eſt.* Textu celebrante: *Tulit itaque Iahel clauum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum.* Iudic. 4. Clauo, malleo, manu fœminea Dux perimitur, cui totus Iſraëlis exercitus riuulus eius in conſpectu apparebat? O Dominici brachij potentia! Tuam videns fragilitatem, hoſtiúmque potentiam haud excidas animo, Deus enim te poteſt efficere horribili tartareo exercitui ſuperiorem, qui inſtrumento viliori auguſtiores triumphos aſſolet perficere.

Cum vili inſtrumento victoria egregia comparantur, appares, Deum pugnare. Salu.

Observatio X.

Ad illa verba:

Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit ſuper oculos eius.

Ex mundialis fœlicitatis puluere reliquo conficitur à Domino curandæ cæcitati medicamen.

Quis enim non videat, tenebris ablegatis, dum earumdem rerum, quas diligit terminum contemplatur?

EX luto Dominus cæco illuminando medicamen confecit. Vt edoceat viſu donari, cæcitate ablegata, illum, qui videt pulueres reliquos rei terrenæ quam diligit adeò, vt ipſo obcæcatus obiiciatur amore. An cæco carperis igne diligens fœminam, cuius pulchritudo tenues diſſoluetur in pulueres? Mundialem amabis fœlicitatem protinus in cinerem commutandam? 64.

65. Regem Niniuitarum faſtus ac deliciæ obcæcauerant, nec non ciuium oculis nubes immiſerant. At *ſi cæcus cæcum ducit, non ne ambo in foueam cadunt?* Exurgit Propheta concionaturus: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Ion. 4. Cur ô Vates, minimè obuenturam poſt dies paucos Vrbis potentiſſimæ annuncias ſubuerſionem? Porrò cæcitas illa puluere fœlicitatis humanæ reliquo erat ablegandâ. *Indutus eſt Rex ſacco, & ſedit in cinere.* Ibid. Rex ille, qui

Rex Niniue ex luto videt, ſuóſque cæcos illuminat, Chriſtū ſolem imitatus. Ion. 4.

mundiali puluere non vtebatur ad oculorum medicamen, ſed putabat Ciuitatem æternùm duraturam: contemplatur eam reductam ad pulueres: *Niniue ſubuertetur*, & addictus pulueri, & cineri, è fælicitate mundiali reliquo viſum recuperat, ablegat cæcitatem. Ambroſius enar. 1. *Mira res! Dum ſe Regem hominum eſſe meminit Rex incipit eſſe Solis iuſtitiæ.* Ac ſi diceret, Apponens oculis cæcitate preſſis maſſæ fragilis lutum, tantâ viſûs perſpicacitate donatus eſt, vt Solis iuſtitiæ (ſiue Chriſti) in morem, poſſit cæcis ſubditis oculorum lumen impertiri, fatus: *Dum ſum in mundo lux*, ſiue Sol, *ſum Mundi.*

Ambr.

66. Ambroſius idem ex aqua & puluere pedum Petri, quem abluit, contemplatur luti maſſam commiſcuiſſe Dominum, vt venena ſerpentis propulſaret. *Lauat pedes*, (ait lib. 3. de Sacram. cap. 1.) *vt lauet venena ſerpentis.* Adamus contemplatur ſerpentem & oculis, & pedibus mulieris venenum profudiſſe, vt cæca pomi ementitam videret pulchritudinem, & à recta via, cæci in morem in foueam incidens declinaret. Dominus igitur luti maſſam contra venenum ſerpentis conficit. Oculos oblineas ad videndum, pedes ad inceſſus rectitudinem. Menander pulchrè.

Venenum ſerpentis ex oculis pellendum obiecto luto, vnde in foueam non excidemus. Ambr.

Menan.

O quàm ruina ſplendida vitá cita
Cuius memoria videt quis curſus viam.

Ruina etenim mundialis ſplendoris lutum eſt, puluis eſt, quò inuncti oculi cæcorum hominum vident, quò tendant, ſine foueæ periculo. Concinit Chriſtianus ille Poëta Iacob. Bill. Anthol. Sac.

Iac. Bil.

Stultus vt eſt leuibus ventis qui fidit, & vmbra,
Et noctis placida ſomnia certa putat,
Scribere quique in aquis molitur: ſic quoque figit
Qui ſpes in Mundi proſperitate ſuas.
Atque ideo in terris firmi nil prorſus vt eſſet,
Conſtituit ſuperâ qui manet arce Pater
Scilicet vt firmi nihil hîc, ſtabiliſque videntes
Tendamus celeri ſemper ad aſtra pede.

Videre nihil hîc eſſe ſtabile, ſed omnia mundialia contemplari caduca, oculos eſt aperire admoto luto. Vnde firmo pede (veneno nempe iam ex oculis, & pedibus ablegato) valemus à fouea recedentes ad ſuperos properare.

67. Profectò mirum eſſet, ſi cæcitas hominum permaneret, oculis dum lutum admouetur: vt aſpicias illicitè, & tendas exitialiter. Clamat Propheta, *Væ paſtoribus Iſraël, lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis.* Ezech. 34. Vix poteſt Iſraëlis cæcitas verbis æquari, quæ tot collytij infuſionibus ablegata non eſt. Vos ex ouium vberibus lac mulgebatis humanæ fragilitatis ſimulacrum: *Sicut lac* (aiebat Iob) *mulſiſti me.* Vos arietes gladio è medio auferebatis, vt carnibus craſſioribus veſceremini: nec tot cadauerum præſentatione felicitatis mundialis terminum videbatis. Vos denique lanis extractis ab ouibus induebamini. Sineſio authore, tot ſunt cadauera, quot vellerum fila. O cæcitas tanto luto minimè ablegata! Auguſtinus lib. de Paſtor. cap. 3. Quid ergo iſti increpantur? Eſt vnuſquiſque homo infirmus, carnem portat, mortalis eſt, moriturus eſt. Nec tanta luti maſſa oculis adhibita non videtis, adhuc cæci mundialem felicitatem diligitis? O dementia!

Mirum erit, ſi cæcus ſit oculis luto appoſito. Ezech. 34.

68. Diſcipulis Dominus. *Vos eſtis lux Mundi.* Beati, qui communi cæcitate non laboratis. Vndenam lumina acuuntur? *Vos eſtis ſal terræ*, quæ facillimè humore diſſoluitur, Mundi fluentis ſimulacrum. Solem vincitis ſplendore quicumque vos labiles contemplamini, luteos aſpicitis. Tertullianus lib. de cultu fœm. cap. 13. *Quid nos Dominus lumen terræ vocauit, ſi non relucemus inter tenebras, & extamus inter demerſos.* Ineffabilis planè hominum cæcitas, qui inter demerſos, inter hominum cadauera demergendi vtique commoramur, haud in morem Solis videmus, cæcitate qualibet ablegata ex fragilitatis obiectu.

Lux conſeruatur inter lutum. Tertul.

Observatio XI.

Ad illa verba.

Expuit in terram, & fecit lutum, & liniuit ſuper oculos eius.

Chriſtus lutum ſuper oculos cæci apponit, vt aſpiciat qualitatem bonorum quæ amauit.

Vbi innuo, præſentiſſimum medicamen eſſe, ad cæcitatem mentis ablegandam, amatæ voluptatis, aut boni vilitatem meditari.

69.

Cvm cæci laboramus, vt poſſimus fragile bonum (potiùs malum) acquirere, apprehendimus falsò tanto labore dignam eſſe ſalutem. At cum luteorum bonorum Deus oculis noſtris apponit imaginem, cognoſcimus non eſſe tanto labore dignam ægritudinem. Vilis enim voluptas, quæ tanto tribulationum pretio comparatur.

Non bene pro toto libertas venditur auro, . 70.
Et pro viliſſima voluptate libertatem ipſam vendidiſti? Quid libertas ad voluptates captandas niſi vera captiuitas? Cùm ouicula illa centeſima diſceſſit à grege, Paſtor bonus curauit illam è luti laborum appoſitione nubes ex oculis ablegare. Tota lutoſæ voluptatis baratro immergitur, Paſtor autem oculis eius ipſius voluptatis lutum appoſuit, vt faciliùs reuocaret impoſitam *ſuper humeris* Luc. 15. Ad quæ Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 8. *Erat & vna Paſtoris ouicula; ſed grex vna charior non erat, vna pro omnibus deſideratur, tandem inuenitur, & humeris refertur; multùm enim errando laborauerat.* Paſtor enim cœleſtis chariſſimæ ouiculæ oculis lutum vilitatis tanti coëmptæ apponit, vt videat.

Videntes lutea voluptatis vilitatem tanti emptã, tenebras ablegamus. Luc. 15.

71. Pharao obcæcatur pertinaciter quidem tenebris horribilibus, quæ manu poſſint apprehendi. Lutum ergo eius oculis apponatur, vt videat. Aquæ fluminis mutantur in ſanguinem. Adorabat (adnotante Abulenſi) flumen? Videat deliciarum ſuarum putridam vilitatem. Decem plagarum, queis (Petro Dam. auctore) contra decem præcepta exprimuntur crimina, flagellis Ægy-

Ægyptiis lutum apponitur, vt videant.

ptij

prij non vident, efficacius adhuc medicamen oculis apponatur, ſuum videant iam interitum, qui ex obiectione interitûs deliciarum oculos Rupert. non aperuerunt, Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 3. *Rectè percuſſori traduntur Angelo poſtquam ſubiici noluerunt per ſe metipſum Domino corripienti, & decem plagis ad pœnitentiam inuitanti.* Si obiectâ lutoſæ voluptatis maſsâ non vidiſti, deſperata eſt ſalus, Angelo percutienti tradendus relinqueris.

72. *Luto apposito, Iſraëlitæ viderunt.* Prudentiores Iſraëlitæ, an feliciores? qui appoſito à Domino oculis eorum tribulationum luto tandem illuminantur, tenebris ablegatis. Opprimuntur Hebræi *operibus duris luti.* Mox addit Moyſes, *Et ingemiſcentes filij Iſrael propter opera* luti, *vociferati ſunt: aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.* Exod. 3. Exod. Illam premo particulam: *Et ingemiſcentes filij Iſrael propter opera.* Ac ſi diceret, lutum oculis appoſitum eos fecit illacrymari, quemadmodum cum in oculos pulueres prolabuntur. Tam prolixus fletus, vt læſa pupilla purgaret humorem, pœnitudiniſque clamor excitaretur *ab operibus* luti: lutum enim laborum fecit eos agnoſcere ipſius voluptatis vilitatem. Gloſſa ordin. Gloſſ. *Non cognoſcis, te opprimi ſeruitute, & operibus duris luti?* Tanta cæcitate teneris, vt nec deliciarum luteâ vilitate lumen accipias? Poſtquam Deus lutum huiuſmodi ſuper tuos oculos liniuit ac ſi ouis eſſes chariſſima Iſraël electa Tribus; vereor te adhuc cæcum cum Pharaone Angelo tradendum percuſſori.

SECTIO SECVNDA.

Excæcantur Iudæi.

TEXTVS.

VERS. 8. ITAQVE vicini, & qui viderant eum priùs, quia mendicus erat,
dicebant: Nonne hic eſt, qui ſedebat, & mendicabat? Alij dice-
bant: Quia hic eſt. 9. Alij nequaquam, ſed ſimilis eſt ei. Ille verò dicebat:
Quia ego ſum. 10. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi? 11. Reſ-
pondit: Ille homo, qui dicitur Ieſus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit
mihi: Vade ad natatoria Siloë, & laua. Et abij, laui, & video. 12. Et dixe-
runt ei: Vbi eſt ille? Ait: Neſcio. 13. Adducunt eum ad Phariſæos, qui cæcus
fuerat. 14. Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos
eius. 15. Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi, quomodo vidiſſet? Ille au-
tem dixit eis: Lutum mihi poſuit ſuper oculos, & laui, & video. 16. Dicebant
ergo ad Phariſæos quidam: Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſto-
dit. Alij autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et
ſchiſma erat inter eos. 17. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui
aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta eſt. 18. Non crediderunt
ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet, donec vocauerunt parentes
eius, qui viderat. 19. Et interrogauerunt eos dicentes: Hic eſt filius veſter,
quem vos dicitis, quia cæcus natus eſt? Quomodo ergo nunc videt? 20. Reſpon-
derunt eis parentes eius; & dixerunt. Scimus, quia hic eſt filius noſter, & quia
cæcus natus eſt. 21. Quomodo autem nunc videat, neſcimus: aut quis eius ape-
ruit oculos nos neſcimus: ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur.
22. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos; iam enim conſpi-
rauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum extra Synagogam fie-
ret. 23. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipſum interro-
gate. 24. Vocauerunt ergò rurſum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei:
Da gloriam Deo: nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt. 25. Dixit ergo eis ille:
Si peccator eſt, neſcio: vnum ſcio, quia cæcus cùm eſſem, modò video. 26. Di-
xerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? 27. Reſpondit
eis: Dixi vobis iam, & audiſtis: quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vul-
tis Diſcipuli eius fieri? 28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu Diſcipulus eius
ſis, nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. 29. Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt
Deus: hunc autem neſcimus, vndè ſit. 30. Reſpondit ille homo, & dixit eis:
In hoc enim mirabile eſt, quia vos neſcitis, vnde ſit, & aperuit oculos meos.
31. Scimus autem, quia peccatores Deus non audit; ſed ſi quis Dei cultor eſt,
& voluntatem eius facit, hunc exaudit. 32. A ſeculo non eſt auditum, quia
quis aperuit oculos cæci nati. 33. Niſi eſſet hic à Deo, non poſſet facere quid-
quam.

quam. 34. Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. 35. Audiuit Ieſus, quia eiecerunt eum foras: & cùm inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? 36. Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt Domine, vt credam in eum? 37. Et dixit ei Ieſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. 38. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De cæci videntis ad Phariſæos adductione.

1. *Cæci immutatio corporea, & ſpiritualis.* Synai.

ITAQVE *vicini, & qui viderant eum priùs,* &c. Qui cæcum agnouerunt, videntem non agnoſcebant: mutatio oculorum agnitionem mutabat. Nec enim eundem credò videntem hodie proximum, quem heri cæcum ad voluptates properantem vidi. Anaſtaſius Synaita. *O quomodo in momento res commutatæ ſunt!* Itaque *vicini, & qui viderant eum priùs, quia,* id eſt, *quod* mendicus erat, dicebant: An non hic cæcus ille? Quidam eſſe affirmabant, alij inficias ibant, ipſo vidente ſe illum cæcum eſſe affirmante: *Quia ego ſum,* Profectò ſi de ſpiritus cæcitate ageretur, reſponderet aptiùs: *Quia ego non ſum,* homine vetere in nouum mutato. Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 10. *Seipſum homo abnegat, & totus mutetur. Sicut quendam adoleſcentem fabulæ ferunt poſt amores meretritios peregrè profectum, & aboliso amore regreſſum, poſtea veteri occurriſſe dilectæ, quæ ab ipſo non interpellata, mirata, putauerat ſe non recognitam: rurſus occurrens dixerit. Ego ſum; reſponderit ille: ſed ego non ſum ego.* (Ambroſ.)

2. *Cur Sabbatum eſſe Iudæus aduocauit?*

Adducunt ad Phariſæos, eum qui cæcus fuerat. Erat autem Sabbatum, quando lutum fecit Ieſus. Cùm audiſſent Iudæi die Sabbato medicinam cæci oculis adhibitam, imo ex ſputo de puluere admotione manus confectam, ad Phariſæos legis zelatores cæcum adducunt, vt diſquirerent, num Sabbatum fuiſſet violatum. Vnde Euangeliſta adnotat Sabbatum eſſe, vt adductionis cæci ad Phariſæos occaſionem, aut prætextum aperiat.

3. *Ad Phariſæos ducitur cæcus poſt Baptiſmum vocandus.*

Iterum ergò interrogabant eum Phariſæi: Quomodo vidiſſet. A Phariſæis rogatus cæcus videns ingenue profeſſus quonammodo cernendi eſſet adeptus facultatem. Quo audito ex Phariſæis quidam inuidiâ ſaucij, in hæc verba prorumpunt: *Non eſt hic homo à Deo miſſus, qui Sabbatum non cuſtodit.* O cæcos homines, qui tanti miraculi ſplendorem non viderunt, & tantilli luti effectione Sabbati ſanctitatem lædi affirmauerunt! Porro alij, quorum mentem tam craſſa caligo non obtexerat, iis aduerſati profantur: *Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat inter eos.* Orta enim inter Phariſæos altercatio, & diſſenſio his in vnam; aliis alteram in partem diſputantibus: cæco autem tumentibus exagitato fluctibus. An non tribulatio hæc in iuſtorum euenit myſterium? Theophylactus; *Oportet in* (Theoph.) *Siloem ire, fontem Baptiſmatis. Verum vbi baptizatus quis fuerit, tunc & tentationibus ſubiacebit. Adducetur enim ad Reges propter Chriſtum, qui ſanauit illum. Oportet igitur firmiter ſe gerere, & ſtare in eius confeſſione conſtanter, nec propter metum pauere.*

4. *Phariſæorum ſchiſma.* 1. Cor. 11. 1. Cor. 1. Pſal. 65.

Schiſma erat. Græcè σχίσμα, quod ſciſſionem, & diſſidium ſignificat. Paulus, *Audio ſciſſuras eſſe inter vos.* 1. Cor. 11. Græcè, *Audio σχίσματα eſſe inter vos. Non ſint inter vos ſchiſmata.* 1. Cor. 1. Id eſt, *diſſenſiones.* Appoſitè Dauid, *Quàm terribilia ſunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Pſal. 65. Terribile ſeu ſtupendum opus Dominus geſſit, depulſit dum è cæco nato tenebras. At in multitudine tantæ virtutis, admirabiliſque potentiæ Phariſæi, inimici Sabbatum violari, à Deóque non eſſe miraculi excitatorem mentiti ſunt. Rupertus, *Tibi Chriſte, in multitudine virtutis tuæ mentientur inimici tui dicentes. Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit.* (Rupert.)

5. *An rogauerint inimici Ieſu; an eius cauſa propugnatores?* Caiet. Chryſ.

Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Reſpondit: *Quia Propheta eſt,* Caietanus, *Quod Propheta eſt,* ac proinde à Deo immiſſus, ac conſpicuus ſanctitate. An qui cæcum ipſum interrogarunt, fuerunt ex iis, qui auerſabantur, an ex iis, qui cauſam agebant Saluatoris? Reſpondet Chryſoſtomus, *Non ſunt, hi, qui dicebant: Hic non eſt à Deo; ſed qui diſſentiebant, dicentes: Homo peccator non poteſt hæc ſigna facere.* Id quidem ipſa eorum ſententia videtur indicare. Nec enim dixerunt: *Tu quid dicis de illo,* qui Sabbatum non cuſtodit? ſed, *Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?* An inimici, ad ipſum qui beneficium acceperat iam certè virtutis Dominicæ oculatum teſtem proculdubio laudaturum medici artem, teſtimonium requirerent? Minimè planè. Attamen Rupertus inimicis hanc tribuit quæſtionem. *Nitebantur in conſortium ſuæ blaſphemiæ hominem pertrahere; & cauſam ſuam illius ſententia tueri.* Aſſero cum Ianſenio & aliis, omnium fuiſſe quæſtionem, vt quiſque ex reſponſione id arriperet, quod ſuæ ſententiæ fauere videretur. (Rupert.)

§. II.

De Parentum aduocatione & examine.

6. *Cur parentes cæci aduocantur?*

V*Ocauerunt parentes eius.* Cæco honorifice proferenti quamnam de Chriſto concepiſſet opinionem non eſt habita fides ab hoſtibus. Vnde parentes aduocant ab eis ſciſcitaturi, vera-ne eſſent, quæ filius proferebat? Illi

autem

autem prioribus quæſtionibus reſponderunt; & filium eſſe ſuum, & à natiuitate luce orbatum apparuiſſe: tertiæ verò quæſtioni (Quo modo videret, aut quiſnam eius oculos aperuerit?) noluerunt reſpondere cauentes ſibi, ſuoſque formidantes. Ipſum, inquiunt rogate, ſatis habet ætatis ad reſpondendum.

7 *Redditur ratio, cur parentes cæci liberè non loquantur, quod nouerunt.* *Iam enim conſpirauerant Iudæi, &c.* Reddit Ioannes rationem cur parentes cæci hominis liberè quod nouerant, minimè peruulgarint. Ne ſcilicet *à ſynagoga*, ſeu publicis conuentibus pellerentur. Iam enim qui Reipublicæ clauum tenebant *conſpirauerant*, ſiue *ex communi ſententia* conſtituerant, (vti ex Græco colligo) vt quicumque Ieſum Chriſtum eſſe, id eſt, Meſſiam, profiteretur, extra ſynagogam fieret. Græcè *Apoſynagogus*, ſiue è *ſynagoga pulſus*. Alibi Ioannes, Ioan. 6. *Abſque ſynagogis facient vos.* Cap. 16. *Apoſynagogos vos facient*, id eſt excommunicatos. Rupertus. Ruper. *Hac conſpiratione ſua Iudæi omnem Dei gratiam expirauerunt. Et dum extra ſynagogam eos faciunt, qui confitentur Chriſtum, ſeparant ſe ipſos ab omni ſynagoga, id eſt, antiqua Eccleſia Patriarcharum; & Prophetarum, omniúmque Iuſtorum, qui expectauerunt, & ipſa expectatione ſua Chriſtum confeſſi ſunt. Et ita ipſi prius extra ſynagogam Dei facti, & intra ſynagogam Satanæ concluſi ſunt.*

§. III.

Iterum, atque iterum cæcus examinatur.

8. *Quid, Deo gloriam daret?* *DA gloriã Deo, nos ſcimus quia hic homo peccator eſt.* Chryſoſtomus, *expectabant à parentibus* Chryſ. *cæci vt miraculum negarent.* Quieſcere tamen non poſſunt, ſed miraculo, & illius effectori Chriſto tenebras conantur offundere, ac lumen oculorum cæco datum nituntur extinguere. Vnde iterum videntem vocant, vt ad ſuam Auguſt. ſententiam adducant. *Da gloriam Deo.* Augu- Chryſ. ſtinus ſic. *Nega, quod accepiſti.* Chryſoſtomus, Gregor. *Confitere, Chriſtum nihil in te operatum.* Gregorius lib. 1. Reg. cap. 2. *Quid eſt dicere da gloriam Deo, niſi non huic curationis tua laudem tribuas, quia Deus non eſt. Et quia peccator aſſeritur, non ſolùm* Ianſen. *Deus eſſe negatur, ſed etiam homo iuſtus.* Ianſenius exiſtimat hæc verba: *Da gloriam Deo*, modum fuiſſe obteſtandi hominem, ad extorquendam veritatem. Ac ſi dicerent: *Confitere omnem veritatem.* Nam qui veritatem confitetur, glo- Mald. riam Deo reddit. Conteſtantur Maldonatus, & Tolet. Toletus. Ex libro Ioſue confirmant, fante Ioſue Ioſu. 7. ad Achan: *Da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas.* cap. 7.

9. *Authoris expoſitio,* Facilius expono. *Da gloriam Deo.* Siue Deo tribue gloriam tuæ curationis. Nos enim ſcimus, quoniam hic homo peccator eſt. Quam ob rem oculos tuos non potuit aperire. Concedunt iam Phariſæi fuiſſe mendicum illum cæcum, lumen accepiſſe, non tamen à Ieſu, quem pecca- Caiet. torem proferebant. Caietanus ſic: *Non valentes Phariſæi inficiari factum, procurant, vt illuminatus non adhæreat Ieſu, nec publicet miraculum in laudem Ieſu: & hoc ſub ſpecie diuinæ gloriæ. Intendunt enim dicere, quod gloria miraculorum danda eſt Deo, non homini peccatori.* Loci autem ex Ioſue ſenſum hunc profero: Deus te crimen admiſiſſe indicauit, da igitur ei gloriam, crimen aperiens tuum. Dabis quidem ei gloriam, quia oſtendes Deum omnia cognoſcere, veréque oſtendiſſe te criminis eſſe patratorem. At tuâ eundem negatione mendacem efficies. Porrò Phariſæi nihil de confeſſione adiungunt, tantùm profantes: Da gloriam Deo.

Si peccator eſt, neſcio, &c. Rupertus, *Peccatorem non eſſe ſcio. Quaſi diceret: Neſcio ſi, id eſt,* 10. *Quid, ſi peccator eſt neſcio?* *quod peccator eſt.* Improbo expoſitionem omnino improbabilem. Chryſoſtomus autem, *Si* Chryſ. *peccator eſt, neſcio. Id eſt, nihil de hoc in præſentia dico, nihil pronuncio. Hoc vnum ſcio, quia cùm eſſem cæcus, modò video.* Quidquid ſit de peccatis, ille lucem meis oculis attulit. At ipſi oculi mei illius iuſtitiam palam profitentur.

Quomodo aperuit tibi oculos? Caietanus, *Dixerunt ergo ei. Deeſt (rurſus, & interrogant) ſi* 11. *Quare rurſus interrogant.* *fortè variaret narrando factum.* Apprimè Chryſ. Caiet. *Ad priora Phariſæi reuertuntur, modúmque cu-* Chryſ. *rationis diligentius percontantur, more canum venatione ſibi propoſita, nunc huc nunc illùc diſcurrentes, & ad eundem redeuntes locum. Vt aſſiduâ percontatione, eum ad ſuam trahant voluntatem.*

Quid iterum vultis audire? Nunquid & vos 12. *vultis Diſcipuli eius fieri?* Audacter illis reſpon- *Cæci audacia pia. Veritatis vis.* dit agnita ſibi, euulgatâ cunctis veritate fultus. Vnde Chryſoſtomus, *Tam valida eſt veritas,* Chryſ. *tam imbecille mendacium. Veritas enim etiam imbecilles corroborat: mendacium etiam fortes debilitat.* Mendax titubat, hæret, pugnantia profatur: verax ſibi ſemper conſtat. Adnoto particulam illam: *Nunquid & vos vultis Diſcipuli eius fieri?* Vbi τὸ, *&* innuit ſe cæcum inter Ieſu iam Diſcipulos numerare. Chryſoſtomus, *Nunquid &, id eſt, etiam vos quemadmodum ego ſum, vultis Diſcipuli eius eſſe?* At veroſimilius arbitror de aliis Diſcipulis, non de ſe, hoc ſenſu loquutum: Nunquid etiam vos, quemadmodum multi alij ſunt, vultis inter eius Diſcipulos adnumerari? Hic enim mendicus nondum viderat Chriſtum, neque agnouerat, ac proinde nondum eius Diſcipulus erat. Addo incredibile voluiſſe coram Phariſæis aſſerere ſe Chriſti Diſcipulum, licet id haberet in votis.

§. IV.

De cæco Phariſæos erudiente.

MAle dixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu Di- 13. *ſcipulus illius ſis.* Maledicentes illi bene- *Maledictio benedictio erat* dicebant. Auguſtinus Tract. 44. *Tale maledictum* Auguſt. *ſuper nos ſit, & ſuper filios noſtros. Maledictum enim eſt, ſi cor diſcutias, non ſi verba perpendas.* Vtinam omnes ſimus Diſcipuli Chriſti illuſtres ſanctitate. *Tu Diſcipulus eius ſis.* Maldonatus, *Eſto tu, tu es Diſcipulus eius, nos Diſcipuli ſumus Moyſis.* Sic nos interpretamur: Tu ad illius Diſcipulos, ſi vis, te aggrega: tu illum ſequere, ſi libet; nos autem non illum, ſed Moyſem magiſtrum habemus.

Nos ſcimus quia Moyſi loquutus eſt Deus, hunc 14. *autem neſcimus, vnde ſit.* Rationem reddunt, cur *Ratio redditur Phariſæorum ſententia.* Moyſem non Chriſtum magiſtrum habere velint. Ex Scriptura ſacra ſcimus, quod Moyſem

Deus

Deus edocuerit; in quanam autem Academiâ Chriſtus didicerit, ignoramus. Poſt tanta miracula, ô cæco nato ante acceptionem luminis magis cæci, Chriſtum à Deo immiſſum, apud eiuſque ſcholam edoctum ignoratis? Ipſe miratus cæcus adiicit,

15. *Cæcus reſpondet.*

In hoc enim mirabile eſt, quòd vos neſcitis, vnde ſit, & aperuit oculos meos. Oſtendit cæcus mirabilem eſſe Phariſæorum cæcitatem, quod videntes cæcum natum vidiſſe, non cognoſcant Chriſtum à Deo immiſſum. Particula, *enim*, hoc loco pro ſanè, ſeu *Profectò* vſurpatur. Profectò admirabilis eſt hæc veſtra ignorantia, tanto in lucem edito miraculo.

16. *Libertas loquendi mendici.* Theoph.

Theophylactus in mendico & libertatem loquendi, & veritatis vim adnotauit. *Vide, quomodo veritas mendico nullius momenti, conferat libertatem dicendi, & redarguendi eos, qui apud Iudæos magni, & honorati erant. Ita magna veritatis virtus. Sicut & mendacium libertatis carentia, & humillatus ſermo ſequitur.*

17. *Argumẽtum mendici validum contra Phariſæos.*

Scimus, quia peccatores Deus non audit. Probat mendicus e patrato miraculo Iudæos agnoſcere potuiſſe Chriſtum veniſſe à Deo. Deus, inquit, peccatores non audit, ſed eos, à quibus ſanctè colitur, quíque eius voluntati obſequuntur: Audiuit autem hunc Prophetam ad miraculum tale patrandum, quale à ſæculo non eſt auditum: Ergo ille ſanctè Deum colit, illiuſque voluntati obſequitur: à Deoque eſſe monſtratur.

18. *Fides & opera virum iuſtum exornant.* Theoph.

An ſufficeret fides, ſine Dei voluntatis impletione ad probum virum ornandum? Minimè. Cultum Dei, & voluntatis diuinæ obedientiá neceſſariam mendicus oſtendit. *Si quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit.* Theophylactus, *oportet adeſſe vtraque, Dei cultum, & voluntatis diuinæ adimpletionem, hoc eſt fidem, & opera.*

19. *Duplex propoſitio expeditur à Patribus.* Baſil. Matth. 2. Auguſt.

Scimus quia peccatores Deus non audit. Duplex clauſula ſermonis mendici difficilis obiicitur. Vna, *Deus peccatores* non audit. Altera, *Niſi eſſet hic à Deo, non poſſet facere quidquam.* Deus enim etiam exaudit peccatores, vt Auguſtinus, Baſilius, aliique fatentur Doctores, & viri improbi nonnumquam miracula poſſunt excitare, fante Domino: *Multi dicent mihi in illa die: Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus?* Matth. 7. Quid igitur? Num propoſitiones veræ? Reſpondebo parum docti clauſulas eſſe, neque omni ex parte veras? Peccatores enim miracula (rariſſimè planè) edere poſſunt, cùm fidei confirmandæ fuit neceſſaria. Præterea Deus peccatores exaudit; quorſum enim precarentur, ſi Deus non exaudiret? Vnde Auguſtinus lib. 50. hom. 43. *Incumbite orationibus peccatores, confitemini peccata veſtra, orate, vt depellantur.* Loquitur ergo mendicus parum edoctus, nondum Saluatoris diſcipulus? Fatur Doctor egregius Tract. 44. *Adhuc inunctus loquitur; nam & peccatores exaudit Deus, &c.*

20. *Approbo vtramque cæci propoſitionem verè planè in præſenti.* Euth.

Fateor tamen mendici proloquium poſſe hoc ſenſu verificari: Peccatores Deus non audit, ad miracula perpetranda, quâ de re ſermo erat. Quòd ſi peccatores aliquando miracula edant, id rarò accidit. Propoſitio verò de re intelligitur, quæ frequenter, & ferè ſemper euenit. Præterea poterit peccator miraculum facere, vt teſtetur fidem eſſe veram; ſed vt teſtetur ſe eſſe iuſtum fieri nequit, vt faciat. At Ieſus miracula faciebat, quæ teſtabantur illum eſſe Meſſiam, Dei Filium, verúmque Deum. Eſt omninò certa illuminati cæci propoſitio in miraculis Chriſti hoc ſenſu: *Peccatores Deus non audit*, ad miracula edenda, quæ edentis ſanctitatem teſtentur. Profectò de auditione ad miracula excitanda Euthymius interpretatur, *Peccatores Deus non audit in huiuſmodi videlicet miraculis*; quæ quidem non ad confirmationem fidei, ſed ad ſanctitudinis teſtificationem (qualia Chriſti miracula) petuntur.

21. *Cur totus cæcus in peccatis natus appellatur?* Chryſoſt. Theoph. Thom. Caiet.

In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Ad conuitia ſe recipiunt correpti à mendico Phariſæi cauſæ diffidentes. Cur totum in peccatis inquiunt exortum? Exiſtimo, quia cæcus eſſet natus, ipſam exprobrantes cæcitatem peccati pœnam, & ſtigma. Chryſoſtomus, *Exprobrant illi cæcitatem. Ac ſi dicant: A prima ætate in peccatis es; quaſi ideo fuiſſet cæcus.* Theophylactus, *inſipienter ei cæcitatem obiiciunt Phariſæi exiſtimantes, quòd quaſi maledictus, & ante natiuitatem condemnatus eſſet, vt cæcus naſceretur; vel quod ratione carebat. Totum dicunt in peccatis natum* (ait D. Thomas) *vt oſtendant, tam animâ, quam corpore in peccatis natum. Si quidem in corpore peccatorum veſtigium, id eſt, cæcitas fuerat:* Et Caietanus, *Ex Dauide didicerant, omnes ſecundum animam naſci in peccato: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum.* Pſalm. 50. *Sed quia iſte etiam in corpore cum pœnâ peccati natus fuerat, ideo dicunt: In peccatis natus es totus: hoc eſt, ſecundum animam, & corpus.* Faciliùs reſpondeo particulam *Totus* appoſitam exaggerationis causâ. Approbo tamen Caietani expoſitionem. Adnota, precor, quàm hominum iudicium à Dei diuerſum iudicio ſit, cum hi cæcitatem peccato tribuerint, Chriſto clamante, è peccato minimè exortam.

22. *An è Synagoga eiiciunt* Lyran. & alij. Chryſ.

Et eiecerunt eum foras. Rupertus, *Eiecerunt eum extrà Synagogam, id eſt, anathematizauerunt eum,* Sic Lyranus, Caietanus, Toletus. Veroſimilius iudico non eſſe effectum apoſynagogum ſiue excommunicatum. Non enim ait Euangeliſta. *Eiecerunt eum* extrà Synagogam, ſed tantum: *Eiecerunt eum foras.* Foras, inquã, id eſt, ex domo, in qua erant. Chryſoſtomus hom. 58. ex Templo ait deturbatum. Sed non conſtat, an in Templo hæc geſta fuerint.

23. *A Chriſto recipitur.* Theoph.

Audiuit Ieſus, quia eiecerunt eum foras. Sciebat Dominus omnia, quæ cæco contigerant, ſed ab aliquo etiam narrante audiuit. At cæcum à ſe requiſitum inueniens, ait: *Tu credis* in Filium Dei? Mendicus autem, qui Chriſtum nec viderat, nec agnouerat cæcus, fideli, humilique animo videns, quiſnam eſſet Dei Filius rogauit, vt in eum crederet. Dominus modeſtè tertia vſus perſona reſpondit: *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt.* Demum illuminatus mendicus, *Credo*, inquit, *Domine*, in te Filium Dei; procidénſque debitam perſoluit adorationem. Theophylactus putans apud Templum adeſſe Phariſæos, ait: Eiectus eſt ex Templo mendicus, & ſtatim inuenit eum Dominus Templi. Contemptus fuit propter Chriſtum, & honoratus eſt agnitione Filij Dei.

IN IESVM CÆCOS
ILLVMINANTEM
PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS
CIRCA LITERAM.
EX IVDÆORVM CÆCITATE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ille homo, qui dicitur Ieſus lutum fecit, & vnxit oculos meos: & dixit mihi, &c.

Quàm appoſitè cæcus referens oculorum illuminationem, Nominis Ieſu memoriam geſſit.

E Nomine enim Ieſu ſalus omnium exoritur, cunctarum ægritudinum medicamine.

24. VT mendicus exprimeret, quonammodo vidiſſet, appoſitè geſſit Ieſu nominis memoriam, à qua ſalus cunctis hominibus, quod quidem collyrium cæcitati ablegandæ, omniúmque ægritudinum medicamen eſt.

25. Paulus in terram proſtratus, cæcus equidem à Chriſto quærit: *Quis es, Domine?* Cui Saluator reſpondit: *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris.* Act. 9. Vbi Beda, *Non Deum, vel Dei Filium ſe vocat; ſed Ieſum.* Gregor. *Non ei à Domino reſpõdetur: Ego ſum Vnigenitus Patris, ego Principium, ego Verbum: ſed ego ſum Ieſus.* Quare ſe Ieſum Dominus appellauit? Exiſtimo, quia cæco Saulo medicina parabatur. Vnde inungendo, vt videret, Ieſu nomen infunditur tam intimè, mentis tenebris ablegandis, vt ipſe vas olei cæleſtis efficiatur: *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum.* An non cæco lumen erat impertiendum? Congruè ergo (ait Bernardus) Dominus ait: *Ego ſum Ieſus*, ſeu *Saluator, quem tu perſequendo petis.* Impetu quidem cæci vituli.

Cæcus Saulus 10, in nominis oleo inunctus videns exurgit. Act. 9. Beda. Gregor. Bernard.

26. Clamabat Iſaias, *Voca nomen eius, Accelera; ſpolia detrahere.* Cap. 8. An non Chriſti nomen Ieſus? Quid ergo Ieſu cum acceleratione, & ſpoliorum detractione? Quia nomine Ieſu ſole quidem iuſtitiæ adueniente, neceſſariò è cæcis hominibus tenebræ ablegantur. Hieronymus, *Vt puer natus velociter ſpolia detrahat, vt citò prædetur, hoc eſt, ne vltra patiatur regnare Principem tenebrarum. Nec mittat Angelos, neque Prophetas; ſed ad ſalnandas, ac illuminandas creaturas ſuas ipſe deſcendat.* Nomen etenim eius Sol eſt, ac ſimul cæcitatis noſtræ collyrium. Vnde tenebrarum Princeps ablegabitur, cæco vidente.

Nomen Ieſu nos cæcos à Principe tenebrarū liberat. Iſa 8. Hieron.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

Quàm dignum Deo ſuæ creaturæ curare ſalutem, tenebras ex oculis pellere! Claudum Petrus ſanauit, *& vidit omnis populus eum ambulantem.* Cæca Ciuitas vidit. Vndenam tanta illuminatio, quæ claudum pedibus, Iudæos autem viſu donauit? Petrus ait: *Nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute fecerimus hunc ambulare? In fide nominis eius hunc quem vos vidiſtis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per eum eſt dedit integram ſanitatem. Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis.* Cæcitate olim laboraſtis, iam ablegatis è lucidiſſimo Ieſu nomine tenebris, videtis. Porro quinque millia fuere à tenebrarum Principe hominum illorum erepta. O Ieſu nominis mirabilis potentia! Abulenſis ad Exod. 20. quæſ. 7. *Quia nomen Ieſus eſt ſolum nomen, in quo ſaluamur, vt patet Act. 3.* Valetudini tot cæci fuere reſtituti? Ergo è Ieſu nomine illuminantur. Quàm dignum hoc, inquam, Creatore! Hieronymus ad Rom. 1. *Nihil dignius Creatore, quam creaturæ ſuæ curare ſalutem.* Plura alibi.

27. *Iudæi cæci Ieſu nominis medicamine viderunt, Creatore ſalutem creaturæ curante.* Act. 3. Abul. Hieron.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & laua: & abij, laui, & video.

Non ſolùm cæcus è fonte Siloë videt, ſed & totus abluitur, pulcher exurgens.

E fonte etenim Pœnitentiæ animi pulchritudo.

28. EX ſententiā Auguſtini, & aliorum Siloë fons Baptiſmi, ac Pœnitentiæ lauacrum ſignauit. Significat Siloë *Miſſum*, quia Baptiſmi, ac Pœnitentiæ Sacramentum *Miſſi*, id eſt, Chriſti eſt, à Chriſto inſtitutum, Chriſti meritis cri-

Fons Siloë Baptiſmum & Pœnitentiā exprimit. Lacrymarum cõmendatio.

mina debens. Iacob dixit: *Donec veniat*, qui mittendus eſt. Gen. 49. Hebraicè, *bhad chi iabo ſchiloh Vſqueque veniat ſchiloh.* Olim mittendus Miſſus iam eſt ſchiloh vtique, ſiue Siloë crimina hominum ſalubertimis aquis abluturus. Hinc, Nazianzeno authore, Baptiſmus, & Pœnitentia illuminatio dicitur, quia ſplendor eſt, & claritas. Nicetas exponit. *Baptiſmum* (& æquo iure Pœnitentiam) *illuminationem appellamus, quia per eum ſanctam illam lucem intuemur: atque ad diuinum Numen intuendum oculorum acie pollemus.* Imo digni cœleſtis ſponſi Nuptiis, comparata ex aquis pulchritudine, addicimur. Sit igitur Siloë fons lacrymarum vnda, è quâ mundatur ſtola, animique pulchritudo recuperatur.

Gen. 49. Nazian. Nicet.

29\. De exurgente ex pœnitentiæ lauacro ſponſa Dauid cecinit, *ſpecie tua, & pulchritudine tua intende proſperè, procede, & regna.* Pſalm. 44. Cùm proceſſu pulchritudo colligatur: Pulchritudine tuâ procede, quicumque Siloë lacrymis ſtolam diluiſti, veni videns ſponſi Nuptiis excipiendus. Laurentius Nouar. hom. de Eleem. *Et quæ eſt iſta ſpecies niſi virtus animæ, & in ea plenitudo? Quæve eſt pulchritudo niſi lacryma oculorum?* Hac pulchritudine procedit ad thalamum anima, quæ ad Siloë immittitur.

Procedit ſponſa de fonte lacrymarum valdè pulchra. Pſal. 44. Nouar.

30\. Quàm fœdus mendicus ille facie luto ſpurcatâ Domino apparuit! Profectò ad Siloë fontem, ad vndas pœnitudinis miſſus ſine maculâ, ſine ruga redit ſponſa. *Quàm pulchra tabernacula tua, Iacob, & tentoria tua Iſrael? Vt valles nemoroſa, vt horti iuxta fluuios irrigui, quaſi cedri prope aquas.* Num. 24. Origenes hom. 17. illud: *Vt horti iuxta flumina*, ſic transfert: *Vt paradiſi ſuper flumina.* Quàm apud paradiſum ſtolâ innocentiæ ornata ſeſe poſt ablutionem lacrymarum oſtentat ſponſa! Abbas Cellenſ. lib. de Panib. cap. 12. *Aqua hæc paradiſum rigat, Eccleſiam, vt ſit ſine macula, lauat. Cùm enim profuſione lacrymarum tota irrigatur conſcientia, ligna producuntur fructum vitæ facientia.* Profectò non facies ſola abluenda eſt cæci, qui in peccato natus eſt totus, ſed *tota* diluenda *conſcientia.* Ideo cæcus ad Siloë natatoriam immittitur potiùs mergendus, quàm faciem ſolam lauaturus. Omnia enim lethalia crimina profitenda.

Totus natus in peccatis totam conſcientiam abluit, ad pulchritudinem comparandam. Num. 24. Orig. Abb. Cell.

31\. Dauid, qui lacrymarum profluuió totus ſæpe fuerat immerſus, expertus canebat: *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius.* Pſal. 95. Vbi fons pœnitentiæ, ibi eſt animi pulchritudo, maculis ablegatis. Bernardus epiſt. 113. *Reuera vbi confeſſio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata ſunt, in Confeſſione lauantur.* Quàm verius de Dauide pœnitente poſſumus inclamare, quod de adoleſcente Textus adnotarat, *Quod erat pulcher aſpectu.* 1. Reg. 16. Vbi Rupertus cap. 26. *Pulcher erat aſpectu, & facie decorâ, non ea pulchritudine, qua laſciuos prouocat, ſed qua conditorem pudicè delectat, dum lucet in vultu ipſa, quæ ſpirat in mente gratia.* Poſtquam ſcilicet per ſingulas noctes lectum lacrymis diluerat, rigarat ſtratum,

Ex fonte confeſſionis, & lacrymarum pulchritudo Dauidica. Pſal. 95. Bernard. 1. Reg. 26. Rupert.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba.

Vade ad natatoria Siloë, & laua, & abij, & laui, & vidi.

Dominus cæcum ad ſalutarem fontem immittit: cæcus autem ipſe abiit, lauit, & vidit.

Propriæ etenim ſalutis negotium alteri committendum non eſt.

POTVISSET Dominus ponderans, quàm difficile cæcus poterat ad fontem pergere, diſcipulum immittere, qui ex Siloë vndam afferret, quâ oculi mendici diluerentur; quâ ſcilicet actione & cæcus videret, & Diſcipulus afferens aquam charitatis exerceret actionem. At cæcum ipſum ad fontem remiſit ſanaturus. Vt ſcilicet edoceret propriæ ſalutis nullam particulam alieno miniſterio relinquendam, negotij æterni curam ſuſcipiendam omnino ab eo, cui vel vita æterna, vel interminabilis mors præparatur. Laudat Chryſoſtomus mendici obedientiam hom. 65. *Intuere cæci animum in omnibus obtemperantem. Præbuit vultum, nihil ſollicitus, an lutum eſſet, an ſputum, & quid ſibi Siloe opus eſſet. Non cur lutum liniret ſuper oculos, aut cur lauare præceperit. Nihil tale reputauit, illud dumtaxat curauit, vt obtemperaret.* Ego autem commendabo hominis ad ſalutis negotium ſollicitudinem. Haud enim iniunctum opus alteri præſtandum commiſit mittendo ſcilicet qui Siloë aquam afferret: nec liquet vtrum alicuius ducatu perrexerit. Ipſe prudentiſſimus propriæ ſalutis negotium procurauit. 32.

Chryſ. *Cæci obedientia.*

Ait lex, *Tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas.* Exod. 12. An non ſufficit per famulum, aut filium, aut fratrem præparari agnum? Prouideat qui ſaluandus eſt, tollat agnum ille ipſe, cuius ſalus geritur. Nec enim alieno miniſterio propriæ ſtudium præferes valetudini. Non filio reſtitutionem, aut ſolutionem committas, tuis ſalutem tuam manibus exere. Nazianzenus Orat. 2. de Paſc. *Tollat vnuſquiſque agnum. Optimum enim eſt, ſibi vnumquemque ad perfectionem ſufficere: ſeque hoſtiam ſanctam, viuamque vocanti Deo offerre.* 33.

Agnus ad ſalutem proprio miniſterio quærendus, & præparandus. Exod. 12. Nazian.

Vbi Dominum Abrahamus in peregrini excepit hoſpitio, *ipſe ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum. Tulit quoque butyrum, & lac & vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis.* Gen. 18. At agens de vxore filio quærenda, famulum immittit. *Non accipias filio meo vxorem de filiabus Chananæorum.* Gen. 24. Vbi Chryſoſtomus, *Cùm Abraham peregrinos vellet excipere, per ſe hoc officium præſtabat; cùm autem Nuptias facturus fuit, ſeruum adhibuit.* Quare tantum miniſterium quærendi vxorem dilectiſſimo filio, è quo Meſſias excitandus, famulo committit, nec per ſe exequi 34.

Nuptias committit Abraham famulo, hoſpitalitatē ad ſalutis negotium attinentem per ſe exequitur. Gen. 18. Gen. 24. Chryſoſt.

exequitur: miniſterium autem, quod facilè ſoli vxori, ac famulis remitteret, propriæ curæ addixit? Certè peregrinorum exceptio ad æternam ſalutem attinebat iuxta illud Iudicis: *Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Porrò ſalutis negotium haud alieno miniſterio committendum. Proh dolor! Si vel Principes *cum aurifice agere velint* (addit Pater) *nullo pudore prohibentur; ſed per ſe exeunt*; ius autem hoſpitalitatis, cunctaque ſalutis negotia ſeu famulis, ſeu hæredibus imponunt.

35. *Non ſemper admittit Deus alieni miniſterij ſatisfactionem, aut reſtitutionem.* Ioan. 11.

An tibi ſemper ſufficiet ad vitam committere aliis miniſterium ſatisfactionis? Lazarus obit ſororum curæ remittens (myſticè) ſatisfactionem lacrymarum peragendam. Fletu Mariæ & Marthæ ſoluuntur, queis Dominus, *Vbi poſuiſtis eum?* Ioan. 11. Et cur ô Domine non aduocas è tumulo Lazarum? Quia peccatoris lacrymas requiro. Iam ſorores agentes fratris perſonam ſatisfacere lacrymis profuſis ſtudent. Non ſufficit alienum miniſterium, ipſe Lazarus ploret, & ſatisfaciet: *Vbi poſuiſtis eum?* Pulchrè Ambroſius lib. 2. de Pœnit. *Veniet ad monumentum Chriſtus, vbi viderit flere pro te Martham bonæ fœminam miniſterij; & flere Mariam, quæ attentè audiebat verbum Dei, commouebitur miſericordia, cum viderit in tuo obitu lacrymas plurimorum, & dicet: Vbi poſuiſtis eum? Hoc eſt; in quo reorum ſtatu eſt, in quo pœnitentium ordine? Videam quem fletis, vt lacrymis ſuis me moueat.* Sic tibi Lazarus ægrotus diem aſſidunis, qui & ſpiritualium in Mariæ ſignatorum precantium virorum, aut mulierum curæ committit pro offenſis ſatisfacere: aut miniſtris ſeu hæredibus relinquit ſatisfactionem gerere. An vitâ cœleſti donabitur? Certè ægroti ſtatus, & conſcientia requiritur, propriæ pœnitudinis, ac ſatisfactionis lacrymæ expectantur, vt reſurrectioni addicatur æternæ: *Videam, quem fletis, vt lacrymis ſuis ipſe me moueat.* Sæpe alibi recurrit argumentum.

Ambr.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & laua, & abij, & laui, & vidi, &c.

Nullius momenti mendicus ſe magnæ æſtimationis virum oſtentat, ex nudâ veritatis prolatione.

Homo enim verax Rex eſt, imo cœleſte Numen.

36. Theoph.

MIRATVR Theophylactus, quòd *Veritas mendico nullius momenti conferret libertatem dicendi; & redargueret eos, qui apud Iudæos magni, & honorati erant.* Sæpe eum Phariſæi de miraculo interrogarunt, ille autem nudam protulit veritatem: *Abij, laui, & vidi.* Homo verax liberè poteſt Dynaſtas increpare. *In hoc mirabile eſt, quod vos neſcitis vnde ſit.* Veritas enim homuncionem nullius momenti, efficit virum auguſta fulgidum dignitate; imo Deum Deos diiudicantem.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

37. *Daniel reycit Regium amictum, quia veritatis præco Rex auguſtior.* Dan. 15.

Promiſit Rex Balthaſar Danieli, ſi ſcripturam interpretaretur, torquem ac purpuram. *Purpura veſtieris, & torquem auream circa collum tuum habebis.* Dan. 15. Daniel autem Regis contemnens ornamenta profatur. *Rex munera tua alteri da.* Quare renunciauit? Quia cum veritatis præco eſſet futurus, nuda veritatis profeſſio futura illi erat Regium ornamentum, in Regem maximum conuertendo. Chryſoſtomus ad Pſal. 95. *Daniel pro nihilo ducens eorum munera, ſed ſuper omnia veritatem honorans, ait: Rex, munera tua alteri da. Ego ſcripturam narrabo. Et quod erit interpretationis præmium? Hoc ipſum mihi veritatis præmium erit interpretari veritatem.* An non oporteret te Regio ornari amictu, vt magni momenti vir habitus credaris? Profectò illud ipſum nudè veritatem profiteri idem eſt, ac Rex maieſtuus oſtentari.

Chryſ.

38. *Deſpectos homines veritas precioſa circumdat amictu.* Ioan. Epiſt. 2.

Vir probus licèt nullius ſpecie momenti, clarus, ac egregius obiicitur è veritatis amictu. Ioannes Electæ, *Gauiſus ſum valde, quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in veritate.* Epiſt. 2. Nec exigua commendatio eorum fuit in veritate ambulare, ſeu veraces & verbis, & actionibus. De ſe etenim ſuperius locutus, ait: *Senior Electæ dominæ & filijs eius, quos ego diligo in veritate. Et non ego ſolus, ſed omnes, qui cognouerunt veritatem, propter veritatem, quæ permanet in nobis, & nobiſcum erit in æternum.* Ibid. Iam premo verbum illud: *Inueni de filijs tuis ambulantes in veritate.* D. Thomas apud Lorinum, quaſi rarum quid, & exquiſitum; ditat enim, ornat adeò virum vel deſpectum, vt poſſit pro æterno felicitatis amictu deſeruire: Nobiſcum erit in æternum. Angelicus Doctor, *Veritas etiam deſpectos claros facit.* Ergo nullius momenti mendicus ex veritatis amictu clarus Phariſæos poterat increpare.

Thom.

39. *Verax homo, non Rex terrenus, ſed cœleſtis oſtenditur.* Pſal. 115. Remig.

Parum eſſet viros veraces mendicos in Reges clariſſimos commutari reprehendendi Iudæos muneri idoneos, ſi Dij eſſe obiiciuntur. *Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax.* Pſal. 115. Igitur qui verax eſt, homo non eſt, ſupra hominem præſentatur. D. Remigius ſic: *In eo, quod non ſumus mendaces, non homines ſumus, ſed Dij.* Pythagoras apud Hieron. cont. Rufin. *Veritatem poſt Deum colendam eſſe, vtpotè quæ homines Deo proximos faciat.* Ergo ſtet homo nullius momenti mendicus, ſed tamen verax in Synagoga Deorum; Phariſæorum, Sacerdotum in medioque Deos poterit diiudicare.

Hieron.

***

Observatio V.

Ad illa verba:

Da gloriam Deo: nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt. Dixit ergo eis ille: Si peccator eſt, neſcio; vnum ſcio, quia cæcus cum eſſem, modò video.

Mendicus non reſpicit, an Chriſtus ſanctus ſit, necne: ſolummodo ſe beneficium accepiſſe recordatur.

Proprium etenim grati animi eſt, in benefactore nihil aſpicere, quod offendat, omnia commendabilia reputare.

40. PHARISÆI curabant mendicum à Domini benefactoris cultu reuocare, confingentes illum criminibus maculatum. At cæcus verè iam videns aſſerit (iuxta expoſitionem illam quam in Comment. innuimus) ſe ſcire minimè peccatorem. Vndenam Chriſtum omnimodò iuſtum recognouit? Profectò animus gratus beneficio affectus à quolibet benefactoris defectu aſpectum auertit, ſolummodò memor, quòd beneficio fuerit donatus. Poterant-ne lumina accepta à Domino in ipſo dante, ſeu accendente peccatorum tenebras contemplari?

41. *Moyſes apud Ægyptios nihil videt iniquum, quia ab Ægyptia educatus.* Exod. 4. Nicet.

Moyſes à Domino ad Ægyptum immittitur, repugnante ipſo, à Deóque, ne mitteretur, deprecante. Exod. 4. Quidnam Moyſem terreret? An Pharaonis durities? An Ægyptiorum iniquitas? Nicetas ad Orat. 2. Nazianz. in Paſchate, affirmat Moyſem ex Iudæorum ingratitudine territum. *Periculum fecerat Iudæorum ingratitudinis, quippe qui beneficio quoque affecti ipſum fugâ e Ægyptum relinquere coegiſſent.* Proh oculi lyncei ad maculas comperiendum! Et qui ingratitudinis vnam vnius, aut alterius Hebræi notulam aſpicit, quomodo Pharaonis effrænatam in Hebræos rabiem, duritiem iugi fugitantem, Ægyptiorum horribilia crimina, & adnatas non videt inſidias? An quia ab Ægyptia filia Pharaonis exceptus è fluuio fuerit regio educatus apparatu, filius filiæ Regis appellatus? O Moyſi ingratitudinis oſoris gratitudinem! Tam illigatus aderat animus prælapſo beneficio, vt apud totam Ægyptum cuncta proſpera, & commendabilia contemplaretur, ſolùm Hebræorum compunctus ingratitudine.

42. *Grati Hebræi beneficium acceptum à Raab videntes, criminum eius obliuiſcuntur: ſolum beneficij recordantur.* Ioſ. 2.

Ad Raab meretricem, à qua excepti fuerant hoſpitio ſic Iſraëlitæ: *Innoxij erimus a iuramento hoc, quo adiuraſti nos, ſi ingredientibus nobis terram, ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaueris eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos.* Ioſ. 2. Quæris, cur funiculus in illa ipſa feneſtra, per quam dimiſſi fuerant exploratores, alligaretur? Apponatur in porta. Quàm aptè in feneſtra! Porta meretricis excipit exploratores fortaſſe iniquos. Quòd ſi non ipſos excepit luxuriè maculandos, plures alios exceperat. Quòd ſi iniquitas meretriculæ venia non digna obiiceretur, dum porta patens impudicis obiicitur, funiculus è feneſtra, è qua prolapſi exploratores, appenditur; vt aſpicientes Iſraëlitæ beneficium, grati quidem omninò mulierculæ maculas obliuiſcantur. Nec enim dum feneſtra grato animo oſtentat beneficium, poteſt ille oculos ad portam criminis admouere: ſancta eſt, digna quæ cum iuſtis Hebræis incolumis recipiatur. *Si peccator eſt neſcio*, imo *ſcio non eſſe peccatorem.*

43. *Iſaac gratus beneficij paſtorum, non iniuriarum memor eſt.* Gen. 26.

Iſaac foderat puteum, aquâ viuâ repertâ. *Sed ibi iurgium fuit paſtorum Geraræ aduerſus paſtores Iſaac dicentium: Noſtra eſt aqua. Foderunt autem & alium, & pro illo quoque rixati ſunt, appellauitque eum, inimicitias. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt, itaque vocauit nomen eius, latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus.* Gen. 26. Gratias geſſiſſe non ſolum Deo, ſed & paſtoribus Geraræ, quod permiſiſſent aquarum eductionem, aſſeruit Chryſoſtomus. Et cur non meminit iurgiorum? Gratus animus ſolùm reſpicit beneficium, nec putat, apud benefactorem aliquid eſſe potuiſſe, quod offenderet. *Vidiſti*, (ait hom. 52.) *piam mentem, quomodo non facta mentione tam atrocium difficultatum quæ obſtiterant, boni tantum meminit, & pro illo gratiam offert.* Chryſoſt. Apud paſtores illos nihil reperio, quod offendat, cunctæ actiones virtutis ſunt egregiæ documenta, ſiquidem permiſére puteum gregibus aperiri: *Si peccator eſt, neſcio.* Scio vtique non eſſe peccatorem. Hinc arguendus ingratitudinis, qui de benefactore vitiú euulgat.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Scimus, quia Deus peccatores non audit.

Mendicus fallitur, aſſerens à Deo peccatores non exaudiri.

Audit enim & cum veniam peccatorum petunt, & quidquid attinens ad animum poſtulant.

44. August. Beda.

PROPOSITIO hæc indocti fuit mendici nondum mente à Domino illuminati, vt aſſerebat Auguſtinus. Confirmat Origenes hom. 5. in Iſai. Beda, & alij. Audit Deus peccatores non ſolùm cum veniam peccatorum poſtulant, ſed etiam cùm alia petunt, quæ non ad corpus, ſed ad animum videantur attinere.

45. *Vtiliter orabat Publicanus.* Lucæ 18. August.

Publicanus clamabat: *Domine, propitius eſto mihi peccatori.* Luc. 18. An inutiliter? Profectò clamitauit vtiliter, qui exceptus à Domino prædicatur. Auguſtinus Tract. 44. in Ioan. *Si Deus peccatores non audiret, fruſtra ille Publicanus oculos in terram dimittens, & pectus ſuum percutiens, diceret: Deus, propitius eſto mihi peccatori.* Fateor conſcientiæ puritatem & orationis vocem dulcem commendari ab ſponſo, *Vox tua dulcis, & facies tua decora*, Cant. 2. Eâ enim voce orationis, quę à pulchrâ & deuotâ animâ procedit: Dominus Cant. 2.

delectatur. Sed tam dulcis ſemper vox orationis Deo eſt, vt inter tenebras peccatori fœdo modulanti attendens, à facie oculos auertat, aures carmini adhibeat.

46.
Ipſi diabolo petenti munera exhibenda ad ſalutem. Luc. 6. Tertull.

Chriſtus Diſcipulis, *Omni petenti te tribue.* Luc. 6. Omni petenti, Domine? Si petat iniquus? Concede: Si Diabolus ipſe? Tribue. Tertullianus Apol. 24. *Porrigat manum Iupiter, & accipiat.* Ille ipſe Idololatriæ author ſi petat, (minimè poſtulabit induratus) exaudiendus eſt. Nec enim Chriſti munificentia à peccatorum malitia pendet. Exaudiatur, accipiat iniquus, quò ab iniquitate recedat.

47.
Impænitentē dæmonem audit Deus? quid non exaudiet hominem poſtulantem ignoſci? Mar. 5. Baſil.

Imo non conuertendum impium Diabolum exaudiuit poſtulantem: *Mitte nos in porcos. Et conceſſit ſtatim Ieſus.* Mar. 5. Vbi Baſilius Seleu. Orat. 23. *Cur ergo, ô Domine, dæmonibus poteſtatem facis? Cur eorum nequitia gnarus verbis perſuaderi te ſiniſti?* Certè vt peccatores conuertendos, ad preces inuitaret. Si diabolus non receſſurus à crimine petens exauditur, quid homo flagitans à porcinis voluptatibus relegari, extrahi?

48.
Neceſſariam ad ſalutem alimoniam concedit Deus petenti, vel ipſum prætextu iniquitatis. Luc. 11.

Poſtulanti illi nocte intempeſta tres ſibi panes exhiberi reſpondet cubiculo clauſus, *Non poſſum ſurgere, & dare tibi.* Pertinax inſtat; & addit Dominus; *Dico enim vobis: Et ſi non dabit illi ſurgens, eò quòd amicus eius ſit: propter improbitatem tamen eius dabit illi quotquot habet neceſſarios.* Luc. 11. Se poſtulans curabat iniuſtè amicum Domini oſtentare. Petit panes ſaluti neceſſarios. Abnegat Deus, quia amicus non eſt? Certè non concedit propter amicitiam, quæ non erat; ſed propter improbitatem, quæ aderat, à quàque miſer ille petebat liberari. *Omnis* ergò (rurſum Dominus) *qui petit, accipit.* Luc. 11. *Omnis* quidem nullus excluditur, ſi neceſſaria poſtulet ad ſalutem. Iniquus eſt, improbus eſt? Propter improbitatem audiendus, vt ab ipſa extrahatur.

LIBER QVARTVS.

LEPROSI MVNDATI.

PARS PRIMA.

LEPROSVS ADORANS.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput octauum Matthæi.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum Leproſos mundantem.

PROLVSIO.

Vitalis ligni Chriſti Admirabilis, *ſiue miracula gerentis*, FRVCTVS QVARTVS.

DESCENDENTI de monte Domino Leproſus profatur : *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Non parua fides ægri, qui mundationis effectum penes Ieſu credidit voluntatem. Profectò eum de monte aut Mariano, ex Richardi Laur. ſententiâ, aut cæleſti eum deſcendentem intuitus eſt, non ſolùm debuit Domini poteſtatem profiteri, ſed etiam de medici voluntate præſumere. Pro Leproſo Ambroſius lib. 5. in Luc. *In voluntate Domini tribuit poteſtatem : ſi vis, potes me mundare. De voluntate autem Domini non quaſi pietatis incredulus addubitauit, ſed quaſi collubionis ſuæ conſcius, non præſumpſit.* Excuſationem adhuc non admitto. Dum enim Dominus ſe ſiue ex vtero Mariæ thalamo ſponſi procedentem videt, ſeu è cælorum culmine deſcendentem ad miſeros contemplatur ; fœdiori lepræ abundantiori pietate exhibet medicamen.

MATTHÆVS Cap.VIII.

VERS.1. CVM deſcendiſſet IESVS de monte, ſequutæ ſunt eum multæ turbæ.

2. Et ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis potes me mundare.

3. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare: & confeſtim mundata eſt lepra eius.

4. Et ait illi Ieſus: Vide, nemini dixeris; ſed vade oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. *De Centurione, vide Volum.9. lib.11.*

PARAPHRASIS.

1. *CVM Ieſus, relicto monte, vbi ſublimia fuerat loquutus, in planiciem veniſſet, hinc, atque hinc variæ hominum cateruæ ad illum confluebant, quo miracula patranda plures teſtes haberent.*

2. *Ecce prodit quidam miraculi præbiturus occaſionem leprâ corpus habens infectum. Cúmque prouolutus ad genua, Ieſum adorâſſet, Domine, inquit, ſi vis, potes me mundare.*

3. *Ieſus autem boni Paſtoris exponens imaginem, delectatus hominis fide cum tanta modeſtiâ coniunctâ, qui non auſus ſit petere, vt mundaretur, niſi vellet ipſe, qui nouit, quid cuique expediat. Quandoquidem (ait) credis, me poſſe, ſi velim: volo, mundus eſto. Simúlque cum dicto, mutatâ cute, morbus eum populo teſte dereliquit.*

4. *Ieſus verò adimens Sacerdotibus anſam calumniandi, quòd ſibi authoritatem iudicandi de lepra vendicaret. Neque tuum, ait, eſt de te ipſo iudicare, nec ego mihi ſumo, quod Sacerdotum eſt. Prius igitur adito Sacerdotem, illique temet oſtende: etſi te pronunciauerit eſſe leproſum, tum offeres munus quod Moſes iuſſit afferri, quo accepto, minimè poterunt calumniari.*

SECTIO PRIMA.

Leproſus mundatur.

TEXTVS.

VERS.1. CVM deſcendiſſet IESVS de monte ſequuti ſunt eum turbæ multæ. 2. Et ecce leproſus adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. 3. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare: & confeſtim mundata eſt lepra eius.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Chriſti Deſcenſu.

1. *Cur Matthæus Chriſti è monte deſcenſum adnotarit?* CVM *autem deſcendiſſet de monte.* Chryſoſtomus hom.26. Author Imperf. hom. 21. & Hieronymus aſſerunt omnia, quæ tribus ſuperioribus Capitibus Matthæus ſcripſit, in monte fuiſſe à Domino tradita. Id non ita accidiſſe cum Maldonato ſuppónens, interpretor Euangeliſtam dicere Chriſtum, *cum deſcendiſſet de monte*, turbas comitatas eſſe, non quòd omnia ſuperiora in monte dixiſſet: ſed quod cùm cap.5. ſcripſiſſet, eum, vt turbam hominum fugeret, Chryſ. Imperf. Hieron.

geret, in montem aſcendiſſe, ibique ad Apoſtolos habuiſſe concionem; atque eius concionis occaſione alias quoque eius conciones recitaſſet: volens nunc exponere, quid poſtea ſequentibus iterum, feciſſet turbis, neceſſe habuit affirmare, eum de monte deſcendiſſe. Nec enim eum turbæ niſi in campo ſequi poterant.

2. *Cur, cum retulit concionem, non aſſeruit Ieſum deſcendiſſe de monte, & turbas ſequutas.*

Quæris, cur cum cap. 6. & 7. eas conciones retulit, quas ad eaſdem turbas Chriſtus habuerat, non dixit Euangeliſta, de monte deſcendiſſe, neque turbas eum ſequutas eſſe? Reſpondeo non fuiſſe neceſſarium eius de monte deſcenſum exprimere, niſi vt redderetur cauſa, cur eum turbæ ſequutæ eſſent. Nec fuit neceſſarium dicere, turbas eum concionantem ſequutas eſſe; quia non referebat, quos auditores, aut doctrinæ ſuæ teſtes, cùm concionaretur, habuiſſet, dignoſcere. Referebat autem ſcire quot ſuorum habuiſſet teſtes miraculorum; ne quis ſupprimere, aut obſcurare vellet.

3. *Myſterium deſcenſus.* Salm. Hieron.

Vt ergo Dominus (loquor cum Salmerone noſtro tom. 6. tract. 21.) in monte fuit Ieſus concionando, ita deſcendens de monte Ieſus eſſe voluit operando ſalutem non tantùm animorum, ſed etiam corporum in ordine ad animos. Et ſi ſalus in monte data maiur fuit, non minor tamen videtur in deſcenſu. Imo maxime ſplendent eius humilitas, & charitas, quibus noſtræ ſe infirmitati attemperans, minimos etiam noſtros defectus tanquam chirurgus noſter tollere, & ſupplere dignatus eſt. Hieronymus, *Rectè poſt ſermonem miraculum fit, vt verbum miraculo confirmetur.*

4. *Turba Dominum myſticè ſequuntur.* Hieron. Innomin.

Sequuta ſunt eum turba. Vbi Hieronymus, *Deſcendenti Domino de monte occurrerunt turba, quia ad altiora aſcendere non valuerunt, & in primis leproſus; nondum enim cum lepra aſcendere poterat, & tam multiplicem Domini audire ſermonem.* Auctor innomin. apud Palac. in Cat. *Aſcendentem* (ait hom. 21.) *turba Chriſtum non ſequuntur: ſed ſequuntur deſcendentem; quia curis obruuntur. Et Dominus de monte deſcendit, vt ſanet leproſum; quia de cælo deſcendit, vt lepram anima ſanet. Cur verò leproſus in montem non aſcendit? Quia quis aſcendit in montem Domini niſi innocens manibus, & mundo corde?* Doctor Angelicus, (Thom.) *Cùm deſcendiſſet de cælo, qui dicitur mons pinguis: aut de altitudine doctrina, de quâ dicitur: iuſtitia tua ſicut montes Dei: tunc ſequuta ſunt eum turba, quia carnalibus non poterat ſpiritualia loqui.* Et Hugo Card. (Hugo.) *Turba ſequuntur, non Principes, qui per totum Euangelium relinquuntur.*

§. II.

De leproſo accedente.

5. *Lepra deſcriptio.* Salmer.

E*T ecce leproſus veniens.* Leproſi extra vrbes aderant, infamem, afflictamque vitam gerentes. Nec poterant Chriſtum ad alia proficiſcentem loca ſequi, ne illa inficerent: nec aliorum ægrotantium more in grabatis baiulari. Ideo palam, vt turbæ cauerent, Chriſto non longè tranſeunti occurrebant. *Et hi* (ait Salmeron) *qui extra faſtum omnem, & pompam, laſciuiam, & diuitias agunt, citò Ieſum inueniunt.* Qui ſic leproſum deſcribit: *Lepra morbus quidam eſt cutim, & pilos albos reddens, & carnem, in qua eſt, humiliorem reliqua carne: adeo contagioſa, vt non ſolùm tabida corpuſcula a leproſo corpore ſoluta inficere poſſint alios homines, ſed etiam veſtes ipſas; quas vel ex parte, vel omnino oportebat comburere: Imo etiam ipſam domum a leproſo inhabitatam vel ex parte, vel omnino oportebat deſtrui, & ſaxa, lignáve ad locum deferri inhabitabilem, vt habes in Leuit.*

6. *An lepra naturalis.*

Porrò licèt lepra quandoque Iudæis miraculo fuerit inflicta, vt manui Moyſi, faciei Mariæ, & fronti Oziæ Regis, corpori Giezi, & Iob, qui opera dæmonis peſſimo vlcere fuit percuſſus, & licet aliis Dei flagello eueniret, quod ipſe comminatur: tamen quandoque morbus erat naturaliter ex corruptis humoribus profluens. Hinc Naaman Gentilis lepra erat affectus. Quæ quidem à Græcis dicta eſt λεπρα, aut *mala ſcabies*. Dicitur autem à decorticando carnem: quia Græcis λέπω eſt *decortico*. Aliqui aſſerunt ſupernaturalem eſſe lepram, quod in noſtris non vident vel veſtem, vel domum lepraſam. At illa propriè leproſa non erant, nec talis murbi capacia; ſed per metonymiam dicebantur leproſa, id eſt, lepram efficientia, vt *pallida mors* apud Horatium lib. 1. Carm. Od. 4. & Virgilium Georg. 1. quia pallidos efficit. Frigus pigrum, quod pigros reddat. Et ſegetes lætæ, quod lætos efficiant poſſeſſores. Haud aliter veſtes induentes, aut domos intrantes leproſos efficiebant. Lepra profectò morbus incurabilis. Vnde Regis Syriæ epiſtolas accipiens Iſraël Rex, dixit: *Numquid Deus ego ſum, vt occidere poſſim, & viuificare; quia iſte miſit ad me, vt curem hominem à lepra ſua?* 4. Regum 4.

7. *Statim at deſcendit è monte Ieſus, hoc miraculum fecit.* Maldon.

Et ecce leproſus. Marcus cap. 1. & Lucas 5. alia prius quædam miracula narrant. Vnde incertum mihi, num hoc poſt illa: an poſt hoc illa fuerint excitata. Attamen Matthæus dicens: *Ecce leproſus* videtur ſignificare hoc ſtatim, vt Chriſtus de monte deſcendit, factum eſſe. Hanc enim vim habere particulam illam *& ecce* Maldonatus affirmat. Admonet Leontius ideo, dum in monte eſſet Dominus, ægrotos ei oblatos non fuiſſe, ne eius conciones, quas in monte habebat impedirentur.

8. *Adorat vt Deum.*

Adorabat eum. Ex Græco, *Flectebat genua, prouoluebat ſe ad eius pedes.* Multi Hebraiſmum eſſe interpretantur, ſignificantem vrbanitatem Chriſto tanquam Prophetæ, aut viro ſancto exhibitam. Ego exiſtimo religionem fuiſſe, dum video Euangeliſtas tam ſpeciali ſtudio hanc circumſtantiam exprimere voluiſſe, vt eius fidem commendarent: quæ minima fuiſſet, ſi Chriſtum nihil ſupra Prophetam, aut virum ſanctum exiſtimâſſet. Deum ergo credidit. An homini non Deo, dicere potuit: *Domine, ſi vis, potes me mundare?* Si hominem ſolum credidiſſet, dicere debeter: ſi Patrem oraueris. *Si vis* dixit, ſignans Ieſum æqualem cum Patre poteſtatem habere, vt Chryſoſtomus hom. 26. Theophylactus, & Euthymius obſeruârunt. (Chryſoſt. & alij.) Profectò orandi ratio ſingularis, quæ nihil petens, ſolam oſtendit neceſſitatem largitori.

§. III.

Mundatur Æger.

9. *Cur manum extendit vt*

E*T extendens Ieſus manum, tetigit eum dicens.* Cur Dominus leproſum tetigit; cuius contactus

tangeret contra legis præceptum. Cyrill.

tactus veteri in lege habebatur immundus? An vt oſtenderet etiam carnem ſuam propter coniunctionem cum Diuinitate vim ſalutiferam, & viuificam habere? Sic Cyrillus Alex. An vt humanæ naturæ, quam habebat probaret veritatem? Sic Ambroſius lib. 5. in Luc. An vt oſtenderet, ſe lege veteri non teneri, quæ leproſum tangere prohibebat; ſed tanquam legiſlatorem ſuperiorem eſſe lege? Sic Chryſoſtomus hom. 21. Theophylactus, & Euthymius. An vt oſtenderet, ſe eſſe, non alium qui curauiſſet, cùm ipſe non alius tetigiſſet? ſic D. Thomas ex Chryſoſt.

Ambr. Chryſ. & alij.

Thom.

10. *Authoris ſententia.* Tertul.

Exiſtimo tamen leproſum tetigiſſe, vt doceret legem, quæ lepræ contactum prohibebat, ne contingens contaminaretur, in ſe non habere locum, qui nec contaminari poterat; & leproſum non contaminandi, ſed curandi causâ tetigiſſet. Ita Tertullianus lib. adu. Marci. 4. Quemadmodum Euangelica Eccleſiaſtica lex prohibet nos cum hæreticis agere. At non prohibemur cum illis agere, vt conuertamus: ſed ne nos ipſi peruertamur; quia *malitia eorum ſicut cancer ſerpit.* Qui ergo Chriſtus eſt, ſeu qui illius gerit perſonam ſine peruerſionis periculo potens conuertere huiuſmodi tangat peccatores: reliqui abſtineant à contactu, ſeu aſſiduâ conſuetudine, ne peruerſionis periculo ſubiaceant.

11. *An duplex oratio.*

Volo, mundare. Caietanus, *Reſpondet ad id, quod dixerat: ſi vis.* Vt ſcilicet eius fidem effectus confirmet, aſſerentibus Ambroſio lib. 5. in Luc. & Chryſoſtomo hom. 11. ex variis Mat. *Mundare.* Eſt ne eadem oratio infinitiui actiua? Aſſero aliam eſſe imperatiui paſſiuam orationem. Caietanus, *Altera oratio eſt imperatiui paſſiui.* Idem Chryſoſtomus, ac Hieronymus monuerunt. Hinc Chriſti diuinitas eluceſcit, quòd propria, non aliena vſus poteſtate, volendo, imperandóque curauerit. Sic Iuſtinus in expoſ. fidei. Tertullianus lib. 4. cont. Marc. At Ambroſius, Chryſoſtomus, & alij hinc Diuinitatem ſimul & humanitatem probauerunt. *Volo* (ait Ambroſius) *ergo dixit propter Photinum; imperat propter Arium; tangit propter Manichæum.*

Caiet. Ambr. Chryſ.

Caiet. Hieron. Chryſ.

Hinc Chriſti diuinitas, & humanitas.

Iuſtin. & alij. Ambr.

12. *Tangens ſanat.* Caſſian.

Et confeſtim mundata eſt lepra eius. Simon de Caſſ. lib. 5. Cap. 11. *Lepra ſanari nequit, ſed leproſus mundatur à lepra,* Deo medicamen adhibente. Ideo tangit, quia Deus. *Tetigit* (addit) *quia vt homo leproſum non abhorrebat, quem vt Deus ipſe creauerat.*

13. *Leproſi allegoria.* Hugo. Vict.

Allegoricè Hugo Vict. lib. 2. Alleg. in Mat. Cap. 21. *Leproſus hic eſt genus humanum varijs pollutum erroribus & vitijs. Tagit verò leproſum Dominus, cùm Deitatem humanitati vniuit: ac ſimul lepra mundatur, Domino mundo manente. Miraculum verò iſtud quotidie facit Dominus in animabus leproſis, id eſt vitioſis.* Contactu ſcilicet ſacramentorum, vti adnotat D. Thomas, *oſtenditur virtus ſacramentorum, quæ in verbis, & tactu perficiuntur.*

Thom.

IN IESVM LEPROSOS MVNDANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX LEPROSI ADORANTIS SANITATE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Cùm deſcendiſſet Ieſus de monte, ſequutæ ſunt eum turbæ.

Chriſtum de cæleſti ſolio deſcendentem turbæ ſequuntur.

Præſulem enim humilem, ſubditorúmque præſeferentem fragilitatem illi conſequuntur velociſſimè.

14. Hieron.

DESCENDENTEM *Dominum de monte* (loquor cum Hieronymo) *ſequuntur turba,* quæ in ſolio commorantem minimè quæſierunt. E ſolio ad terram properantem, humilem vtique corde ſubditi ſuum Præſulem imitantur, & in odorem vnguentorum currunt.

15. *Se exinanitus Dominus oſtentat, vt deſcendentem ſubditi ſequantur.* Cant. 1. Ambr.

Salomon ait, *Oleum effuſum nomen tuum; propterea adoleſcentulæ dilexerunt te.* Cant. 1. Ambroſius, *Oleum exinanitum,* alij, *euacuatum* tranſtulerunt. Vbi Bernardus ſerm. 15. *Quid mirum, ſi ſponſi effuſum ſit nomen, cùm ipſe quoque effuſus ſit? Nam ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Quonam fructu è ſolio deſcendit? *Propterea adoleſcentulæ dilexerunt te.* Diligunt, & percipientes odorem vnguenti currunt ſequutæ Saluatorem: *In odorem vnguentorum tuorum currimus.* Pulchrè Ambroſius lib. 3. de Virg. *Exinanitum eſt, vt ſpiraret tibi.* Spiraret vtique tibi, vt in odorem curreres. Audi Origenem hom. 1. ex quatuor in Cant. *Vnigenitus Dei Filius, cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum, & for-*

Orig.

mam

mam ſerui accepit. Exinaniuit autem de plenitudine ſine dubio, in quâ erat. Illi ergo, qui dicunt, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus, ipſi ſunt adoleſcentulæ, quæ de ea plenitudine, ex qua ille ſe exinaniuit, & factum eſt vnguentum exinanitum nomen eius, percipientes dicunt: Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus.

16. *Eius inopia ditescimus, humilitate eleuamur, currentes poſt ipſum.* 1. Cor. Ambro.

Paulus conteſtatur, *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt cum eſſet diues. Vt illius inopia vos diuites eſſetis:* 1. Cor. 8. Non dixit, vt illius diuitiis diuites eſſetis, ſed *illius inopia.* An poſſunt inopes ex inopia locupletari? Profectò cuncta hominum incrementa in Dei deſcenſu ſunt collocata. Ambroſius lib. 2. in Luc. *Ille paruulus, ille infantulus fuit, vt tu vir poſſes eſſe perfectus; ille inuolutus in pannis, vt mortis laqueis ſis abſolutus; ille in præſepibus, vt tu in altaribus, ille in terris, vt tu in cœlo.* Deſcendentem enim turbæ ſequuntur adeo, vt in ipſum ad ſuperos cum ipſo reuerſuræ conuertantur. Bernardus ſerm. 3. de Annunc. *Ille prædiues exinanitus, excelſus humiliatus, immenſus abbreuiatus, & ab Angelis minoratus eſt. Quo fructu? Nempe vt omnes eius paupertate locupletemur, eius humilitate ſubleuemur, eius minoratione magnificemur, eius incarnatione adhærentes Deo,* (ſiue Deum ſequuti) *incipiamus vnus ſpiritus eſſe cum eo.*

Bernard.

17. *Deſcendens pedes noſtros perficit, vt ſequamur veſtigia eius.* Ioan. 13. Rupert.

Poſt anguſtiſſimæ doctrinæ documenta, poſt agni eſum, Dominus *Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua: & cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes Diſcipulorum ſuorum.* Ioan. 13. Ad quæ Rupertus lib. 5. de Diu. Offic. cap. 20. *Surrexit Dominus à cœna, id eſt, à conuiuio paternæ gloriæ, & poſuit veſtimenta ſua. Et carne noſtra quaſi linteo, cuius vtique materia naſcitur è terra, præcinctus: ſanguinem ſuum profudit velut aquam in peluim; atque inde quotidie lauat pedes noſtros.* Quare fructus ſpecialiſſimus deſcenſus Dominici è throno Deitatis in pedum noſtrorum ablutione ſignatur? Quia è deſcenſu Domini turbæ hominum eum erant ſequuturæ, vnde pedes à Chriſto abluuntur, vt ad ſequendum Dominum reformentur. Addit bellè Abbas, *Per hæc diuinæ efficimur conſortes naturæ, fugientes eius, quæ in Mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* Nazianzenus Oratio. 4. de Theol. exprimit fructum fuiſſe Dominici deſcenſus homines ad ſe, ſequuturos vtique arripere. *Quatenus in ſerui forma eſt, conſeruis ſeſe accommodat, totum me vna cum meis in ſe ipſo gerens, vt quemadmodum vel ignis ceram, vel terræ vaporem Sol, ſic quod in me vilius eſt, in ſe ipſe conſumat.* Homines igitur vaporis in morem ad Chriſtum alliciuntur & terreno pondere àblegato, aligeri efficiuntur ad ſequelam. An non è cælo emicans Sol nos ad ſe abriperet? Certe qui è cœlis nos attraxit, deſcendit ad terras, eúmque deſcendentem turbæ conſequuntur. Quàm velociter Præſulem eandem infirmitatem præ ſe ferentem ſubditi ſequentes imitantur, eiúſque ſeſe voluntati accommodant!

Nazian.

***

Observatio II.

Ad illa verba.

Cùm deſcendiſſet de Monte ſecutæ ſunt eum turbæ.

Quem montanum ſiue auſterum turbæ ſequutæ non ſunt; deſcendentem, ſeu humanum, ac benignum properè conſequuntur.

Præſulis enim comitas, & affabilitas ſubditos arripit ad eius imperijs obſequendum.

PVLCHRE Doctor Angelicus, *Deſcendit Chriſtus de monte, id eſt, de altitudine doctrinæ, aut imperij, de qua dicitur: Iuſtitia ſua ſicut montes Dei. Tunc ſequutæ ſunt eum turbæ.* Dum montanus Dominus, dum iuſtitiæ, aut ſeueritatis exhibet documenta, ſubditi aufugientes terrenis curam, & ſtudium impendunt. At cum Dominus è monte deſcendit, vrbanéque, ac humaniter cum ſubditis agit, clamantes illi: *Meliora ſunt vbera tua vino,* Dominum ſequuturæ, eiúſque impleturæ imperia præſentantur. 18. Thom.

19. *Dubitabat leproſus de Domini voluntate, quia nondum cognoſcebat eius comitatem.* Matth. 8. Caſſian.

Id quod ex noſtra leproſi hiſtoriâ oſtendo. Accedit leproſus adorans, & profatus: *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Matth. 8. Laudo ægroti fidem, ſed non poſſum non dubitationem illam improbare: *Si vis.* Videnam ò bone, dubitaſti poſſe Dominum velle, aut non velle? Profectò qui iam è monte deſcenderat, qui tam benigniter ad te ægrotum aduentarat, quodammodo neceſſariò volet te ſalute donare. Bellè Simon de Caſ. lib. 5. Cap. 11. *Leproſus venit adorans, & omnipotentiam confitens: in hoc ſolo dubitans, an velit mundare. Quod non dubitaſſet, ſi eius nouiſſet amorem, & in noſtram humilitatem deſcenſum.* Non omninò leproſus cognouit Præſulem è monte deſcendiſſe, nondum eius comitatem, vrbanitatem, ac pietatem expertus eſt. Cum comperiat Domini benignitatem, ad eum ſine cunctatione, aut hæſitatione curret ſanitate donandus.

20. *Generoſus equus facili fræno adducitur.* Senec.

Seneca lib. 1. de Clement. cap. 24. aſſerit Præſules è faſtigio imperioſi Dominij deſcendentes attrahere ſubditos humanitate. Id quod eleganti ſimilitudine exponit. *Remiſſius imperanti melius paretur. Natura contumax eſt humanus animus, & in contrarium, atque arduum nitens, ſequitúrque facilius, quàm ducitur. Et vt generoſi, ac nobiles equi melius facili fræno reguntur: ita clementiam voluntaria innocentia impetu ſuo ſequitur, & dignam putat ciuitas, quam ſeruet ſibi, plus itaque hac via proficitur.* Facili itaque fræno nobiles equi, generoſi ſubditi imperium equitantis Domini conſequuntur.

21. *Dum Dominus ſagittam*

Iſaias proclamat, *Poſuit os meum* (Verbum fatetur) *quaſi gladium acutum, in vmbra manus ſuæ protexit*

hoſti tradit, inermis fortiſſimi vincit ex manſuetudine Iſai.49.

protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit me. Cap. 49. Biblia Complutenſis legit, *in pharetra tua*, pro *in pharetra ſua.* Non ſagitta in Dei pharetra recipitur ad hominum corda vulneranda, ſed in ipſius hominis pharetra collocatur. Vt homines ad Deum obſequentes traherentur, non aptius apud Dei pharetram ſagitta reſideret, inde in arcum transferenda vt ad homines rebelles dirigeretur: Quare ipſis hoſtibus ſagitta traditur? Quia vt illi reſipiſcant, vt obediant, vt Conditorem diligant, & quodammodo trahantur ad obſequium prudentiſſimo aſtu Deus ipſis inimicis ſagittam tradidit, ſiue (vt vulgariter expendam) *Rindiò las armas à ſus enemigos.* Quonam effectu rogas? Quaſi è ſagitta potētis acuta vulnerati homines ad Conditorem currunt, properant præſtituri obſequium.

Chryſ.

Chryſoſtomus hom. de Turt. & Eccleſ. tom.5. fatur, *Iſta ſic ſagitta vulneratus Petrus, dicebat: Domine, tu noſti, quoniam diligo te. Iſta ſagitta vulneratus Paulus, dicebat: Quis nos ſeparabit à charitate Christi? Iſta ſagitta vulnerata omnis caſta Eccleſia, dicebat: Vulnerata charitate ego ſum.* Si ſagitta apud pharetram Dei reſideret, Petrúſque abnegans, aut Saulus perſequutioni ſtudens, aut Eccleſia dormiens, & cubiculum non aperiens dire vulnerentur, ſaucij conquererentur ſagittariique ſeueritatem fugitarent. At effectum fuiſſe cor eorum pharetram ſagittæ, idem fuit ac ſalubriter eſſe vulnere affectos.

22. *Chriſtus apparens hominum vnus omnes arripit ad obſequiū.* Eccli.32. Pantal.

Monebat Eccleſiaſticus, *Rectorem te poſuerunt, eſto in omnibus ſicut vnus ex illis.* Cap.32. Rector hominum ad homines habitu vt homo inueniaris, qui Angelorum Præſul ſpiritus (quemadmodum illi) apud Superos reſidebas. Vnda Chriſtus diluitur, hominem ſe imaginem peccati gerentem exhibet, vt ſubditorum animos ad ſe abripiat. Pantaleon Diaconus ſerm. de Sanct. Lumin. tom.7. Bibliot. *Qui Dominus eſt vniuerſi Chriſtus, ad captiuum ducendum Satanam delapſus, tectâ per humanam ſpeciem diuinitatis ſua Maieſtate, cum populo Iudaico cohabitat, & Baptiſmi ſe vſui ſubmittit, cum ipſe ſit baptizantis Baptiſma, & ſit ſicut foris apparet hominum vnus. Regum eſt ſequutus conſuetudinem, qui dum prædæ inſidiantur depoſitâ Regia Maieſtate militari ſe habitu amiciunt.* Vulgariter explico: *Viſtenſe del color de la caça.* Captiuam ſic Chriſtus ad ſupetos captiuitatem ducit, ſubditos ad imperia exequenda velociſſimos voluntarios trahit.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et ecce leproſus adorabat eum, dicens: Domine ſi vis potes me mundare.

Non aptè leproſus de voluntate Domini dubitat, qui ſanandi potentiam profitetur.

Quidquid enim erga homines Deus poteſt, vult exequi, ſi vaſa oleo decurrenti apponantur.

23. Caſſian.

PRemo Simonis de Caſſia citati ſententiam: *Leproſus venit etiam adorans, & omnipotentiam confitens, in hoc ſolo dubitans, an velit mundare.* Inconſequenter planè leproſus profitetur potentiam Chriſti, & dubitat de voluntate. Poteſt mundare: Ergo vult, ſi ab homine obſtaculum non fuerit appoſitum.

24. *Potentia Dei excubat vt occurrat homini poſtulanti, quia vult ſemper.* Philo. 2.Par.7.

Philo lib. de Migrat. Abra. *Liquet eſſe apud Deum potentiam, quæ ad opem nobis ferendam excubat.* Duplicem preme particulam, *Potentiam, & excubat.* Si apud Dominum ſubueniendi potentia eſt, liquet voluntatem conſequenter futuram. Vnde excubat paratus ad homines miſeros excipiendos adorantes, & lepram criminum exuere ſtudentes. *Si miſero peſtilentiam in populum meum, conuerſus autem populus meus deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis ſuis peſſimis, & ego ſanabo, oculi mei erunt aperti, &c.* Inquit Dominus 2.Par.7. Indefeſſas agit excubias ad ferendam opem, quia potentiſſimus eſt homini clamanti ſubuenire. Ad te homo, ſolùm attinet inclamare: *Si populus meus deprecatus me fuerit.*

25. *Potentia eſt voluntas ſanandi, imo ipſa ſanitas.* Senec.

Seneca lib.4. de Benef. cap.26. eleganter promptam Dei voluntatem ad benefaciendum deſcripſit. *Æquali tenore bona ſua per gentes, populoſque diſtribuit, vnam ſortitus potentiam, Prodeſſe.* Cur vna ſolummodo potentia apud Dominum adeſſe adſtruitur? Quia tam addictus eſt, vt ſemper hominibus prodeſſe velit, vt quodammodo non adſit potentia vt contrariam exerat voluntatem. Patri Verbum. *Deus meus volui.* Hominibus inquam, quos dediſti mihi prodeſſe: imo cunctis etiam damnandis, quia Deus vult cunctos homines ſaluos fieri.

26. *Paulus de potentia Dei ad ſaluandū confidens, de voluntate certus eſt conſequenter.* 2 Tim.1. Ambr. Chryſoſt.

Hinc Paulus, *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem iuſtus Iudex.* 2.Tim.1. Quodnam depoſitum Paulus à Domino ſeruandum aſſeruit? Ambroſius, *Propriam ſalutem*, Anſelmus, *Bona opera cum ſpe æternæ retributionis facta.* Chryſoſtomus, *ipſos fideles.* Iam requiro, cur non dixerit, potens eſt ſeruare depoſitum, & vult ſeruare, & ſeruabit? Solius potentiæ meminit? An non potens ad ſeruandum, & non ſeruandum? An non Deo libertas à quo hominum liberum arbitrium emanauit? Dic ergo: ſcio, cui fidem adhibui, cui me toto corde commiſi, & certus ſum, quia potens eſt in ſalutem me ſeruare æternam, & vult me ſalute donari. Profectò Apoſtolus vtrumque expreſſit, dum aſſeruit Potentiam Saluatoris: poſſe enim idem eſt ac velle, ſi hominum non obſtet pertinacia. Velit peccator, Chriſtus ſemper potens & volens ſalutem impertiri.

27. *Chriſtum poſſe idem ac velle, ſi peccator diſponatur, imo effectus ipſe eſt.* Coloſ.1. Lyran.

Alibi Apoſtolus, *Vt ambuletis dignè Deo in omni virtute, confortati ſecundùm potentiam claritatis eius.* Colo.1. Illud preme: *Confortati ſecundum potentiam.* An non efficacius confortarentur ſecundum ipſam Dei gratiam à diuina voluntate emanantem: aut ſecundum beneficij munificentiam? Certè ipſa potentia quaſi voluntas eſt, imo ipſa munificentia. Vnde Lyranus, *Confortati ſecundùm potentiam. Hoc addit ad oſtendendum, quòd non loquitur de virtutibus politicis, ſed infuſis, quæ dantur à Deo cum gratia, & per eum ſimiliter augmentantur.* Igitur claritatis Dei potentia effectus eſt voluntatis Dei fideles adducentis ad ſalutem. Non itaque congruè leproſus petens ſanari profeſſus potentiam Domini,

mini, de illius voluntate dubitauit. Homines poſſunt pauperi ſubuenire, ſed plerumque nolunt; at Deus paratus ſemper id velle quod poteſt ſecundùm hominum capacitatem, & diſpoſitionem.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et extendens Ieſus manum tetigit eum dicens: Volo, &c.

Tangit Dominus leproſum, vt oſtendat ſuæ viuificæ carnis vim ad ſalutem impertiendum.

Vbi de vitali Euchariſtia contactu.

28. Cyril.

Vidimvs in Comment. ex Cyrillo Alex. Chriſtum leproſum manu contigiſſe, vt adſtrueret carnis ſuæ viuificam, ad ſalutem impertiendum, virtutem. Ille ergo, cuius verbo *cœli* firmati ſunt; *ipſe* enim *mandauit, & creata ſunt* omnia, in reddenda queiſdam ægrotis ſanitate, præſertim in vita defunctis reſtituenda, non verbo ſolùm, ſed manus etiam tactu vti ſolitus fuit. Certè conabatur adſtruere non aliter nos, aut aliunde vitam habere, quam à Chriſti carne, quæ animi viuificatrix eſt, è lepra criminis haurire poſſe.

29. *Leproſus peccator cum mortuis computatur, vt de contactu Chriſti in Euchariſtia ſanetur, ſeu viuat.* Cyrill.

Subiicio integram Cyrilli ſententiam lib. 4. in Ioan. cap. 14. *Quoniam Saluatoris caro Verbo Dei, quod naturaliter vita eſt coniuncta, viuifica facta eſt: quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis illi coniuncti, quæ vita effecta eſt.* Et ſubiicit. *Hac de cauſa exſuſcitandis mortuis non ſolùm modo verbo, atque imperio, vt Deus, vtebatur: verum etiam carnem ſuam quaſi cooperatricem nonnunquam adhibebat; vt reipſa oſtenderet carnem quoque ſuam, quoniam ſibi coniuncta eſt, viuificam eſſe.* Leproſum Chriſtus, quia peccatoris gerebat imaginem, cum mortuis exæquat, & extenſâ manu tangit ad ſanitatem. Innuitur vnicam peccatorum medicinam in Euchariſtiæ dignâ ſuſceptione præparari. Preces, ieiunia, eleemoſynæ (fateor) conferunt ad peccati medelam. At tam præſens aduersùs peccatorum venena Euchariſtia antidotum, & contra iam hauſtum medicamen, vt vnica quodammodo medicina poſſit appellari, quaſi alia non adſit efficax prauorum habituum expulſio.

30. *Valdè pernecessaria, obeuntibus Euchariſtia, quia Eccleſia potentiſſimum aduersus crimina, eorumque habitus, & reliquias medicamen prouidet.*

Infantibus è vita decedentibus Euchariſtiæ viaticum non confertur, quia nunquam delinquentes tam efficaci non indigent medicamine. At adultis neceſſarius cibus, quia licèt alia Sacramenta, ſcilicet Pœnitentia, & Inunctio extrema, vim habent aduersùs delicta, eorumque reliquias, in nouiſſimâ neceſſitate Eccleſia efficaciſſimum criminum medicamen prouidit. Paſchaſius lib. de corp. & ſang. Dom. cap. 19. *Ideo non obeſſe credimus infantes viaticum non accepiſſe huius Sacramenti ad vitam in via, quia in nullo poſt perceptam vitam declinauerunt à via, ſed permanſerunt in vita, quæ Chriſtus eſt. Cæterùm quantiſper hic remanentibus* (ſiue adultis) *valde perneceſſarius eſt ad vitam ille cibus cœleſtis, vt alantur ſpiritaliter ad perpetuam vitam ne deficiant in viâ.* Obſerua illud: *Valde perneceſſarius eſt.* Si ex Pœnitentia crimina obeunti remittuntur, cur valdè perneceſſariam Euchariſtiæ vocitat receptionem? Quia Mater Eccleſia in diſceſſu filiis potentiſſimum aduersùs criminum venena prouidit medicamen adeo, vt qui non recipiat dum poſſit, grauiter delinquat: quia ſeſe fortiſſimo aduerſus hoſtes inuiſibiles munimine priuauit.

...uidet vltima in neceſſitate; Paſchaſ.

31. *Meliora ſunt vbera vino. Id eſt efficacius Euchariſtia medicamen ad crimina precibus, ieiuniis, &c.* Cant. 1. Sinai. Orig.

Preces, ieiunia, eleemoſynas dixi ad peccati conferre medelam; ſed prætuli meritò Euchariſtiæ ſuſceptionem, ſponsâ profante. *Meliora ſunt vbera tua vino.* Cant. 1. *Vbera tua.* An ſponſæ? ſponſi planè. Anaſtaſius Syna. lib. 9. exa. *Chriſtus & genitor, & vir ſuæ ſponſæ eſt.* Imo genitrix. Igitur *vbera vino* (vti ait Origenes) *comparat ſponſa: ſed ita comparat, vt præferat.* In cuius expoſitionem requiram: Quid vinum? quid vbera? Origenes idem hom. 1. *Vinum intelligenda ſunt dogmata, & doctrina, quæ per legem, & Prophetas ante aduentum ſponſi ſponſa ſumere conſueuerat.* Dogmata inquam ſiue ablutiones, ſacrificia, preces, ad conſcientiæ expiationem. Theodoretus, *Per vbera illa admiranda, & vino præſtantiora cogita ineffabiles illos Altaris fontes, ex quibus nos alumni nutrimur.* Bonæ itaque preces, ſacrificia, eleemoſynæ reliquáque excogitata contra crimen medicamina; ſed Euchariſtia præſtantiſſimum eſt.

32. *Deſperata ſalus ... qui Euchariſtia medicamine à lepra non mundatur.* Amos 9. Dionyſ. Chryſ.

Hinc Dominus poſtquam hominibus huiuſmodi auguſtiſſimum prouidit medicamen, iuſtè conqueritur. *Numquid non vt filij Æthiopum vos eſtis mihi filij Iſrael?* Amos 9. Vndenam e Patre ſeu matre vos vberibus donante, imo puriente filij Æthiopum obiicimini, qui nitidiores lacte poſt Euchariſtiam acceptam exurgere debueratis? An non (Dionyſio Areop. authore de Eccleſ. Ierarch. cap. 3.) *Diuiniſſimi vnius, eiuſdemque panis, atque poculi pacifica communicatio diuinam illis velut conuictoribus morum coniunctionem ſancit?* Vndenam ergo eiſdem ac antea obnoxij peccatis permanetis? Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. *Quænam igitur erit nobis excuſatio, cum talibus paſti, talia peccemus? Cum lupi ſimus, Agnum comedentes, cùm tanquam oues paſti, more luporum diripiamus?* Deſperata ei ſalus, cui potentiſſimum medicamen a Deo excogitatum, nullum indit mutationis documentum.

Observatio V.

Ad illa verba.

Et extendens Ieſus manum tetigit eum, dicens; Volo, mundare.

Diuina Ieſu natura innoteſcit, dum tangens leproſum, non inficitur.

Diuinam

Diuinum planè, inter improbos verſari, & eorum non infici conuerſatione.

33. Maldon.

MALDONATVS adnotat ſolum Deum hominem potuiſſe cum leproſo (hæretico ſcilicet vitando ex lege) conuerſari ſine periculo infectionis. Miror certè Chriſtum ſubditum voluntariè legi contrà prohibitionem legis leproſum tangere. Vnde (vt vidimus) cogor profiteri ſe ſupra legem Dominum, Deúmque oſtendere voluiſſe. Solus enim Deus, at homo ſpeciali munimine cœleſti fultus poteſt ſine periculo infectionis cum leproſo, ſiue corrupto peccatore communicare.

34. *Deus ſolus non poteſt improborum ſocietate infici: qui liber homo purus poteſt.* Num. 5. Leuit. 13.

Quàm accurata lex circa leproſum vitandum! *Loquutus eſt Dominus ad Moyſem: Præcipe filiis Iſrail, vt eiiciant de caſtris omnem leproſum, ne contaminent ea.* Num. 5. *Quicumque maculatus fuerit leprâ, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis, habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum: contaminatum, ac ſordidum ſe clamabit.* Leuit. 13. Vt omnes fugerent, ne ex illius attactu immunditiam contraherent. Cur ergo Dominus tam ſtrictæ legi non paruit? Vt oſtendat ſolummodo à Deo poſſe leproſum, ſeu inſignem peccatorem contrectari, ſine periculo infectionis. Tertullianus lib. 4. cont. Marc. cap. 9. *Volens Dominus altiùs intelligi legem per carnalia ſpiritualia ſignificantem, & hoc nomine non deſtruens, ſed magis extruens, quàm pertinentius volebat agnoſci: tetigit leproſum, à quo homo etſi inquinari potuiſſet, Deus vtique non contaminaretur; incontaminabilis ſcilicet.*

35. *Fideliſſimus eſt, & beatus vir, qui non corrumpitur ſocietate improborum.* Pſalm. 1.

Solus Deus contaminari non poteſt: homo autem poteſt infici contagione: *Homo inquinari potuiſſet.* Prohibuit Deus Hebræis cum Chananæis commercium, quorum ſocietate, ac moribus velut contagione quadam nouerat corrumpendos. Profectò homini tam adnatum eſt infici corruptorum morum contagione, vt ſignum ſit fideliſſimi, ac ſanctiſſimi vel hîc beati, ſi peſtilentia huiuſmodi inter improbos degens infectus non eſt. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit.* Pſalm. 1. Tam mirabilis ille, vt degens cum impiis eorum corrupto conſilio non contaminatur. *Beatus vir.*

36. *Sed quis eſt hic vir mirabilis.* Pſalm 1. Hebr.

Aptiùs expono cum Hebraicâ lectione. *In ſocietate deriſorum, id eſt, peſtilentium non habitauit.* Vndenam putas beatum illum appellandum? Quia vitauit impiorum conſortium, ac ſimul eorum peſtilentiam non contraxit. An non præcelſior eſſet beatitudo, ſi degens cum impiis non contaminaretur? Ita planè; ſed quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Hominibus enim adnatum prauorum infici ſocietate.

37. *Iſaias ipſe ſe clamat pollutū ex improborum ſociorum attactu.* Iſai. 6. Hieron.

Sanctiſſimus Iſaias clamat, *Væ mihi, quia tacui; in medio populi polluta labia habentis habito.* Cap. 6. Et cur obticet piiſſimus Vates? *Quia vir pollutus labiis ego ſum.* Vndenam autem colligis, te huiuſmodi infectione fœdari? Quia mirum eſſet, ſi homo in medio populi polluta labia habentis, non infectus fuiſſem contagione. Hieronymus, *Plangit ſe Propheta, quia non fuit dignus laudare Dominum Sabbaoth cum Seraphim. Non fuit autem auſus laudare Dominum, quia labia habebat immunda. Et propterea labia habebat immunda, quia cum peccatoribus ſimul verſabatur.*

38. *Verè querebatur, ideò à Seraphino mundatus eſt.* Iſa. 6. Hieron.

An ſanctiſſimus vir ex humilitatis affectu loquitur, quo puriſſimus quiſque putat ſe immundum, vt Dei laudes poſſit euulgare? Certè ex populi labia immunda habentis conſortio neſcio quid Iſaias contagij contraxerat, vt verè poſſet inclamare: Væ mihi, quia tacui, &c. Vnde Seraphim immittitur, qui ſacro carbone linguæ aliàs aureæ rubiginem ablegaret. Idem Hieronymus, *Mittitur vnus de Seraphim, qui non manu, ſed forcipe, & carbone tangat os eius, & iniquitates auferat.* Quis crederet malorum ſocietatem adeò exitialem ſanctiſſimo futuram, vt macula illa purgatorio igni traderetur? Imo non aliud credet, qui animo perpenderit ſolum Deum lepræ contactu minimè poſſe contaminari: hominem autem poſſe, & mirabiliter non infici.

39. *Ipſum Sanctuarium à leproſis non inficitur?* Leu. 16. Caiet.

Quid ſi lepra ipſum inficiat Sanctuarium? Deus quotannis Sanctuarium iubebat expiari. *Expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Iſrael.* Leu. 16. Verè Dei domus infici non poterat maculis peccatorum. Sed videns Deus homines improbos apud Sanctuarium commorantes, quaſi pollutum reputat ex contagione Sanctuarium, ſeu domum Dei. Caietanus ad hæc: *Tanquam pollutum non ſolum ab immunditiis legalibus, ſed à grauioribus peccatis reputat Deus Sanctuarium ſuum, ex hoc, quod eſt in medio eorum: tanquam immunditia, & peccata filiorum Iſrael redundauerint in domum Dei.* Adeò malorum commercium Sanctum omne prophanat. Ego equidem Dei Tabernaculum, aut Sanctuarium cum Paulo Sanctos homines expoſuerim, quos Dominus ex malorum ſocietate infectos eſſe proclamat.

40. *Patriarcharum cadauera in Ægypto non relinquuntur, ne contaminarentur ab iniquis eſſiſſet.* Act. 7. Raba. Beda.

Patriarchæ olim curarunt impenſo ſtudio, ne eorum oſſa apud Ægyptios remanerent: ſed ad terram promiſſam deferrentur. *Tranſlati ſunt illi* (Patres Iacob, & Ioſeph) *in Sichem, & poſiti in ſepulchro, quod emit Abraham.* Actor. 7. Patriarcharum quidem omnium, qui obierant poſt ingreſſum in Ægyptum, cadauera ex Ægypto extracta Beda affirmat. Scio Scripturam de ſolius Ioſephi cadauere commemorare; vnde Rabanus, *Synecdoche pro ſolo Ioſeph dicuntur tranſlati, cui Iacob dixit: Dedi tibi Sichimam, &c.* Sed cum Beda aptius locum interpretor plura cadauera tranſlata fuiſſe. *De ſolo Ioſeph* (ait ille) *Scriptura teſtatur, quòd oſſa eius de Ægypto tranſlata in Sichem tumulata ſunt. Sed ex verbis Stephani, & ſcriptis Hieronymi conſtat cæteros etiam Patriarchas ibidem eſſe ſepultos; quamuis memoria Ioſeph celebrior ſit, qui hoc de oſſibus ſuis mandauit, ad cuius Tribum ciuitas illa pertinuit.* Iam requiro, cur cunctorum Patrum cadauera ab Ægypto abſtracta fuerint, & ad Sichimam aſportata? Reſpondet Lorinus noſter, *Ne cadauera ipſa idololatrarum quodam quaſi commercio profanarentur.* Sed immaculata in reſurrectionem ſeruanda ſancto recluderentur in tumulo. Adeò malorum commercium Sanctos cunctos commaculat.

41. *Ozias leproſus ſanctam Vrbem contagione infecit.* 2. Par. 26.

E Sanctuario impius Ozias egredi iuſſus, 2. Paral. 26. Quare? Ne illud ſuâ præſentiâ contaminaret. Leproſus Rex debebat extra caſtra deturbari. At Regiâ immunitate vſus, noluit legi obtemperare? vnde totam Vrbem contagione

Procop. deturpauit. Procopius ad Iſai. 6. *Quamquam legis præcepto extrà caſtra leproſus tanquam impurus pelli iuberetur, Ieroſolyma tamen recedere recuſans, totam Vrbem præſentiâ ſuâ pollutam, impurámque reddidit.* Et addit, *Inde eſt, quòd Dominus tacuit Prophetas ſuos, alioquin minimè dedignatus, ſed eorum doctrinâ indignos arbitratus, qui eandem cum homine impuro Ciuitatem incolerent.* Prohibentur Prophetæ, ne ingreſſi Vrbem ex contagione leproſi Regis pollueerentur. Vnus Iſaias apud populum polluta labia habentem habitauit? Quam non indemniter, ſi neceſſario vſus carbonis miniſterio. Fugiat homo prauorum conſortium, à quo, miraculo edito, non inficitur.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Volo, mundare, & confeſtim ſanata eſt lepra eius.

Quàm ſine moleſtia, ſine ſumptu leproſus fuit à Domino mundatus.

Hoc enim cæleſtia munera habent, quòd ſine accipientis recipiantur incommodo; mundialia ſecus.

42\. NVLLAM Dominus ab ægroto commutationem hodie petiit, nec ſaltem particula *Confide, fili*, præmiſſa confeſtim eum à lepra mundauit. Cœleſti etenim muneri adnatum eſt, tam gratis conferri, vt ſine ſumptu accipientis impendatur. O mundialia hominum munuſcula quanti pretij commutatione eritis recipienda!

43\. *Euangelij munus accipitur gratiâ.* Mat. vlt.

Diſcipulis aſcenſurus Dominus profatur: *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Marc. vlt. Euangelium equidem cœleſte eſt margaritum, quod omnium diuitiarum commutatione eſſet comportandum, niſi gratis à Domino impenderetur. Prædicate Euangelium. Hiſpanè explico: *Pregonad el Euangelio.* An vendibilis Euangelica gratia? Abſit. Cùm res mundiales voces præconis euulgantur, emptores aduocantur ad merces pretio redempturi. At Euangelium euulgari, audiri eſt; atque adeò ſine pretio recipitur, ſine ſumptu poſſidetur. Theophylactus appoſitè ad cap. 1. Matth. *Nunciat quod facilè, & gratis hæc accepimus, neque noſtro labore aſſecuti ſumus hæc dona, neque ea ex noſtris acceperimus bonis operibus: ſed gratiâ, & miſericordia Dei talia bona conſequuti ſumus.*

Theoph.

44\. *Auguſtiſſimum Maternitatis Dei munus ſine vllo ſumptu Maria recepit.* Luc. 1. Procl.

Id pondero in auguſtiſſimo à Deo Deiparæ munere exhibito. Angelus Mariæ: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* Tantum ne munus quanta acquirendum commutatione? An pretij loco virginitas deperire cogetur? An partus voluptas doloris vſura comparabitur? Beatiſſima Virgo, *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c.* Luc. 1. Cuncta cœleſtia bona tibi gratis impenduntur, virginitate integrâ, dolore recedente, ſiue non accedente. Quare tantum munus Maria recipit ſine pretio? Quia hoc cœleſtia munera differunt ab humanis, quòd ſine accipientis ſumptu conferuntur. Vnde Maria in morem Euangelij Verbum recepit gratis, vt ipſum euulgari, recipi fuiſſet ſine computatione. Proclus hom. de Chriſt. Nat. in Conc. Epheſ. tom. 6. cap. 7. *Naturæ portas reſerauit Emanuel vt homo, ſed virginitatis clauſtra non violauit, nec prærupit vt Deus. Ita enim ex vtero eſt egreſſus, ſicut per aurem ingreſſus. Qui impatibiliter fuerat illapſus, impatibiliter eſt elapſus.* Ipſum nomen *Emanuel* muneris indicat qualitatem. Id eſt, quod confeſtim exhibeatur ſine hominis accipientis ſumptu. *Nobiſcum Deus* repentè, *confeſtim* leproſus Orbis ſanitate donabitur.

Rubus ſine læſione ardens Iſraëlis erant laboribus vndique velut ſpinis Tribus circumdatæ. At ſalus tam gratis cœleſti munere præparatur, vt minimè lædatur à luce. Hoc etenim ſibi vendicant munera deſcendentia à Patre luminum, quod ſine accipientis impendantur ſumptu. Theodoretus apud Lipo. *Rubus qui ardebat, nec tamen comburebatur, Dei perſonam, dantiſque benignitatem declarat; quod videlicet ignis rubum, qui facilè cremari ſolet, non conſumeret.* Quàm benignè dat Dominus, nullam beneficij accipiendi requirit vſuram! Mundiales autem quam crudeliter, quorum munuſcula potius ſunt carbones deſolatorij, quàm beneficij effectus. 45.

Hebræis Deus libertatem ſine penſione, gratis omnino exhibuit. Exod. 3. Theod.

Non dubito, quin fortis mulier marito ſit munus à Domino maximum, *procul, de vltimis finibus pretium eius.* Prou. 31. At quis fortem inueniet vxorem? Quantis ſumptibus erit comparanda! Profectò ſi ex cœleſtis largitoris manu eſt accipienda, gratis impendetur. Dormiente Adamo Deus coſtam ſuſtulit in fœminam mutandam, ædificandam in vxorem, *& repleuit carnem pro ea.* Gen. 2. Cur è dormiente coſta abſtrahitur, & carne vacuitas oppletur? Ne ſcilicet cœleſte beneficium ſumptum aliquem ab homine exigeret aut doloris, aut vacuitatis. Chryſoſtomus, *Accepit vnam coſtarum illius, & impleuit carnem pro illa, vt non poſſet diſcuſſo ſomno, quod factum erat, ex vacuitate ſentire. Nam quamuis eo tempore, quo auferebatur, ignorauit, poſtea tamen cogniturus erat. Itaque vt ne illum in auferendo, dolore, neque ob ablationem triſtitia afficeret, vtraque ſic diſpenſauit, vt citra cruciatum illius auferret, & impleto eo loco, vnde abſtulerat, factorum ſenſum percipere non fineret.* Sine penſione etenim cœleſtia munera diſpenſantur. 46.

Adamum forti donauit vxore, (pretioſiſſimo munere) ſine ſumptu dolorû, &c. Geneſ. 2. Chryſoſt.

An ſic mundiales Principes? Eorum Regem (ſi tenebrarum Principes illi ſint, & non lucis) Diabolum audiamus. Tentaturus Dominum lapides offert illuſtri miraculo excitato, in panem conuertendos. Cuncta Regna Mundi in momento temporis tranſeuntia minimè permanentia obtulit. *Hæc omnia tibi dabo*, Matth. 4. An tradantur Chriſto Regna poſſidenda? Lyranus, *Princeps hominum mundanorum per ſeductionem, venit ad Chriſtum ipſum tentando in deſerto.* Quid ille? *Hæc omnia tibi dabo.* An Chriſtus accepit? Minimè. *Venit*, ait, *Princeps huius Mundi, & in me non habet quidquam.* Ioan. 14. Non habet in me, quod vendat adorationis pretio, & quod tam citò auferat, vt illud ipſum dare ſit recipere. 47.

Diabolus mundialis Princeps munuſcula dat grauiſſimo ſumptu accipientis: immo non accipientis, quia non ſunt. Matth. 4. Ioan 14.

Et

Lyra. *Et in me* (ait Lyranus) *non habet quidquam. Quia noluit Dominus habere quod perderet: pauper venit, ne haberet diabolus, quod auferret.* Munuſculum illud apparens, quod tam citò erat auferendum offertur Dei Filio adorationis pretio: *Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me.* O quanto pretio emis damnationem! An non ipſa ſalus alicui haud tanto labore condigna videretur?

Observatio VII.

Ad illa verba:

Volo, mundare: & confeſtim mundata eſt lepra.

Corporis ægritudinem facillimè Dominus ablegauit, confeſtim ſanauit leproſum.

O animi lepra quanto labore cæleſtis medici ablata es!

48. Dominicæ manus extenſione confeſtim lepra horribilis corporis morbus (vt vidimus) ablegatur. Vt autem ſpirituali lepræ medicamen adduceretur, Dominus extendit quidem manus, ſed patibulo ſuffigendas. Cuncti corporis labores facillimo negotio tolluntur, peccati maculæ magno labore medici abradendæ.

49.

Quanto labore Medici cœleſtis macula leuis ab Iſaia tollitur! Quam facilè ægritudo corporea ablegatur!

Iſai. 7.

Iere. 1.

Iſaias & Ieremias labiorum ægritudine afficiebantur. Ille conqueritur, *Væ mihi, quia tacui:* hic inclamat, *A, a, a, Domine Deus, neſcio loqui.* Medicus cæleſtis appoſita præparat medicamina, Iſaiam igne torquet, forcipe prunam ex altari auferens: hic labor, hic opus. At Ieremiæ labia leuiter Dominus tetigit. *Extendit Dominus manum ſuam ad me, & tetigit os meum.* Quare Iſaias igne & ferro afficitur, Ieremias autem ſolummodo manus medici curatur attactu? Profectò Iſaias de culpa conqueritur: *Vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Cap. 6. Verùm Ieremias corporis prætendit impedimentum ad loquendum, materiam offert ægritudinem. *A, a, a, Domine Deus, neſcio loqui.* Cap. 1. Ex vtero enim fuerat ab originalis criminis leprâ mundatus. Pulchrè Origenes hom. 1. *Ieremia, quia ſanctificatus fueras in vulua, non forceps mittitur, neque de altari carbo ſuccenſus; nihil quippe habebat igne dignum: ſed ipſa manus Domini tetigit eum.* Non ſanatur lepra peccati ſine altaris igne; ſine ſacrificij reſpectu, ſine Agni immaculati ſuffixione, ſine manuum extenſione, non vt tangant leuiter, ſed vt grauiter vulnerent. Orig.

50.

Extendit Chriſtus manus Cruci illigandas, vt dilueret Eccleſiam.

Mat. 10.

Theoph.

Paſſionem, ac mortem ſuam Dominus Baptiſmum ſæpe vocitauit. *Baptiſmo habeo baptizari,* &c. *Baptiſmo* (ait Diſcipulis) *quo ego baptizor, baptizabimini.* Mat. 10. Vbi Theophylactus, *Baptiſmum Crucem nominat, tanquam emundationem noſtrorum facientem peccatorum.* Quid tibi ô homo Baptiſmo leuius, quo dilueris ad ſtolæ puritatem. An Medici ſolummodo leui manuum extenſione mundatur ſtola, maculæ tuorum criminum abſterguntur? Profectò Baptiſmus hic medico Crux eſt, vbi extenſæ manus Domini ſuffiguntur.

51.

Vt Deus à captiuitate vera materiarij vinculis populum liberaret, eidem captiuitatis pœna addicitur.

Oſe. 5.

Rupert.

Oſeæ vociferatur ore Dominus, *Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum, ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.* Cap. 5. Peccatoribus-ne ſupplicia proferuntur, an medicamina præparantur? Profectò captiuitas indicitur in conſcientiæ leproſæ macularum abſterſionem. Rupertus, *Captiuitas Iuda fuit peccatis debita. Sed ſicut aqua mundat ſordes, ſic illa captiuitas mundauit populi peccata.* Num facili Medici ſcriptione? Certè Medicus ipſe captiuitatis addictus anguſtiis ex Oleaſtri expoſitione, obiicitur, Redimitur enim populus, & *Deus totum*; qui quidem vt eos curaret à crimine; manus vinculis illigandas extendit. O quanto Medici incommodo tam facilè à Chriſticolis graues maculæ contrahuntur! *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* Ierem. 2. Labor enim ægroti ſine labore Medici cæleſtis prorſus inutilis. *Peccata grauia* (ait Hieronymus) *grauioribus tormentis* (Medici inquam) *indigent*, & ægroti.

Quanto Medici incommodo ægritudo hæc contrahitur!

Iere. 2.

Hieron.

SECTIO SECVNDA.

Sacerdoti Leproſus ſiſtitur.

TEXTVS.

VERS. 4. ET ait illi Ieſus : Vide, nemini dixeris ; ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Leproſo Dominus ſecretum indicit.

1. *Cur prohibet Dominus nemini miraculum euulgari?* ET *ait illi Ieſus : Vide, nemini dixeris.* Cur tantum beneficium Dominus prohibuit publicari? An Chriſtus hominem permittet ingratum? Qui non poteſt ſicut Naaman Syrus auri & argenti munera offerre, offerat gratitudinis exultationem beneficium euulgans. Et qui aurum, & argentum minimè oblatum acciperet, recipiat ſaltem verba confeſſionis. (Hilar.) Reſpondet Hilarius id Dominum iuſſiſſe, ne miraculum hoc quaſi iuſſu Ieſu iactari videretur. *Vnde alij ægroti ad Chriſtum venirent curationem quærentes : & fidei meritum amitterent, ſi non ſponte, ſed miraculo impulſi venirent.* (Ambr.) Ambroſius conteſtatur. (Hieron.) Hieronymus, Quia neceſſarium non erat, *vt ſermone iactaret, quod toto corpore præferebat.* (Chryſoſt. & alij.) At Chryſoſtomus hom. 26. Beda, Euthymius, & Theophylactus, *Ne gloriam ſuam quærere videretur.*

2. *Authoris ſententia.* Exiſtimo, Chriſtum non omnino prohibuiſſe, ne quid vnquam diceret; ſed ne diceret, antequam ſe Sacerdotibus oſtenderet. Ne ſcilicet ſi Sacerdotes, vulgatâ famâ, factum cognouiſſent, calumniarentur non eſſe verè mundatum, cuius munditiꝭs ſicuti Lex Leu. 14. præcipiebat, non eſſet ipſorum iudicio comprobata. (Imperf.) *Non dixit, Nemini dixeris : ſed, Nemini dixeris, antequam Sacerdoti offeras; ne odio te alij proſequantur, ſi ſciunt te velle videri ſanum ſine Sacerdotis præiudicio.* Sic Auctor Imperf. hom. 21.

§. II.

Leproſo imperat, coram Sacerdote apparere.

3. *Cur leproſum ſiſti Sacerdoti Dominus iuſſerit?* SEd *vade, oſtende te Sacerdoti.* Diſputatur ab Interpretibus, quare Dominus iuſſerit, leproſum coram Sacerdote ſiſti? (Tertul. & alij.) Tertullianus lib. 4. Cont. Marc. Chryſoſtomus hom. 26. Hieronymus, & Euthymius. *Ideo præcepit, vt oſtenderet ſe legem ſeruare.* (Theoph.) Theophylactus, Ne ſi ſe Sacerdoti non oſtendiſſet, extra ciuitatem ſecundùm legem manere cogeretur, nec accepto poſſet beneficio frui; quia curatis à lepra redire non licebat in Ciuitatem, priuſquam à ſummo Sacerdote de eorum eſſet curatione iudicatum. Hieronymus, vt humilitatem ſuam doceret. (Hieron. Beda.) Beda vt inexcuſabiles eſſent Sacerdotes, ſi in ipſum non crederent, cuius miracula probâſſent. A Hieronymo hanc rationem approbari video. Maldonatus ſubſcribit. (Maldon.) Hoc enim eſt, quod ſtatim addit : *In teſtimonium illis*; quod non ſolum oblationem muneris, ſed etiam oſtenſionem ſpectat. Obſeruat Euthymius, (Euthym.) *Partim legem ſoluit leproſum tangens, vt viam aperiret Chriſtianæ fidei, quam, lege ceſſante, erat neceſſe vigere : partim verò legem ſeruat, iubens, leproſum ſtare iudicio Sacerdotum, ne eos offenderet.* Bonauentura denique ad cap. 5. (Bonau.) Lucæ, *Mirum eſt, quod lex leproſi examen commiſit Sacerdotibus, & non potiùs Medicis. Certè ſignificabatur lepra peccati à Sacerdotibus in nouo Teſtamento examinanda.*

Exiſtimo tamen præferendam Euthymij ex- 4.
poſitionem. Nam cum tangens ægrotum viſus (*Sententia Authoris.*) fuerat legis tranſgreſſor, ad Sacerdotem ſanctum immittit, vt eiuſdem legis cultor oſtendatur. Chryſoſtomus, (Chryſoſt.) *Fecit ne legi videretur aduerſus.* Addo voluiſſe Dominum dona ſua cum Sacerdotibus communicari, vt erroris periculum euitari poſſit, vti ex Simone de Caſſ. dabimus.

Et offer munus, quod præcepit Moyſes in te- 5.
ſtimonium illis. (*Patrum expoſitio.*) Imperfecti Author in nomin. hom. 21. (Imperf.) Offer illis munus, ne, ſi non obtuleris, curationem tuam calumnientur; & vt muneris acceptio perpetuum contra illos veræ curationis tuæ teſtimonium ſit. Hilarius, (Hilar.) Offer munus tuum, quod præcipit Moyſes, vt eſſet in teſtimonium illis, curationem non ex Sacerdotibus, aut omninò ex hominibus; ſed ex Deo profectã eſſe.

Aſſero Dominum rationem reddere, non ſo- 6.
lùm cur munus illud offerre iubeat, ſed etiam cur (*Sententia veriſimilior.*) ad Sacerdotes & cur ad Sacerdotes mittat, & cur quidquam priùs dicere prohibeat. Vt ſit ſenſus: *Nemini quidquam dixeris, ſed oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moyſes,* vt illi ipſi, qui maximè mihi aduerſantur, primi mecum teſtes miraculorum ſint, & proprio eorum teſtimonio ipſorum incredulitas arguatur. Quale munus offerendum, Leuit. 14. ſcribitur.

IN IESVM LEPROSOS MVNDANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX LEPROSI MVNERE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Et ait illi Ieſus : Vide nemini dixeris.

Curat Dominus miraculum ſilentio operiri, ne gloriam ſuam quærere videatur.

Virtus enim, quæ in abſcondito rutilat, dum profertur in publicum, tenebratur; abſcondendi autem ſtudium eam efficit exteriùs micare.

7. Theoph.

AIEBAT Theophylactus Dominum præcepiſſe, vt Leproſus mundatus miraculum peruulgari non efficeret, *ne gloriam ſuam quærere videretur.* Virtus celata conſeruat ſplendorem, euulgata autem tenebris offunditur.

8. *Virtus, quæ ab hominum oculis ſeparatur glorificari exſpectat.* Chryſ.

Chryſologus ſerm. 9. *Iuſtitia quæ per ſe ſibi abundat ad gloriam, ſpectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit.* Quare in publicum attrahi refugit? *Quia à Deo ſolo, vt glorificetur, expectat.* Dum, ſola, ab hominum oculis ſeparatur, expectat glorificari; ad publicum enim productam ſcit minimè poſſe claritate donari, ſi ipſius virtutis ingenium ſpectetur.

9. *Virtutum grana in abſcondito rutilant, in publico amittunt ſplendorem, niſi cum homo ſtudet ea abſcondi.* Cant. 4.

Sponſus ſic dilectæ genas deſcripſit, & labia. *Sicut vita coccinea labia tua, ſicut fragmen mali punici ita gena tua, abſque eo, quod intrinſecùs latet.* Cant. 4. Silentio obfirmari ſponſæ labia Chriſtus ſtudet, dum ſilentium indicit: Nemini ô dilecta meam erga te aperias dilectionem. Virtus enim abſcondita rutilat, euulgata obtenebratur. Dum grana mali punici cortice clauduntur pulcherrima Conditori apparent: fragmen autem mali punici efficit, vt, granis oculis hominum iam patentibus fulgor ille internus depereat. Vnde fragmẽ apparet *abſque eo, quod* latebat *intrinſecùs.*

Philo.

Roboro ex Philone Carpat. expoſitionem. *Scitis intra malum punicum multitudinem granorum contineri. Horum perſimiles bonorum operum fructus eſſe dicuntur, & latentis animi, conſcientiæque bene cogitata, ac facta, quæ ſoli ſponſo perſpecta ſunt, & cognita. Et ideo inquit, ſicut cortex mali punici ſic gena tua.* Can. 5. Preme particulas: *Sicut fragmen, ſicut cortex.* Dum virtutum grana cortice obuelantur, Deoque ſoli obiiciuntur, pulcherrima eſſe quis dubitet? At dum cortex frangitur, granáque hominum oculis pateſcunt, fulgore illo interno ſpoliantur: *Abſque eo, quod intrinſecùs latet.* Planè id accidit quando labiorum vitta rumpitur ſingularis; cùm autem profundo ſilentio curat quis ſuas virtutes celari, earum fulgor omnibus reſeratur. Præcipimur igitur operum fulgorem abſcondere, vt auguſtius Dominus ipſe efficiat emicare. Cant. 5.

10. *Celantes Diſcipuli iuſtitias coram hominibus, efficiunt, vt cunctis lucidiſſima manifeſtentur.* Matth. 5.

Diſcipulis Dominus, *Attendite, ne iuſtitiam faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Matth. 5. Ibidem adiicit, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt glorificent Patrem veſtrum.* Si præcipiuntur iuſtitiam ab oculis hominum abſcondere, quonammodo de fulgore virtutum in conſpectu hominum illa ſubtexuit? An quia illud ipſum à nobis egregiorum operum fulgorem abſcondi, idem eſt ac cœleſtis lucis incrementis manifeſtari? Ita Paſchaſius lib. 4. in Mat. *Notanda in omnibus verborum proprietas. Illinc dictum eſt: Sic luceat, iſtinc: Cauete, ne faciatis opera veſtra coram hominibus. Non prohibet, ne luceant; ſed tantùm ne fiant, vt videantur; quia ſi virtutis ſunt, lucebunt.* Imo ideo lucebunt, quia ne fiant coram hominibus, cauemus. Paſch.

11. *Curante Domino in tenebris ſua opera geri, ve plaus vi[…]tur: magis lucent & publicantur.* Luc. 4.

Lucas fatur, *Cùm autem Sol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum, at ille ſingulis manus imponens, curabat eos.* Luc. 4. Et cur Medicus Solis expectat occaſum ad ægritudines curandas, ſi matutinum tempus aſſolet à temporariis Medicis expectari? Quia curabat opera egregia ſua tenebris abſcondi. An non cœleſti munificentiſſimo Medico, qui omnium cupit ægritudines ſanari, accommodatius opera mira peruulgare dum mediis in Solis radiis gererentur? Cupiebat certè omnes donari ſanitate, & ideo curat egregia opera, virtutem cœleſtem abſcondi. Tunc enim Deus curat ipſa opera plus euulgari, & elucere auguſtius. Abſcondi ſtudet Dominus? Illud ipſum abſcondi, peruulgari eſt, vnde cuncti cognoſcent, cuncti ad ſanitatem accipiendam properabunt. Pondera id quod Lucas adiicit: *Factâ autem die egreſſus ibat in deſertum locum, & turba requirebant eum.* Ad quid requirebant? Ad ſanitatem recipiendam. Vndenam dignouerunt Chriſtum

manuum extenſione ægrotos curare, ſi in tenebris geſta ſunt opera? Quia illud ipſum, Dominum egregias curationes tenebris abſcondiſſe, idem fuit ac ſi præconis voce peruulgâſſet.
Ambroſ. Vnico verbo Ambroſius lib. 3. de Virgin. *In quo ille docet, à perfecto debere abeſſe iactantiam; non enim ſanandorum copiam, ſed iactantiam declinabat.* Quià ſcilicet declinando iactantiam, ea ipſa opera adeò eluceſcerent, vt omnibus cognita ægrotis, ſanandorum copiam adducerent.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Vide, nemini dixeris, ſed vade oſtende te Sacerdoti.

Dominus monet leproſum mundatum, ſanitatem ſuam ſoli Deo in Sacerdote reuelare.

Opera enim bona debent quidem hominibus manifeſtari; ſed eo affectu, vt tantum Deo præſtare intendamus obſequium.

12. *Eleemoſyna ſine tuba publicè facta.* NON dubium, quin Dominus voluerit leproſi mundati miraculum hominibus publicari, in incrementum fidei Diſcipulorum, & inimicorum confuſionem, vt vidimus. Cur ergo ſoli Sacerdoti reuelari curat? Vt oſtendat eo tendere noſtrum debere ſtudium, vt Deus, cuius perſonam Sacerdos gerebat, agnoſcat, hoc eſt, vt fiant opera noſtra, vt legi pareamus, vt præcepta ſeruemus: nihil autem de hominum curemus cognitione.

13. *Publica eleemoſyna ſine tuba, cũ largitor ſoli Deo placere ſtudet.* Matth. 5. Magiſtri cœleſtis documentum: *Cùm facis eleemoſynam, noli tubâ canere ante te ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & vicis.* Matth. 5. Ergo contra Domini monitum eleemoſynæ publicæ impenduntur. Claudantur oſtia egenis, non reſerentur monaſteriorum clauſtra. Profectò non patiar, id à Domino imperatum. Quid ergo? Non curat Dominus eleemoſynarum elargitionem abſcondi, quam oportet hominibus manifeſtari, *vt videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem, qui in cœlis eſt.* At prohibet ante nos tubâ canere, vt hominibus eleemoſyna manifeſtetur: ſed ſolùm vult nos ſtudere, eleemoſynam in conſpectu Domini apparere, &
Chryſ. ſoli eius obſequio præſentari. Chryſologus ſerm. 9. *Ergo in conuentu, in plateis, in triuijs neganda eſt miſericordia? non præbendus eſt victus? Planè & in omni loco, & in omni tempore facienda eſt miſericordia, præbendus eſt victus, nuditas eſt tegenda. Sed ſic vt miſericordia non terra ſit nota, ſed cœlo: non hominibus inſinuata, ſed Deo.*

De ſpirituali illa munificentiſſima fœminâ Dominus Salomonis ex ore. *Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Prou. 31. Ac ſi diceret, eleemoſynas pauperibus elargita eſt. Strabus., *Hæc ſancta facit ſecundùm illud Iſaiæ: Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.* Cap. 58. *Operatur autem non inconſultè, ſed conſilio, vt à viro ſuo Chriſto mereatur in iudicio audire: Nudus fui, &c.* Aliter tamen particulam illam: *Operata eſt conſilio manuum ſuarum*, expendo. Sic cum diſperſit, & dedit pauperibus, quod neceſſariò ab hominibus dignoſcitur, quia diſpergi, euulgari eſt: curat Deo ſoli placere, vt vtatur aliorum manibus ad eleemoſynarum elargitionem. Tribuantur illis opes, ſoli ego Deo intendo mea opera præſentari. Pulchrè idem Strabus, *Operata eſt conſilio manuum ſuarum. Id eſt, earum perſonarum per quas eleemoſynas pauperibus tribuit,* ſic vtitur miniſterio, *vt cum diſpergit, det pauperibus, non vt ab hominibus laudetur ad tempus, ſed vt iuſtitia eius maneat in ſeculum ſeculi*, curans ſoli placere ſponſo. 14. *Fœmina fortis publicè dat, ſed ſoli ſponſo præſtat obſequium.* Prou. 31. Strab. Iſai. 58. Strab.

Adiicit Salomon, *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum.* Prou. 31. Quid eleemoſynarum largitrici cum inſtitoris naui? An triticum portans fameſcenti Regioni exhibendum fœminæ illius deſcribit ingenium. Ita planè, ſi addideris nauem ei muneri ſtudentem ſic intendit pauperum refectioni, vt ſoli Deo placere procuret. Nauis etenim dum pelagus tranat, ſolum gubernatoris miniſterio Arctoum ſydus aſpicit. Adhuc Gloſſæ Magiſter, *Sancta anima quaſi nauis inſtitoris tranſit fluctus ſeculi, ſola, quæ in cœlis, meditatur æterna.* Regionis pauperes exatiantur, fœminæ Thabitarum parentis commendatur ſollicitudo, munificentiam inopes peruulgant, exaltant. Attamen *ſancta anima ſola, quæ in cœlis, meditatur æterna*, ſoli curat ſponſo ſua egregia opera præſentari. 15. *Nauis in morem, omnes tritico implet, ſed ipſa ſolùm ſyderis radios aſpexit.* Prou. 31. Gloſſa ord.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba.

Vide, nemini dixeris: ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus.

Dum curat Dominus, leproſum lepram præteritam abſcondere, iubet, illum ſe ſe Sacerdoti manifeſtare.

Illud enim ipſum homines peccata confiteri, tacere eſt, nemini eſt dicere.

VIDIMVS ex Bonauentura in dicta à Domino Leproſi coram Sacerdote manifeſtatione indicari Sacramentum pœnitentiæ, quo homines ſua ſic peccata profiten 16. *Confeſſionis ſecretum.* Bonau.

profitentur, vt nemini dicant: humano terreno: ſolummodo Deo, & homini cœleſti manifeſtent. Simon de Caſ. lib. 5. cap. 11. *Nemini dixeris, dixeris Sacerdoti.* Si Sacerdoti dicit, an non dicit alicui? *Nemini* planè. Vnde nunquam exiſtima peccata tua magis abſcondita eſſe, quàm dum Sacerdoti expoſueris. Præceptum enim nemini dicendi, tunc perfectè impletur, cum Sacerdoti ſeſe oſtendit ægrotus, & illi ſua præterita crimina manifeſtat. Vnde, vt Bonauenturæ ſententiam illuſtremus, ſanitas leproſo à Domino exhibita, ſit tibi gratia ex contritionis actu, quæ iuſtificatis, ſed cum voto vtique Confeſſionis. Poſt ſanitatem itaque ad Confeſſionem propera Sacerdoti crimina præterita oſtende, lepram è qua cœleſti munere mundatus es, manifeſtari cura. At te nemini dixiſſe, compertum habeas. Nemini enim dicuntur, non euulgantur, potiùs operiuntur, quæ crimina Sacerdoti manifeſtantur.

Caſ.

17\. Poſt peccatum Adamus audiens *vocem Dei ambulantis in paradiſo*, ſe abſcondit, fugiens ad foliorum latibula. At Deus clamat: *Adam vbi es?* Gen. 3. Ignarusne Dominus requirit Adamum? Eucherius acutè, *Non tanquam ignarus Deus interrogat, ſed cum eſſet miſericors, præbet pœnitendi occaſionem, & confitendi.* Quænam confitendi occaſio? Illud ipſum, Adamum ad latibula fugere, procurans ipſi Deo operiri nuditatem. Ac ſi diceret Deus, vis ita tuum crimen operiri, vt vel ego te nudum ignorem? Confitere delictum: te Sacerdoti oſtende, & nemini dices iniquitatem. Vnde verè potero inclamare quaſi ignarus delicti, (quod poſt Confeſſionem non erit:) *Adam vbi es?* Tam abſcondita eſt nuditas tua, vt quodammodo ignorem an vnquam foliis indigueris.

Vt ipſi Deo abſcondatur peccatum, imo vt non ſit quod poſſit cognoſci, Adamus ad confeſſionem allicitur. Gen. 3. Ezech.

18\. Profectò nudus homo reſpondet, *Vocem tuam audiui, & abſcondi me, quia nudus eram.* Gen. 3. Cur non protinus delictum manifeſtat? Vt non proferatur ad Numinis cognitionem, ad Angelorum notitiam. Imo quia confeſſus non eſt, Deus ipſe delictum euulgauit: *Quis indicauit tibi, quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno, de quo tibi præceperam, ne comederes, comediſti?* Ibid. Ad quæ Rupertus, *Quia ſuæ nuditatis cauſam homo tacuit, idcirco Deum loqui, & eandem in homine cauſam arguere oportuit.* Debuit rogatus, *Vbi es?* ingenuè profiteri, Nudus ſum, quia præceptum tranſgreſſus fui, & abſcondor. At quia cauſam non confitetur nuditatis, Deus euulgauit; eam autem ſilentio inuolueret, ſi priùs ille profiteretur. *Eſt autem* (adiicit) *hæc regula diuinæ æquitatis, vt homo ſi argui non velit* (ex delicti manifeſtatione) *ſe ipſum accuſet, iuſtus enim in principio accuſator eſt ſui. Si autem, homine tardante, priorem Deum oporteat loqui, & narrare, quid homo fecerit, tunc diſtrictius arguit: Quis indicauit tibi, quod nudus eſſes, niſi quia ex ligno prohibito comediſti? Vtinam qui peccauerat, diceret: Comedi!* Quo fructu dixiſſet? Proculdubio Dominus crimen non peruulgaret.

Quia confeſſus non eſt, delictum eius cunctis hominibus euulgatur ab ipſo Deo. Gen. 3. Rupert.

19\. Clamat Dabid: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Pſalm. 31. Quinam huiuſmodi donatus eſt beatitudine, quòd eius peccata tegantur? Profectò qui Sacerdoti euulgat. Nec enim ea crimina, quæ pœnitentes profitemur, nobis à Domino vlterius imputantur, & quaſi non fuerint, haud amplius apparent. Gregorius ad hunc Pſalm. *Imputare ſibi peccatum ſuum Adam noluit, & quia ſe confiteri culpabilem renuit, mortiferæ damnationis ſententiam ad poſteros miſit.* Miſit, inquam, ad poſteros, poſteri homines dignouerunt parentis delictum ex ſententiæ tenore, quòd ſi profeſſus fuiſſet, non iam vulgari infamia eſſet euulgatum. Peccatum enim à peccatore expreſſum, eo ipſo viſum operculo celari, ne oculis pateat humanis, quod in Iudicis cœleſtis conſpectu iam non adeſt, quia venia dilutum. *Quod ſi nosmetipſos* (adiicit) *iudicaremus, non vtique diiudicaremur. Si peccata noſtra nobis imputaremus confeſſione, non ea nobis imputaret Deus.*

Teguntur peccata, cum confeſſione proferuntur. Pſal. 31. Gregor.

Reus Cain ad examen vocatur, torturæ addicitur, vt fratricidij crimen profiteatur: *Vbi eſt Abel frater tuus. Qui dixit: Neſcio.* Gen. 4. Cur ô miſer abnegas in tortura? Ne ſi confitear delictum, neci adiiciar. Proh hominum dementiam! Si confitereris, peccatum minimè euulgaretur, quia confeſſione crimen aperitur. At quia negâſti, publicatum eſt; quia quod abnegatur crimen, neceſſe eſt manifeſtari. Ambroſius, *Interrogat Deus Cain de fratre, vt moueret eum ad confeſſionem. Apud forenſia tribunalia tamdiu quiſque torquetur quamdiu non confitetur crimen.* Quid ſi confiteatur? An non capitali ſententiæ ſubiacet? Quare ſubiacet capitali ſententiæ poſt confeſſionem? Quia iam crimen ſcitur, iam euulgatur iniquitas. Porrò poſt confeſſionem peccati coram Sacerdote cœleſtis Iudicis perſonam gerente, abſoluetur reus, quia adeò peccatum tegitur, vt nulla poſſit exquiri tortura, quod iam verè non adeſt poſt confeſſionem quidem diluta ſtola. Ex Ambroſij ſententia excogitaui. Sæpe alibi redit argumentum. 20.

Coram tribunali Dei qui confitetur, quaſi negat, vnde abſoluitur, ſiue ſe purga ad tormento.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum.

Leproſum cœleſti munere affectum ad Sacerdotem Dominus immittit.

Edocens, è Sacerdotum, ſeu ſpiritualium Parentum conſilio, quæ ad ſpiritum pertinent gerenda.

SIMON de Caſſia illo lib. 5. cap. 11. Sic de immiſſo ad Sacerdotem leproſo ſanato: *Zelatur Dominus Eccleſiam ſuam, & Sacerdotium firmat, vultque dona ſua cum Sacerdotibus conuenire, & eorum teſtimonio firmari. Si quidem Sacerdotium antiquum noui ſignum erat.* Accipit quis à Domino munus aliquod deſcendens quidem à Patre luminum, quod ad mirabilem animi ſanitatem ſpectat? Sacerdotis, ſeu ſpiritualis parentis iudicio monet exponi, ne errandi periculo ſubiaceat. 21.

Caſſian.

Olim Deus electum populum ex Ægypto educens in manu potenti *non duxit per viam* 22.

Populus electus cœleſti

munus reci-pueus, Sacerdo-is exqui-ris, ad vie ſpiritus dire-ctionem, con-ſilium. Exod. 13. Auguſt.

terra Philiſthym; ſed circum duxit per viam deſerti. Exod. 13. Vbi Auguſtinus quæſ. 68. premit illam particulam: *Duxit*, & quærit, quonammodo populus à Domino duceretur? & reſpondet populum Sacerdotem, ac Magiſtratum adire, vt Dei voluntas aperiretur. An non electo populo ſufficeret, ſe electum, ac plurimis beneficiis donatum agnoſcere? Certè, quia ſe ſpecialiſſimè electum contemplabatur, quantò maiora dona recognoſcebat, tantò accuratiùs de Sacerdotali conſilio, ac directione ſtudio accendebatur. *Hic oſtenditur*, (addit Doctor) *omnia fieri debere conſilio* (Præſulis ſeu Sacerdotis, &c.) *ad euitanda, quæ aduerſa ſunt, cum Deus apertiſſimè adiutor eſt.* Auguſtiora etenim beneficia ſtrictius exigunt Sacerdotis, ſeu confeſſarij directionem.

13. *Moyſes, quia ad Dei colloquium eleuatus vel Sacerdotis gentilis directionem ſequutus eſt.* Exod. 18.

Quis Moſe ſapientior? At non cum Domino facie loquebatur ad faciem? Nonne immenſo populo Præfectus à Numine eligitur? Huic ad terram promiſſam properanti ſocer Iethro Sacerdos alienigena inquit: *Audi verba mea, atque conſilia, & erit Dominus tecum.* Exod. 18. Paruit Moſes, Gentilis monita impleuit. O humilitas Moyſi! Imo ô prudentia amico Dei ſpecialiſſimo neceſſaria. Quia ſe ſpecialiſſimo munere à Deo donatum videt, contemplatur ſe egere conſilio. Vnde Iethro Sacerdoti licet alienigenæ ſubiicitur, quia ſocer, ſeu pater erat. Vt ſcilicet edoceat homines præcelſioribus muneribus obæratos, facie ad faciem cum Deo loquentes accuratius debere Sacerdotum parere conſiliis.

Ioannes Abbas.

Ioannes Abbas Caſemarius appoſitè. *Sæpè paruo cuilibet Sacerdoti Dominus oſtendit, quod alicui magno, & multis donis repleto videre nequaquam concedit. Sicut Moyſi ſancto facie ad faciem cum Deo loquenti Iethro alienigena conſilium dedit.* Certè periculose Deum excipit ex ſpeciali munere, cum illoque facie ad faciem loquitur, qui Sacerdoti illam animi non oſtendere curat puritatem: *Oſtende te Sacerdoti licet tepiditate laboranti, licet improbitate ſaucio. Ei enim* (quia Sacerdos eſt) *paruo Dominus oſtendet, quod magno, & multis donis repleto nequaquam concedit.*

Pergit textus, *Quibus auditis Moyſes, fecit omnia, quæ illi ſuggeſſerat Iethro.* Exod. 18. 24. *Fecit Moſes quæ Sacerdos monuit, non ſolum humilis, ſed prudens, ne erraret in via.* Exod. 18. Orig.
Quæ bellè Origenes ad noſtrum accommodat argumentum. *Cum perſpicio, quòd Moyſes Propheta Deo plenus, cui Dominus facie ad faciem loquebatur, conſilium accepit à Iethro Sacerdote Madian, admiratione nimiâ, ſtuporem mentis incurro. Non dixit Moyſes: Mihi Deus loquitur, & quid agere debeam cœleſti ad me ſermone defertur: & quomodo conſilia ab homine Sacerdote gentili recipiam alieno à populo Dei? Sed audit vocem eius, & facit omnia, quæ dicit; & non quis Sacerdos dicat, ſed quod dicat auſcultat.* O quoties Dei ad te ſermo defertur, & vult Dominus te ad Sacerdotem (ſæpe improbum) accedere, vt te poſſit de ſpiritualibus ſalubriter quidem adnere. *Quis autem hodie* (adiicit) *eorum, cui aliqua à Deo reuelata ſunt, ſi in legis ſcientia aliquid meriti habeat, conſilium dignatur inferioris ſaltem Sacerdotis accipere?* Alibi plura.

Pauci illuſtrationes, aut reuelationes ad Sacerdotes deferunt, ſi de propria ſcientia præſumunt.

PARS

PARS SECVNDA.

DECEM LEPROSI.

Paraphraſis, Commentariíque literales ad Caput decimumſeptimum Lucæ.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum Leproſos mundantem.

PROLVSIO.

LICET perſecutionum tenebræ peruolarent, Sol Ieſus non ceſſat benefaciendo, Samariam percurrere: decem leproſi à longè exiſtentes ſanitatem deprecantur, quod iam non longè ſit à leproſis peccatoribus ſalus, Medicus Sol, cuius in pennis ſanitas oſtendit. Ægros medicamine adhibito ad Sacerdotes immittit, euntes ſe ſanos agnoſcunt, vnico Samaritano, vt gratias redderet, redeunte. O genus ingratum! *Decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt?* Bernardus ſer. cont. vitium ingrat. *Non ſine cauſa in nouenario inuenti ſunt, qui non redeunt ad Saluatorem. In quo nimirum numero quaternario quinarius iungitur. Sic volumus quatuor Euangelijs obedire, vt quinque corporis ſenſus pariter oblectare velimus. Fœlix autem Samaritanus ille, qui cognouit ſe nihil habere, quod non accepiſſet: idcircò ſeruauit depoſitum, & cum gratiarum actione ad Dominum eſt reuerſus. Fælix qui ad ſingula dona gratiæ redit ad eum, in quo eſt plenitudo omnium gratiarum. Cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur.* Sic Pater.

LVCAS Cap. XVII.

VERS. 11. DVM iret IESVS in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam, & Galilæam.

PARAPHRASIS.

11. *CVM Dominus peteret Ieroſolymam, accidit, vt iter faceret per Samariam, & Galilaam. Gaudet enim frequenter Samariam attingere, vt Ieroſolymitis exprobret ſuam incredulitatem, qui Samaritanos peius quam Ethnicos abominarentur.*

12. Et

12. Et cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè.

12. Cùm autem ingrederetur viculum quendam, illi occurrerunt decem viri leproſi. Agnouerunt morbum ſuum, & ideo propiùs non accedunt, ſed procul ſtantes voce ſublatâ Domino acclamant.

13. Et leuauerunt vocem, dicentes: Ieſu præceptor miſerere noſtri.

13. Ieſu Præceptor, miſerere noſtri. Felix clamor, Dominum qui fecit attentum: felix inſultus qui prouocat miſericordiam.

14. Quos vt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt dum irent, mundati ſunt.

14. Audit clamorem Ieſus fiduciæ teſtem, & oculos aduertit, Nihil autem aliud reſpondit, quàm vt abirent, ſéque Sacerdotibus oſtentarent; nam penes hos erat authoritas diſcernendi leproſum à mundo. Parent illi, atque inter eundum ſunt ſubitò mundati.

15. Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans eum:

15. Par fortè omnibus fiducia, attamen diſpar gratitudo. Solus enim Samaritanus, vbi ſenſit ſe planè liberatum à morbo, non clam habuit diuinam ergà ſe munificentiam; ſed illico reuerſus ad Ieſum clarâ voce clarificat Deum.

16. Et cecidit in faciem antè pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus.

16. Ac proſtratus in faciem ſuam accidit ad Ieſu pedes, adorans eum, & gratias agens. Tanta Samaritano pietas.

17. Reſpondens autem Ieſus dixit: Non-ne decem mundati ſunt? & nouem vbi ſunt?

17. At Ieſus non ignarus, beneficium ad omnes decem perueniſſe, ſed illorum ingratitudinem volens taxare, Non ne, ait, decem mundati ſunt? & nouem vbinam? Non patitur Deus ſua beneficia celari. Et conuerſus Dominus ad circumſtantes, adiecit:

18. Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.

18. E decem nullus repertus eſt, qui rediret, & Deum glorificaret, præter hunc vnum alienigenam. Atqui magis hoc decuit alios facere qui cum Iudæi ſint iactant ſe Dei cultores, victi à Samaritano.

19. Et ait illi: Surge, vade; quia fides tua te ſaluum fecit.

19. Samaritano denique humi proſtrato, ſurge, inquit, & abi, certus hoc meum beneficium tibi fore perpetuum, quod tua tibi fiducia impetrauit, & confirmauit gratitudo.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Decem Leproſi mundati.

TEXTVS.

VERS. 11. CVM iret IESVS in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam, & Galilæam. 12. Et cum ingrederetur quoddam Caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè. 13. Et leuauerunt vocem dicentes: Ieſu præceptor, miſerere noſtri. 14. Quos vt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus. Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De itinere Domini, & Caſtello.

1. *Incertū, quo id tempore acciderit.*

ET *factum eſt dum iret in Ieruſalem.* Cum ſæpe Chriſtus à Galilæa in Ieruſalem, & contra profectus fuerit, & remearit: cúmque ſolus Lucas huiuſce miraculi gerat memoriam, incertum mihi, quandonam id acciderit. Exiſtimo planè à Luca hiſtoriam ſuo in loco narratam non eſſe, cùm inter eam, & quæ præceſſerunt, nullum vinculum apparere videatur, licet Ambroſius conatur reperire. (Ambr.)

2. *An Singulariter Lucas hanc hiſtoriā ſcripſerit.*

Rogas, num hiſtoria hæc ſit ſingulariter à Luca expreſſa? Dixi ſingulariter à Luca narratam, etiamſi legerim Epiphanium, aſſerentem hiſtoriam hanc eandem eſſe cum illa, quam ex Matthæo parte 1. expoſuimus. (Epiph.) Id quod Patrem exiſtimo ex lapſu memoriæ (vt cum Maldonato loquar) ſcripſiſſe. Cum hîc decem, illic vnus tantum fuerit Leproſus, de quo Lucas Cap. 5. etiam geſſit mentionem. (Irenæ.) Videtur Irenæus ſimili memoriæ lapſu laboráſſe, dum lib. 3. Cap. 14. recitans, quæ ſolus Euangeliſtarum Lucas tradidiſſet, nullam fecit decem Leproſorum memoriam.

3. *Cur per Samariam trāſierit?*

Tranſiuit per mediam Samariam, & Galilæam. Recta via à Galilæa in Ieroſolymam per Samariam ducitur. Vnde id notauit Euangeliſta, curans oſtendere, vndè, quò, & quà Chriſtus profectus eſſet. Quo fructu tam ſpecialem adhibet deſcriptionem? Quia paulo poſt aſſerturus erat, ex decem Leproſis nouem eſſe Iudæos, vnum Samaritanum. Credibilius autem obiiciebatur, dum aſſeruit Ieſum pergentem in Ieroſolymam, per mediam Samariam tranſiiſſe.

4. *Quandonam Leproſi acceſſerint?*

Et cùm ingrederetur quoddam Caſtellum. τὸ *Ingrederetur* anceps eſt. Poteſt enim ſignificare iam Chriſtum ingreſſum, cùm operam exhibuit Leproſorum ſanitati. Et poteſt innuere iam ingredi curanti Caſtellum Domino decem Leproſos occurriſſe. Aſſero ante ingreſſum, cùm propè Caſtellum eſſet iam ingreſſurus. Apertè id oſtendo, quia ex legis præſcripto Num. 5. Leproſi non poterant intra Caſtellum habitare, aut commorari, aut ingredi. Vnde extra Caſtellum, ſeu oppidum Domino decem occurrerunt Leproſi.

§. II.

Leproſi Domino præſentantur.

5. *Num caſu occurrerint?*

OCcurrerunt ei decem viri Leproſi. An caſu occurrerint, aut ſtudio ſanitatis? Credo ſanitatis ſtudio ab eo petendæ occurriſſe, cùm aduentantis famam audierint. Nec enim, licet Leproſi extra oppida habitarent, non facilè repentè ex caſu aggregarentur decem, nec tam citò vno ore clamarent.

6. *Quodnā myſterium innuat numerus denarius? August.*

Plura Authores numeri denarij huiuſce myſterium obſeruantes. At cum Auguſtino lib. 2. quæſ. cap. 40. non requiro de numero, *quid ſibi velit, quòd decem ſint, & quòd vnus gratias egit. Hæc enim liberè quæruntur, vt etiam non inueſtigata vel nihil, vel non multum impediant intentionem legentis.* Nec in denario, & vnitate aliud myſterium recognoſco, quàm quòd Chriſtus faciendo, docendóque, & Euangeliſta factum narrando, voluerit ſignificari, multos vocatos, paucos electos eſſe: multos à Deo accipere beneficia, paucos gratitudinem exhibere. Scio denarium numerum magnam multitudinem obiicere, vnitatem magnam paucitatem prætendere. Iacob olim, vt exprimeret ſe ſæpiſſimè à Laban iniuriâ affectum, ait: *Mutauit mercedem meam decem vicibus.* Gen. 31. (Gen. 31.) Vt autem exprimeretur paucos milites plurimos hoſtes comminuiſſe, Textus fatur. *Et quomodo perſequebatur vnus mille.* Deuteron. 32. (Deut. 32.)

7. *Hæretici in Leproſis ſignantur.*

Non prætereundum, hæreticos in Leproſis eſſe ſignificatos, Iſidoro lib. Allegor. ſub fine, adnotante, *Decem Leproſi, qui mundantur à Domino, hæreticos ſignificant, qui in varietate colorum diuerſitatem habent ſchiſmatum. Qui-*

que

quæ ideo ad Sacerdotes mittuntur, vt det erſa omni varietate errorum, vnitatis percipiant ſacramentum. Et Gregorius lib. 5. Mor. cap. 11. *Hæreticos bene in Euangelio illa decem leproſorum mundatio deſignat. In leprâ quippe & pars cutis in fulgorem ducitur, & pars in colore ſano retinetur. Leproſi itaque hæreticos exprimunt, qui dum rectis praua permiſcent, colorem ſanum maculis aſpergunt. Vnde bene vt ſaluentur, clamant: Ieſu præceptor. Quia enim in eius verbis ſe erraſſe ſignificant, hunc ſaluandi Præceptorem humiliter vocant: cúmque ad cognitionem Præceptoris redeunt, mox ad formam ſalutis recurrunt.* — *Gregor.*

8. *Cur à longè clamarent?* *Qui ſteterunt à longè.* Cur à longè clamant? Non licebat leproſis cum ſanis verſari, quia lex prohibebat, Theophylactus, & Euthymius obſeruarunt. Quid ſi ſeſe peccatores ſimul agnoſcerent animo exitiali leprâ infecto? Aptè ſtat longè peccator, cùm ad Deum venit, non iudicans ſe dignum eſſe vt propiùs accedat. Publicanus ille *a longè ſtans, nolebat oculos ad cælum leuare.* Luc. 18. O quam Dei oculis grata humilitas quam ſanitas infallibiliter ſequuta eſt! — *Lucæ 18.*

9. *Cur clamãt?* *Et leuauerunt vocem dicentes: Ieſu Præceptor miſerere noſtri.* Cur clamoribus vtebantur? An quia longè aberant? An quia affectus clamare cogebat? Vtrúmque cum Maldonato affirmo. ille enim affectus, qui fecit illos ad Ieſum non audere appropinquare, vocem excitauit, clamorem fecit vno ore proferri.

10. *Vna ſententia vtuntur, communem, & publicam orationem commendantes.* *Miſerere noſtri.* Num decem vnâ ſententiâ vſi fuerint? Affirmatiuè reſpondeo, vt vnâ voce vtentes vnam omnium cauſam efficerent. Nec enim pro ſe quiſque ait: *Miſerere mei.* Sed cuncti pro ſociis: *Miſerere noſtri.* An ex induſtriâ fecerint? Probabile eſt ex conſilio egiſſe. *Quo magis ex numero, & communi cauſâ, quaſi communitis viribus, factâque velut conſpiratione quadam Chriſtum ad miſericordiam commouerent.* Sic pulchrè Maldonatus. Non dubium quin oratio efficacior reddatur ex precum multiplicatione, & ex communitatis cauſâ à cunctis aſſumpta. — *Maldon.*

§. III.

Dum ad Sacerdotes leproſi pergerent, mundantur.

11. *Caietanus impugnatur.* QVos vt vidit Ieſus, dixit: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Vbi Caietanus, *Iuxta præceptum legis L. ult. 14. Sacerdotum erat iudicare de verâ mundatione à lepra: & propterea Ieſus non mundatos, ſed mundandos mittit ad Sacerdotes cenſores veræ mundationis.* Portò (vti de Epiphanio diximus) lapſus memoria Cardinalis eſt, ſi re vera voluit, hos leproſos non mundatos, ſed mundandos in obſeruantiam legis coram Sacerdotibus extitiſſe. Viderat enim apud Matth. 8. Leproſum adorantem mundatum à lepra priùs quàm ad Sacerdotem immitteretur. Immiſſus ille planè non erat niſi vt ſanatus appareret, & Sacerdos de verâ munditie iudicaret. Vnde & decem leproſi *dum irent ſanati ſunt,* & non mundandi, ſed mundati in præſentia Sacerdotum apparuere.

12. *Cur Dominus non illicò mũdauit leproſos.* Mirum tamen eos Chriſtum non illico mundaſſe, prius quam ad Sacerdotes mitteret, vt apud Matth. fecerat. An voluit Dominus eorum fidem experiri, quæ ſi magna non fuiſſet, facilè in miſſis nondum ſanatis potuit vacillare? An aliquod eis remedium exhibebat, quod ipſi ignorarent, quodque non iam ante (probabiliter) adhibuiſſent? An non poterere cum Naamano clamitare: *Putabam, quod egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me, &c.* 4. Reg. 5. Non dubitarunt, nec iſta apud ſe ſubmurmurauerunt, propterea ſanati, fante Domino Samaritæ: *Fides tua te ſaluum fecit.* Vera hæc Caietanus, *Nota fidem leproſorum confidentium in verbis Ieſu, quod inueniendi eſſent mundi coram Sacerdote. Dicendo enim: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus, mundatos futuros promittit; vt clarè patet ex eo, quòd dum irent, mundati ſunt.* — *4. Reg. 5.* — *Caietan.*

13. *Authoris ſententia circa prædicta.* Aſſero tamen Dominum, qui apud Matth. vnum leproſum iam ſanatum ad Sacerdotem miſit, hic decem antequam curarentur ad Sacerdotes emiſiſſe: illum quidem vt Sacerdotis ſummi teſtimonio conſtaret, verè eſſe mundatum, & ſacrificium à lege Leu. 14. præſcriptum in gratiarum actionem offerret. Hos autem, vt Sacerdotum teſtimonio conſtaret, veram eſſe, quâ infecti erant, lepram, verúmque miraculum approbarent. Obiicis, cur autem non leprâ adhuc infecti Sacerdotibus præſentantur? Quia adeo fidei increuit affectus, vt mox Dominus eos donaret ſanitate quaſi morarum impatiente miſericordia.

14. *Cur ad Sacerdotes immiſſi decem leproſi, & vñ ad Sacerdotem?* Rogas, quare leproſus adorans ad Sacerdotem, decem autem leproſi ad Sacerdotes immitterentur? Pluralis numerus pro ſingulari ponitur. Quemadmodum Iacobus iubet, ægrotante fideli, vocare *Prefſyteros Eccleſiæ.* Cap. 5. An non ſatis eſt vnum aduocari? Ægroto à nobis remedium petenti dicere ſolemus: *Ito ad medicos.* Profectò non ad multos, ſed ad vnum multorum immittimus. — *Iaco. 5.*

15. *An caſu hæc & cur dum irent, ſanati.* *Et factum eſt, dum irent, curati ſunt.* Factum, inquam, Chriſti prouidentia, atque virtute. Nec enim ea phraſi caſus ſemper ſignificatur, vt Maldonatus adnotat. Certè particula *Factum eſt,* reſpectu leproſorum caſum innuit. Accidit enim præter illorum opinionem, qui exiſtimabant, coram Sacerdote, ad quem miſſi fuerant, ſalute donandos. Ideo Gentilis Samaritanus ſimul perrexit. Nec enim ſi antequam ad Sacerdotem accederet mundandus eſſet, iret ipſe ad Sacerdotem, vti Lucas ait: Dum irent, ſcilicet ad Sacerdotes ex Chriſti præcepto: ſanati igitur ſunt *dum irent,* vt intelligerent, ſe non à Sacerdote, ſed à Chriſto, qui ipſos ad Sacerdotem miſerat, fuiſſe ſanatos. Porro circa Samaritani immiſſionem ſcio Caietanum aſſerere *genere* illum *Samaritanum, non fide, vt patet ex eo quod ibat, vt oſtenderet ſe Sacerdoti; erat ſiquidem proſelytus.* — *Caiet.*

IN IESVM LEPROSOS MVNDANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS CIRCA LITERAM.

EX DECEM LEPROSIS MVNDATIS.

Observatio I.

Ad illa verba:

Et cùm ingrederetur quoddam Caſtellum, occurrerunt ei decem viri Leproſi.

Quàm multi Domino occurrunt Leproſi; quam pauci vera ſalute donantur!

Vbi increpo deſidiam illius Religioſi, ſeu Sacerdotis, qui poſtquam felix Domino occurrit, infelix æternâ ſalute priuatur.

16. VIDIMVS in denario numero multitudinem deſignari hominum ſalute donandorum, in vnitate autem prædeſtinatorum paucitatem. Occurrunt decem, innumeri vocantur ad Regnum, quàm pauci conſequuntur! E decem Leproſis ſalutari medicamine affectis, ſeu Baptiſmo dilutis, vnus gratus oſtenditur cui Dominus: *Fides tua te ſaluum fecit:* reliqui incredulitate periere? Profectò illorum ſine operibus mortua fides taxatur.

17. *Miſer, qui poſtquam occurris Saluatori, & occurris, demùm brauium non accepis.* 1. Cor. 9.

Paulus aiebat, *Neſcitis, quoniam hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accepit brauium? Sic currite, vt comprehendatis.* 1. Cor. 9. Ex Chriſticolis ad ſtadium vocatis, omnes currunt, ſiue omnes occurrunt Saluatori à lepra criminum emundandi, æternâ donandi ſalute. Vnus fortaſſe alienigena deſpectus ſalutem recipit, ex gratitudine exhibita. O miſeri, qui poſtquam occurrerunt, poſtquam ſunt vndâ ſacrâ diluti, ſuo vitio periere. Si non occurriſſes, ſi ad Gentilium cœtum pertineres, quam miſer: ſed poſtquam occurriſti, & brauio potuiſti donari, ſicut fide donatus fueras, cunctis hominibus te miſerrimum prædica, vti ipſe inclamabat Apoſtolus: *Miſerabiliores eſſemus cunctis hominibus.*

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

Quid ſi non ſolùm fide, ſed Regulari ſis inſtituto donatus, ſi Dei domeſticus, ſi non extra Caſtellum degas ex lege, ſed legis præſcripto recipiaris in clauſtris? O ineffabilis miſeria! D. Thomas emphaticè, *Hic vnus accipit brauium, vbi omnes accipere poſſunt.* Et quænam maior infelicitas, aut vberior iniquitas valet excogitari, quàm ibi ſalute donari vnum, vbi omnes tam facilè eam conſequi potuerint?

18. *Te potuiſſe facillimè arripere brauiũ ſocio arripiente, nónne miſerrimum!*

Eſto quòd vnus præcurrat, ſociúmque euincat velocitate, felicior accedit ad brauium capiendum, qui cucurrit properantius; ſed tamen ſocius non amiſit. Cunctis enim occurrentibus Domino, cuncti poſſunt ſalute donari, ſi deſidiâ non amittant. Nuncio reſurrectionis accepto curauerunt duo Diſcipuli occurrere reſurgenti. *Currebant autem duo ſimul, & ille alius Diſcipulus* (Ioannes) *præcucurrit citius Petro, & venit primus. Venit ergo Petrus ſequens eum.* Ioa. 20. Felicius Ioannes præcucurrit, ſed cucurrit & Petrus, ſocius ad brauium tandem accipiendum acceſſit. Origenes, *Intrant Petrus & Ioannes, ambo currunt, ambo intrant.* Quid ſi Ioanne præcurrente, Petrus minimè intraret, cum domeſticus eſſet, cùm Apoſtolorum Princeps, cum Prælatus? O miſeriarum maxima, brauium perdere, quod omnes accipere potuiſſent! Ioan. 20. Orig.

19. *Proh dolor quot Religioſi in incertum currunt!*

Miſeriùs profectò virgines illæ ad Nuptias vocatæ, donatæ accenſis ex fide lampadibus, imo Agni domeſticæ inclamarent: *Domine, Domine, aperi nobis*, dum audirent, *Neſcio vos*, alienigena intrauit, brauium accepit, deturbato domeſtico. Vndenam illæ periere? *Dum irent emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad Nuptias.* Mat. 25. Ibant illæ, cùm deberent arrepto curſu properare, vt occurrerent ſponſo. Ideo Paulus, *Ego igitur ſic curro non quaſi in incertum.* 1. Corinth. 9. Quid in incertum currere? Iis moris vti, quæ poſſint ſeculari alicui dare occaſionem brauij conſequendi. Curramus ergo deſideriorum & operum greſſibus ne occurrat ſimul fortaſſe præcurrens ſecularis, & domeſtico ſegniter accedente, extraneus currens velociter brauio potiatur. Et parabolam & Pauli teſtimonium Bernardus ſerm. 2. de Nat. memorans, inquit: *Ergo quia paratæ ſunt Nuptiæ, & omnis nos Curia cœleſtis frequentia deſiderat, & expectat, curramus, non* Mat. 25. 1. Cor. 9. Bernard.

K *quaſi*

quaſi in incertum, curramus deſiderijs, & profectu virtutum. Sic Doctor.

Observatio II.

Ad illa verba:

Occurrerunt ei decem viri Leproſi, qui ſteterunt à longè.

Se Leproſi aſpicientes grauiſſimè infectos, humilitatis cauſâ ad Dominum non acceſſerunt.

Quàm gratus oculis Numinis, qui poſt magna crimina magnam oſtentat humilitatem.

20. Ex confuſionis, & humilitatis affectu à longè clamaſſe Leproſos haud audentes ad Chriſtum accedere Publicani illius imitatores, vidimus. Quàm placeat cæleſtibus oculis qui poſt magna crimina magna exhibet humilitatis documenta oſtendit Ieſus, qui illicò ſine extenſione manuum, eos ad Sacerdotes miſit de eorum munditie iudicaturos.

21. *Magi ſtudent peccatorum pondus humilitatis pondere æquare.* *Lucæ.* *Matth. 2.*

Nato Domino Paſtores obuiàm procedunt, Angelico monito, occurrunt & Magi. De illis Lucas, *Tranſeamus*, inquiunt, *vſque Bethleem, & videamus hoc verbum: Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio: Et reuerſi ſunt Paſtores glorificantes, & laudantes Deum.* Cap. 2. De his Matthæus. *Intrantes domum, inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Cap. 2. Reges procidunt, & adorant, Paſtores ingrediuntur, nec procidiſſe notantur. An quia Principibus humilitas auguſtior adnata eſt? Profectò Paſtores conſcientia minimè vulnerati haud de præſtantia humilitatis curant. At Magi grauiſſimis idololatriæ criminibus ſaucij maiori humilitati ſtudium impendunt Magdalenam quidem imitari, *quæ ſtans retrò, lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Auguſtinus ſerm. 64. *Illi Deum ex eo, quod Chriſtum viderant, laudauerunt, iſti autem viſum Chriſtum etiam adorauerunt. In illis gratia prior, in iſtis humilitas amplior. Fortaſſe ergo illi Paſtores minus rei de ſalute alacrius exultabant; iſti autem Magi multis onerati delictis ſubmiſſius indulgentiam requirebant.* (Auguſt.)

22. *Dauid repletione humilitatis æquat oppletionem criminum.*

Iam vidiſti Dauidem iniquitate oppletum luxurie effrænatâ, ſæuitiâ in Vriam irruente. Vnde Dominus triplex ſupplicium excogitauit criminibus conſonum, vt ſcilicet bello, & morte necem Vriæ vindicaret, & fame ſaturitatem luxuriei, imo Dauidis oppletionem criminum puniret. Profectò pœnitudinis affectu Princeps humilitatis affectibus ſtudium impendit. In cinere & cilitio verſatur, lacrymis diluit ſtratum, rebellem filium ſuſtinet. Oportebat enim vt cor humilitate oppletum criminum repletionem exæquaret. Vilis homuncio puluerem & maledicta emittit in Regem. O Princeps Iſraël cur pateris à viliſſimo deſpici? Oportet, vt peccatorum repletionem oppletio humilitatis exæquet, vt Numini placeam. *Dimitte illum,* ait, *vt male dicat; quoniam Dominus dixit illi, vt videat humilitatem meam,* 2. Reg. 16. Ad quidnam ille viſurus eſt humilitatem Regis? Vt recognoſcat, num magna humilitas criminum adæquet magnitudinem: ſiue repletio hæc illam referat oppletionem. Dei miniſter eſt, periculum facit humilitatis. Pulchrè Ambroſius Pſal. 118. Octon. 10. *Dimitte illum, vt maledicat: quoniam Dominus dixit illi, vt videat humilitatem meam. Cum enim repleta fuerit humilitas, peccatum ſoluitur.* Ac ſi diceret, cùm humilitatis repletio criminum adæquauerit repletionem, Numine placato, reſurgam. Videat igitur Semei, & expertus Deo deferat teſtimonium.

2. Reg. 16. Semei recognoſcit, num humilitas Dauid iniquitati exæquet. *Ambr.*

Hùc refero Iſaiæ teſtimonium. *Conſolamini, conſolamini, Populo meus, dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam: quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius.* c. 40. Vbi LXX. transferunt, *Conſolamini Populum meum, dixit Dominus, loquimini ad cor Ieruſalem, conſolamini eam: quia repleta eſt humilitas eius, ſolutum eſt peccatum eius.* Tunc quidem de peccati remiſſione conſolationem potes ſperare, cum humilitatis tuæ repletio criminum repletionem exæquauerit. Lyranus, *Quoniam repleta eſt humilitas, hoc eſt, terminata.* Haud ampliùs increſcet, quia criminum iam repletionem imitatur. *Conſolamini eam*, iam venia donatam. Illicò enim placatur Numen, amicitiæque ſtrictum ius inſtauratur, cùm te aſpexerit humilitatis præſtantiâ morem gerere magnitudinis delictorum. 23.

Conſolatione efficiaris, diſ videris humilitatem tuam peccatum ex æquare, & repleri ſicut illa oppleta fuit. *Iſai. 40.* *Lyran.*

Observatio III.

Ad illa verba:

Et leuauerunt vocem ſuam, dicentes: Ieſu Præceptor, miſerere noſtri.

Cuncti ægroti vnâ voce precantur, & illicò donantur optatis.

Efficax enim oratio eſt, quæ à pluribus ſimul excitatur.

Particulam: *Miſerere noſtri* premo. Non clamat ſingulariter vnuſquiſque: *Miſerere mei*: ſed, *Miſerere noſtri.* Dominus autem eos ad Sacerdotes immittens illico ſanauit in via, vt innuat gratam, & efficacem admodum orationem, quæ à pluribus ſimul excitatur. 24.

Preces publicè ab Vrbium cunctis incolis factas commendo, tribulationis inſtantia.

Ciuibus

25. Ciuibus Niniuitis Rex ait: *Operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine*.c.3. Vbi τὸ *in fortitudine* non tam refero ad precum clamorem eleuatum, quam ad vim Domino precibus illis inferendam. Vnde Deus ipſe proclamat, *Ego non parcam Niniue Ciuitati meæ magnæ, in qua ſunt plures centum viginti millia hominum?*cap.4. Imo quia tot ſunt hominum iniquorum millia, parcere non debe-res. Recordor Dominum aliquando paucos iuſtos ab Abrahamo requiſiiſſe apud Sodomam commorantes, vt illis Vrbibus ignoſceret, quæ ex defectu iuſtorum miſerè periere. Quonammodo igitur tot millibus iniquorum parcit nullius Diui ſocij protectione ſuffultis? Profectò, quia ſimul orantes in fortitudine clamabant, vt Dei iram debellarēt. Appoſitè Chryſoſtomus hom.3. de incompreh. Dei nat. *Non ſine re amplum populi numerum ibi propoſuit; ſed vt intelligas, plurimum eam pollere orationem, quæ cum conſenſu agitur, & ingi concordià plurium hominum.* Cum belli, aut famis, aut peſtilentiæ, aut alius cuiuſlibet calamitatis inſtantià cunctus populus in prece conſentit, oratio facta plurium concordià, & ex ore communi: *Miſerere noſtri*, efficaciſſima planè eſt, plerumque fructu reſpondente.

Orantibus ſimul Niniuitis, placatur Deus.
Ioan.3.
Chryſoſt.

26. Poſt ingentem hoſtium confluxum obiectum Populo, *Congregatus eſt conuentus vt eſſent parati in prælium, & vt orarent, & peterent miſericordiam, & miſerationes*. 1.Mach. 3. Vbi adnoto in primis ſimul exercitum colligi ad pugnandum, & ad orandum conuentum; quia quotiens ad orandum confluunt ciues cuncti, victoribus eiſdem corona præparantur. Deinde duplicem particulam expendo: Peterent *miſericordiam, & miſerationes*. Cur ſine neceſſitate miſericordiæ miſerationes adiecit? Profectò vt orationis ſimul a pluribus profuſæ virtutem exaggeret. Non ſolum orantibus communiter pro cunctorum ſalute miſericordia impenditur, ſed exuberantia munera adſcribuntur publicæ precationis effectus. Chryſoſtomus citat. *Cur quoties ad cæleſtem Imperatorem placandum ire pergitur, vt eius ira eximatis vniuerſos peccatores* Regni, *foris ſedetis, & non omnes concurritis, & Eccleſiam penetratis; vt Deus veſtram reueritus concordiam, pœnam dimittat, peccata abſoluat?* Quàm prudenter à Regibus bellorum inſtantia publicæ proceſſiones, preces communiter profuſæ procurantur.

Vberrimi victoria fructus cōmuni orationi reſpondent.
1.Mach.3.
Chryſ.

27. Regis quidem bello diſturbati, afflicti, iuſti valida ſingularis deprecatio. At publica omnium ciuium efficaciſſima planè eſt. *Vertit Dominus* (Ioſaphat pugnante) *inſidias eorum in ſemetipſos: filiorum ſcilicet Amon, & Moab, & montis Seir, qui egreſſi fuerant, vt pugnarent contra Iudam, & percuſſi ſunt.* Quæritur, queiſnam viribus tam illuſtris ac mirabilis victoria tribuenda? Exiſtimo orationi Regiæ. Sanctus enim Ioſaphat clamabat: *Domine, Deus patrum noſtrorum, tu es Deus in cælo*, &c. Addit textus, *Omnis verò Iuda ſtabat cum vxoribus & liberis ſuis coram Domino*. 2. Par. 20. Fortis oratio Regis ad ſuperandas hoſtium inſidias, ad copias delendas, ſed ex publicarum precum adminiculo. Theodoretus, *Hæc cum dicerentur a Rege, tota ſtabat multitudo cum clamore Deo ſupplicans*. Deus autem miſericors ſoluit metum bonorum promiſſione. Mihi credite, cùm multitudo clamans Domino præſentatur, adeò ſoluitur metus, vt ſit promiſſio victoriæ illud ipſum publicè ciues ante Dominum inclamare.

Rex orat belli inſtantia, ſed communitatis preces profundantur, mirabiliter hoſtibus ſuperandis.
2.Par.20.
Theod.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Et leuauerunt vocem ſuam dicentes: Ieſu Præceptor, miſerere noſtri.

Iudæi & Gentiles colligantur quaſi factâ manu, vt Deum ipſum debellare valeant.

Perſequor orationis in communitate inſtitutæ efficaciam.

28. IAM adnoto decem Leproſorum cultum; nouem enim Iudæi vero Numini præſtabant obſequium, vnus autem Gentilis iam proſelytus (ex Caietani ſententia) nouem Iudæis colligari cutabat. An non diuerſæ nationis milites manum efficiunt colligati, vt Chriſtum Imperatorem debellare valeant, ad ſanitatem eis conferendam? In cuius robur doctiſſimi Maldonati noſtri pulchram præmitto ſententiam. *Cuncti pro cunctis precantur: Miſerere noſtri. Quod eſt vero ſimile ex induſtrià feciſſe, quò magis & numero, & communi cauſà, quaſi coniunctis viribus, factáque velut conſpiratione quadam, Chriſtum ad miſericordiam commouerent.*

Oratio communis Deum ipſum debellat, vt petitioni annuat.
Maldon.

29. Adiicit appoſitè, *Atque eadem fortaſſe factum eſt cauſa, vt cùm nouem Iudæi, vnus Samaritanus eſſet, inter quas gentes conſuetudo nulla erat, in vnam tamen ſocietatem coiſſent. Non ſolùm conciliante eos, atque cogente communi morbo*; (vt Theophylactus, & Euthymius obſeruarunt) *ſed ſtudio etiam coniungente; vt quaſi factà manu, expugnarent.* Et concludit, *Poteſt leproſorum exemplum documento nobis eſſe, vt cùm impetrare aliquid à Deo magni volumus, non contenti priuatis orationibus, publicas etiam adhibeamus, & quaſi inſtructâ acie armatis affectibus preces offeramus Deo.*

Iudæi, & Gentiles manum faciunt, vt Chriſtū vincant.
Maldon.
Euthy.
Theoph.

30. Rurſum Machabæorum expendo teſtimonium. *Et congregatus eſt conuentus, vt eſſent parati in prælium, & vt orarent, & peterent miſericordiam*. 1.lib.cap.3. Quid oraturis cum pugnæ præparatione, vt idem eſſet conuentum parari in prælium, ac preces profundere? Certè Conuentus communi prece viſus Deum ipſum debellat, vt profundat miſericordiam vi quidem quodammodo illatà. De quà vi Tertullianus apud Maldonat. hîc, *Hæc vis Deo grata eſt*. Integram do Doctoris ſententiam Apol. c.39. *Coimus in cœtum, & congregationem, vt Deum quaſi manu factà precationibus ambiamus orantes.*

Deum, quaſi manufactà, cōmuni oratione debellamus.
1.Mach.3.
Tertull.

Vnus certè ſingulariter orans aciem inſtruit, vt Dominum vincat. Dauid, *Manè aſtabo tibi*. Pſal.5:

ſtruit, plures orantes viros adijciens exercitibus pluribus colligatus. Pſal. 5. Iob. 33. Lucæ 18.

In Hebræo, *Ordinabo, vel diſponam quaſi aciem precem ſcilicet matutinam.* Deus ipſe ad Iob. *Aduerſum faciem meam conſiſte.* Cap. 33. Ex Hebræo, *Ordina, inſtrue* orationem. Alij apud Pinedam. *Acie directâ mecum congredere.* Audiſti ſingulariter orantem Publicanum. *Domine, propitius eſto mihi peccatori.* Lucæ 18. An non vim Domino inferebat? Nonne inſtruebat aciem? Hieronymus ad Damaſ. *Deus ipſe, qui nullis contra ſe virtutibus ſuperari poteſt, Publicani precibus vincitur.* Si vnius oratio adeo potens, quid cum vires coniunguntur, & ſit conſpiratio? ſiue, *Quando haxen liga?* (Hieron.)

32. *Paulus ideo auxilium à fratribus exorantibus implorat.* 2. Cor. 1. Chryſ. Matth. 20. Chryſ.

Paulus ait, *Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis.* 2. Cor. 1. Ac ſi diceret, ſi Deo vis inferenda, ſi victoria ſit reportanda, vires coniungantur, conſpiratio fiat, plures ſimul oremus. Chryſoſtomus, *Perſæpe Deus quaſi pudore commouetur, cum multitudinem ad precationem concordem, atque conſpirantem cernit.* Illud: *Quaſi pudore commouetur.* Si ſcilicet pluribus precantibus non illico ſe victum profiteatur. Ideo precante Salome, Iacobo, & Ioanne, Regnúque petentibus ſimul ſedilia auguſtiſſima, Chriſtus reſpondit: *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Matth. 20. ſe etenim ab adnata ſibi ſedium cœleſtium largitione quodammodo exemit, quia pudore quaſi commouebatur, dum plurium ſimul rogantium prece non vinceretur, vt Chryſoſtomus idem obſeruauit. Quàm efficax populi deprecatio publica, oratio communis ad hoſtes homines comminuendos, ſi vel Deum ipſum videtur debellare!

Observatio V.

Ad illa verba:

Et leuauerunt vocem ſuam dicentes: Ieſu Præceptor, miſerere noſtri.

Non aptè leproſi poſt quam Chriſtum Ieſum Præceptorem appellarunt, addiderunt quòd eorum miſereretur.

Iuxta nomen etenim quod Deo tribuimus, debemus (in huiuſce nominis gloriam) munera adnata poſtulare.

33. QVAM ſtultè Chriſtum Ieſum Præceptorem eſſe profitemini, & temporariæ ſanitatis aſſequutioni impenditis ſtudium. Si Ieſum ſolummodo appellaretis, ſperare poſſetis nominis effectu eſſe donandos: dum autem præceptorem curate ſolum eius documenta ſalutaria audire; ideo non illico ſanat, ſed ad Sacerdotes immittit. Præceptor enim ſalutaria documenta præſcribit, non curat impertiri ſanitatem corpoream, quod ad Medicum ſpectare quis dubitet?

Ad Chriſtum Magdalena cucurrit animo ſaucia, pedibúſque Præceptoris adhæſit quærens planè rectè incedendi documenta. Ambroſius, *Quæ diu malè ambulauerat, veſtigia recta quærebat.* Non curat adſtantium reſpectum, vni intenta Præceptori. Lazarus frater vitam cum morte commutauit, Chriſtus accedit, Maria autem Ieroſolimæ Principibus circumſepta, ſalutato nemine egreditur foras Dominum exceptura, *& cecidit ad pedes eius.* Ioan. 11. Occurrerat & Martha, quæ quidem de reſurrectione fratris ſollicita inclamauit: *Nunc ſcio, quia quidquid popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Ibid. Cur Maria etiam coniunctis viribus, non ſimul clamârit: *Nunc ſcio, quia quidquid popoſceris a Deo, dabit tibi Deus?* Cur de reſurrectione Lazari ſollicita non eſt? Quia Chriſtum ſolùmmodo Præceptorem requirens ad recta veſtigia, ſolùm curat ſæpe ſæpius Chriſti Præceptoris pedibus prouolui, vt ſalutaris inceſſus documenta ediſcat. Baſilius Seleu. ſerm. 2. de Lazar. *Præceptore præſente, humana omnia poſt habuit, totáque in vnum hoc incubuit.* Ad pedes cecidit, incedendi documenta requirit, temporaria commoda ablegauit à mente. Præceptore enim Ieſu ſola præcepta, ſeu monita requirenda. Martha, quæ Chriſtum medicum quæſiuit, de fratris agat reſurrectione.

34. *Magdalena Ieſum Præceptorem requirens, nihil ab eo petit, quod Præceptorem non ſapiat.* Ambr. Ioan 11. Baſil. Seleu.

Iuxta nomen, quo à te Deus inſignitur, petitiones tuæ ſunt attemperandæ. Paſtorem appellas? De refectione curam age poſtulandâ. Dominum potentiſſimum vocas? Regnum cœleſte à te efflagitandum. Patrem nominas? Quæcunque ad paternam curam pertinent, petenda ſunt. Chriſtus edocuit. *Pater noſter, qui es in cœlis ſanctificetur nomen tuum.* Matth. 6. *ſanctificetur nomen*, id eſt, honore afficiatur, dum adnata nomini poſtulamus. In cœlis es? *Adueniat Regnum tuum*, ô Domine. Pater es? *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra*, quæ quidem ad paternam curam haud dubium pertinere. Si à Deo Domino in cœlis regnante ſolum panem, & non Regnum peteres, Dei profectò nomen parum ſanctificares.

35. *A Deo Domino, & Patre petendum eſt Regnum, & refectio, iuxta nominis ſcilicet munia.* Matth. 6.

Dauid, *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* A Domino ô Rex, quid poſtulaſti? An ab hoſtibus reportare victoriam? An conſequi à perſecutoribus vindictam? An opes, an dierum longitudinem, an valetudinis incolumitatem? Parua cuncta, nec apprimè Domini nomini conuenientia. Quid igitur? *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Pſal. 21. Hoc petij, hoc requiro, Regno cœleſti à Domino, à Rege donari. Salomon ſe precibus obtulit munera à Deo accepturus, & Domino fanti: *Pete tibi, quod vis, vt dem tibi*, ait: *Dabis*, ô Domine, *ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit.* Præmiſerat Textus: *Apparuit autem Dominus Salomoni?* Erràſti, ô ſapientiſſime, erraſti. A Domino ſcientiam petis? ſi Præceptor Deus apparuiſſet, congruè donari ſcientiâ poſtulares; à Domino autem cœleſte Regnum efflagitandum erat. Rupertus lib. 4. de vict. cap. 24. *Cùm Dominus dixiſſet illi: Pete, quod vis, vt dem tibi, & tanta ſibi oblata gratia poſſit æternitatem gloriæ cœleſtis vnâ petitione adipiſci, à Domino temporali ille gloria*

36. *Dauid à Domino Regnum cœleſte poſtulauit.* Pſal. 21.

37. *Salomon à Deo Domino petiit, quod à Præceptore poſtulare deberet.* 3. Reg. 3. Rupert.

glo iâ delectatus, & apud homines volens haberi glorioſus, leue, ſeu mediocre bonum petiuit. Dabis, inquiens, ſeruo tuo cor docile vt iudicare poſſit populum tuum. O bone! cor docile à Præceptore, Deo quærendum erat, à Domino autem Regni cæleſtis fruitionem te oportebat efflagitâſſe. Sed *cur non dixit, ſicut dixerat David: Vnam petii a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini? Videlicet, quia cor eius non erat perfectum cum Domino Deo. Non erat,* inquit, *perfectum cum Domino Deo.* Siue non perfecte excogitabat, quæ à Domino poſtulari decebat. Non igitur congruè leproſi Ieſum Præceptorem appellantes de Medici munere poſtulant ſanitatem, cum rectè ambulandi deberent petere documenta.

Observatio VI.

Ad illa verba.

Quos vt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.

Quos leproſos Dominus ab hominum cœtu prohibuit, ne alij contaminarentur, ad Sacerdotes immittit.

Solus enim Sacerdos ſuo muneri incumbens, à lepra infici non poteſt.

38. SI tam peſtilens lepra vt halitu homines, veſtimenta ac domos inficiebat attactu, atque ideo neceſſariò à lege præſcriptum ab hominibus, imo ab ipſa Ciuitate leproſi arcebantur: cur non & Sacerdotum incolumitati prouidetur? Sacerdotes teneantur (ait Deus) expectare leproſos, vt de illorum immunditiâ, aut ſanitate ferant iudicium. Dixerit aliquis conuenienter Sacerdotes ſubire debere quodcumque periculum cum proximi ſalute coniunctum. Aſt ego crediderim id Sacerdotibus à Domino priuilegium, vt dum muneri incumbunt, haud poſſunt affici infectione.

39. Optabat Paulus *anathema eſſe pro fratribus.* An periculum ſalutis ſubire ſtudebat? Certè ſciebat nullum periculum Sacerdoti, qui cognoſcendæ lepræ muneri incumbit. *Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* 2.Cor.12. Ac ſi diceret, Non ſolùm impendam pro veſtris animabus vitam meam, ſed etiam me ipſum, id eſt, (authore docto) meam vitam & corporis, & animæ. Chryſoſtomus hom.28. *Quod dicit impendam inſinuantis eſt.* An ſolùm inſinuat, ſolùm promittit, quod implere non intendit? Certè implere non intendit, quod minimè poſſibile reputabat. Solum *eſt inſinuantis*; quia ſciebat Apoſtolus Sacerdotem ſuo muneri incumbentem inter pericula innumera non poſſe perire, Domino infallibiliter protectore.

Seſe Paulus periculo ſalutis æternæ addicit, dum ſaluti proximorum animum impendendum offert? Minimè. 1.Cor.12. Chryſoſt.

40. Quot calamitates in Iacobum irruerunt validiſſimæ quidem eum è viuis deturbare! Audi Patriarcham, *Ego damnum omne reddebam, quicquid furtim peribat, à me exigebas; die, noctúque æſtu vrgebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis.* Gen.31. Miror paſtorem tantâ aëris intemperie non infici, tam improba cura non ſpiritu ſolui. Abbas Cel.lib.3.epiſt.1. *Vbi Iacob, vbi Abbas tam ſedulus exortator, tam formidus redargutor; tam cautus prouiſor, tam contra rabiem luporum potens; tam contra morbos impaſſibilis; tam ad aëris intemperiem patiens; tam ad latronum inſidias prudens, tam perſeuerans in ſeruitio?* Vbinam talis ſit Paſtor quæris? Profectò perſeuerans in ſeruitio quicumque Sacerdos contra cunctos morbos eſt impaſſibilis, & ad aëris vel corrupti, ac peſtilentis intemperiem patiens. Quia Sacerdos ſuo muneri incumbens *impaſſibilis* omnino reputatur, non inficitur leprâ, nulli ſubiacet periculo, nulli ſpirituali cedit incommodo.

Paſtor animarum impaſſibilis eſt, nec poteſt infici, dum miniſterio incumbit. Gen.31. Abb.Cel.

41. Poſt Regis Oziæ auſum, *orta eſt lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini ſuper altare thymiamatis. Cúmque reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes; viderunt lepram in fronte eius, & feſtinato expulerunt eum. Et Ipſe perterritus accelerauit egredi, eò quòd ſenſiſſet illicò plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leproſus vſque ad diem mortis ſuæ, & habitauit in domo ſeparatâ plenus leprâ.* 2.Par.26. Vbi illas premo particulas: *Feſtinatò expulerunt eum: Accelerauit egredi: Habitauit in domo ſeparatâ.* Cur tam accurata properatio ad egreſſum, ad receſſum leproſi Regis, niſi ne homines aut halitu, aut contactu inficerentur? At tam efficax peſtilens morbus fuit, vt adnotet Procopius ad cap.6.Iſai. *Ieroſolymâ Ozias ſecedere recuſans totam Vrbem præſentia ſuâ pollutam, impurámque reddidit.* An etiam Sacerdotes pellentes leproſum immundi remanſere? *Feſtinatò* expulerunt, non ſolum verbo, ſed iuxtà alicuius ſententiam manuum extenſione: nec tamen contaminati ſunt, pollutâ Ieroſolymâ. Quare? Quia muneri ſuo Sacerdotali incumbebant. Datum enim Sacerdotibus ſolis de lepra iudicare. Fugiant alij leproſi peccatoris conſortium, ne infectione afficiantur: ſoli Sacerdotes inter flagitioſos, inter meretrices poſſunt ſine infectionis periculo (dum munus exercent Sacerdotale) commorari.

Lepra Oziæ tota inficitur Ieroſolyma; ſolum incolumi Sacerdotio; quia muneri ſtudebat. 2.Par.26. Pro cop.

Observatio VII.

Ad illa verba.

Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt.

Leproſi repentè præter Domini præſcriptum, & eorum opinionem mundantur.

Is enim eſt Deus, vt circa miſericordiæ elargitionem nulla quodammodò præſcripta ſeruet, nullas moras patiatur.

DIxi Dominum leproſis promiſiſſe coram Sacerdote proculdubio mundandos, vt ipſis conſtaret Eccleſiæ pro- 42.

ceribus de lepræ fœditate vt miraculi facilius agnoſcerent præſtantiam. Factum autem, vt euntes leproſi, ante quàm Sacerdotibus ſiſterentur, præter ipſorum opinionem, imo præter Domini præſcriptum repentè mundarentur. Cur ô Domine tuis non ſtas promiſſis? Ad Sacerdotes accedant ægroti, coram ipſis color immutetur, mala ablegetur ſcabies. O miſericordiæ Dom·nicæ impatientia ad moratum tolerantiam! Vltra præſcriptionem illico impendit miſero ſanitatem. Decreuerat tandiu grauari leproſos ægritudine, quandiu Sacerdotibus non ſiſterentur. At dum irent, ante impletum laboris ſubeundi tempus illos donauit ſanitate.

43\. *Poſtquam præſcripſit Deus tribus diebus peſte populum affligi, iuſſit, ante tempus præſcriptum plagam ceſſare.*

Gad Propheta Dauidi. *Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur: aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua.* Quod cum tres peſtilentiæ dies Rex elegiſſet, *immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael à mane vſque ad tempus conſtitutum.* Id eſt Angelum percutientem immiſit vt vſque ad tempus conſtitutum in Iſraelem deſæuiret impletis vtique tribus contagionis diebus. At miſericordiarum diues Angelum à vulneratione reuocat, prius quàm trium dierum præſcriptio terminaretur. *Miſertus eſt Dominus ſuper afflictionem, & ait Angelo percutienti populum: ſufficit.* 2. Reg. 24. Quare ô Domine præter, ſeu contra præſcriptum tempus plagæ, iubes afflictionem terminari? Ambroſius in Pſal. 37. *Domini vide gratiam, quòd & ipſe à propoſitâ conditione deflexit.* Si puniendorum peccatorum cauſa geritur, haud quodammodo promiſſis ſtabit. Nec enim illa promiſſio eſt, ſed potius comminatio. *Nunquid aliquod miſerationis eſt crimen, quia plus minatur, minus exigit, qui in remuneratione præmiorum ſua promiſſa cuſtodit, in exactione pœnarum præſcriptum remordet?* Miſericordia Dei præſcripta non ſeruat circa plagarum inflictionem. Vnde ante impletos tres comminationis dies plaga finitur, quemadmodum ante perfectum leproſorum ad Sacerdotes iter ſanatur ſcabies.

2.Reg.24.

Ambr.

44\. *Poſt præſcriptionem dierum ſupplicij miſericordia partem detrahit.* Pſal.74.

Teſtatur Dauid, *Calix in manu Domini vini merì plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc; veruntamen fæx eius non eſt exinanita.* Pſal. 74. Mihi Deus fuerat comminatus trium dierum ſpatio morti populum fore tradendum, fæce illius indignationis calix oppletus eſt, hauſi partem fæcis, totum calicem quidem iuxta Dei præſcriptionem epotaturus. *Verum tamen fæx non eſt exinanita*, Quia Deus iuſſit Angelum à vulnere ante trium dierum perfectionem abſtinere. Pulchrè ſic Ambroſius, *Ad terrendum plenus eſt calix, ad feriendum non exinanitus. Plenus erat calix, cùm mors per triduum mandaretur: ſed occurrit miſericordia Dei, tenuit manum Angeli prius quàm calicem exinaniret.*

Ambroſ.

45\. *Etiam iureiurando illigatur Deus, ut ex præſcripto tempore detrahat puniturus.* 3.Reg 17.

Hanc Dei conditionem callens Propheta, & curans vſque ad prædifinitum tempus iram protrahi, Deum quodammodo iure iurando adegit, ne in via leproſi homines ſanarentur. *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia niſi iuxta oris mei verba.* 3. Reg. 17. Ea eſt Dei miſericordia, vt poſt præſcriptos dies ſupplicij ſanet in via ante dierum perfectionem ante exinanitionem fæcis. Quid ergo geram vt cuncti horroris & ſupplicii dies impleantur, fæciſque calix euacuetur, nec Deus lacrymis peccatorum ab ira recedat? Deum adſtringam iuramento, qui eius ago vicarium. Chryſoſtomus ſer. in Eliam. *Volens eos punitum iri, cogitabat, quidnam aduerſum diuinæ bonitati opponeret (quæ paruis lacrymis ſtatim mouetur vt iram ponat.) Decreuit tandem, vt ad conceptam contra eos pœnam Deum iuramento adſtringat, quo ligatus ſententiam contra eos non facilè ſolueret.* Chryſ.

An nihilominus præſcriptum tempus iræ impletur? profecit Deum iure iurando adigere? Certè ipſe Dominus modum inuenit, quo ſine periurio, mutata ſententiâ, leproſi ſanentur in via. Ipſe enim apud ſeruum vicarium iurantem, de miſericordia agit interceſſorem. Eliæ Dominus, vade, & oſtende te Achab, vt dem pluuiam *ſuper faciem terræ.* Cur ô Domine, iure iurando adſtrictus de ratione agis abſolutionis? Ait Textus, *Poſt dies multos factum eſt verbum Domini ad Eliam in anno tertio.* 3. Reg. 18. O calamitatis æterna duratio! An duo anni, Domine, (in cuius conſpectu mille anni tanquam dies vna ſunt) tam longi, vt poſſit illa particula (quæ innuit inſignem temporis longitudinem) verificari: *Poſt dies multos, factum eſt?* Ita planè viſus ſibi Deus per æternorum ſeculorum ſpatium percuſſiſſe homines ſiccitate, & inedia: modum quærit, quo ſe à iuramento expediat, & leproſi ante præſcriptum tempus ſanentur in via: *Vade, & oſtende te Achab.* Chryſoſtomus, *Verba legationis Dei ſunt. Deus ipſe per ſemetipſum de miſericordia apud ſeruum legationis munus obit, & intercedit.*

46\. *Poſt ius iurandum rationem Deus inuenit ſe à iuramento expediendi.* 3.Reg 18.

Chryſ.

47\. *Videtur Deus non poſſe non miſereri etiã poſt ſupplicij præſcriptionem.*

Cur ô Princeps præſcriptũ tempus non perfici permittis? Quia impoſſibile quodammodo eſt, me moras expectare, & non ante tempus præſcriptum miſereri: Ipſum audite. *Numquid obliniſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Iſa. 49. Illud expende: *Numquid obliniſci poteſt.* Miſericordia matris in filios quaſi non eſt opus liberæ voluntatis. Ergo Deo vincenti in miſericordiâ cunctas matre,s liberum quodammodo miſerendi opus non erit. Opus enim quodammodo voluntatis eſt, ſed naturæ parentis, ſante Paulo, *Pater miſericordiarum.* Anſelmus, *Quia ex viſceribus eius proueniunt in nos miſericordiæ eius.* Dum ibunt ſanabuntur, Deo moratum impatiente, ac ſi vulgariter inclamaret: *No puedo dejar de perdonar preſto.* Hoc mihi ad natum; punitio autem quodammodo inuoluntaria actione geritur.

Iſai.49.

Anſel.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

Vnius alienigenæ gratitudo.

TEXTVS.

VERS. 15. VNVS autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus
eſt cum magnâ voce magnificans Deum. 16. Et cecidit in fa-
ciem antè pedes eius, gratias agens: Et hic erat Samaritanus.
17. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Nonne decem mundati ſunt? & nouem
vbi ſunt? 18. Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alie-
nigena. 19. Et ait illi: ſurge, vade, quia fides tua te ſaluum fecit.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De grato alienigena.

1. *Fides Samaritani.* VNVS *autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum.* Quemnam Deum magnificaret? Exiſtimo ipſum Chriſtum, à quo licet abſente vidit ſe ſanitate donatum iuxta promiſſionem. *Maldon.* Maldonatus, *Quem enim vocabat Deum, aut quem glorificabat, niſi eum, à quo ſe curatum ſentiebat, & ad quem gratias agendi causâ reuertebatur?* Qui videt ſe beneficio affectum, videt.

2. *Cur ſolus hic redierit?* Cur hic redierit, alij minimè redirent ad Chriſtum? Perſpicuum, Samaritanum vt gratias Chriſto ageret, rediiſſe. Vnde colligo alios ingratos fuiſſe beneficio, ideóque non rediiſſe, Chriſto confirmante: *Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo niſi hic alienigena.* Profectò incredibile pene tam ingratos eſſe tam egregio recenti munere potuiſſe. Exiſtimo nouem ſe curatos à Chriſto cognoſcentes ad Sacerdotes illicò properâſſe, quia miſſi à Chriſto erant, & quia ex legis præſcripto Sacerdos de curata lepra erat iudicaturus. At Samaritanus non exiſtimauit ſibi eſſe neceſſarium Sacerdotes adire iam ſanatus, qui ad Sacerdotes ibat non iudicandus, ſed inibi ſanandus, (ſi non erat proſelytus) & qui non alium quàm ſummum Sacerdotem agnoſcebat. Portò aliqua ex parte nouem illorum culpam eluit, ſed non omnino ab ingratitudinis maculâ abſtergit. Priùs enim ad Chriſtum receptæ ſanitatis authorem redire acturi gratias, quam iudicem ſanitatis adire debuiſſent: vel ſaltem mox poſt Sacerdotis ſententiam ad Chriſtum recurrere, quod minimè conſtat, an geſſerint.

3. *Accedit ad Ieſum.* *Et cecidit in faciem antè pedes eius.* Qui antequam curatus eſſet ab infectione, procul conſiſtens clamitabat: *Ieſu Præceptor, miſerere noſtri,* ne execrando morbo Chriſtum, & Diſcipulos contaminaret: poſtquam ſanatus eſt, ad pedes vſque Saluatoris acceſſit. *Theoph. Euthy.* Theophylactus, & Euthymius adnotarunt.

4. *Cur Samari-* *Et hic erat Samaritanus.* Quare Euangeliſta Samaritanum eſſe animaduertit? Quia inferiùs ſcripturus erat dixiſſe Dominum non niſi vnum, eúmque alienigenam fuiſſe repertum, qui reuerteretur, & gloriam Deo daret. *-tanũ eſſe adnotetur.*

§. II.

Nouem ingratitudo corripitur.

RESPONDENS *autem Ieſus dixit: Nonne decem mundati ſunt? Et nouem vbi ſunt? Reſpondens*, id eſt, loqui aggreſſus. *Nonne.* Quaſi dubitans per interrogationem emphaticè loquitur. Nouem vbi ſunt? quomodo non redierunt? 5. *Reſpondet Ieſus.*

Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo niſi hic alienigena. Mirum, in tanto numero ſolum alienigenam rediiſſe, *vt daret gloriam Deo*, ſeu qui gratias Deo ageret. Significat non quocunque modo recognoſcere acceptum à Deo beneficium: ſed à Chriſto tanquam à Deo acceptum; aut per Chriſtum, cuius qui confitebatur potentiam, gloriam Deo dare dicebatur. Hoc phraſis ſignificat. *Fili mi*, (ait Ioſue ad Achan) *da gloriam Domino Deo Iſrael.* Ioſ. 7. Id eſt, eius potentiam confitere. Ideo adiicit, *Et confitere, atque indica mihi, quid feceris.* 6. *Confirmatur Samaritani fides.* *Ioſ. 7.*

Niſi hic alienigena. Eorum, qui non redierunt, culpa augetur ex perſonarum conditione. Iudæi maximè grati Deo eſſe debuerunt, vt ipſo ſuo nomine monebantur. At maximè ingrati. Non vos pudet præferêdum vobis Samaritanum, quem tanquam peccatorem execramini? Quàm aptè, & verè Ezechiel. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, ſed viciſti eam ſceleribus tuis, & iuſtificâſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* Cap. 16. 7. *Vincunt Iudæi Samaritanorum iniquitatem.* *Ezech.*

Et ait illi: Surge, & vade, quia fides tua te ſaluum fecit. Reliquos fides ſaluos etiam fecerat, quos ſine fide curatos non fuiſſe reor. Vnde qui miſſi ad Sacerdotes fuerant, vt eorum fides ampliùs exploraretur, dum itent ſanantur, quia diſcedentes à Ieſu vberiori affectu feruntur ad fidem. Profectò cum poſt taxatam illorum nouem ingratitudinem, Chriſtus Samaritani fidem laudat, puto non ſic reliquos ex fide commendabiles extitiſſe. Quid igitur ſpeciale in alienigenæ fide rutilaret? Certè quod cum operibus, & gratia accepta coniungeretur. Samaritanus corpore, & animo ſanatus eſt, Iudæi nouem credentes qui- 8. *Specialiter commendatur fides Samaritani, quia cum opere coniuncta.*

 dem,

dem, ſed ingrati, ſed fortaſſe crimine graui fœdati ſolo corpore ſanati ſunt. Vnde Samaritano dixit, *Fides* tua te ſaluum fecit, quaſi alios ſanâſſet à lepra, ſaluos autem non feciſſet.

9. *Confirmo expoſitionem.* Quod ſi ex Doctorum plurium ſententiâ animo etiam, iuxta Domini conſuetudinem, nouem Iudæi curati ſunt, nihil ſpeciale continet ſententia Dominica, *Fides tua te ſaluum fecit.* Affirmat enim eum fide ſanatum, alios eadem fide ſanatos non negat. Idem aliis (aiunt huius ſententiæ Doctores) dixiſſet, ſi cum illis fuiſſet loquutus. Vnde voluit Samaritanum in fide confirmatum dimittere. At qui poſt taxatam nouem Iudæorum ingratitudinem ſententiam illam protulit, *Vade, fides tua te ſaluum fecit*, ſpecialem fidei præſtantiam effectúmque eius in alienigena commendauit: Tua præſtantior fides, quæ cum operibus coniuncta eſt; ſanus, & ſaluus, ſiue gratia donatus exurge, ſalute probabiliter, (nec enim gratus petit) potiturus.

Plura myſticè Patres. Auguſtinus hæreticos in 10. *Quid myſticè, & moraliter Patres?*
Leproſis ſignari aſſerens, adnotat a longè clamare, quia *tam vitandi ſunt, vt longius remoti Chriſtum interpellent.* Nouem adiicit ingratos eſſe, Auguſt.
ſiue in nouenario numero deſignari, quia *imperfecti* admodum. Titus Boſtr. commendans alienigenæ reditum, ait: *Promptiores, propenſioréſque fuerunt Gentiles ad fidem amplectendam, quam ingrati Iudæi.* Titus.
Theophyl. *Hinc dicere quis poteſt, quod nihil cuiquam obeſt, vt Deo placeat, etiamſi maledicti generis ſit, modo bonam voluntatem habeat. Vt nullus Gentilis deſperet, & nullus de ſanctis parentibus glorietur.* Theoph.
Immiſſione ad Sacerdotes confeſſionem ſignari affirmat Auguſtinus lib. 2. de viſit. infir. cap. 4. *Ergo cicatricum tuarum arbiter Dei vice adhibeatur Presbyter.* Auguſt.

IN IESVM LEPROSOS MVNDANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS CIRCA LITERAM.

EX VNIVS ALIENIGENÆ GRATITVDINE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Vnus autem ex illis videns, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magnâ voce magnificans Deum, &c.

Queritur Ieſus, quòd cum decem ſanati fuerint, non cuncti decem referant de munere gratias.

Taxatur communitas, quæ poſtulans communiter, de beneficio accepto haud communiter gratias referre curauit.

11. EX decem mundatis vnus redit gratias acturus, nouem deſiderantur. Decem petunt communi voce, accipiunt, vnus ſingulariter gratus oſtenditur. Deberet communitas quæ poſtulatura venit, & accepit, donata redire ad gratias ferendas largitori. Pluuiam petit communitas anxia, accipit. An non oporteret rurſum inſtaurari proceſſionem ad referendas gratias. *Et nouem vbi ſunt?* Domi, ais, ſeſe gratos oſtendunt. Certè non communiter Deum glorificare pro munere accepto, quoddam eſt ingratitudinis documentum.

12. *Quam pulchra tenlia* Plutarchus apud D. Maximum ſerm. 8. de beneficent. inquit, *Gratia tanquam Luna, cum plena eſt, & perfecta, tunc pulchra videtur.* David *Dei communitatis gratiarum actio, poſt acceptum communiter efflagitatum beneficium.*
cecinit, *Thronus eius ſicut Sol, & ſicut Luna perfecta in æternum teſtis in cœlo fidelis.* Pſal. 88. Plutarch. Pſal. 88.
Luna, imo & Sol fidelis in cœlo teſtis beneficiorum Dei communitati hominum factorum. Vnde ſub mundi terminatione *erunt ſigna in Sole, & Luna*, vt ingrati deterreantur, vt alibi exprimo. Luna perfecta ac plena, beneficia ſunt communitati exhibita? Gratia, ſeu actio gratiarum debet eſſe plena, vt pulchra cœleſtis Regis oculis præſentetur. Non adeo pulchræ gratiarum actiones, quæ ſingulariter, aut per partes fiut. Communitas munere donata, quæ vacua petiit communiter, plena gratias communiter referat.

Tres adoleſcentes Hebræi igni fornacis addicuntur, flammis autem mutatis in auram, non tetigit eos omnino ignis. Tunc hi tres tanquam *vno ore laudabant & glorificabant, & benedicebant Deum.* 13. *Tres Hebræi communiter petentes, & donati, communiter redeunt ad Dominum gratias acturi.*
Adnoto ignem vincula comminuiſſe ſolutóſque incedere in fornace, Deúmque inibi à Rege conſpectum: *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes, & quartus ſimilis Filio Dei.* Dan. 3. & 4. Vbi Lyranus aſſerit *tres ſimul pueros Deum laudare*, gratitudinis ergo. Dan. 3. & 4.
Quàm aptè vincula comminuuntur, vt ambulare poſſint, vt communiter donati tanto munere, communiter redeant ad Dei Filium gratias acturi. *Vno ore laudabãt*, quia ſimul beneficio fuerant affecti.

Sponſam video apud cubile commorantem, ſolitariè gementem, vt turtur aſſolet. Rurſum eandem aſpicio communitatis ducem ad Dominum properare. *Curremus in odorem vnguentorũ tuorum.* Cant. 1. Cur non gemitũ comitata, aut cur ſola non requirit ſponſum? Pulchrè Bernardus ſolam contempla 14. *Sponſa ſola deflet cui ſi, in communi dat gratias, quia communiter petens, accepit beneficium.*

contemplatur vt peccata fletibus diluat; in communi autem profectam ad Dominum, cum de beneficiis acceptis reddit gratiam. *Neque qui peccatorum recordantur*, (ait ſerm.12.) *in vnum habitant, cùm quiſque peccata propria lugeat, atque deploret. Qui verò in gratiarum actione verſantur, Deum intuentur, & cogitant, atque per hoc ipſi verè habitant in vnum.* Quare in vnum? Quia in vnum coëuntes inclamarunt: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino fragrãtia vnguentis optimis.* Cant.1. Vbi tota efflagitat Eccleſia Saluatoris aduentũ. Eadem igitur in cõmuni donata, in cõmuni redditura gratias accurrit.

15\. *Cuncta creatura donata incolumitate confluunt ad gratias reddendas poſt diluuium.* Gen. 8. Rupert.

Poſt diluuium Noë *ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, ac volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare.* Gen.8. Cur obtulit de cunctis pecoribus, & volucribus? Certè, quia ſacrificium actionis gratiarum erat, vnde oportebat cuncta pecora, cuncta volatilia ſeruata, quaſi vno ore communiter ad gerendas gratias redirent. Rupertus, lib.4. cap.17. *Holocauſta, quæ obtulit Noe Domino gratiarum actiones fuerunt. Et quia non ſolum hominem, ſed propter hominem iumentorum quoque reliquias in eadem arca ſeruauerat, meritò illi de cunctis pecoribus, & volucribus ſuper altare offeruntur holocauſta.*

16\. *Vno ore agit gratias Iſrael (excitato miraculo) quia vno ore petierat, & communiter acceperat.* Exod.15. Auguſt. Exod.14.

Poſt populi Iſraëlitici liberationem *cecinit Moyſes, & filij Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino.* Vbi Auguſtinus de Mirabil. cap.21. *Cuncti ſenes pariter cum pueris, & omnes ætates eodem inſpirati flamine vno quaſi ex ore eaſdem concinentes litteras, conſpirârunt in vnum.* Exod.15. Cur tantum miraculum excitatur, ſi ſufficeret Moyſem cantu præcedere, omnes ſequi eiuſdem carminis repetitione? Profectò cùm carmen hoc prima fuit gratiarum actio, debuit beneficio accepto reſpondere. Cùm enim Pharaone aduentante, ſe oppreſſos Iſraëlitæ viderent, vno ore *clamauerunt ad Dominum.* Exod. 14. Qui ergo communiter clamantes acceperunt, communiter donati redeant ad gratias exhibendas tantà concinnitate, vt vno ore, vnam ſententiam ſimul effundant. Communitas enim munere donata cõmuni, communiter gratias reddituta redeat, ſi petitura communiter acceſſit.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et nouem vbi ſunt?

De Iudæorum ingratitudine ſpeciali iure conqueritur Dominus.

Taxabilior enim ingratitudo, quæ Dei maiorem notitiam comitatur.

17\. SI redirent nouem Iudæi, alienigenâ non redeunte, nouem Iudæorum fidem laudaret Dominus, nec tam acriter alienigenæ ingratitudinem taxaret; qui quidem à maioribus non didicerat, nec ex fide veri Numinis alliceretur. Iuſtè queritur de Iudæis electis, vt taxabiles admodum Religioſi, aut Sacerdotes obiiciantur, qui poſt beneficia accepta ingrati obiiciuntur, eis Ethnico præferendo.

18\. *Saulis Regi ſpecialem Dei cognitionem habentis adnata gratitudo.* Exod 18. 1 Reg 15. Abul. Caiet.

Cinæi maximo ſemper habiti ab Hebræis in honore propter proauum eorum Iethro ſeu Cin, (a quo Cinæi) qui circa Iſraëlitici populi gubernationem ſalutare Moyſi dederat conſilium, Exod.18. Huius beneficij memor Saul, cum bellum in Amalech pararet, dixit Cinæo. *Abite, recedite, atque deſcendite ab Amalech, ne fortè inuoluam te cum eo. Tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſrael, cùm aſcenderent de Ægypto.* 1.Reg.5. Abulenſis quæſt.15. *Dicuntur Cinæi feciſſe miſericordiam, quia proaui eorum fecerint, ſiue Iethro.* Adnoto Regis gratitudinem, de qua Caietanus, *Saul gratus beneficiis receptis monet, vt recedendo ſe ſaluet.* Quàm adnatum eis, qui Domini ſpecialem fouent cognitionem virtute gratitudinis decorari, populo electo adnatã.

19\. *Exlex eſt, qui beneficij memoriam non recolit, vt gratias referat.* Deut.23. Theod.

Hanc Deus Hebræos edocuit, cùm prohibens in perpetuum communicare cum Ammonitis, & Moabitis; cum Idumæo & Ægyptio iubet communicare: *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt, nec Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius* Deut.23. Cur Dominus Hebræos iubet ab Ammonitis, & Moabitis recedere, niſi quia exitialibus ac peſtilentibus moribus poſſent Iſraëlis filios contaminare. An non ex nequiſſimorum Idumæorum & Ægyptiorum communione eidem Iſraël periculu ſubiaceret? Certè gratitudinis lex præferenda videtur, Theodoreto fante quæſt.26. *Vrgente fame patres noſtri acceperunt ab Idumæis alimenta. Lex igitur docet nos antiqui beneficij non obliuiſci.* Lex docet. Quàm exlex, qui beneficij immemor gratiarum non ſtudet actioni.

20\. *Oſtenditur Dominum cum domo Ioſeph fuiſſe, ex eo, quod gratitudinis virtute decorata fuit.* Iud.1. Serar.

De domo Ioſeph dicitur in Iudicum Catalogo, *Domus quoque Ioſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.* Oſtendens autem, vndenam colligeretur Dominum cum eis fuiſſe, addit: *Nam cùm obſiderent Vrbem, quæ priùs Luza vocabatur, viderunt hominem egredientem de Ciuitate, dixeruntque ad eum: Oſtende nobis introitum Ciuitatis. Qui cùm oſtendiſſet eis, percuſſerunt Vrbem in ore gladij, hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiſerunt, &c.* Iudic.1. Hebræi apud Serar. aſſerunt Lucæum iſtum nec verbo, neque præitione, ſed ſolo nutu locum ingrediendi in Vrbem oſtendiſſe. O gratitudinis eorum, queis cum Dominus commoratur, documentum! Tantulum beneficium totius familiæ vita, libertatéque remunerat is, quo cum Dominus ſpecialiter commoratur: *Fuit Dominus cum eis, nam cum obſiderent, &c.*

21\. *Quam Diſcipulos Ieſu qui gratitudinem fouet?* Ioan. 6. Bernard.

Qui ſpeciali iure Dei ſumus, de beneficiis gratitudinem referre iubemur. Diſcipulis Dominus, *Colligite*, (poſt mirabilem ſatietatem) *quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.* Ioan.6. Cur Diſcipulis indicta reliquiarum collectio, non turbis? Bernardus ſerm.51. in Cant. *Iubentur* Diſcipuli *colligere fragmenta, id eſt, nec minima beneficia obliuiſci.* Quàm ſeculare eſt, quámque Ethnicum, beneficia ingratitudine proſequi. Dei filios, Chriſti Diſcipulos ingratitudo dedecet.

Observatio III.

Ad illa verba:

Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo niſi hic alienigena?

Miratur

Miratur Dominus nobilitate conſpicuos Iudæos ingratos oſtendi, vili alienigenâ redeunte.

Nobilium etenim ingenio adnatum, gratitudinis virtute decorari.

22. PLANE mirabile eſt, Iudæum nobilitate conſpicuum ingratum oſtentari, vilémque Samaritanum gratias exhibere, ſi adnatum nobilitati gratitudinis virtute decorari.

23. *Vrbani quique beneficia Dei mirantur, vt gratias referant.* Deut. 15.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, mirabilis in Maieſtate. Deuter. 15. Quidam Doctus Interpres particulam, *in ſanctis ſuis* cum particula, *in maieſtate* copulat. Aſſeritque ſanctos ſeu iuſtos illos, qui nobilitatis maieſtate ſplendent, Dei opera aſpicere, vt gratitudinis elogiis glorificent, extollant. *Vrbani*, atque ciuiles antiqua Dei beneficia mirari ſolent, atque rimari: vt gratiarum ſtudeant actioni.

24. *Ionathas ſe nobilem oſtēdat grati filiū inter ingratos.* 1. Reg 14. Gregor.

Olim *factum eſt miraculum in caſtris per agros.* Aſcendit namque *Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius poſt eum. Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat ſequens eum.* 1. Reg 14. Particulam *Per agros* expende. Adeſt Ionathas filius Regis nobiliſſimi & gratiſſimi, vt vidimus. Adſunt cunctæ hoſtium cateruæ, quæ agreſtium nomine notantur. Cur Ionathas Vrbanus, ac nobilis inter agreſtes? Reſpondet Gregorius, quia Ionathas Dei opera obſeruabat, vt gratitudinis exhiberet obſequium, reliqui autem, gratitudinis non præſtabant affectum. *In comparatione ſancti* filij Regis *velut agreſtes homines ſunt, qui tot Conditoris opera mirari* grato animo *neſciunt.*

25. *Dauidis Regis gratitudo.*

Aliter nobiliſſimus Rex Dauid, *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Pſal. 76. Exponit Genebrardus, *Ea, quæ olim Deus beneficia maioribus præſtitit* recolo: quid ipſi Regi à Domino collata?

26. *Reges Magi, quia Regia adnata gratitudo.* Matth. 2. Chryſ.

Magi poſt viſam in Oriente ſtellam Ieroſolymam veniunt infantem adoraturi. *Vidimus,* aiunt, *ſtellam eius, & venimus adorare eum.* Matt. 2. Vbi Chryſologus ſerm. 156. aſſerit Magum à Domino ſtellæ obiectu tenebris ereptum grato animo adoraturum properare. Redierunt *vt darent gloriam Deo.* An Reges Magi illi? Non conſtat omnino Reges eſſe. Ego autem affirmârim Regiâ nobilitate fulgidos eos, qui mox poſt acceptam animi ſanitatem veniunt beneficij authorem quæſituri, vt gratias valeant profundere, Sermo recurret.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Surge, vade, quia fides tua te ſaluum fecit.

Gratias agenti pro beneficio accepto, ſalus æterna à Domino donatur.

Signum enim prædeſtinationis eſt, beneficiis Dei gratum animum exhibere.

SVNT, qui aſſerant ſingulariter ſalute donatum alienigenam redeuntem, vt gratias exhiberet, ingratis nouem ſolummodo corporeâ donatis ſanitate. Nec miror qui gratitudinem prædeſtinationis ſignum eſſe profiteor. 27.

Sponſam morem, Nuptiis cœleſtibus deputatam animum gratum. Cant. 2. Bernard.

Id quod de ſe proclamat ſponſa. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. Sum æterno thalamo deputata, cum virginibus quidem prudentibus Agnum ſequutura. Vndenam ſpem, ô felix Spiritus, concepiſti? Quia me ingratam minime agnoſco. Bernardus ſerm. 68. *Ille mihi, quia benignus, & miſericors eſt: ego illi, quia non ſum ingrata. Ille mihi gratia ex gratia, ego illi gratia pro gratia.* Et quomodo non tam vber gratia, tam multiplicatæ gratiarum actiones gloria æterna munerabuntur? 28.

Ingratus ſæpe deturbatur à gloria licet minus improbus, nequiſſimo miſericorditer aſſumpto. 1. Reg. 25. Theod.

Coram æterni Iudicis tribunali duo nequiſſimi ſtatuantur, vnus, qui ingratitudinis vitio non contaminetur; alter, qui animo ingrato excipiat beneficia. Illorum vnus adſumendus ad ſuperos, altero Tartaro emancipando. Quinam ſaluabitur? An minori iniquitate preſſus? Auſus fuerim aſſerere aſſumendum eum, qui ingratitudinis vitio non fœdatur. Sit tibi Dauid (cuius cor Dei refert ingenium) huius arbiter cauſæ. Adſtat Saul nequiſſimus, ſed qui (vt vidimus, Cinæum eripuit à clade, quia nepos Sacerdotis Madian Iethrô, ſaluberrimum Iſraëli conſilium exhibentis. Adſtat & ſtultus Nabal non adeo crimine maculatus, ſed tamen ingratitudinis vitio preſſus. In quemnam, putas Dauidem irruiturum, in nequiſſimum-ne, an in ingratum? In Saulem certè, qui cædem Dauidi ipſi moliebatur, ne manum auſus extendere. In Nabalem autem, à quo verbo tantùm fuerat violatus, enſem diſtrinxit. 1. Reg. 25. Quare Theodoretus quæſt. 54. *Quamobrem is, qui in Saulem tantam oſtendit lenitatem, & patientiam, Nabalem tentat occidere? Iſte multis beneficiis ſæpe fuerat affectus. Reddidit mihi (ait Dauid) malum pro bono. Recordatus ergo Dauid horum beneficiorum, & auditis conuitiis, magno impetu venit armatus.* Sic Dominus plerumque in ingratum inſurgit, fortaſſe iniquiſſimo leproſo mundato, vt æternâ ornetur ſtola. 29.

Gratus abſtinet à delicto. Gen. 39. Gregor.

Gratitudinis etenim virtute præditus tandem ab iniquitate recedit. Memor beneficij, à peccato curat abſtinere. Cum Ioſeph ad crimen tentaretur, oculos in Domini beneficiâ contulit. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quod habet in domo ſua.* Gen. 39. Vbi Gregorius lib. 30. Mor. cap. 9. *Quia bona, quæ aſſequutus fuerat, repentè memoria intulit, & malum, quod pulſabat, eiicit. Et quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminentis confregit.* 30.

Quaſi impeccabiles reddimur. Geneſ. 39. Ambr.

Quid ſi ipſius Dei in nos beneficia collata recolamus? Addidit Ioſeph. *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Gen. 39. An non mariti tui in me collata munera, Dei mei beneficia ſunt? Ergo impoſſibile mihi, benefactoris iura deſpicere. LXX. *Quomodo faciam verbum, malum hoc, & peccabo coram Deo?* Ambroſius lib. de Iacob, cap. 12. *Pulchra ratio, quòd neque beneficiu Domini eſſe poſſet ingratus.* Huiuſmodi igitur homines ingenio præditi, facilè ad meliorem ſe frugem recipiunt, vnde ſalutem aſſequantur. 31.

LIBER

LIBER QVINTVS.

PARALYTICI SANATI.

PARS PRIMA.

PARALYTICVS PISCINÆ.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput quintum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum Paralyticos ſanantem.

PROLVSIO.

CVM Dominus Paſcha celebraturus è Galilæa ſeſe Ieroſolymam contuliſſet, ad Probaticam Piſcinam, quæ Bethſaïda vocabatur, expoſitum, & excubantem duodequadraginta annorum languidum hominem non habentem Deus homo ſanum fecit, grabatúmque ſuum tollere iubet, à quo latus. Sabbato id accidiſſe memoratur. Quã appoſitè! Solus Ieſus in Sabbato; Chriſtus homo ex Virgine ægros poteſt deſperatos valetudini reſtituere! Ambroſius. Lib. de iis, qui myſter. init. Cap. 4. *Denique Paralyticus ille expectat hominem. Quem, niſi illum Dominum Ieſum natum ex Virgine, cuius aduentu iam non vmbra ſanaret ſingulos, ſed veritas vniuerſos?* Sic Doctor.

Vitalis ligni Chriſti Admirabilis, ſiue miracula gerentis, FRVCTVS QVINTVS.

IOANNES Cap. V.

VERS. 1. ERAT dies Feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam.

PARAPHRASIS.

1. *POSTQVAM Dominus apud Samaritanos, & Galilæos fidei ſua prima ſemina ſparſit, rurſum ſe confert Ieroſolymam, plurium confluentium religione celebrem.*

2. Eſt autem Ieroſolymis Probatica Piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaïda, quinque porticus habens.

2. *Erat Ieroſolymæ lacus quidam Græcis* Probatica *dicitur quia iuxta portam ſita erat gregibus introducendis Ieroſolymam deputatam. Hebræis* Bethſaida, *quaſi domum diceres pecualem. Lacus hic habet ſibi quinque porticus imminentes.*

3. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum.

3. *In his magna vis hominum varijs corporum morbis laborantium decumbebat. Præterea cæcorum, claudorum, mancorum vis ingens, qui motum aquæ expectarent.*

4. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in Piſcinam, & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in Piſcinam, poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

4. *Nam ſtatis temporibus, Angelus Domini pacatam deſcendebat in piſcinam, ſimúlque aqua excitabantur. Profectò poſt aquam ab Angelo motam, qui primus in piſcinam deſcenderet, is à morbo liberabatur, quocumque teneretur: vt ſacra vndæ Baptiſmatis diluentis crimina præſentaret imaginem: niſi quod ex turba non ſanabatur quiſquàm præter vnum; cui contigiſſet primum in aquam deſcendere, Baptiſmate cunctis ſimul conferente ſanitatem.*

5. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.

5. *Vnius hominis calamitas miraculi magnitudini adnata obijcitur. Siquidem triginta iam annos rem habebat cum paralyſi.*

6. Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri?

6. *Hunc ergò paralyticum deploratum cùm miſericordiſſimus Ieſus conſpicatus eſſet ſolutis morbo membris iacentem: & cognouiſſet, malum hoc eſſe deploratum, quod iam triginta & octo annos miſerum detinuiſſet: miſericordiâ tactus ait illi, Vis-ne ſaluus fieri?*

7. Reſpondit ei Languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in Piſcinam. Dum venio enim ego, alius antè me deſcendit.

7. *At Paralyticus oſtendit ſibi non deeſſe voluntatem, nec ſe diffidere ob morbi magnitudinem ac vetuſtatem, quin delatus in piſcinam ſanari poſſet: ſed ait ſibi deeſſe baiuli hominis opem, per quem maturè in piſcinam turbatam deportaretur. Vbi (heu) alij ſentiunt, moueri piſcinam, pro ſe quiſque properat, vt primus ingreſſus ſalutis beneficium ſolus auferat: ego autem morbo tardus, ac baiulo deſtitutus, fruſtra ad lacum propero ſegnis, cum alius prior velox deſcendiſſet.*

8. Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

8. *Delectatus Dominus hominis toleranti â, & delectatus tam pertinaci ſpe ſalutis adipiſcendæ: ſurge, inquit, tolle grabatum tuum, & ambula.*

9. Et ſtatim ſanus factus eſt

9. *Simul cum dicto ſanatus eſt homo, vt non ſolùm liber eſſet à morbo, alioqui languidus,*

homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo.

languidus, & imbecillis, quemadmodum ſolent, qui Medicorum arte ſanantur: ſed vt abſque hominis adminiculo ſubrigeret ſe ſe in pedes, lectulum ſuum in humeros ſuſtolleret, atque ita robuſtus lecti ſui baiulus ambularet. Erat autem Sabbatum, cum hæc gereret Paralyticus.

10. Dicebant ergo Iudæi illi, qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.

10. *Inde calumniæ ſeminarium Iudæis. Sabbati dies eſt, inquiunt, cui otium debetur. Tuum neſas tibi tollere grabatum. Sabbato ſuſtuliſſe grabatum, impium videri volebant: non erat eis culpa, inuidere miſero ſanitatem. O nequiſſimi cæcitas affectus!*

11. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit; Tolle grabatum tuum, & ambula.

11. *Ille non diſſimulans beneficium acceptum, & Ieſu authoritate criminis à ſe depellens inuidiam: Is, qui me ſimplici (reſpondet) verbo ſanum effecit, iuſſit, vt, grabato ſublato, ambularem. Hoc audito, non ſolùm inuidebant ſanato, verùm etiam reſtitutæ ſanitatis authori inſidias moliuntur.*

12. Interrogauerunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula?

12. *Quis eſt, aiunt, iſte homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula. Volebant violati Sabbati crimen in eum impingere, quod & aliàs non ſemel fecerunt.*

13. Is autem, qui ſanus fuerat effectus neſciebat, quis eſſet. Ieſus enim declinauit à turba conſtituta in loco.

13. *Qui ſanatus fuerat Ieſum de nomine non agnouerat, de facie tantùm poterat, quia ſtatim Ieſus ſe à turbâ ſubduxit, poſtquam Paralytico locutus eſt: ne Iudæorum irritaret inuidiam.*

14. Poſtea inuenit eum Ieſus in Templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.

14. *Profectò cognito miraculo, Ieſus authorem quoque cognitum eſſe volens, cùm obuium habuiſſet eum in Delubro. En, inquit, ſanitatem es aſſecutus depulſo corporis morbo, qui tibi ex animi morbo ſuerat natus: vtrumque malum ſuſtuli. Caue, ne in priſtina recidens, aliquod tibi malum grauius accerſas.*

15. Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.

15. *Poſt cognitum beneficij authorem grato animo proditurus affectum, abijt ad Iudæos calumniatores, eis indicans, Ieſum eſſe, cui ſuam deberet ſanitatem. Nec vulgaris actio gratiarum, acceptum vulgare beneficium.*

que ideo ad Sacerdotes mittuntur, vt det erſa omni varietate errorum, vnitatis percipiant ſacramentum. Et Gregorius lib. 5. Mor. cap. 11. *Hæreticos bene in Euangelio illa decem leproſorum mundatio deſignat. In leprâ quippe & pars cutis in fulgorem ducitur, & pars in colore ſano retinetur. Leproſi itaque hæreticos exprimunt, qui dum rectis praua permiſcent, colorem ſanum maculis aſpergunt. Vnde bene vt ſaluentur, clamant: Ieſu præceptor. Quia enim in eius verbis ſe erraſſe ſignificant, hunc ſaluandi Præceptorem humiliter vocant: cúmque ad cognitionem Præceptoris redeunt, mox ad formam ſalutis recurrunt.* Gregor.

8. *Cur à longè clamarent?* *Qui ſteterunt à longè.* Cur à longè clamant? Non licebat leproſis cum ſanis verſari, quia lex prohibebat, Theophylactus, & Euthymius obſeruarunt. Quid ſi ſeſe peccatores ſimul agnoſcerent animo exitiali leprâ infecto? Aptè ſtat longè peccator, cùm ad Deum venit, non iudicans ſe dignum eſſe vt propiùs accedat. Publicanus ille *a longè ſtans, nolebat oculos ad cœlum leuare.* Luc. 18. O quam Dei oculis grata humilitas quam ſanitas infallibiliter ſequuta eſt! Lucæ 18.

9. *Cur clamārit* *Et leuauerunt vocem dicentes: Ieſu Præceptor miſerere noſtri.* Cur clamoribus vtebantur? An quia longè aberant? An quia affectus clamare cogebat? Vtrúmque cum Maldonato affirmo. ille enim affectus, qui fecit illos ad Ieſum non audere appropinquare, vocem excitauit, clamorem fecit vno ore proferri.

10. *Vna ſententia vtuntur, communem, & publicam orationem commendantes.* *Miſerere noſtri.* Num decem vnâ ſententiâ vſi fuerint? Affirmatiuè reſpondeo, vt vnâ voce vtentes vnam omnium cauſam efficerent. Nec enim pro ſe quiſque ait: *Miſerere mei.* Sed cuncti pro ſociis: *Miſerere noſtri.* An ex induſtriâ fecerint? Probabile eſt ex conſilio egiſſe. *Quo magis ex numero, & communi cauſâ, quaſi coniunctis viribus, factáque velut conſpiratione quadam Chriſtum ad miſericordiam commouerent.* Sic pulchrè Maldonatus. Non dubium quin oratio efficacior reddatur ex precum multiplicatione, & ex communitatis cauſâ à cunctis aſſumpta. Maldon.

§. III.

Dum ad Sacerdotes leproſi pergerent, mundantur.

11. *Caietanus impugnatur.* QVos vt vidit Ieſus, dixit: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.* Vbi Caietanus, *Iuxta præceptum legis L. ult. 14. Sacerdotum erat iudicare de verâ mundatione à lepra: & propterea Ieſus non mundatos, ſed mundandos mittit ad Sacerdotes cenſores veræ mundationis.* Porrò (vti de Epiphanio diximus) lapſus memoria Cardinalis eſt, ſi re vera voluit, hos leproſos non mundatos, ſed mundandos in obſeruantiam legis coram Sacerdotibus extitiſſe. Viderat enim apud Matth. 8. Leproſum adorantem mundatum à lepra priùs quàm ad Sacerdotem immitteretur. Immiſſus ille planè non erat niſi vt ſanatus appareret, & Sacerdos de verâ munditie iudicaret. Vnde & decem leproſi *dum irent ſanati ſunt*, & non mundandi, ſed mundati in præſentia Sacerdotum apparuere.

12. *Cur Dominus non illicò müdauit leproſos.* Mirum tamen eos Chriſtum non illico mundaſſe, prius quam ad Sacerdotes mitteret, vt apud Matth. fecerat. An voluit Dominus eorum fidem experiri, quæ ſi magna non fuiſſet, facilè in miſſis nondum ſanatis potuit vacillare? An aliquod eis remedium exhibebat, quod ipſi ignorarent, quodque non iam ante (probabiliter) adhibuiſſent? An non potuere cum Naamano clamitare: *Putabam, quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me, &c.* 4. Reg. 5. Non dubitarunt, nec iſta apud ſe ſubmurmurauerunt, propterea ſanati, fante Domino Samaritæ: *Fides tua te ſaluum fecit.* Vera hæc Caietanus, *Nota fidem leproſorum confidentium in verbis Ieſu, quod inueniendi eſſent mundi coram Sacerdote. Dicendo enim: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus, mundatos futuros promittit; vt clarè patet ex eo, quòd dum irent, mundati ſunt.* 4. Reg. 5. Caietan.

13. *Authoris ſententia circa prædicta.* Aſſero tamen Dominum, qui apud Matth. vnum leproſum iam ſanatum ad Sacerdotem miſit, hic decem antequam curarentur ad Sacerdotes emiſiſſe: illum quidem vt Sacerdotis ſummi teſtimonio conſtaret, verè eſſe mundatum, & ſacrificium à lege Leu. 14. præſcriptum in gratiarum actionem offerret. Hos autem, vt Sacerdotum teſtimonio conſtaret, veram eſſe, quâ infecti erant, lepram, verúmque miraculum approbarent. Obiicis, cur autem non leprâ adhuc infecti Sacerdotibus præſentantur? Quia adeo fidei increuit affectus, vt mox Dominus eos donaret ſanitate quaſi morarum impatiente miſericordia.

14. *Cur ad Sacerdotes immiſſi decem leproſi, & nō ad Sacerdotem?* Rogas, quare leproſus adorans ad Sacerdotem, decem autem leproſi ad Sacerdotes immitterentur? Pluralis numerus pro ſingulari ponitur. Quemadmodum Iacobus iubet, ægrotante fideli, vocare *Preſbyteros Eccleſiæ.* Cap. 5. An non ſatis eſt vnum aduocari? Ægroto à nobis remedium petenti dicere ſolemus: *Ito ad medicos.* Profectò non ad multos, ſed ad vnum multorum immittimus. Iaco. 5.

15. *An caſu hoc? & cur dum irent, ſanati?* *Et factum eſt, dum irent, curati ſunt.* Factum, inquam, Chriſti prouidentia, atque virtute. Nec enim ea phraſi caſus ſemper ſignificatur, vt Maldonatus adnotat. Certè particula *Factum eſt*, reſpectu leproſorum caſum innuit. Accidit enim præter illorum opinionem, qui exiſtimabant, coram Sacerdote, ad quem miſſi fuerant, ſalute donandos. Ideo Gentilis Samaritanus ſimul perrexit. Nec enim ſi antequam ad Sacerdotem accederet mundatus eſſet, iret ipſe ad Sacerdotem, vti Lucas ait: Dum irent, ſcilicet ad Sacerdotes ex Chriſti præcepto: ſanati igitur ſunt *dum irent*, vt intelligerent, ſe non à Sacerdote, ſed à Chriſto, qui ipſos ad Sacerdotem miſerat, fuiſſe ſanatos. Porro circa Samaritani immiſſionem ſcio Caietanum aſſerere *genere* illum *Samaritanum, non fide, vt patet ex eo quod ibat, vt oſtenderet ſe Sacerdoti; erat ſiquidem proſelytus.* Caiet.

IN IESVM LEPROSOS MVNDANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS CIRCA LITERAM.

EX DECEM LEPROSIS MVNDATIS.

Observatio I.

Ad illa verba:

Et cùm ingrederetur quoddam Caſtellum, occurrerunt ei decem viri Leproſi.

Quàm multi Domino occurrunt Leproſi; quam pauci vera ſalute donantur!

Vbi increpo deſidiam illius Religioſi, ſeu Sacerdotis, qui poſtquam felix Domino occurrit, infelix æternâ ſalute priuatur.

16\. VIDIMVS in denario numero multitudinem deſignari hominum ſalute donandorum, in vnitate autem prædeſtinatorum paucitatem. Occurrunt decem, innumeri vocantur ad Regnum, quàm pauci conſequuntur! E decem Leproſis ſalutari medicamine affectis, ſeu Baptiſmo dilutis, vnus gratus oſtenditur cui Dominus: *Fides tua te ſaluum fecit:* reliqui incredulitate periere? Profectò illorum ſine operibus mortua fides taxatur.

17\. *Miſer, qui poſtquam occurris Saluatori, & cucurris, demũ brauium non accipis.* 1. Cor. 9.

Paulus aiebat, *Neſcitis, quoniam hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis.* 1. Cor. 9. Ex Chriſticolis ad ſtadium vocatis, omnes currunt, ſiue omnes occurrunt Saluatori à lepra criminum emundandi, æternâ donandi ſalute. Vnus fortaſſe alienigena deſpectus ſalutem recipit, ex gratitudine exhibita. O miſeri, qui poſtquam occurrerunt, poſtquam ſunt vndâ ſacrâ diluti, ſuo vitio periere. Si non occurriſſes, ſi ad Gentilium cœtum pertineres, quam miſer: ſed poſtquam occurriſti, & brauio potuiſti donari, ſicut fide donatus fueras, cunctis hominibus te miſerrimum prædica, vti ipſe inclamabat Apoſtolus: *Miſerabiliores eſſemus cunctis hominibus.* Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

Quid ſi non ſolùm fide, ſed Regulari ſis inſtituto donatus, ſi Dei domeſticus, ſi non extra Caſtellum degas ex lege, ſed legis præſcripto recipiaris in clauſtris? O ineffabilis miſeria! D. Thomas emphaticè, *Hic vnus accipit brauium, vbi omnes accipere poſſunt.* Et quænam maior infelicitas, aut vberior iniquitas valet excogitari, quàm ibi ſalute donari vnum, vbi omnes tam facilè eam conſequi potuerint?

18\. *Te potuiſſe facillimè arripere brauiũ ſocio arripiente, nõne mi ſerrimum?*

Eſto quòd vnus præcurrat, ſociúmque euincat velocitate, felicior accedit ad brauium capiendum, qui cucurrit properantius; ſed tamen ſocius non amiſit. Cunctis enim occurrentibus Domino, cuncti poſſunt ſalute donari, ſi deſidiâ non amittant. Nuncio reſurrectionis accepto curauerunt duo Diſcipuli occurrere reſurgenti. *Currebant autem duo ſimul, & ille alius Diſcipulus* (Ioannes) *præcucurrit citius Petro, & venit primus. Venit ergo Petrus ſequens eum.* Ioa. 20. Ioan. 20. Felicius Ioannes præcucurrit, ſed cucurrit & Petrus, ſocius ad brauium tandem accipiendum acceſſit. Origenes, *Intrant Petrus & Ioannes, ambo currunt, ambo intrant.* Orig. Quid ſi Ioanne præcurrente, Petrus minimè intraret, cum domeſticus eſſet, cùm Apoſtolorum Princeps, cum Prælatus? O miſeriarum maxima, brauium perdere, quod omnes accipere potuiſſent!

19\. *Pro h dolor quot Religioſi in incertum currunt!*

Miſeriùs profectò virgines illæ ad Nuptias vocatæ, donatæ accenſis ex fide lampadibus, imo Agni domeſticæ inclamarent: *Domine, Domine, aperi nobis*, dum audirent, *Neſcio vos*, alienigena intrauit, brauium accepit, deturbato domeſtico. Vndenam illæ periere? *Dum irent emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad Nuptias.* Mat. 25. Mat. 25. Ibant illæ, cùm deberent arrepto curſu properare, vt occurrerent ſponſo. Ideo Paulus, *Ego igitur ſic curro non quaſi in incertum.* 1. Corinth. 9. 1. Cor. 9. Quid in incertum currere? Iis moris vti, quæ poſſint ſeculari alicui dare occaſionem brauij conſequendi. Curramus ergo deſideriorum & operum greſſibus ne occurrat ſimul fortaſſe præcurrens ſecularis, & domeſtico ſegniter accedente, extraneus currens velociter brauio potiatur. Et parabolam & Pauli teſtimonium Bernardus ſerm. 2. de Nat. memorans, inquit: Bernard. *Ergo quia paratæ ſunt Nuptiæ, & omnis nos Curia cœleſtis frequentia deſiderat, & expectat, curramus, non*

quaſi in incertum, curramus deſiderys, & profectu virtutum. Sic Doctor.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Occurrerunt ei decem viri Leproſi, qui ſteterunt à longè.

Se Leproſi aſpicientes grauiſſimè infectos, humilitatis causâ ad Dominum non acceſſerunt.

Quàm gratus oculis Numinis, qui poſt magna crimina magnam oſtentat humilitatem.

20. EX confuſionis, & humilitatis affectu à longè clamaſſe Leproſos haud audentes ad Chriſtum accedere Publicani illius imitatores, vidimus. Quàm placeat cæleſtibus oculis qui poſt magna crimina magna exhibet humilitatis documenta oſtendit Ieſus, qui illicò ſine extenſione manuum, eos ad Sacerdotes miſit de eorum munditie iudicaturos.

21. *Magi ſtudent peccatorum pondus humilitatis pondere æquare.* Luca. Matth. 2.

Nato Domino Paſtores obuiàm procedunt, Angelico monito, occurrunt & Magi. De illis Lucas, *Tranſeamus*, inquiunt, *uſque Bethleem, & videamus hoc verbum: Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio: Et reuerſi ſunt Paſtores glorificantes, & laudantes Deum.* Cap. 2. De his Matthæus. *Intrantes domum, inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Cap. 2. Reges procidunt, & adorant, Paſtores ingrediuntur, nec procidiſſe notantur. An quia Principibus humilitas auguſtior adnata eſt? Profectò Paſtores conſcientia minimè vulnerati haud de præſtantia humilitatis curant. At Magi grauiſſimis idololatriæ criminibus saucij maiori humilitati ſtudium impendunt Magdalenam quidem imitati, *quæ ſtans retrò, lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Auguſtinus ſerm. 64. *Illi Deum ex eo, quod Chriſtum viderant, laudauerunt, iſti autem viſum Chriſtum etiam adorauerunt. In illis gratia prior, in iſtis humilitas amplior. Fortaſſe ergo illi Paſtores minus rei de ſalute alacrius exultabant; iſti autem Magi multis onerati delictis ſubmiſſius indulgentiam requirebant.* (August.)

22. *Dauid repletione humilitatis æquat oppletionem criminum.*

Iam vidiſti Dauidem iniquitate oppletum luxurie effrænatâ, ſæuitiâ in Vriam irruente. Vnde Dominus triplex ſupplicium excogitauit criminibus conſonum, vt ſcilicet bello, & morte necem Vriæ vindicaret, & fame ſaturitatem luxuriei, imo Dauidis oppletionem criminum puniret. Profectò pœnitudinis affectu Princeps humilitatis affectibus ſtudium impendit. In cinere & cilitio verſatur, lacrymis diluit ſtratum, rebellem filium ſuſtinet. Oportebat enim vt cor humilitate oppletum criminum repletionem exæquaret. Vilis homuncio puluerem & maledicta emittit in Regem. O Princeps Iſraël cur pateris à viliſſimo deſpici? Oportet, vt peccatorum repletionem oppletio humilitatis exæquet, vt Numini placeam. *Dimitte illum, ait, vt male dicat; quoniam Dominus dixit illi, vt videat humilitatem meam,* 2. Reg. 16. Ad quidnam ille viſurus eſt humilitatem Regis? Vt recognoſcat, num magna humilitas criminum adæquet magnitudinem: ſiue repletio hæc illam referat oppletionem. Dei miniſter eſt, periculum facit humilitatis. Pulchrè Ambroſius Pſal. 118. Octon. 10. *Dimitte illum, vt maledicat: quoniam Dominus dixit illi, vt videat humilitatem meam. Cum enim repleta fuerit humilitas, peccatum ſoluitur.* Ac ſi diceret, cùm humilitatis repletio criminum adæquauerit repletionem, Numine placato, reſurgam. Videat igitur Semei, & expertus Deo deferat teſtimonium.

2. Reg. 16. *Semei recognoſcit, num humilitas Dauid iniquitatẽ exæquet.* Ambr.

23. *Conſolatione afficiaris, dũ videris humilitatem tuam peccatum exæquare, & repleri ſicut illa oppleta fuit.* Iſai. 40. Lyran.

Hùc refero Iſaiæ teſtimonium. *Conſolamini, conſolamini, Popule meus, dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam: quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius.* c. 40. Vbi LXX. transferunt, *Conſolamini Populum meum, dixit Dominus, loquimini ad cor Ieruſalem, conſolamini eam: quia repleta eſt humilitas eius, ſolutum eſt peccatum eius.* Tunc quidem de peccati remiſſione conſolationem potes ſperare, cum humilitatis tuæ repletio criminum repletionem exæquauerit. Lyranus, *Quoniam repleta eſt humilitas, hoc eſt, terminata.* Haud ampliùs increſcet, quia criminum iam repletionem imitatur. *Conſolamini eam*, iam venia donatam. Illicò enim placatur Numen, amicitiæque ſtrictum ius inſtauratur, cùm te aſpexerit humilitatis præſtantiâ morem gerere magnitudinis delictorum.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Et leuauerunt vocem ſuam, dicentes: Ieſu Præceptor, miſerere noſtri.

Cuncti ægroti vnâ voce precantur, & illicò donantur optatis.

Efficax enim oratio eſt, quæ à pluribus ſimul excitatur.

24. *Preces publicè ab Vrbium cunctis incolis factas cõmendo, tribulationis inſtantia.*

PARTICVLAM: *Miſerere noſtri* premo. Non clamat ſingulariter vnuſquiſque: *Miſerere mei*: ſed, *Miſerere noſtri*. Dominos autem eos ad Sacerdotes immittens illico ſanauit in via, vt innuat gratam, & efficacem admodum orationem, quæ à pluribus ſimul excitatur.

Ciuibus

25. *Orantibus ſimul Niniuitis, placatur Deus.* Ioan. 3.

Ciuibus Niniuitis Rex ait: *Operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.* c.3. Vbi *in fortitudine* non tam refero ad precum clamorem eleuatum, quam ad vim Domino precibus illis inferendam. Vnde Deus ipſe proclamat, *Ege nen parcam Niniue Ciuitati meæ magnæ, in qua ſunt plures centum viginti millia hominum?* cap.4. Imo quia tot ſunt hominum iniquorum millia, parcere non debe- res. Recordor Dominum aliquando paucos iuſtos ab Abrahamo requiſiuiſſe apud Sodomam commorantes, vt illis Vrbibus ignoſceret, quæ ex defectu iuſtorum miſerè periere. Quonammodo igitur tot millibus iniquorum parcit nullius Diui ſocij protectione ſuffultis? Profectò, quia ſimul orantes in fortitudine clamabant, vt Dei

Chryſoſt.

iram debellarẽt. Appoſitè Chryſoſtomus hom.3. de incompreh. Dei nat. *Non ſine re amplum populi numerum ibi propoſuit; ſed vt intelligas, plurimum eam pollere orationem, quæ cum conſenſu agitur, & ingi concordiâ plurium hominum.* Cum belli, aut famis, aut peſtilentiæ, aut alius cuiuſlibet calamitatis inſtantiâ cunctus populus in prece conſentit, oratio facta plurium concordiâ, & ex ore communi: *Miſerere noſtri,* efficaciſſima planè eſt, plerumque fructu reſpondente.

26. *Vberrimi victoria fructus cõmuni orationi reſpondent.* 1.Mach.3.

Poſt ingentem hoſtium confluxum obiectum Populo, *Congregatus eſt conuentus vt eſſent parati in prælium, & vt orarent, & peterent miſericordiam, & miſerationes.* 1.Mach. 3. Vbi adnoto in primis ſimul exercitum colligi ad pugnandum, & ad orandum conuentum; quia quotiens ad orandum confluunt ciues cuncti, victoribus eiſdem corona præparatur. Deinde duplicem particulam expendo: Peterent *miſericordiam, & miſerationes.* Cur ſine neceſſitate miſericordiæ miſerationes adiecit? Profectò vt orationis ſimul a pluribus profuſæ virtutem exaggeret. Non ſolum orantibus communiter pro cunctorum ſalute miſericordia impenditur, ſed exuberantia munera adſcribun-

Chryſ.

tur publicæ precationis effectus. Chryſoſtomus citat. *Cur quoties ad cæleſtem Imperatorem placandum ire pergitur, vt eius ira exinaniat vniuerſos peccatores* Regni, *foris ſedetis, & non omnes concurritis, & Eccleſiam penetratis; vt Deus veſtram reueritus concordiam, pœnam dimittat, peccata abſoluat?* Quàm prudenter à Regibus bellorum inſtantia publicæ proceſſiones, preces communiter profuſæ procurantur.

27. *Rex oret belli inſtantia, ſed communitatis preces profundantur, mirabiliter hoſtibus ſuperandis.* 2.Par.20.

Regis quidem bello diſturbati, afflicti, iuſti valida ſingularis deprecatio. At publica omnium ciuium efficaciſſima planè eſt. *Vertit Dominus* (Ioſaphat pugnante) *inſidias eorum in ſemetipſos: filiorum ſcilicet Amon, & Moab, & montis Seir, qui egreſſi fuerant, vt pugnarent contra Iudam, & percuſſi ſunt.* Quæritur, cuiſnam viribus tam illuſtris ac mirabilis victoria tribuenda? Exiſtimo orationi Regiæ. Sanctus enim Ioſaphat clamabat: *Domine, Deus patrum noſtrorum, tu es Deus in cælo,* &c. Addit textus, *Omnes verò Iuda ſtabat cum vxoribus & liberis ſuis coram Domino.* 2. Par. 20. Fortis oratio Regis ad ſuperandas hoſtium inſidias, ad copias delendas, ſed ex publicarum

Theod.

precum adminiculo. Theodoretus, *Hæc cum dicerentur à Rege, tota ſtabat multitudo cum clamore Deo ſupplicans.* Deus autem miſericors ſoluit metum bonorum promiſſione. Mihi credite, cùm multitudo clamans Domino præſentatur, adeò ſoluitur metus, vt ſit promiſſio victoriæ illud ipſum publice ciues ante Dominum inclamare.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Et leuauerunt vocem ſuam dicentes: Ieſu Præceptor, miſerere noſtri.

Iudæi & Gentiles colligantur quaſi factâ manu, vt Deum ipſum debellare valeant.

Perſequor orationis in communitate inſtitutæ efficaciam.

IAM adnoto decem Leproſorum cultum; nouem enim Iudæi vero Numini præſtabant obſequium, vnus autem Gentilis iam proſelytus (ex Caietani ſententia) nouem Iudæis colligari curabat. An non diuerſæ nationis milites manum efficiunt colligati, vt Chriſtum Imperatorem debellare valeant, ad ſanitatem eis conferendam? In cuius robur doctiſſimi Maldonati noſtri pulchram præmitto ſententiam. *Cuncti pro cunctis precantur: Miſerere noſtri. Quod eſt vero ſimile ex induſtriâ feciſſe, quò magis & numero, & communi causâ, quaſi coniunctis viribus, factâque velut conſpiratione quadam, Chriſtum ad miſericordiam commouerent.* 28. *Oratio communis Deum ipſum debellat, vt petitioni annuat.* Maldon.

Adiicit appoſitè, *Atque eadem fortaſſe factum eſt cauſa, vt cum nouem Iudæi, vnus Samaritanus eſſet, inter quas gentes conſuetudo nulla erat, vt vnam tamen ſocietatem coiſſent. Non ſolùm conciliante eos, atque cogente communi morbo;* (vt Theophylactus, & Euthymius obſeruarunt) *ſed ſtudio etiam comurgente; vt quaſi factâ manu, expugnarent.* Et concludit, *Poteſt leproſorum exemplum documento nobis eſſe, vt cum impetrare aliquid à Deo magni volumus, non contenti priuatis orationibus, publicas etiam adhibeamus, & quaſi inſtructâ acie armatis affectibus preces efferamus Deo.* 29. *Iudæi, & Gentiles manum faciunt, vt Chriſtũ vincant.* Maldon. Euthy. Theoph.

Rurſum Machabæorum expendo teſtimonium. *Et congregatus eſt conuentus, vt eſſent parati in prælium, & vt orarent, & peterent miſericordiam.* 1.lib.cap.3. Quid oraturis cum pugnæ præparatione, vt idem eſſet conuentum parari in prælium, ac preces profunderet? Certè Conuentus communi prece vſus Deum ipſum debellat, vt profundat miſericordiam vi quidem quodammodo illatâ. De quâ vi Tertullianus apud Maldonat. hîc, *Hæc vis Deo grata eſt.* Integram do Doctoris ſententiam Apol. c.39. *Coimus in cœtum, & congregationem, vt Deum quaſi manu factâ precationibus ambiamus orantes.* 30. *Deum, quaſi manu factâ, cõmuni oratione debellamus.* 1.Mach.3. Tertull.

Vnus certè ſingulariter orans aciem inſtruit, vt Dominum vincat. Dauid, *Manè aſtabo tibi.* Pſal.5.

ſtruit, plures orantes viros adgitiunt exercitibus pluribus colligatis.
Pſal. 5.
Iob. 33.
Lucæ 18.

In Hebræo, *Ordinabo, vel diſponam quaſi aciem precem ſcilicet matutinam.* Deus ipſe ad Iob. *Aduerſum faciem meam conſiſte,* Cap. 33. Ex Hebræo, *Ordina, inſtrue* orationem. Alij apud Pinedam. *Acie directâ mecum congredere.* Audiſti ſingulariter orantem Publicanum. *Domine, propitius eſto mihi peccatori.* Lucæ 18. An non vim Domino inferebat? Nonne inſtruebat aciem? Hieronymus ad Damaſ. *Deus ipſe, qui nullis contra ſe virtutibus ſuperari poteſt, Publicani precibus vincitur.* Si vnius oratio adeo potens, quid cum vires coniunguntur, & fit conſpiratio? ſiue, *Quando hazen liga?*

Hieron.

32.
Paulus ideo auxilium à fratribus exorantibus implorat.
2. Cor. 1.
Chryſ.

Paulus ait, *Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis.* 2. Cor. 1. Ac ſi diceret, ſi Deo vis inferenda, ſi victoria ſit reportanda, vires coniungantur, conſpiratio fiat, plures ſimul oremus. Chryſoſtomus, *Perſæpe Deus quaſi pudore commouetur, cum multitudinem ad precationem concordem, atque conſpirantem cernit.* Illud: *Quaſi pudore commouetur.* Si ſcilicet pluribus precantibus non illico ſe victum profiteatur. Ideo precante Salome, Iacobo, & Ioanne, Regnique petentibus ſimul ſedilia auguſtiſſima, Chriſtus reſpondit: *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis.* Matth. 20. ſe etenim ab adnata ſibi ſedium cœleſtium largitione quodammodo eximit, quia pudore quaſi commouebatur, dum plurium ſimul rogantium prece non vinceretur, vt Chryſoſtomus idem obſeruauit. Quàm efficax populi deprecatio publica, oratio communis ad hoſtes homines comminuendos, ſi vel Deum ipſum videtur debellare!

Matth. 20.
Chryſ.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et leuauerunt vocem ſuam dicentes: Ieſu Præceptor, miſerere noſtri.

Non aptè leproſi poſt quam Chriſtum Ieſum Præceptorem appellarunt, addiderunt quòd eorum miſereretur.

Iuxta nomen etenim quod Deo tribuimus, debemus (in huiuſce nominis gloriam) munera adnata poſtulare.

33. QVAM ſtultè Chriſtum Ieſum Præceptorem eſſe profitemini, & temporariæ ſanitatis aſſequutioni impenditis ſtudium. Si Ieſum ſolummodo appellaretis, ſperare poſſetis nominis effectu eſſe donandos; dum autem præceptorem curate ſolum eius documenta ſalutaria audire; ideo non illico ſanat, ſed ad Sacerdotes immittit. Præceptor enim ſalutaria documenta præſcribit, non curat impertiri ſanitatem corpoream, quod ad Medicum ſpectare quis dubitet?

Ad Chriſtum Magdalena cucurrit animo ſaucia, pedibúſque Præceptoris adhæſit quærens planè recte incedendi documenta. Ambroſius, *Quæ diu malè ambulauerat, veſtigia recta quærebat.* Non curat adſtantium reſpectum, vni intenta Præceptori. Lazarus frater vitam cum morte commutauit, Chriſtus accedit, Maria autem Ieroſolimæ Principibus circumſepta, ſalutato nemine egreditur foras Dominum exceptura, *& cecidit ad pedes eius.* Ioan. 11. Occurrerat & Martha, quæ quidem de reſurrectione fratris ſollicita inclamauit: *Nunc ſcio, quia quidquid popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Ibid. Cur Maria etiam coniunctis viribus, non ſimul clamârit: *Nunc ſcio, quia quidquid popoſceris à Deo, dabit tibi Deus?* Cur de reſurrectione Lazari ſollicita non eſt? Quia Chriſtum ſolùmmodo Præceptorem requirens ad recta veſtigia, ſolùm curat ſæpe ſæpius Chriſti Præceptoris pedibus prouolui, vt ſalutaris inceſſus documenta ediſcat. Baſilius Seleu. ſerm. 2. de Lazar. *Præceptore præſente, humana omnia poſt habuit, totáque in vnum hoc incubuit.* Ad pedes cecidit, incedendi documenta requirit, temporaria commoda ablegauit à mente. Præceptore enim Ieſu ſola præcepta, ſeu monita requirenda. Martha, quæ Chriſtum medicum quæſiuit, de fratris agat reſurrectione.

34.
Magdalena Ieſum Præceptorem requirens, nihil ab eo petit, quod Præceptorem non ſapiat.
Ambr.
Ioan 11.
Baſil. Seleu.

Iuxta nomen, quo à te Deus inſignitur, petitiones tuæ ſunt attemperandæ. Paſtorem appellas? De refectione curam age poſtulandâ. Dominum potentiſſimum vocas? Regnum cœleſte à te efflagitandum. Patrem nominas? Quæcunque ad paternam curam pertinent, petenda ſunt. Chriſtus edocuit. *Pater noſter, qui es in cœlis ſanctificetur nomen tuum.* Matth. 6. *ſanctificetur nomen*, id eſt, honore afficiatur, dum adnata nomini poſtulamus. In cœlis es? *Adueniat Regnum tuum*, ó Domine. Pater es? *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra*, quæ quidem ad paternam curam haud dubium pertinere. Si à Deo Domino in cœlis regnante ſolum panem, & non Regnum peteres, Dei profectò nomen parum ſanctificares.

35.
A Deo Domino, & Patre petendum eſt Regnum, & refectio, iuxta nominis ſcilicet munia.
Matth. 6.

Dauid, *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* A Domino ô Rex, quid poſtulaſti? An ab hoſtibus reportare victoriam? An conſequi à perſecutoribus vindictam? An opes, an dierum longitudinem, an valetudinis incolumitatem? Parua cuncta, nec apprimè Domini nomini conuenientia. Quid igitur? *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Pſal. 21. Hoc petij, hoc requiro, Regno cœleſti à Domino, à Rege donari. Salomon ſe precibus obtulit munera à Deo accepturus, & Domino fanti: *Pete tibi, quod vis, vt dem tibi,* ait: *Dabis, ó Domine, ſeruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare poſſit.* Præmiſerat Textus: *Apparuit autem Dominus Salomoni?* Erráſti, ô ſapientiſſime, erraſti. A Domino ſcientiam petis? ſi Præceptor Deus apparuiſſet, congruè donari ſcientiâ poſtulares; à Domino autem cœleſte Regnum efflagitandum erat. Rupertus lib. 4. de vict. cap. 24. *Cùm Dominus dixiſſet illi: Pete, quod vis, vt dem tibi, & tanta ſibi oblata gratia poſſit æternitatem gloriæ cœleſtis vnâ petitione adipiſci, à Domino temporali illa gloria*

36.
Dauid à Domino Regnum cœleſte poſtulauit.
Pſal. 22.

37.
Salomon à Deo Domino petiit, quod à Præceptore poſtulare deberet.
3. Reg 3.
Ruper.

gloria delectatus, & apud homines volens haberi glorioſus, leue, ſeu mediocre bonum petiuit. Dabis, inquiens, ſeruo tuo cor docile vt iudicare poſſit populum tuum. O bone! cor docile à Præceptore Deo quærendum erat, à Domino autem Regni cæleſtis fruitionem te oportebat efflagitâſſe. Sed cur non dixit, ſicut dixerat David: *Vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini?* Videlicet, *quia cor eius non erat perfectum cum Domino Deo. Non erat*, inquit, *perfectum cum Domino Deo.* Sive non perfectè excogitabat, quæ à Domino poſtulari decebat. Non igitur congruè leproſi Ieſum Præceptorem appellantes de Medici munere poſtulant ſanitatem, cum rectè ambulandi deberent petere documenta.

OBSERVATIO VI.

Ad illa verba.

Quos vt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos Sacerdotibus.

Quos leproſos Dominus ab hominum cœtu prohibuit, ne alij contaminarentur, ad Sacerdotes immittit.

Solus enim Sacerdos ſuo muneri incumbens, à lepra infici non poteſt.

38. SI tam peſtilens lepra vt halitu homines, veſtimenta ac domos inficiebat attactu, atque ideo neceſſariò à lege præſcriptum ab hominibus, imo ab ipſa Ciuitate leproſi arcebantur: cur non & Sacerdotum Incolumitati prouidetur? Sacerdotes tenentur (ait Deus) expectare leproſos, vt de illorum immunditiâ, aut ſanitate ferant iudicium. Dixerit aliquis conuenienter Sacerdotes ſubire debere quodcumque periculum cum proximi ſalute coniunctum. Aſt ego crediderim id Sacerdotibus à Domino priuilegium, vt dum muneri incumbunt, haud poſſunt affici infectione.

39. Optabat Paulus *anathema eſſe pro fratribus.* An periculum ſalutis ſubire ſtudebat? Certè ſciebat nullum periculum Sacerdoti, qui cognoſcendæ lepræ muneri incumbit. *Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* 2.Cor.12. Ac ſi diceret, Non ſolùm impendam pro veſtris animabus vitam meam, ſed etiam me ipſum, id eſt, (authore docto) meam vitam & corporis, & animæ. Chryſoſtomus hom.28. *Quod dicit impendam inſinuantis eſt.* An ſolùm inſinuat, ſolùm promittit, quod implere non intendit? Certè implere non intendit, quod minimè poſſibile reputabat. Solum *eſt inſinuantis*; quia ſciebat Apoſtolus Sacerdotem ſuo muneri incumbentem inter pericula innumera non poſſe perire, Domino infallibiliter protectore.

Seſe Paulus periculo ſalutis aeternæ addixit, dum ſaluti proximorum animarum impendendum offert? Minimè. 1.Cor.12. Chryſoſt.

40. Quot calamitates in Iacobum irruerunt validiſſimæ quidem eum è viuis deturbare! Audi Patriarcham, *Ego damnum omne reddebam, quidquid furtim peribat, à me exigebas; die, noctuque æſtu vrgebar, & gelu, fugiebàtque ſomnus ab oculis meis.* Gen.31. Miror paſtorem tantâ aëris intemperie non infici, tam improba cura non ſpiritu ſolui. Abbas Cel.lib.3.epiſt.1 *Vbi Iacob, vbi Abbas tam ſedulus exortator, tam feruidus redargutor; tam cautus prouiſor, tam contra rabiem luporum potens; tam contra morbos impaſſibilis; tam ad aëris intemperiem patiens; tam ad latronum inſidias prudens, tam perſeuerans in ſeruitio?* Vbinam talis ſit Paſtor quæris? Profectò perſeuerans in ſeruitio quicumque Sacerdos contra cunctos morbos eſt impaſſibilis, & ad aëris vel corrupti, ac peſtilentis intemperiem patiens. Quia Sacerdos ſuo muneri incumbens *impaſſibilis* omnino reputatur, non inficitur leprâ, nulli ſubiacet periculo, nulli ſpirituali cedit incommodo.

Paſtor animarum impaſſibilis eſt, nec poteſt infici, dum miniſterio incumbit. Gen.31. Abb.Cel.

41. Poſt Regis Oziæ auſum, *orta eſt lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini ſuper altare thymiamatis. Cùmque reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes; viderunt lepram in fronte eius, & feſtinato expulerunt eum. Et ipſe perterritus accelerauit egredi, eo quod ſenſiſſet illicò plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leproſus vſque ad diem mortis ſuæ, & habitauit in domo ſeparatâ plenus leprâ.* 2.Par.26. Vbi illas premo particulas: *Feſtinatò expulerunt eum: Accelerauit egredi: Habitauit in domo ſeparatâ.* Cur tam accurata properatio ad egreſſum, ad receſſum leproſi Regis, niſi ne homines aut halitu, aut contactu inficerentur? At tam efficax peſtilens morbus fuit, vt adnotet Procopius ad cap.6.Iſai. *Ieroſolymâ Ozias ſecedere recuſans totam Vrbem præſentia ſuâ polluam, impuràmque reddidit.* An etiam Sacerdotes pellentes leproſum immundi remanſere? *Feſtinatò* expulerunt, non ſolum verbo, ſed iuxtà alicuius ſententiam manuum extenſione: nec tamen contaminati ſunt, pollutâ Ieroſolymâ. Quare? Quia muneri ſuo Sacerdotali incumbebant. Datum enim Sacerdotibus ſolis de lepra iudicare. Fugiant alij leproſi peccatoris conſortium, ne infectione afficiantur: ſoli Sacerdotes inter flagitioſos, inter meretrices poſſunt ſine infectionis periculo (dum munus exercent Sacerdotale) commorari.

Lepra Oziæ tota inficitur Ieroſolyma, ſolum incolumi Sacerdotio; quia muneri ſtudebant. 2.Par.19. Procop.

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba.

Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt.

Leproſi repentè præter Domini præſcriptum, & eorum opinionem mundantur.

Is enim eſt Deus, vt circa miſericordiæ elargitionem nulla quodammodò præſcripta ſeruet, nullas moras patiatur.

DIXI Dominum leproſis promiſiſſe coram Sacerdote proculdubio mundandos, vt ipſis conſtaret Eccleſiæ pro- 40.

ceribus de lepræ fœditate vt miraculi facilius agnoſcerent præſtantiam. Factum autem, vt euntes leproſi, ante quàm Sacerdotibus ſiſterentur, præter ipſorum opinionem, imo præter Domini præſcriptum repentè mundarentur. Cur ô Domine tuis non ſtas promiſſis? Ad Sacerdotes accedant ægroti, coram ipſis color innuretur, mala ablegetur ſcabies. O miſericordiæ Dominicæ impatientia ad morarum tolerantiam! Vltra præſcriptionem illico impendit miſero ſanitatem. Decreuerat tandiu grauari leproſos ægritudine, quandiu Sacerdotibus non ſiſterentur. At dum irent, ante impletum laboris ſubeundi tempus illos donauit ſanitate.

Poſtquam præſcripſit Deus tribus diebus peſte populum affligi, iuſſit, ante tempus præſcriptum plagam ceſſare.

43. Gad Propheta Dauidi. *Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus menſibus fugies aduerſaries tuos, & illi te perſequentur: aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua.* Quod cum tres peſtilentiæ dies Rex elegiſſet, *emiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael à manè vſque ad tempus conſtitutum.* Id eſt Angelum percutientem immiſit vt vſque ad tempus conſtitutum in Iſraelem deſæuiret impletis vtique tribus contagionis diebus. At miſericordiarum diues Angelum à vulneratione reuocat, prius quàm trium dierum præſcriptio terminaretur. *Miſertus eſt Dominus ſuper afflictionem, & ait Angelo*
2. Reg. 24. *percutienti populum: ſufficit.* 2. Reg. 24. Quare ô Domine præter, ſeu contra præſcriptum tem-
Ambr. pus plagæ, iubes afflictionem terminari? Ambroſius in Pſal. 37. *Domini vide gratiam, quòd & ipſe à propoſitâ conditione deflexit.* Si puniendorum peccatorum cauſa geritur, haud quodammodo promiſſis ſtabit. Nec enim illa promiſſio eſt, ſed potius comminatio. *Nunquid aliquod miſerationis eſt crimen, quia plus minatur, minùs exigit, qui in remuneratione præmiorum ſua promiſſa cuſtodit, in exactione pœnarum præſcriptum remordet?* Miſericordia Dei præſcripta non ſeruat circa plagarum inflictionem. Vnde ante impletos tres comminationis dies plaga finitur, quemadmodum ante perfectum leproſorum ad Sacerdotes iter ſanatur ſcabies.

Poſt præſcriptionem dierum ſupplicij miſericordia partem detrahit.

44. Teſtatur Dauid, *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc; veruntamen fæx eius non eſt exinanita.* Pſal. 74. Mihi
Pſal. 74. Deus fuerat comminatus trium dierum ſpatio morti populum fore tradendum, fæce illius indignationis calix oppletus eſt, hauſi partem fæcis, totum calicem quidem iuxta Dei præſcriptionem epotaturus. *Verum tamen fæx non eſt exinanita*, Quia Deus iuſſit Angelum à vulnere ante trium dierum perfectionem abſtinere. Pul-
Ambroſ. chrè ſic Ambroſius, *Ad terrendum plenus eſt calix, ad feriendum non exinanitus. Plenus erat calix, cùm mors per triduum mandaretur: ſed occurrit miſericordia Dei, tenuit manum Angeli priùs quàm calicem exinaniret.*

Etiam iure iurando illigatus Deus, ne ex præſcripto tempore detraheret punitionem.

45. Hanc Dei conditionem callens Propheta, & curans vſque ad prædifinitum tempus iram protrahi, Deum quodammodo iure iurando adegit, ne in via leproſi homines ſanarentur. *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia niſi iuxta oris mei verba.* 3.
3. Reg. 17. Reg. 17. Ea eſt Dei miſericordia, vt poſt præſcriptos dies ſupplicij ſanet in via ante dierum perfectionem ante exinanitionem fæcis. Quid ergo geram vt cuncti horroris & ſupplicii dies impleantur, fæciſque calix euacuetur, nec Deus lacrymis peccatorum ab ira recedat? Deum adſtringam iuramento, qui eius ago vicarium.
Chryſoſtomus ſer. in Eliam. *Volens eos punitum iri, cogitabat, quidnam aduerſum diuina bonitati opponeret (quæ paruis lacrymis ſtatim mouetur vt iram ponat.) Decreuit tandem, vt ad conceptam contra eos pœnam Deum iuramento adſtringat, quo ligatus ſententiam contra eos non facilè ſolueret.* Chryſ.

Poſt ius iurandum rationem Deus inuenit ſe à iuramento expediendi.

An nihilominus præſcriptum tempus iræ impletur? profecit Deum iure iurando adigi? Certè ipſe Dominus modum inuenit, quo ſine periurio, mutata ſententiâ, leproſi ſanentur in via. 46.
Ipſe enim apud ſeruum vicarium iurantem, de miſericordia agit interceſſorem. Eliæ Dominus, vade, & oſtende te Achab, vt dem pluuiam *ſuper faciem terræ.* Cur ô Domine, iure iurando adſtrictus de ratione agis abſolutionis? Ait Textus, 3. Reg. 18.
Poſt dies multos factum eſt verbum Domini ad Eliam in anno tertio. 3. Reg. 18. O calamitatis æterna duratio! An duo anni, Domine, (in cuius conſpectu mille anni tanquam dies vna ſunt) tam longi, vt poſſit illa particula (quæ innuit inſignem temporis longitudinem) verificari: *Poſt dies multos, factum eſt?* Ita planè viſus ſibi Deus per æternorum ſeculorum ſpatium percuſſiſſe homines ſiccitate, & inedia: modum quærit, quo ſe à iuramento expediat, & leproſi ante præſcriptum tempus ſanentur in via: *Vade, & oſtende te Achab.* Chryſoſtomus, *Verba legationis Dei ſunt. Deus ipſe per ſemetipſum de miſericordia apud ſeruum legationis munus obit, & intercedit.* Chryſ.

Videtur Deus non poſſe non miſereri etiã poſt ſupplicij præſcriptionem.

Cur ô Princeps præſcriptũ tempus non perfici permittis? Quia impoſſibile quodammodo eſt, ne moras expectare, & non ante tempus præſcriptum miſereri: Ipſum audite. *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Iſa. 49. Illud expende: *Numquid obliuiſci poteſt.* Miſericordia matris in filios quaſi non eſt opus liberæ voluntatis. Ergo Deo vincenti in miſericordiâ cunctas matres liberum quodammodo miſerendi opus non erit. Opus enim quodammodo voluntatis eſt, ſed naturæ parentis, fante Paulo, *Pater miſericordiarum.* Anſelmus, *Quia ex viſceribus eius proueniunt in nos miſericordia eius.* Dum ibunt ſanabuntur, Deo morarum impatiente, ac ſi vulgariter inclamaret: *Ne puedo dejar de perdonar preſto.* Hoc mihi ad natum; punitio autem quodammodo inuoluntaria actione geritur. 47. Iſa. 49. Anſel.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

Vnius alienigenæ gratitudo.

TEXTVS.

VERS. 15. VNVS autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus
eſt cum magnâ voce magnificans Deum. 16. Et cecidit in fa-
ciem antè pedes eius, gratias agens: Et hic erat Samaritanus.
17. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Nonne decem mundari ſunt? & nouem
vbi ſunt? 18. Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alie-
nigena. 19. Et ait illi: ſurge, vade, quia fides tua te ſaluum fecit.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De grato alienigena.

1. *Fides Samaritani.* VNVS *autem ex illis, vt vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum.* Quemnam Deum magnificaret? Exiſtimo ipſum Chriſtum, à quo licet abſente vidit ſe ſanitate donatum iuxta promiſſionem. Maldonatus (*Maldon.*), *Quem enim vocabat Deum, aut quem glorificabat, niſi eum, à quo ſe curatum ſentiebat, & ad quem gratias agendi causâ reuertebatur?* Qui videt ſe beneficio affectum, videt.

2. *Cur ſolus hic redierit?* Cur hic redierit, alij minimè redirent ad Chriſtum? Perſpicuum, Samaritanum vt gratias Chriſto ageret, rediiſſe. Vnde colligo alios ingratos fuiſſe beneficio, ideóque non rediiſſe, Chriſto confirmante: *Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo niſi hic alienigena.* Profectò incredibile pene tam ingratos eſſe tam egregio recenti munere potuiſſe. Exiſtimo nouem ſe curatos à Chriſto cognoſcentes ad Sacerdotes illicò properâſſe, quia miſſi à Chriſto erant, & quia ex legis præſcripto Sacerdos de curata lepra erat iudicaturus. At Samaritanus non exiſtimauit ſibi eſſe neceſſarium Sacerdotes adire iam ſanatus, qui ad Sacerdotes ibat non iudicandus, ſed inibi ſanandus, (ſi non erat proſelytus) & qui non alium quàm ſummum Sacerdotem agnoſcebat. Porrò aliqua ex parte nouem illorum culpam eluit, ſed non omnino ab ingratitudinis maculâ abſtergit. Priùs enim ad Chriſtum receptæ ſanitatis authorem redire acturi gratias, quam iudicem ſanitatis adire debuiſſent: vel ſaltem mox poſt Sacerdotis ſententiam ad Chriſtum recurrere, quod minimè conſtat, an geſſerint.

3. *Accedit ad Ieſum.* *Et cecidit in faciem antè pedes eius.* Qui antequam curatus eſſet ab infectione, procul conſiſtens clamitabat: *Ieſu Preceptor, miſerere noſtri,* ne execrando morbo Chriſtum, & Diſcipulos contaminaret: poſtquam ſanatus eſt, ad pedes vſque Saluatoris acceſſit. Theophylactus, & Euthymius adnotarunt. (*Theoph. Euthy.*)

4. *Cur Samaritanum eſſe adnotetur.* *Et hic erat Samaritanus.* Quare Euangeliſta Samaritanum eſſe animaduertit? Quia inferiùs ſcripturus erat dixiſſe Dominum non niſi vnum, eúmque alienigenam fuiſſe repertum, qui reuerteretur, & gloriam Deo daret.

§. II.

Nouem ingratitudo corripitur.

RESpondens autem Ieſus dixit: Nonne decem mundati ſunt? Et nouem vbi ſunt? Reſpondens*, id eſt, loqui aggreſſus. *Nonne.* Quaſi dubitans per interrogationem emphaticè loquitur. Nouem vbi ſunt? quomodo non redierunt? 5. *Reſpondet Ieſus.*

Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo niſi hic alienigena. Mirum, in tanto numero ſolum alienigenam rediiſſe, *vt daret gloriam Deo*, ſeu qui gratias Deo ageret. Significat non quocumque modo recognoſcere acceptum à Deo beneficium: ſed à Chriſto tanquam à Deo acceptum; aut per Chriſtum, cuius qui confitebantur potentiam, gloriam Deo dare dicebantur. Hoc phraſis ſignificat. *Fili mi,* (ait Ioſue ad Acham) *da gloriam Domino Deo Iſrael.* Ioſ. 7. Id eſt, eius potentiam confitere. Ideo aducit, *Et confitere, atque indica mihi, quid feceris.* 6. *Confirmatur Samaritani fides.* Ioſ. 7.

Niſi hic alienigena. Eorum, qui non redierunt, culpa augetur ex perſonarum conditione. Iudæi maximè grati Deo eſſe debuerunt, vt ipſo ſuo nomine monebantur. At maximè ingrati. Non vos pudet præferẽdum vobis Samaritanum, quem tanquam peccatorem execramini? Quàm aptè, & verè Ezechiel. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, ſed viciſti eam ſceleribus tuis, & iuſtificâſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* Cap. 16. 7. *Vincunt Iudæi Samaritanorum iniquitatem.* Ezech.

Et ait illi: Surge, & vade, quia fides tua te ſaluum fecit. Reliquos fides ſaluos etiam fecerat, quos ſine fide curatos non fuiſſe reor. Vnde qui miſſi ad Sacerdotes fuerant, vt eorum fides ampliùs exploraretur, dum irent ſanantur, quia diſcedentès à Ieſu vberiori affectu feruntur ad fidem. Profectò cum poſt taxatam illorum nouem ingratitudinem, Chriſtus Samaritani fidem laudat, puto non ſic reliquos ex fide commendabiles extitiſſe. Quid igitur ſpeciale in alienigenæ fide rutilaret? Certè quod cum operibus, & gratia accepta coniungeretur. Samaritanus corpore, & animo ſanatus eſt, Iudæi nouem credentes qui- 8. *Specialiter commendatur fides Samaritani, quia cum operè coniuncta.*

dem, ſed ingrati, ſed fortaſſe crimine graui fœdari ſolo corpore ſanati ſunt. Vnde Samaritano dixit, *Fides* tua te ſaluum fecit, quaſi alios ſanaſſet à lepra, ſaluos autem non feciſſet.

9. *Confirmo expoſitionem.*

Quod ſi ex Doctorum plurium ſententiâ animo etiam, juxta Domini conſuetudinem, nouem Iudæi curati ſunt, nihil ſpeciale continet ſententia Dominica, *Fides tua te ſaluum fecit.* Affirmat enim eum fide ſanatum, alios eadem fide ſanatos non negat. Idem aliis (aiunt huius ſententiæ Doctores) dixiſſet, ſi cum illis fuiſſet loquutus. Vnde voluit Samaritanum in fide confirmatum dimittere. At qui poſt taxatam nouem Iudæorum ingratitudinem ſententiam illam protulit, *Vade, fides tua te ſaluum fecit*, ſpecialem fidei præſtantiam effectúmque eius in alienigena commendauit: Tua præſtantior fides, quæ cum operibus coniuncta eſt; ſanus, & ſaluus, ſiue gratis donatus exurge, ſalute probabiliter, (nec enim gratus perit) potiturus.

10. *Quid myſticè, & moraliter Patres?*

Pluta myſticè Patres. Auguſtinus hæreticos in Leproſis ſignari aſſerens, adnotat a longè clamare, quia *tam vitandi ſunt, vt longius remoti Chriſtum interpellent.* Nouem adiicit ingratos eſſe, ſiue iu nouenario numero deſignari, quia *imperfecti* admodum. Titus Boſtr. commendans alienigenæ reditum, ait: *Promptiores, propenſioréſque fuerunt Gentiles ad fidem amplectendam, quam ingrati Iudæi.* Theophyl. *Hinc dicere quis poteſt, quod nihil cuiquam obeſt, vt Deo placeat, etiamſi maledicti generis ſit, modo bonam voluntatem habeat. Vt nullus Gentilis deſperet, & nullus de ſanctis parentibus glorietur.* Immiſſione ad Sacerdotes confeſſionem ſignari affirmat Auguſtinus lib. 2. de viſit. infir. cap. 4. *Ergo cicatricum tuarum arbiter Dei vice adhibeatur Preſbyter.*

Auguſt. *Titus.* *Theophil.* *Auguſt.*

IN IESVM LEPROSOS MVNDANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS CIRCA LITERAM.

EX VNIVS ALIENIGENÆ GRATITVDINE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Vnus autem ex illis videns, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magnâ voce magnificans Deum, &c.

Queritur Ieſus, quòd cum decem ſanati fuerint, non cuncti decem referant de munere gratias.

Taxatur communitas, quæ poſtulans communiter, de beneficio accepto haud communiter gratias referre curauit.

11. EX decem mundatis vnus redit gratias acturus, nouem deſiderantur. Decem petunt communi voce, accipiunt, vnus ſingulariter gratus oſtenditur. Deberet communitas quæ poſtulatura venit, & accepit, donata redire ad gratias ferendas largitori. Pluuiam petit communitas anxia, accipit. An non oporteret rurſum inſtaurari proceſſionem ad referendas gratias. *Et nouem vbi ſunt?* Domi, ais, ſeſe gratos oſtendunt. Certè non communiter Deum glorificare pro munere accepto, quoddam eſt ingratitudinis documentum.

12. *Quam pulchra oculis*

Plutarchus apud D. Maximum ſerm. 8. de beneficent. inquit, *Gratia tanquam Luna, cum plena eſt, & perfecta, tunc pulchra videtur.* Dauid cecinit, *Thronus eius ſicut Sol, & ſicut Luna perfecta in æternum teſtis in cœlo fidelis.* Pſal. 88. Luna, Imo & Sol fidelis in cœlo teſtis beneficiorum Dei communitati hominum factorum. Vnde ſub mundi terminatione *erunt ſigna in Sole, & Luna*, vt ingrati deterreantur, vt alibi exprimo. Luna perfecta ac plena, beneficia ſunt communitati exhibita? Gratia, ſeu actio gratiarum debet eſſe plena, vt pulchra cœleſtis Regis oculis præſentetur. Non adeo pulchræ gratiarum actiones, quæ ſingulariter, aut per partes fiut. Communitas munere donata, quæ vacua petiit communiter, plenas gratias communiter referat.

Dei communitatis gratiarum actio, poſt acceptum communiter efflagitatum beneficium. *Plutarch.* *Pſal. 88.*

13. *Tres Hebræi communiter petentes, & donati, communiter redeunt ad Dominum gratias acturi.*

Tres adoleſcentes Hebræi igni fornacis adducuntur, flammis autem mutatis in auram, non tetigit eos omnino ignis. Tunc hi tres tanquam *vno ore laudabant & glorificabant, & benedicebant Deum.* Adnoto ignem vincula comminuiſſe ſolutóſque incedere in fornace, Deúmque inibi à Rege conſpectum: *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes, & quartus ſimilis Filio Dei.* Dan. 3. & 4. Vbi Lyranus aſſerit *tres ſimul pueros Deum laudare*, gratitudinis ergo. Quàm aptè vincula comminuuntur, vt ambulare poſſint, vt communiter donati tanto munere, communiter redeant ad Dei Filium gratias acturi. *Vno ore laudabat*, quia ſimul beneficio fuerant affecti.

Dan. 3. & 4.

14. *Sponſa ſola defflet cui ſit, in communi das gratias, quia communiter petens, accepit beneficium.*

Sponſam video apud cubile commo'antem, ſolitariè gementem, vt turtur aſſolet. Rurſum eandem aſpicio communitatis ducem ad Dominum properare. *Curremus in odorem vnguentorũ tuorum.* Cant. 1. Cur non gemit comitata, aut cur ſola non requirit ſponſum? Pulchre Bernardus ſolam

contempla

contemplatur vt peccata fletibus diluat; in communi autem profectam ad Dominum, cum de beneficiis acceptis reddit gratiam. *Neque qui peccatorum recordantur*, (ait ſerm.12.) *in vnum habitant, cum quiſque peccata propria lugeat, atque deploret. Qui verò in gratiarum actione verſantur, Deum inueniunt, & cogitant, atque per hoc ipſi verè habitant in vnum.* Quare in vnum? Quia in vnum coëuntes inclamarunt: *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino fragrãtia vnguentis optimis.* Cant.1. Vbi tota efflagitat Eccleſia Saluatoris aduentũ. Eadem igitur in cõmuni donata, in cõmuni reddıtura gratias accurrit.

15\. *Cuncta creatura donata incolumitate confluunt ad gratias reddendas poſt diluuium.* Gen. 8. Rupert.

15\. Poſt diluuium Noë *ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, ac volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare.* Gen.8. Cur obtulit de cunctis pecoribus, & volucribus? Certè, quia ſacrificium actionis gratiarum erat, vnde oportebat cuncta pecora, cuncta volatilia ſeruata, quaſi vno ore communiter ad gerendas gratias redirent. Rupertus, lib.4. cap.17. *Holocauſta, quæ obtulit Noe Domino gratiarum actiones fuerunt. Et quia non ſolum hominem, ſed propter hominem iumentorum quoque reliquias in eadem arca ſeruauerat, meritò illi de cunctis pecoribus, & volucribus ſuper altare offeruntur holocauſta.*

Vno ore agit gratias Iſrael (excitato miraculo) quia vno ore petierat, & communiter acceperat. Exod.15. Auguſt. Exod.14.

16\. Poſt populi Iſraëlitici liberationem *cecinit Moyſes, & filij Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino.* Vbi Auguſtinus de Mirabil. cap.21. *Cuncti ſenes pariter cum pueris, & omnes ætates eodem inſpirati flamine vno quaſi ex ore eaſdem concinentes litteras, conſpirârunt in vnum.* Exod.15. Cur tantum miraculum excitatur, ſi ſufficeret Moyſem cantu præcedere, omnes ſequi eiuſdem carminis repetitione? Profectò cùm carmen hoc prima fuit gratiarum actio, debuit beneficio accepto reſpondere. Cùm enim Pharaone aduentante, ſe oppreſſos Iſraëlitæ viderent, vno ore *clamauerunt ad Dominum.* Exod. 14. Qui ergo communiter clamantes acceperunt, communiter donati redeant ad gratias exhibendas tantâ concinnitate, vt vno ore, vnam ſententiam ſimul effundant. Communitas enim munere donata cõmuni, communiter gratias reddıtura redeat, ſi petitura communiter acceſſit.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et nouem vbi ſunt?

De Iudæorum ingratitudine ſpeciali iure conqueritur Dominus.

Taxabilior enim ingratitudo, quæ Dei maiorem notitiam comitatur.

17\. SI redirent nouem Iudæi, alienigenâ non redeunte, nouem Iudæorum fidem laudaret Dominus, nec tam acriter alienigenæ ingratitudinem taxaret; qui quidem à maioribus non didicerat, nec ex fide veri Numinis alliceretur. Iuſtè queritur de Iudæis electis, vt taxabiles admodum Religioſi, aut Sacerdotes obiiciantur, qui poſt beneficia accepta ingrati obuciuntur, eis Ethnico præferendo.

18\. Cinæi maximo ſemper habiti ab Hebræis in honore propter proauum eorum Iethro ſeu Cin, (a quo Cinæi) qui circa Iſraëlitici populi gubernationem ſalutare Moyſi dederat conſilium. Exod.18. Huius beneficij memor Saul, cum bellum in Amalech pararet, dixit Cinæo. *Abite, recedite, atque deſcendite ab Amalech, ne fortè inuoluam te cum eo. Tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſrael, cùm aſcenderent de Ægypto.* 1.Reg.5. Abulenſis quæſt.15. *Dicuntur Cinæi feciſſe miſericordiam, quia proaui eorum fecerint,* ſiue Iethro. Adnoto Regis gratitudinem, de qua Caietanus, *Saul gratus beneficiis receptis monet, vt recedendo ſe ſaluet.* Quàm adnatum eis, qui Domini ſpecialem fouent cognitionem virtute gratitudinis decorari, populo electo adnatã.

Saulis Regi ſpecialem Dei cognitionem habentis adnata gratitudo. Exod 18. 1 Reg 15. Abul. Caiet.

19\. Hanc Deus Hebræos edocuit, cùm prohibens in perpetuum communicare cum Ammonitis, & Moabitis; cum Idumæo & Ægyptio iubet communicare: *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt, nec Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius* Deut.23. Cur Dominus Hebræos iubet ab Ammonitis, & Moabitis recedere, niſi quia exitialibus ac peſtilentibus moribus poſſent Iſraëlis filios contaminare. An non ex nequiſſimorum Idumæorum & Ægyptiorum communione eidem Iſraël periculo ſubiaceret? Certè gratitudinis lex præferenda videtur, Theodoreto fante quæſt.26. *Vrgente fame patres noſtri acceperunt ab Idumæis alimenta. Lex igitur docet nos antiqui beneficij non obliuiſci.* Lex docet. Quàm exlex, qui beneficij immemor gratiarum non ſtudet actioni.

Exlex eſt, qui beneficij memoriam non recolit, vt gratias referat. Deut.23. Theod.

20\. De domo Ioſeph dicitur in Iudicum Catalogo, *Domus quoque Ioſeph aſcendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.* Oſtendens autem, vndenam colligeretur Dominum cum eis fuiſſe, addit: *Nam cum obſiderent Vrbem, quæ prius Luza vocabatur, viderunt hominem egredientem de Ciuitate, dixeruntque ad eum: Oſtende nobis introitum Ciuitatis. Qui cùm oſtendiſſet eis, percuſſerunt Vrbem in ore gladij, hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiſerunt, &c.* Iudic.1. Hebræi apud Serar. aſſerunt Lucæum iſtum nec verbo, neque præitione, ſed ſolo nutu locum ingrediendi in Vrbem oſtendiſſe. O gratitudinis eorum, queis cum Dominus commoratur, documentum! Tantulum beneficium totius familiæ vita, libertatéque remunerat is, quo cum Dominus ſpecialiter commoratur: *Fuit Dominus cum eis, nam cum obſiderent, &c.*

Oſtenditur Dominum cum domo Ioſeph fuiſſe, ex eo, quod gratitudinis virtute decorata fuit. Iud.1. Serar.

21\. Qui ſpeciali iure Dei ſumus, de beneficiis gratitudinem referre iubemur. Diſcipulis Dominus, *Colligite*, (poſt mirabilem ſatietatem) *quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.* Ioan.6. Cur Diſcipulis indicta reliquiarum collectio, non turbis? Bernardus ſerm.51. in Cant. *Iubentur* Diſcipuli *colligere fragmenta, id eſt, nec minima beneficia obliuiſci.* Quàm ſeculare eſt, quámque Ethnicum, beneficia ingratitudine proſequi. Dei filios, Chriſti Diſcipulos ingratitudo dedecet.

Quam Diſcipulus Ieſu qui gratitudinem fouet? Ioan. 6. Bernard.

Observatio III.

Ad illa verba:

Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo niſi hic alienigena?

Miratur

Miratur Dominus nobilitate conſpicuos Iudæos ingratos oſtendi, vili alienigenâ redeunte.

Nobilium etenim ingenio adnatum, gratitudinis virtute decorari.

22. PLANE mirabile eſt, Iudæum nobilitate conſpicuum ingratum oſtentari, vilémque Samaritanum gratias exhibere, ſi adnatum nobilitati gratitudinis virtute decorari.

23. *Vrbani quique beneficia Dei mirantur, vt gratias referant.* Deut.15.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, mirabilis in Maieſtate, Deuter.15. Quidam Doctus Interpres particulam, *in ſanctis ſuis* cum particula, *in maieſtate* copulat. Aſſeritque ſanctos ſeu iuſtos illos, qui nobilitatis maieſtate ſplendent, Dei opera aſpicere, vt gratitudinis elogiis glorificent, extollant. *Vrbani*, atque ciuiles antiqua Dei beneficia mirari ſolent, atque rimari: vt gratiarum ſtudeant actioni.

24. *Ionathas ſe nobilem oſtentat grati filiũ inter ingratos.* 1.Reg.14. Gregor.

Olim *factum eſt miraculum in caſtris per agros.* Aſcendit namque *Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius poſt eum. Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat ſequens eum.* 1.Reg 14. Particulam *Per agros* expende. Adeſt Ionathas filius Regis nobiliſſimi & gratiſſimi, vt vidimus. Adſunt cunctæ hoſtium cateruæ, quæ agreſtium nomine notantur. Cur Ionathas Vrbanus, ac nobilis inter agreſtes? Reſpondet Gregorius, quia Ionathas Dei opera obſeruabat, vt gratitudinis exhiberet obſequium, reliqui autem, gratitudinis non præſtabant affectum. *In comparatione ſancti* filij Regis *velut agreſtes homines ſunt, qui tot Conditoris opera mirari* grato animo *neſciunt.*

25. *Dauidis Regis gratitudo.*

Aliter nobiliſſimus Rex Dauid, *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Pſal.76. Exponit Genebrardus, *Ea, quæ olim Deus beneficia maioribus præſtitit* recolo: quid ipſi Regi à Domino collata?

26. *Reges Magi, quia Regno adnata gratitudo.* Matth.2. Chryſ.

Magi poſt viſam in Oriente ſtellam Ieroſolymam veniunt infantem adoraturi. *Vidimus,* aiunt, *ſtellam eius, & venimus adorare eum.* Matt.2. Vbi Chryſologus ſerm. 156. aſſerit Magum à Domino ſtellæ obiectu tenebris ereptum grato animo adoraturum properare. Redierunt *vt darent gloriam Deo.* An Reges Magi illi? Non conſtat omnino Reges eſſe. Ego autem affirmarim Regiâ nobilitate fulgidos eos, qui mox poſt acceptam animi ſanitatem veniunt beneficij authorem quæſituri, vt gratias valeant profundere. Sermo recurret.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba.

Surge, vade, quia fides tua te ſaluum fecit.

Gratias agenti pro beneficio accepto, ſalus æterna à Domino donatur.

Signum enim prædeſtinationis eſt, beneficiis Dei gratum animum exhibere.

SVNT, qui aſſerant ſingulariter ſalute donatum alienigenam redeuntem, vt gratias exhiberet, ingratis nouem ſolummodo corporeâ donatis ſanitate. Nec miror qui gratitudinem prædeſtinationis ſignum eſſe profiteor. 27.

Id quod de ſe proclamat ſponſa. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant.2. Sum æterno thalamo deputata, cum virginibus quidem prudentibus Agnum ſequutura. Vndenam ſpem, ô felix Spiritus, concepiſti? Quia me ingratam minime agnoſco. Bernardus ſerm.68. *Ille mihi, quia benignus, & miſericors eſt: ego illi, quia non ſum ingrata. Ille mihi gratia ex gratia, ego illi gratia pro gratia.* Et quomodo non tam vber gratia, tam multiplicatæ gratiarum actiones gloria æterna munerabuntur? 28.

Sponſo in morem, Nuptiis cœleſtibus deputatur animus gratus. Cant.2. Bernard.

Coram æterni Iudicis tribunali duo nequiſſimi ſtatuantur, vnus, qui ingratitudinis vitio non contaminetur; alter, qui animo ingrato excipiat beneficia. Illorum vnus adſumendus ad ſuperos, altero Tartaro emancipando. Quinam ſaluabitur? An minori iniquitate preſſus? Auſus fuerim aſſerere aſſumendum eum, qui ingratitudinis vitio non fœdatur. Sit tibi Dauid (cuius cor Dei refert ingenium) huius arbiter cauſæ. Adſtat Saul nequiſſimus, ſed qui (vt vidimus) Cinæum eripuit à clade, quia nepos Sacerdotis Madian Iethro, ſaluberrimum Iſraëli conſilium exhibentis. Adſtat & ſtultus Nabal non adeo crimine maculatus, ſed tamen ingratitudinis vitio preſſus. In quemnam, putas Dauidem irruiturum, in nequiſſimum-ne, an in ingratum? In Saulem certè, qui cædem Dauidi ipſi moliebatur, ne manum auſus extendere. In Nabalem autem, à quo verbo tantùm fuerat violatus, enſem diſtrinxit. 1.Reg.25. Quare? Theodoretus quæſt.54. *Quamobrem is, qui in Saulem tantam oſtendis lenitatem, & patientiam, Nabalem tentat occidere? Iſte multis beneficiis ſæpe fuerat affectus. Reddidit mihi (ait Dauid) malum pro bono. Recordatus ergo Dauid bonorum beneficiorum, & auditis conuitiis, magno impetu venit armatus.* Sic Dominus plerumque in ingratum inſurgit, fortaſſe iniquiſſimo leproſo mundato, vt æternâ ornetur ſtola. 29.

Ingratus ſæpe deturbatur à gloria licet minus improbus, nequiſſimo miſericorditer aſſumpto. 1.Reg.25. Theod.

Gratitudinis etenim virtute præditus tandem ab iniquitate recedit. Memor beneficij, à peccato curat abſtinere. Cum Ioſeph ad crimen tentaretur, oculos in Domini beneficiâ contulit. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quod habet in domo ſua.* Gen.39. Vbi Gregorius lib.30. Mor.cap.9. *Quia bona, quæ aſſequutus fuerat, repentè memoriæ intulit, & malum, quod pulſabat, eiicit. Et quia percepta gratiæ meminit, vim culpæ imminentis confregit.* 30.

Gratus abſtinet à delicto. Gen.39. Gregor.

Quid ſi ipſius Dei in nos beneficia collata recolamus? Addidit Ioſeph. *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Gen.39. An non mariti tui in me collata munera, Dei mei beneficia ſunt? Ergo impoſſibile mihi, benefactoris iura deſpicere. LXX. *Quomodo faciam verbum, malum hoc, & peccabo coram Deo?* Ambroſius lib. de Iacob, cap.12. *Pulchra ratio, quòd neque beneficiis Domini eſſe poſſet ingratus.* Huiuſmodi igitur homines ingenio præditi, facilè ad meliorem ſe frugem recipiunt, vnde ſalutem aſſequantur. 31.

Quaſi impeccabilis redditur. Geneſ.39. Ambr.

LIBER QVINTVS.

PARALYTICI SANATI

PARS PRIMA.

PARALYTICVS PISCINÆ.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput quintum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum Paralyticos ſanantem.

PROLVSIO.

CVm Dominus Paſcha celebraturus è Galilæa ſeſe Ieroſolymam contuliſſet, ad Probaticam Piſcinam, quæ Bethſaïda vocabatur, expoſitum, & excubantem duodequadraginta annorum languidum hominem non habentem Deus homo ſanum fecit, grabatúmque ſuum tollere iubet, à quo latus. Sabbato id accidiſſe memoratur. Quã appoſitè! Solus Ieſus in Sabbato; Chriſtus homo ex Virgine ægros poteſt deſperatos valetudini reſtituere! Ambroſius. Lib. de iis, qui myſter. init. Cap. 4. *Denique Paralyticus ille expectat hominem. Quem, niſi illum Dominum Ieſum natum ex Virgine, cuius aduentu iam non vmbra ſanaret ſingulos, ſed veritas vniuerſos?* Sic Doctor.

Vitalis ligni Chriſti Admirabilis, ſine miracula gerentu, FRVCTVS QVINTVS.

IOANNES Cap. V.

VERS. I. ERAT dies Feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam.

PARAPHRASIS.

1\. *POSTQVAM Dominus apud Samaritanos, & Galilaos fidei ſua prima ſemina ſparſit, rurſum ſe confert Ieroſolymam, plurium confluentium religione celebrem.*

2\. Eſt

2. Eſt autem Ieroſolymis Probatica Piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaïda, quinque porticus habens.

2. Erat Ieraſolymæ lacus quidam Græcis Probatica *dicitur quia iuxta portam ſita erat gregibus introducendis Ieroſolymam deputatam. Hebrais* Bethſaida, *quaſi domum diceres pecualem. Lacus hic habet ſibi quinque porticus imminentes.*

3. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum.

3. In his magna vis hominum varijs corporum morbis laborantium decumbebat. Præterea cæcorum, claudorum, mancorum vis ingens, qui motum aquæ expectarent.

4. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in Piſcinam, & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in Piſcinam, poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

4. Nam ſtatis temporibus, Angelus Domini pacatam deſcendebat in piſcinam, ſimùlque aquæ excitabantur. Profectò poſt aquam ab Angelo motam, qui primus in piſcinam deſcenderet, is à morbo liberabatur, quocumque teneretur: vt ſacra vndæ Baptiſmatis diluentis crimina præſentaret imaginem: niſi quod ex turba non ſanabatur quiſquàm præter vnum; cui contigiſſet primum in aquam deſcendere, Baptiſmate cunctis ſimul conferente ſanitatem.

5. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.

5. Vnius hominis calamitas miraculi magnitudini adnata obycitur. Siquidem triginta iam annos rem habebat cum paralyſi.

6. Hunc cum vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri?

6. Hunc ergò paralyticum deploratum cùm miſericordiſſimus Ieſus conſpicatus eſſet ſolutis morbo membris iacentem: & cognouiſſet, malum hoc eſſe deploratius, quod iam triginta & octo annos miſerum detinuiſſet: miſericordiâ tactus ait illi, Vis-ne ſaluus fieri?

7. Reſpondit ei Languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in Piſcinam. Dum venio enim ego, alius antè me deſcendit.

7. At Paralyticus oſtendit ſibi non deeſſe voluntatem, nec ſe diffidere ob morbi magnitudinem ac vetuſtatem, quin delatus in piſcinam ſanari poſſet: ſed ait ſibi deeſſe baiuli hominis opem, per quem maturè in piſcinam turbatam deportaretur. Vbi (heu) alij ſentiunt, moueri piſcinam, pro ſe quiſque properat, vt primus ingreſſus ſalutis beneficium ſolus auferat: ego autem morbo tardus, ac baiulo deſtitutus, fruſtra ad lacum propero ſegnis, cum alius prior velox deſcendiſſet.

8. Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

8. Delectatus Dominus hominis toleranti â, & delectatus tam pertinaci ſpe ſalutis adipiſcendæ: ſurge, inquit, tolle grabatum tuum, & ambula.

9. Et ſtatim ſanus factus eſt

9. Simul cum dicta ſanatus eſt homo, vt non ſolùm liber eſſet à morbo, alioqui languidus,

homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo.

languidus, & imbecillis, quemadmodum ſolent, qui Medicorum arte ſanantur: ſed vt abſque hominis adminiculo ſubrigeret ſe ſe in pedes, lectulum ſuum in humeros ſuſtolleret, atque ita robuſtus lecti ſui baiulus ambularet. Erat autem Sabbatum, cum hæc gereret Paralyticus.

10. Dicebant ergo Iudæi illi, qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.

10. *Inde calumniæ ſeminarium Iudæis. Sabbati dies eſt, inquiunt, cui otium debetur. Tuum nefas tibi tollere grabatum. Sabbato ſuſtuliſſe grabatum, impium videri volebant: non erat eis culpa, inuidere miſero ſanitatem. O nequiſsimi cacicas affectus!*

11. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

11. *Ille non diſsimulans beneficium acceptum, & Ieſu authoritate criminis à ſe depellens inuidiam: Is, qui me ſimplici (reſpondet) verbo ſanum effecit, iuſsit, vt, grabato ſublato, ambularem. Hoc audito, non ſolùm inuidebant ſanato, verùm etiam reſtitutæ ſanitatis authori inſidias moliuntur.*

12. Interrogauerunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula?

12. *Quis eſt, aiunt, iſte homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula. Volebant violati Sabbati crimen in eum impingere, quod & aliàs non ſemel fecerunt.*

13. Is autem, qui ſanus fuerat effectus neſciebat, quis eſſet. Ieſus enim declinauit à turba conſtituta in loco.

13. *Qui ſanatus fuerat Ieſum de nomine non agnouerat, de facie tantùm poterat, quia ſtatim Ieſus ſe à turbâ ſubduxit, poſtquam Paralytico locutus eſt: ne Iudæorum irritaret inuidiam.*

14. Poſtea inuenit eum Ieſus in Templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.

14. *Profectò cognito miraculo, Ieſus authorem quoque cognitum eſſe volens, cùm obuium habuiſſet eum in Delubro. En, inquit, ſanitatem es aſſecutus depulſo corporis morbo, qui tibi ex animi morbo fuerat natus: vtrumque malum ſuſtuli. Caue, ne in priſtina recidens, aliquod tibi malum grauius acccerſas.*

15. Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.

15. *Poſt cognitum beneficij authorem grato animo proditurus affectum, abijt ad Iudæos calumniatores, eis indicans, Ieſum eſſe, cui ſuam deberet ſanitatem. Nec vulgaris actio gratiarum, acceptum vulgare beneficium.*

SECTIO PRIMA.

Piſcina ſalutaris.

TEXTVS.

VERS. 1. ERAT dies Feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam.
2. Eſt autem Ieroſolymis Probatica Piſcina quæ cognominatur
Hebraicè Bethſaida, quinque Porticus habens. 3. In his iacebat
multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium
aquæ motum. 4. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in Piſci-
nam, & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in Piſcinam poſt motionem
aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Iudæorum Feſto.

1. *De quonam feſto die loquatur.* Cyrill. & alij.

POST *hac erat dies Feſtus Iudæorum,* Feſtorũ multitudo apud Iudæos excitat ambiguitatem. De quonam Feſto agit Euangeliſta? An Pentecoſtes ſolemnitas? Cyrillus lib. 2. cap. 123. Chryſoſtomus hom. 35. aſſerunt, quia proximum Feſtum hoc Paſchati illi, quando è Templo Dominus vendentes deturbauit. Nõ probo, quia poſt flagellatos Templi prophanatores celebratum eſt colloquium illud cum Nicodemo. Poſt id egreſſus eſt Dominus in Iudæam terram, & baptizabat, & ibi dicitur commoratus. Nec commoratus diceretur, niſi multis ibi diebus manſiſſet. Præterea Dominus è Iudæa propter Phariſæorum furorem in Galilæam receſſit. An non veroſimile eſt, aliquot diebus abeſſe voluiſſe? Quòd ſi Cyrillus admittendus, decem, aut duodecim dierum ſpatium ſolum eſſet, quod certè nõ erat furori eorũ locum dare.

2. *Expone de Paſchate feſtorum primo, & celeberrimo.*

Exiſtimo cũ Irenæo de Paſchate ſequenti poſt vendentium in Templo turbationem Ioannem locutum. Quare autem nõ explicuit Euangeliſta? Reſpondet Toletus, quia cùm loquutus fuiſſet de præcedenti Paſchate, & multa narrauerit, & dixerit, quæ non niſi longi temporis ſpatio fieri poterant, ſatis ſe explicuiſſe arbitrabatur, ſi diceret. Erat dies Feſtus *Iudæorum.* Ego autem explicuiſſe Euangeliſtam reor. Nam cùm antonomaſticè Paſcha Feſtus dies Iudæorum vocitaretur, quia omnium primum, & celeberrimum, dicens: Erat dies Feſtus Iudæorum, primum, & celeberrimum illud Feſtum adeſſe affirmauit. *Poſt hac* igitur, quæ in ſuperiore capite dicta ſunt, dies Feſtus Iudæorũ, id eſt, Paſcha omnium celeberrimũ aderat.

3. *Aſcendit Dominus Ieroſolymam.*

Et aſcendit Ieſus Ieroſolymam. Dominus, qui in Galilæa tunc erat, Ieroſolymam aſcendit, ad hoc Feſtum celebrandum. Tribus enim anni temporibus vndique Iudæi Ieroſolymam aſcendebant in Templo adoraturi, quorum vnum Paſcha. Cur dicitur aſcendiſſe? Quia è Galilæa in Iudæam ratione ſitûs eminentioris dicebatur aſcenſus. Tempus igitur erat Paſcha, locus Ieroſolyma.

§. II.

De Piſcina Probatica.

4. *Cur Probatica Piſcina vocaretur?*

EST *autem Ieroſolymis Probatica Piſcina.* Locum determinatum miraculi oſtendit. Recentiores illud: *Probatica,* non cum Piſcina coniungunt, ſed ſic per ſe legunt: Eſt Ieroſolymis apud Probaticam, ſeu in Probatica quædam Piſcina. Et exponunt Piſcinam fuiſſe apud Probaticum, id eſt, forum pecuarium, aut domum, & receptaculũ, in quo oues, & pecudes in ſacrificium cuſtodiebantur. Antiquiores legunt in recto: *Probatica Piſcina.* Sic Cyrillus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Theophylactus. (Cyrillus. & alij.) In vtraque lectione ſenſum reor eumdem. Piſcina enim hęc Probatica dicitur, quia apud Probaticum ſeu forum, ſeu receptaculum aderat. Attamen aſſeruerim Probaticam dictam, nõ quia in ipſa carnes abluerentur, (vt ſentit Hieronymus) (Hieron.) nec quia propè forum, aut receptaculum ouium erat: ſed quia iuxta Portam quæ pecudum vocitata. Vna enim Portarum Ieroſolymis, per quam ſolam greges introducebantur, & dicebatur *Porta gregis,* ſeu *ouis.* Vnde Piſcina *Probatica* dicta, quia ad Portam ouis ſita erat.

5. *Piſcina Bethſaida vocitata.* Cyrillus. & alij.

Quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida. Sic legunt Cyrillus, & Chryſoſtomus. Hieronymus autem legit, *Bethſda,* quod negat Euthymius. Varia ſignificatio apud Hebræos. *Betheſda* enim ſignificat *domum effuſionis.* Dicta ergo Piſcina domus effuſionis, ſeu locus decurſûs aquarum, quia aquæ pluuiales in eam cõfluebant; ſiue (vt aliqui volunt) quia aquę Templi ad ſacrificiorum vſum per canales è Templo hunc in locum elabebantur. *Bethſaida* autem aliis ſonat *domus miſericordiæ,* quia in ea Domini miſericordia in ſanando exercebatur. Aliis autem *Domus venationis,* ſeu *piſcationis,* vt placet Euthymio.

6. *Lego Bethſaida, & id ſignificare ac Betheſdam cenſeo.*

Ego equidem & lego *Bethſaidam,* & idem ſignificare ac Betheſdam exiſtimo. Scribitur enim cum ס ſamech, & ſignificat *domum effuſionis;* nam deducitur etiam ab [illegible] quod ſignificat effuſionem: tamen amittitur [illegible] vt fieri ſæpe ſolet, & propter Græcam pronuntiationem ſumitur illud Iod, & pronunciamus Bethſada; in conuerſione enim Hebraicorum nominum propriorum, litte-

ræ ſæpe amittuntur,& aliæ aſſumuntur, vt idiomati accommodentur alieno.

7. *Cur Piſcina appelletur?* *Piſcina* ne appellatur, quia piſces habuerit? Minimè, nam etiam ſi non haberent Piſcinæ dicebantur. Græcè κολυμβήθρα quaſi *natatorium locus.*

8. *De quinque Porticibus.* Caiet. *Quinque Porticus habens*, Aderant circumcirca Porticus quinque propter pauperũ,& infirmorum commoditatem,qui gratia ſanitatis conſequendæ illuc ſe recipiebant. Expoſitionem totam confirmo ex Caietano, *Eſt Ieroſolymis Probatica, Latinè Pecualis,& ſignificat locũ ouium pro ſacrificio manentium, Piſcina, id eſt natatorium. Cognominatur Hebraicè Bethſaida pro Betheſda, quod non eſt cognomen Probaticæ, ſed Piſcinæ. Betheſda ſignificat domum defluxionis, eò quòd defluentes pluuiales aquæ ibi colligantur. Et domus nomen ratione Porticuum quinque ſonat.*

§. III.

Salutaris Piſcinæ conditiones.

9. *Languentium multitudo.* *IN his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum.* Eorum, qui ad Piſcinam confluebant gratia ſanitatis quatuor genera deſcribit. Languidi erant, ſeu ægroti, qui febribus, aut morbo huiuſmodi laborabant. Aderant cæci, claudi, aridi, id eſt, qui manum, aut membrum aliquod virtute deſtitutum haberent. Matthæi ſic cap.12. *Habens manum aridam*, id eſt, virtute deſtitutam. Denique omnis infirmitas corporalis ſeu membrorum defectus, etiam quibus ars aut natura non poterat ſubuenire, hac in Piſcina ſanabantur, diuinâ virtute excitante miraculum. (Matth.12.)

10. *De Angelo deſcendente.* *Angelus autem Domini ſecundùm tempus deſcendebat in Piſcinam, & mouebatur aqua.* Græcè non habetur *autem*, ſed particula cauſalis *enim*, vt cauſa reddatur, cur tot confluxerint ægroti. *Multitudo*(ac ſi diceret)*magna infirmorum illic aderat,quia Angelus deſcendebat, & aquam excitabat, vt primus ingrediens ſanaretur.* Sic Toletus. (Tolet.)

11. *An perpetua ſanandi vis?* Cyril. *Secũdum tempus.* Non erat illa vis ſanandi perpetua, ſed certo tempore haud cognito hominibus, Angelus deſcendebat. An ſemel in anno aquæ Piſcinæ mouerentur, aut ſæpe? Cyrillus Lib.2. Cap.125. exiſtimat ſemel in anno, idque in Feſto Pentecoſtes effectum, quod Toletus probabilius putat. Quod quidem improbârim, quia ſi ſemel in anno aquæ illæ ſalubres haud credibile hominem inibi triginta & octo annos continuos egiſſe. Nam ſi non habebat hominem, vt eum ad turbatam aquam afferret, quis credat non habuiſſe, vt eum è Piſcina poſt annuum ſanatum ægrotum, in habitaculum transferret, anno ſequenti Pentecoſtes inſtantia rediturum. *Authoris placitum.* Affirmo igitur ſæpe per annum tempore incerto diſturbatam ab Angelo Piſcinam. Ideo Paralyticus hominem non habebat, qui attentè ſupra aquarum motionem repentinam inuigilaret: quod tam difficile non fuiſſet, ſi ſemel in anno ſtatuto tempore turbarentur.

12. *Vnus ſanabatur vnus ac idem Angelus deſcendebat.* *Et qui primus deſcendiſſet in Piſcinam, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.* Siue cæcitate, ſiue membri alicuius contractione, aut ſiccitate, ſiue multis ſimul complicatis ægritudinibus laboraret, modò ac in aquam Piſcinæ deſcendebat, donabatur ſanitate, reliquis manentibus ægrotis. Cyrillus citatus plures videtur Angelos affirmare ſolitos deſcendere, & aquam mouere. Intelligo non plures Angelos ad motionem vnam deſcendiſſe: ſed de pluribus motionibus loquutum Angelos pluraliter appellaſſe; quia non ſemper vnum, & eundem ad hoc munus miſſum eſſe exiſtimat. Incertum quidem, ſed Euangeliſtæ verbis conuenientibus aſſero vnum, & eundẽ fuiſſe, qui quibuſdam illis temporibus deſcendebat vndas excitaturus. (Cyril.)

13. *Vndenam virtutem medicam Piſcina ſortita?* Quæris, vndenam Piſcina virtutem ſortita fuerit ſanitatis? An Angelus deſcendens aquæ motæ ſanandi virtutem tribuiſſet? Sic Chryſoſtomus hom.35. Exiſtimo planè Angelum diuinâ virtute per aquas illas, tanquam per quoddam diuinæ virtutis inſtrumentum ſanauiſſe. Num aquæ Iordanis ſanandi virtutem à lepra per Eliſæum tanquam miniſtrum accepere? Ita & aquæ Piſcinæ virtutem habuere inſtrumentalem, per quam Angelus ſanitate donabat ægrotos. Rectè Ambroſius lib. 1. de Spirit. cap. 7. ait Angelum hunc per aquas ſanantem figuram, Spiritus ſancti per aquas Baptiſmi animæ ſanitatem conferentis, extitiſſe. (4.Reg.5.) (Ambroſ.)

14. *Refellitur opinio de ligno, & victimis.* Hinc refello opinionem recentiorum affirmantium à ligno iacente in fundo Piſcinæ è quo poſtea Crux fabricata, huiuſmodi aquæ virtutem inditam. Idem fero iudicium de aſſerentibus à victimis & hoſtiis ſacris, quæ ibi lauabantur vim ſanitatis ortam. Moueor, quia ſi vtrumque verum, perpetua adeſſet aquis ſanandi virtus, & non certis temporibus à deſcenſu Angeli independenter. Adde nec ipſas apud Templum hoſtias talem virtutem habuiſſe, nec credibile, ligno illi ante Chriſti ſuffixionem tantam adiici reuerentiam.

15. *Cur tantùm vnus illa in Piſcina ſanaretur.* Requiris denique, quare vnus tantùm illa in Piſcina ſanaretur? Reſpondeo Chriſti Domini, (vt notauit Ambroſius lib. 2. de ſacram. cap. 2.) aduentum in Piſcinæ miraculo figuratum. Ipſe Teſtamenti Angelus deſcendens, & mouens Piſcinam aquarum, quia in Mundum paſſurus venit, & per paſſionem ſuam, & mortem humanum infirmum genus ſanaturus. Ideo vnicus ſanabatur. Nam in vno homine infirmo melius totum humanum genus repræſentatur, quàm in multis, ad mortis vniuerſitatem, & vnitatem exprimendam. Ideo in illa Parabola de eo, qui in latrones incidit, vnus tantum homo, non plures præſentantur. Luc. 9. Ad vnicum viduæ filium ſuſcitandum Elias mittitur. 3. Reg. 17. Vnus ab Eliſæo Naaman ſanatur. 4. Reg. 5. Hæc omnia ad futurorum inſtructionem gerebantur. Ambroſius alteram cauſam aſſignauit, ſcilicèt, vt oſtenderetur, quanto maior futura Baptiſmi gratia ſupra vetus Teſtamentum. In eo enim vnus, in hoc omnes ſanantur. Sed quare & Chriſtus vnum ſolum donauit ſanitate? Vt, ſignificaret, ſe eſſe ipſum eundem Deum, qui priùs ſanauerat, & eum, qui tali miraculo præfiguratus erat, & qui humanum genus de cœlo ſanare veniebat. (Ambr.) (Luc 9.) (3.Reg.17.) (4.Reg 5.) (Ambroſ.)

IN IESVM LEPROSOS SANANTEM PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX PIŜCINA SALVTARI.

Observatio I,

Ad illa verba.

Erat dies Feſtus Iudæorum,

Potiùs Ieſu Feſtus dies poterat vocitari,quo Paralyticus donatur ſanitate.

Nullus enim Deo ſolemnior dies, quàm cùm peccator à nequitia recedit.

16. Dies Feſtus Iudæorum aderat,Ieſus autem, qui aliquando dixit: *Non aſcendam ad diem Feſtũ iſtum,* Ieroſolymam petit, & ante Templi veſtibulum diei Feſti ſolemnitate potitur. Deo etenim feſtiua admodum dies, cùm peccator ſeſe ad meliorem recipit mentem. Celebrant Iudæi feſtiuitatem ſuam,dum Paralyticus diem feſtum agit Saluatori.

17. Poſt ſanatum Paralyticum Euangeliſta adnotat: *Erat autem Sabbatum in die illo.* Quàm verè
Dei requies conuerſio noſtra. Sabbatum in die! Non dixit:Sabbatum erat dies ille, ſed Sabbatum erat in illo. In illo enim die, quo peccator mundatur verè Sabbatum Dei requies eſt. Domin⁹ Iſraëlitis,ait:*In hac die expiatio erit veſtri,atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris.Sabbatũ enim requietionis eſt,& affligetis animas veſtras.*
Leu. 16. Leu.16. Sabbatum requietionis Dei
Orig. eſt afflictio,& pœnitudo noſtra. Origen.hom.23. in Num.exclamat, *O mira feſtiuitas! Dies feſtus vocatur afflictio animæ.Hic enim,inquit,dies eſt propitiationis.Vide ergo,ſi vis diem feſtum agere,ſi vis vt lætetur Deus ſuper te, affige animam tuam, & humilia eam.*

18. Ad pœnitudinẽ Deus Populum excitat Naum
Dum peccatores venia donantur,diẽ feſtum agit Dominus. ex ore. *De domo Dei tui interficia ſculptile,& conflatile, ponam ſepulchrũ tuum,quia inhonoratus es. Ecce ſuper montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacẽ:celebra Iuda, feſtiuitates tuas,& redde*
Naum 1, *vota tua; quia non adycies vltra, vt tranſeat in te Belial* c.1. Quiſnam pacem euangelizans,& annuncians niſi Dominus peccata deſtructurus.*Celebra,*ô miſer triginta & octo annos habens in infirmitate tua,*feſtiuitates tuas,* dum te ad mentem
Hieron. recipis meliorem.Hieronymus ad cap.45.Ezech. *Clariores habeamus feſtiuitates,in quibus nobis omnia peccata donantur.*

19. Dominus Moſi,*Præcipe filijs Iſraël,& dices ad*
Dei feſta conuerſionis peccatorum feſtiuitates. *eos,Oblationem meam, & panes,& incenſum odoris ſuauiſſimi offerte per tempora ſua.* Num.28.LXX. *Hoſtias meas in odorẽ ſuauitatis obſeruate,vt offeratis mihi in diebus feſtis meis.*
Num. 28. Copula duas particulas,illã Naum:*Celebra Iuda,feſtiuitates tuas* & hãc Numerorũ:*In diebus feſtis meis.*Profectò dies ſolemnis peccatoris conuerſi dies eſt Deo ſolemniſſima.
Orig. Origen.*Habet Deus Dies feſtos ſuos? Habet; eſt enim ei magna feſtiuitas,humana ſalus. Ego puto,quòd per ſingulos quoque credentium, qui conuertantur ad Deum feſtiuitas oritur Domini.*

Prodigũ teſtor redeuntem,ad cuius receptionẽ 20.
Pater Deus conuiuiũ præparauit,inſonante ſymphonià.*Epulari(ait)& gaudere oportebat;quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit:perierat,& inuentus eſt.*Luc.15. Profectò tanta Deo ſolemnitas debuit grandi conuiuio celebrari. *Adducite* (clamat)*vitulum ſaginatum.* Ad quæ Ambroſ.*Hoc eſt, pro reconciliato offerre imperat gratiſſimum ſacrificium, quod eſſet acceptum & cælo, & exercitibus Angelorum.* Auguſtiſſima ergo Deo eſt ſolemnitas peccatorum conuerſio, ſi ad illam celebrandam auguſtiſſimum præparat ſacrificium.
Deus ſacrificium auguſtiſſimũ parat, vt feſtum conuerſionis peccatorum celebret.
Luc. 15.
Ambroſ.

Observatio II.

Ad illa verba:

Eſt autem Ieroſolymis Probatica Piſcina,quinque Porticus habens.

Commendat Euangeliſta Porticuum erectionem ad ægrotantium commoditatem.

Vbi pietas extruentiũ Xenodochia ad exceptionem pauperum infirmorum laudatur.

Notat Ioannes Piſcinam quinque Porticibus circumcludi, apud quos 21.
multitudo magna languentum commorabatur. O pietas extruentium ægrotantibus hoſpitium, quorum fama Piſcinæ auguſtiſſimum nomen comitabatur! Hinc commendabilia opera exurgunt illorum, qui pauperibus ægrotis excipiendis, curandis Xenodochia ædificãrunt.Rupertus,*Porticus iſtas Piſcina habebat,ne multitudo languentium ad cæleſtis remedij* Ruper.
opificem Piſcinam excubans tectum non haberet, ne opem ſupernam expectare non liceret æſtu vrente, vel turbine, aut pluuià vrgente. Quam commendabilis extructura domorum,quibus poſſint pauperes ægroti ablegatis inopiæ moleſtiis opem ſupernam expectare.

Pſalm.octogeſimusſextus *Filys Core,*ſeu caluis, 21.
nudis,egenis dedicatur.*Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Memor ero Rahab,& Babylonis ſcientium me. Ecce alienigenæ,& Tyrus,& populus Æthiopum hi fuerunt illic.* Pſal. 86. Vbi ex mente Caſſiodori domus extructa ad alienigenas excipiendos hoſpitio ex memoria piæ Rahab excipientis exploratores commendatur.
Extruentes domum ægrotantibus pauperibus excipiendis, cæleſti domo recipiuntur.
Pſal.86.
Caſſiod.
Lyran. Lyranus ex Hebræis refert Vrbis Ieroſolymæ & Templi à Salomone extructi hîc recoli memoriã,quod improbat;*quia cùm dicitur, Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei, in Hebræo dicitur,* Cela, *quòd ſignificat perpetuitatem à parte poſt:*

Ciuitas

Ciuitas autem, & Templum, quod ædificauit Salomon, non durauit in perpetuum. Quænam autem domus illa, quæ in perpetuum duratura prædicatur, niſi Xenodochia, aut hoſpitalia, (aſſerente Chryſoſtomo) quæ nunquam delebit obliuio. Alienigenę, Tyrij, Æthiopes deſpecti excipiuntur in domo? O ſtructores, domo cœleſti proculdubio excipiendi! Bruno ſic: *Glorioſa ſunt hæc, quæ iuſtis, & peccatoribus magnam ſpem dare poſſunt & immenſam ferre lætitiam. Vis in Sion cœleſti ſuſcipi? Illos imitare quorum opere, & auxilio Domus illa ædificata eſt.* (Bruno.)

23. *Innumeris bonis cumulatur Iacob erigēs lapidem, ſeu addens Porticibus pauperes excipientibus lapidem vnum. Quid integrum Hoſpitale ædificantibus?* Gen. 28.

Egenus, Iacob Chriſti imitator, à lapide excipitur, qui quidem Domus Domini Porticus, & porta cœli. Surgit è ſomno, *Tulit lapidem: quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum. Appellauitque nomen Vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur.* Gen. 28. *Luza* idem ac *Vla*, aut *ola*, id eſt, *Porticus.* Innuitur Iacobum Porticibus receptum extra Vrbem, vt adnotant Interpretes. Erectio igitur illa lapidis, à quo fuerat velut lecto exceptus ſignificauit Porticuum, aut Hoſpitalium ad excipiendos pauperes, & peregrinos extructionem. *Erexit in titulum.* Siue in ius ad innumera à Domino beneficia excipienda. Quo titulo exiſtimas Iacobū factum fœminarum egregiarum maritum, liberorum illuſtrium parentem, ingentis familiæ dominum, tot pecoribus ditatum, tot diuitiis refertum? Quia Porticibus extructis extra Vrbem ad peregrinos excipiendos, addidit lapidem, apud quem inunctio ægrotantibus (myſticè) pararetur. Deus ipſe munerator profeſſus, ait: *Ego ſum Deus Bethel, vbi vnxiſti lapidem. Nunc ergo ſurge.* Gen. 31. Cūcta tibi proſpera, qui lapidem extructioni Porticuum addidiſti, qui inunctionis vulneratorum locum præparaſti. (Gen. 31.)

24. *Curemus, vt in Hoſpitalibus, Dei ægrotantis in egenis Tabernaculis, ipſo aliquid noſtrum inueniat.* Exod. 25. Periand. Mat. 25.

Tabernaculo extruendo, & ornando, *omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, quæ iuſſerat Dominus.* Exod. 25. In cuius expoſitionem liceat Periandri carmen ſubiicere ex Græco:

Diuorum cathedra inibi præparantur,
Vbi gemitus, vbi ægrotorum medicamen eſt.

Excipiuntur ægroti gementes, vt curentur xenodochiis fidelium ſumptibus extructis? Inibi Tabernaculum cœleſtis Regis ſtatuitur, qui inuiſentibus ægrotantes dicet: *Infirmus eram, & viſitaſtis me.* Matth. 25. Fœlix igitur, qui extructioni domus huiuſmodi ægrotis curandis præparatæ aliquid conſecrat diuitiarum, è quo à Domino ægrotante in ægroto poſſit commendari, ac præmio affici præſtantiſſimo. Chryſoſtomus laudibus effert Hoſpitalium extructores, queis Domus cœleſtis præparata eſt. (Chryſ.) Origenes profatur, hom. 13. in Exod. (Orig.) *Iuſtum eſt enim, vt in Tabernaculo Domini inueniatur vnuſquiſque habere portionem ſuam. Non enim latet Deum* (qui ait: *Infirmus eram, & viſitaſtis me*) *quid vnuſquiſque ei offerat. Quàm glorioſum tibi eſt, ſi dicatur in Tabernaculo Domini* (in pauperum ægrotantium, aut peregrinorum hoſpitio) *Aurum iſtud illius eſt, argentum illius eſt, annui reditus* ad pauperum victum, & medicinam illius eſt, ipſa ipſius domus qua ægrotantium excipitur multitudo. *Quámque indecorum, quam miſerum erit, ſi Dominus veniens requirere ædificium,* (vtpote ægrotans in paupere) *nihil muneris tui inueniat in eo, nihil à te cognoſcat oblatum.* Quàm pulchrè.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba.

Et ibi erat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum.

Ex laboribus ægroti illi didicerant ſolius Dei niti præſidio.

Labores enim homines reformant, ad pœnitudinémque gerendam adducunt.

ÆGRITVDINIBVS vexati illi, ad piſcinæ aquas confluxere, medicamina inde accepturi. Innuimus piſcinam ex Agni ſanguine medicam trahens (ex aliquorum opinione) virtutem Pœnitentiæ Sacramentum figurare. Vexari ægritudinibus, laboribus, & tribulationibus homines agitati ad pœnitudinis adducuntur affectum. 25.

26. *Confitentur peccatores Domino, cum fulmina contorquentur.* Iſai. 12.

Euangelicus Propheta clamauit, *Et dices in illa die: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi.* Cap. 12. Cùm iratum Numen oſtenditur, fulmina contorquentur, gladius vulnerat, & flagellum. Tune ne confiteris? Ita planè. Proficiunt enim ad confeſſionem, ad pœnitentiam mihi vulnera laborum, quemadmodum medicæ potiones ægrotanti. Apud Porticus quinque multitudo magna languentium oſtentatur, qui eiſdem laboribus potantur ad ſalutem. Oleaſter. (Oleaſt.) *Vix reperies, qui gratus ſit bonis acceptis, iſti verò pro malis gratias agunt: Confitebor tibi Domine, Sed pro quibus? Quoniam iratus es contra me. Nouerat, Dominum non minùs benefacere iratum, quàm manſuetum; ideo priùs cantat irato quàm manſueto. Si expenderemus punitiones Domini, cognoſceremus, vera eſſe bona, non mala: quemadmodum ſalutifera potiones.*

27. *Angelus curat aliquādo homines non liberari à laboribus, vt eorum medicamen.* Dan. 10.

Cur exiſtimas Angelum raró aut (ex aliquorum ſententia) ſemel in anno turbaturus piſcinam deſcendiſſe? Vt perſeuerante dolorum torturâ perſiſteret affectus confeſſionis. Expletis ſeptuaginta captiuitatis annis à Deo præſcriptis, Danieli pro liberatione populi deprecanti ſic Gabriel Archangelus: *Noli metuere, Daniel, quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum, ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei, exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos. Princeps autem Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus.* Cap. 10. Angelus Perſarum reſtitit Hebræorum ſtuderi liberationi? An ex Angeli ingenio captiuitatis moleſtia producitur? Chryſoſtomus, (Chryſoſt.) *Reſtitit non pugnando, ſed iſta dicendo: Quæ reditus feſtinatio? Propriam habitare Patriam Iſrael rebus ſecundis ſæpe ad idololatriam effecit vt conuerteretur, Nunc autem piè viuis Regionem alienam inhabitans.* Vnde lubens diſtuli deſcendere, vt piſcinæ vndas diſturbarem, populo

liberando, qui ſpectans aquæ motum ad Deum conuerſus pollet pietate.

18. Prodigus & fruges, filij Patris familias ex Hieronymi mente Iudaicum, & Gentilicum Populum figurabant. Prodigi Gentilici Pater celebrabat aduentum, cùm frugi Iudæo conquerenti fatur: *Fili, tu ſemper mecum es.* Luc. 15. Difficilis redditur ex Hieronymi ſententia expoſitio. Quonam modo enim Deo hæreſcens, *ſemper cum ipſo eſt*, qui à Deo ſæpe receſſerat? Certè quia quotiens iniquus populus à Domino recedebat, illatis laborum ſuppliciis tam propere illum reducebat ad gremium, vt quodammodo poſſet affirmari, ſemper cum Domino eſſe commoratum. *Mecum es ſemper*, (inquit Doctor) *non quia præcepta mea compleueris, ſed quòd te in longam Regionem abire non paſſus ſum. Mecum es ſecundùm illud, quod locutus ſum: Viſitabo in virga iniquitates eorum, miſericordiam autem meam non auferam ab eis.* Non auſertur miſericordia, quia mox poſt delictum puniuntur iniqui, ac tam properanti greſſu reuertuntur ad Patrem, vt quodammodo non receſſiſſe videantur: *Tu ſemper mecum es.*

A Deo peccatores tam velociter adducuntur laboribus ad ipsũ, vt videantur nunquam receſſiſſe. Luc. 15. Hieron.

29. Diluuij communis inſtantià, *multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt Arcam in ſublime à terra.* Gen. 7. Tribulationis aquæ quidnam in Arca, id eſt, Eccleſia operatæ ſunt? An eam baratro addixere? Profectò pœnitudinis affectu ad æternum portum eleuarunt. Sic myſticè Anſelmus ad cap. 14. Lucæ. *Scriptum eſt de aquis diluuij: Vehementer inundauerunt, & leuauerunt Arcam in ſublime à terra. Quid per aquas niſi tribulationes, & quid per Arcam niſi Eccleſia figuratur? Aquis inundantibus eleuatur Eccleſia à terra, quoniam aduerſis irruentibus ſeparatur à terrenis cupiditatibus.* O tribulationes nos ad Porticus afferentes, vt pœnitentiæ vndis immergamur!

Euehuntur ad ſuperos, vt ſemper hæreant Deo, peccatores tribulationum vndis. Gen. 7. Anſel.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & mouebatur aqua.

Quàm appoſitè Angelus ſanandi ægrotos miniſterio deputatur.

Angeli enim miſeræ hominum naturæ benefici ſemper oſtentantur.

30. DE i erga homines dilectionẽ laudibus effero, dum video Angelos ægrotorum medicamini deputari. Quæſiui, vndenam Piſcinæ vndis vis medica profluxerit? & probaui Angeli miniſterio operatam hominum ſanitatem. O quàm Angelis adnatum, Medicorum munere fungi, ſi hominum natura ægrotans iuxta Probaticam expectat!

31. Deſperata Sodomitarum ſalus ægritudinis nequitià. A Deo Angeli punituri immittuntur, qui quidem priùs ad Abrahæ tabernaculum ſunt profecti *in ipſo feruore diei.* Gen. 18. tandem *venerunt Sodomã veſperi.* Gen. 19. Cur non immiſſi ad puniendum non illicò Sodomam properarunt. Certè Angeli libentiſſimè ad ſanitatem peccatorum accurrentes, quaſi trahuntur ad vindictam. Vnde expectant, vt videant, ſi fortè Dominus Abrahæ precibus placaretur, medicináque vulneri tanto poſſet eorum manibus adhiberi. Abulenſis, *Totum diem expectárunt, vtrùm Deus parceret Ciuitatibus propter Abraham.*

Angeli deſperatorũ Sodomitarum adhuc curabant ſalutẽ promouere. Gen. 19. Abul.

32. Aiebat Sophocles, *Iudicium Medici maledictio eſt.* Quodnam iudicium? Tali vel tali horâ indictio mortis. Certè Deus optimũ agit medicum in vitam quidem, minimè in interitum ferens iudicium, quod maledictio eſt. Vnde vel ipſis reprobis deſperatis ægrotis æternæ mortis maledictionem nõ pronunciat. Probis ait ex ore Dominico: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum.* Improbis autem, *Diſcedite maledicti*, nec addidit, *Patris mei.* Mat. 25. Quare? Reſpondet Orig. hom. 34. *Nam benedictionis quidem miniſtrator eſt Pater, non maledictionis.* Huiuſmodi Medici cœleſtis benignitatem Angeli Medici imitantur, dum iudicij maledictionem ferre dedignentur. *Michael Archangelus cum Diabolo diſputans cũ altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudiciũ inferre blaſphemiæ*, id eſt, maledictum. Iudæ 1. Vbi Hieronymus, *Merebatur diabolus maledictum, ſed per Angelum exire nõ debuit.* Qui aduersùs diabolum iudicij maledictione non vtitur, quomodo ægrotos homines vulnerabit, æternæ mortis ſententiã indicens? *A tal hora morira*, vt vulgariter exponam; lethali abſtinent à prognoſtico.

Angeli Medici nullatenus ægroto indicãt exitium, nec prognoſticũ lethale ferũt. Protomedici ſui Ieſu referentes pietatem.

33. Diabolus mundum circuens nullum non mouet lapidem, vt homines ægritudine diuexentur. At interea Angelus egregij Medici in morem, nos curat à morbis excitatâ Piſcinâ liberare. Deſcribo ſpiritus exitialis ingenium ac cœleſtis noſtri Medici proprietates, quas cecinit Chriſtianus Poëta apud Mirabel. Hym. de Angelis.

Ille funeſtis agitatus ira
Inuidens Chriſto fore iam minatur
Iordanis totas ſitiens vt alti
Sorbeat vndas.
Circuit mundum, fremit hic, & illic,
Faſcinat mentes, variéque ſudat
Ut pios cultus abolere poſſit
Omnia turbat.
Diſſipat leges, ſerit inter Vrbes,
Inter agnatos fera bella Reges,
Omne graſſatur ſcelus imperatis
Mentibus inſtat.

Quàm validè Medicus Angelus aduerſus diabolum inferentem ægritudines pugnat, vt retundat venenum. Mirabel.

En Angelus nequam turbantem mundialis pelagi vndas, vt ægritudinum plagæ hominibus excitentur. *Omnia turbat, &c.* Aſt Angelus fœlix de more Medici Piſcinam mouet, aquam turbat in ægrorum leuamen.

Non minus Mundum peragrant & ipſi,
Et truci claudunt aditum Draconi,
Aſſerunt veros, retinéntque pugna
Vindice cultus.
Conferunt pacem, cohibéntque lites,
Prouehunt leges, ſacra iura firmant,
Amouent morbos, referúntque Chriſto,
Vota piorum.
Liberant preſſos, reprimunt tyrannos,
Ad latus nobis habitant. & adſunt
Ad caput ſemper vigiles, piiſque
Cuncta miniſtrant.

Sic

Sic Medici benigniſſimi munera exerunt.

34. *Æſtuanti Agar puerulo Medicus Angelus occurrit.* Geneſ.21. Theodor.

Æſtu Agaris puerulus deperire ab ipſa parente deſperatus proiicitur. Vidit medicus Angelus, eúmque curauit in Piſcinam immitti, dum portatur in fontem. *Vocauit Angelus Dei Agar de cælo dicens: Quid agis Agar? noli timere; exaudiuit enim Deus vocem pueri.* Gen.21. Vbi Theodoretus quæſt.2. *Aptiſſimè profectò Deus per Angelum, quæ ad puerum curandum pertinebant, effatus eſt.* Non iam ſemel in anno, non tempore ſtatuto, ſed ſæpe ſæpius deſcendet in die medicus noſter, ſi homines accedant ad Piſcinam, valetudini reſtituendi.

Observatio V.

Ad illa verba.

Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in Piſcinam, & mouebatur aqua, & qui prior deſcendebat in Piſcinam ſanus fiebat.

Certis temporis momentis homini incognitis Piſcinæ ſalutaris vndæ mouebantur.

Vt euigilet, qui ignorat, è quonam inſtanti ſalutaris, aut exitialis dependeat æternitas?

35. PARTICVLA illa: *ſecundùm tempus* Græcè eſt, *Opportunis momentis temporis.* An hominibus ægrotantibus, ac expectantibus certis? Minimè, ad illud enim ſolummodo temporis inſtans pararentur infirmi, deſides planè poſt motionis ſalutaris inſtantiam. Certis igitur momentis temporis Deo præcipienti, & Angelo miniſtranti cognitis, Piſcinæ vndæ mouebantur, vti omnes ſollicitè aquæ turbationem ſalutarem ſibi futuram expectarent, nec propriæ ſalutis negotio obdormirent.

36. *Vigilet ægrotus, cuius ſanitas (quaſi à ſorte) pendet ab inſtanti.* Pſal.30. Auguſt.

Dauid explicat ſortis metaphorâ. *In manibus tuis ſortes meæ.* Pſalm.30. O quoties qui longæ vitæ interſtitio plures aduersùs animi hoſtes victorias reportauit, victus tandem cogitatione improbæ voluptatis maculatur: quo temporis articulo delinquens miſer à morte corripitur. Econtra qui diu malè degit vno nouiſſimi temporis puncto compunctus eſt, & æternâ ſalute donatur. *O momentum, à quo æternitas!* Quàm appoſitè ſortis vocabulo ſalutis cauſa exponitur! Auguſtinus lib.1.de Prædeſt.cap.14. *Quare aliis concedatur, vt ex huius vitæ periculis, dum iuſti ſunt, auferantur: alij verò iuſti donec à iuſtitia cadant, in eiſdem periculis vitâ productiori teneantur? Quis cognouit ſenſum Domini, in cuius manibus ſortes meæ?* Vigilet ergo toto animo ægrotus, cuius ſanitas vnico incognito pendet ab inſtanti.

37. *Salus filiorum Noë, & ceterorum cunctorum omnium ab inſtanti incognito pependit.* Matt.24. Gen.7.

Dominus Diſcipulis aiebat, *Sicut in diebus Noë, ita erit aduentus Filij hominis.* Matth.24. Noë temporibus innumeri homines periere, paucis aſſeruatis, quorum exitium, & ſalus ab vnico incognito pependit tẽporis articulo, ſante Moſe: *In articulo diei illius ingreſſus eſt Noë, & filij eius in arcam.* Gen.7. Quam felix ſors, tibi articulum fuiſſe ſalutarem! Gregorius hom.12.in Euang. *Aptè generalis ad Diſcipulos exhortatio ſubinfertur, cum dicitur: Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam. Nam qui pænitenti veniam ſpopondit peccati, diem craſtinum non promiſit. Semper ergo extremum tempus,* (ſeu nouiſſimum temporis articulum) *debemus metuere, quem nunquam poſſumus prouidere.*

38. *Vno momento exitium, aut ſalus? Quis non contremiſcat?* Apoc.18. Plaut.

An aures tuæ illo horribili clamore vnquam exterritæ: *Væ, væ Ciuitas illa magna Babylon, Ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum.* Apoc.18. O hora, ſeu verius ô momentum Deo ſtatutum, delinquenti Ciuitati incognitum, è quo tam auguſtæ Vrbis pendet interitus, aut ſalus! *Repentinus tibi ſuperueniet interitus, & poma deſiderij tui diſceſſerunt à te.* Aretas, *Poma, id eſt, opportunitas diſceſſit à te.* Cur apud Piſcinam degens non attendiſti? quare non vigilâſti? Tantali in morem æternùm diſcruciaberis pomis fugientibus, opportunitate non apprehensâ. O Piſcina, ô ſalutaris aqua, quam non hauſi dum potui, ſiti corripiendus æterna! O poma, quæ abſumere potui feliciter, ne æternâ conſumeret inediâ! *Poma deſiderij tui diſceſſerunt à te.* Plautus in Rudente. *Miſerum iſtud verbum, & peſſimum habuiſſe.* Quàm miſerum habuiſſe ad ſalutem opportunitatem, & ex deſidiâ illam præteriiſſe!

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et qui primus deſcendiſſet in Piſcinam, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

Ex ægrotantium multitudine vnicus languidus ſanabatur.

Vt exprimeretur Prædeſtinatorum paucitas, Reproborum multitudo.

39. CVM præmiſiſſet Euangeliſta apud Porticus quinque iacere *multitudinem magnam languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum,* vnum ſolummodo poſt ſpem longiſſimam ſanari affirmat. Certè in hominum expectantium iuxta Piſcinam aut Baptiſmi, aut aptiùs Pœnitentiæ, multitudine, quis non videat Chriſticolas ſignari, quorum (heu) vereor ne pauci Prædeſtinatorum libro ſcribantur, magna multitudine exitio addicenda. Licèt enim ſpem diuina miſericordia firmat, Chriſtianorum nominalium (ſeu, qui ſolo nomine nituntur) mores an non exitium ſapiunt æternum?

40. *Pauca nomina ſcribenda*

Ioanni Dominus, *Habes pauca nomina in Sardis, quæ non inquinauerunt veſtimenta ſua.* Apoc.3. Id eſt pauci, quorum nomina vitali libro exarentur,

Chriſtianorũ in vitali libro reſpectu damnandorum? Apocal.3. Pſalm.16. Bellar.

tur, quia ſolo Chriſtiano nomini, ſine operibus innituntur. *Pauci* enim iuſti in ſacris vocitantur. *Domine, à paucis de terra diuide eos.* Pſalm.16. Chaldæus. *A iuſtis*, aut *Prædeſtinatis.* Bellarminus, *Mortui Mundo pauci ſunt reſpectu amatorum Mundi.* Alludit ad Hebræam lectionem: *A mortuis Mundo diuide eos.* Qui potituri ſunt cœleſti vitâ, Mundo neceſſariò debent mortui oſtentari.

Pauci in pœnitentia Piſcina purgantur. Carthuſ. Virgil.

Monebat Eccleſiaſticus, *De negligentia tua purga te cum paucis.* Cap.7. Id eſt, pœnitudinis in Piſcina dealbari cura, id enim ad ſalutem poſt iniquitatem lethalem animi morbum eſt neceſſarium. Id autem *cum paucis* age. Cum paucis? Nonne multitudo magna languentum iuxta Piſcinam aqua ſalutari diluenda? Non abnego, ſed è tanta turba expectantium aquæ motum, vnum video ſanitate donari, quia reliquos diligentiâ vicit. Carthuſianus Dionyſius ait: *De peccatis te munda, quod faciunt pauci.* Vel Virgilius Gentilis lib.6. Æneid.

Pauci, quos æquus amauit Iupiter.

41\. *Numerabiles Prædeſtinati Chriſticolæ, innumerabiles reprobi.* Pſal.138.

Veriori Dauid carmine, *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Pſalm.138. Vbi Albinus particulam illam: *Dinumerabo eos* de prædeſtinatis exponit, facta enim ſuperius de vitali libro memoria, *In libro tuo omnes ſcribentur.* Malos autem illa clauſula intelligit: *Super arenam multiplicabuntur.* Ac ſi Prædeſtinatorum ſit numerabilis multitudo, reproborum autem innumerabilis turba obiiciatur. Ideo præmiſerat Vates, *In libro tuo omnes ſcribentur, dies formabuntur, & nemo in eis.* Omnes ſcripti in vitali libro quem numerum explent? Dies formabuntur, id eſt, Sancti menti Dei obiicientur (ex Anſelmi mente) & nemo in eis, ſiue pauci adeò ſcribendi reperiuntur, vt *neminis* vocabulo valeant deſignari, ſi cum innumerabili reproborum turba conferantur.

Prædeſtinati quaſi Nemo.

42\. *Prædeſtinati numerantur ſtellæ, reprobi innumerabilis arena.* Gen.15. Gen.13. Pſal 146. Rupert.

Abrahamo Deus, *Numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum.* Geneſ.15. Alibi Dominus, *Et faciam ſemen tuum ſicut puluerem terræ.* Gen.13. An ſtellæ terræ pulueres exæquabunt? Minimè. Sic locum expono. Tota Abrahæ progenies, ſeu Chriſti proſapia, tota Chriſticolarum multitudo repræſentatur, quorum quidam ſtellæ, quidam pulueris, ſeu arenæ grana. Stellæ quidem, id eſt, Prædeſtinati cœlo micantia ſydera collocandi, numerabiles ſunt: Deus enim *numerat multitudinem ſtellarum, & eis nomina vocat.* Pſalm.146. Aſt reproborum innumerabilis prorſus caterua. Vide Rupertus lib.5. in Gen.cap.10. *Bene pulueri terræ comparati ſunt, quem dinumerari nobis quidem impoſſibile. Deo autem iudicetur ſuperfluum, apud quem ſoli electi noti ſunt.* Si tam pauci ex ipſis Chriſticolis piſcinâ immerguntur, quàm miſer qui poſt triginta ſuper octo annos iuxta Piſcinam reſidens haud eſt diiutus vnda!

Observatio VII.

Ad illa verba:

Et qui primus deſcendiſſet in Piſcinam ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

Omnium properantium ad Piſcinam poſt turbationem, vnus ſanitatem recipit.

Quia ex ijs, qui nouiſſimum tempus ad pœnitudinem expectant, vix vnus aut alter verè abluitur.

AMBROSIVS aſſerit Angelum Chriſtum qui ad piſcinam pœnitentiæ peccatorum lauacrum deſcendit homines ſanaturus *ſecundum tempus, quod ad horam nouiſſimam ſeruabatur.* Accedit languentum multitudo horâ nouiſſimâ, cùm aquæ diſturbantur, cùm properè & fœliciter currendum, & vnus verè abluitur pœnitudinis vndâ, & ſanatur. Quia ſcilicet pauci ſaluantur ex iis, qui ad nouiſſimam horam differunt medicinam. Ratio eſt, quòd ad piſcinam ea temporis inſtantia turbatam oporteret properanti curſu ſe ad aquas immittere; at ægritudo deſidiam excitat iacenti, ipſáque piſcinæ turbatio, ſeu Sacramentorum recipiendorum obiectio ægroto ipſi ingerit turbationem. 43. Ambroſ.

44\. *Pharao ſe miſit in Piſcinam, nec ablutus, quia ſero curauit anguſtiis mortis diſturbatus pœnitere.* Exod.14. Alcimus.

Pharao ſit tibi paralyticus ad piſcinam Rubri pelagi Chriſti ſanguine rubricati properans. *Fugientibúſque Ægyptiis, occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. Reuerſæque ſunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, &c.* Exod.14. Vbi D. Alcimus opinatur Pharaonem Dei ſupplicium apertè dignouiſſe, curaſſéque pœnitudinis affectu veræ piſcinæ immergi. At miſerè periit, quia turbatâ piſcinâ, pelagi commotis fluctibus non eâ ſenſus acuitate pœnitudini ſtuduit, quæ ad tantum negotium erat neceſſaria. Vnde coram Angelo turbatore, imo coram Domino Iudice poſt immerſionem non ſanatur, quia non verè pœnitens immergitur. Hinc appoſitè Alcimus lib.5. de tranſ.mar.Rub. cecinit:

O ſi compunctas humana ſuperbia mentes
Antè obitum mutare, nec expectare ſuprema
Fata velit, quanto infælix fœlicior eſſet!
Pœnitet ambiguè, quem ſerò pœnitet.

Illas preme particulas: *Ante obitum, nec expectare ſuprema fata.* Qui enim ſuprema fata ſiue mortis inſtantiam vult expectare ad pœnitudini ſtudendum, tantumdem eſt ac ſi poſt obitum vellet pœnitere. Inſtantia enim ipſa obitûs quaſi obitus eſt; vnde qui cupit *antè obitum* pœnitentiâ ablui, minimè nouiſſimam horam expectet, quando vix vnus verè abluitur, licèt innumeri ad piſcinam properâſſe videantur.

Porticibus recipitur Nabuchodonoſor cæcorum addens numerum ambiens diuinos hono- 45. *Nabuchodonoſor aquis*

res

iniungitur, & ei promittitur dubia ſpe; quia in mortis periculo inuigilabat.

res. Hic in morem Arboris iuxta Piſcinæ decurſus, de quo Vigil inclamat: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius. Veruntamē germen radicū eius in terra ſinite, & rore cæli tingatur.* Dan. 4. An arboris germini proficiet intinctio? An Piſcinæ rore dilutus ſalute donabitur? Audi Danielem, *Quamobrem, ô Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitan ignoſcet delictis tuis Deus.* Proh Deum immortalem! Poſt pœnitudinis, & eleemoſynarum profluuiū, quod *extinguit peccatum*, adhuc *forſitan*, & non proculdubio Rex diluetur? Saluianus lib. 1. ad Eccleſ. *Hoc ipſum, quod dicitur: Forſitan, opem indicat, non fiduciam pollicetur.* Et cur non Piſcinæ ſalutaris abſolutè ablutio promittitur? Quia ſuccisio arboris germine radicum reſeruato, ſignificat (ipſo authore) hominem ægritudine preſſum, viribus deſtitutum vix pene vitalem. Ea huiuſmodi ægrotorum aſſolet eſſe circa lauacrum pœnitentiæ, ac ſatisfactionis deſidia, vt non audeat Propheta aſſerere immerſum Piſcinâ ſanandum. *Ex quo* (adiicit) *intelligi poteſt, quàm difficilè iam in extremis conſtitutis peccatores qualibet munificentiâ ad perfectam indulgentiam peruenire poſſint: quando Propheta ipſe, qui ſuadet propitiationem Dei inquirendam, promittere non auſus eſt promerendam. Dat conſilium de actu, & tamen dubitat de effectu.*

Dan. 4.

Saluian.

46\. *Apud Piſcinam Ephrain ipſum Domini hominem Deū nactum, non potuiſſe ſanari, quia in mortis clamauit non recto (ex corde) articulo.*

Iudas denique & Ephrain cum aridis phtiſicis coniaceat in porticu, hominem minime habens qui eum ſalutarem mittat in Piſcinam, vnde tandem cogitur Ephrain, ſeſe ad hominem Deum recipere ſanandus. Fatur Oſeas, *Et vidit Ephrain languorem ſuum, & Iudas vinculum ſuum, & abijt Ephrain in Aſſur, & miſit ad Regem vltorem; & ipſe non poterit ſanare eos.* Cap. 5. Vbi Strabus, *Quidam per Regem vltorem ſignificant Chriſtum, ad quem in morte clamabunt: Domine, Domine, aperi nobis. Sed eorum prohibente merito, non poterunt liberari.* Certè non miror eos ad Aſſur hominem confugientes liberari ab ægritudine non potuiſſe, quia ſolius hominis qui ſimul ſit Deus, eſt ægrotis medicamina vitaliter exhibere. At mirum mihi, accurrentes eos ad Chriſtum Deum & hominē, & clamantes: Domine, Domine aperi, haud fuiſſe ſanatos. Nō poterit ſanare eos? Quare? Quia in morte clamabunt, qui quidē clamor aſſolet non recto corde excitari, ſed ficto. Conſonans Hieron. fatur, *Quod ſanare non poſſit Dominus, nequaquam ſua imbecillitate, ſed eorum merito, qui ſerò (ſiue in mortis inſtantia) auxilium poſtulauerunt.*

Oſe. 5.

Strab.

Hieron.

SECTIO SECVNDA.

Paralytici ſanitas.

TEXTVS.

VERS. 5. ERAT autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in
infirmitate ſua. 6. Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cogno-
uiſſet, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus
fieri? 7. Reſpondet languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata
fuerit aqua, mittat me in Piſcinam: dum venio enim ego, alius ante me deſcen-
dit. 8. Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. 9. Et ſtatim ſa-
nus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem
Sabbatum in die illlo.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Paralytici ægritudine diuturna.

1\. *Longa patientia, & ſpes Paralytici.*

ERAT *autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.* Inter alios multos, qui ſanitatis recipiendæ gratia apud Piſcinam expectabant, vnus erat triginta octo annorum laborans ægritudine. Miratur Chryſoſtomus hom. 35. Languidi tolerantiam, *qui totum hoc tempus expectabat: & cum incredibilis eſſet multitudo, & ſe poſteriorem eſſet expertus relictum, tamen à ſpe futuri præteritis non territus eſt.* Iudæorum dura corda taxo, qui hominem auxilio deſtitutum per tot annos, aliquem, qui eum vt in Piſcinam deſcenderet citius, iuuaret, non adhibuerunt: & languidi ſummam paupertatem recognoſco, qui nec pecuniam, quâ hominem in adiutorem per breue tempus conduceret, haberet. Toletus, *Rectè in hoc homine totum humanum genus poſt peccatum figuratur, quod diuturno peccati morbo laborans, neminem, qui ad ſanandum adiuuaret, ſuo pretio potuit comparare, ſed infirmus & inops tandiu iacuerit, donec ſine pretio vllo dato Filius Dei homo factus venit, qui eum ſanauit.*

Chryſoſt.

Tolet.

2\. *Quia vidit Ieſus, ſanauit.*

Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet, dicit ei:

ei: Vidit Ieſus oculis corporeis, & interiori miſericordiæ lumine iacentem infirmum, cognouit, quem nihil latet, tempus infirmitatis eſſe diuturnum, & ad eum ſanandum ſe accinxit. Toletus particulam. *Cum,* ſic exponit: *Quia vidit iacentem ſine ope vllâ, & infirmitate antiquâ laborantem, & virtute deſtitutum, propterea dicit ei.*

Tolet.

3. *Quare infirmum interrogauit, num vellet ſanitatem recipere?*

Vis ſanus fieri. Quare infirmum interrogauit? Non quia de eius dubitaret voluntate, ſed vt eius aliquo modo excitaret arbitrium, & ad tantum beneficium recipiendum diſponeret. Significat Dominus ſe arbitrio hominis libero vti in ſalute conferenda. Saluat, & iuſtificat homines impotentes, ſed volentes. Cur non dixit: Vis, vt te ſanem? Quia nondum de Chriſto tantam ille opinionem conceperat! Sic Chryſoſtomus hom. 35. Vbi adiicit aliam Dominicæ interrogationis cauſam, nempe interrogâſſe propter nos, vt ex reſponſione infirmi eius tolerantiam cognoſceremus, qui tot annis ibi perſeuerabat. Reſpondeo tamen propter nos dictum id eſſe, fateor. At non vt ſola languentis tolerantia cognoſcatur, ſed vt ex ipſius ore impotentia, & infirmitatis grauitas, antiquitáſque oſtendatur: vt vberior notitia magnitudinis miraculi reſultaret, & fides magis confirmaretur. Ita ferè Cyrillus lib. 2. cap. 124.

Chryſ.

Authoris ſententia.

§. II.

De prudenti languidi reſponſione.

4. *Reſpondet ipſe languidus ad quæſtionem Ieſu.*

R*Eſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in Piſcinam. Dum enim venio ego, alius ante me deſcendit.* Nouit languidus Dominum non interrogâſſe, an ſanari vellet, quod de notiſſima eius voluntate dubitaret, ideo non dicit: Volo Domine. Viſa eſt quidem ei interrogatio ex quadam animi commiſeratione procedere. Solemus enim ex animi variis affectibus varias interrogationes efformare, non vt interrogantes ſciamus manifeſta, ſed vt illos animi exprimamus affectus. *Adam, vbi es?* Gen. 3. *Vbi eſt Abel frater tuus?* Gen. 4. *Vbi ſunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam?* Deut. 32. His interrogationibus vſus Deus, vt indignationem contra Adamum, & Cainum manifeſtaret, & exprobrationem in idololatras exprimeret: *Vis ſanus fieri?* Ac ſi diceret: ſæpe ad aquas veniſti, cur non ſanitate fuiſti donatus? Intellexit languidus expreſſum interrogatione affectum, & reſpondit: *Hominem non habeo.* Cauſam mihi videris interrogare, cur tanto tempore non ſim ſanitatem conſequutus: ſcito eam eſſe, quia hominem non habeo, qui mihi ſit auxilio; ſolus enim ad Piſcinam alios præcedere non valui: O Domine, cuius pietatem tetigit tanti laboris commiſeratio, te fœliciter nactus ſum, ſi me turbatis vndis digneris immittere in Piſcinam. Cyrillus, *Ex hac interrogatione languidus ſpem concepit, futurum ſibi Chriſtum vtilem, vt in Piſcinam citiùs alio deſcenderet.*

Gen. 3.
Gen. 4.
Deut. 32.

Cyril

5. *Non defuére omninò vires languido.*

Dum ego venio alius ante me deſcendit. Languido planè vires omninò non defuére, ſi poterat ſine homine venire, & gradi: non tamen valebat illo tardo motu citiùs aliis peruenire; vnde numquam potuit conſequi ſanitatem. An non tale hominis in peccato arbitrium? Non eſt omnino extinctum, aut debilitatum adeò, vt nullum bonum facere ſine gratia poſſit: nam morale aliquod bonum poteſt operari; tamen non tale, vt valeat ad ſalutem, & liberationem à peccato peruenire, niſi adiuuante, & ſanante diuina gratiâ. Lege Origenem tract. 35. in Matth. Orig.

§. III.

De languidi ſanitate mirabili.

D*Icit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* In cuius expoſitionem præmitto verba Chriſti non fuiſſe humana tantùm, ſed diuina ſimul; quia homo ſimul & Deus erat. Vt hominis erant, mentis ipſius exprimebant conceptum, quod noſtris eſt commune loquutionibus. Vt erant Dei, virtutem efficiendi, quod ſignificabant, habebant, quando placitum Saluatori. 6. *Verba Chriſti humana, & diuina.*

Igitur ſi tantùm ad verborum ſignificationem reſpiciamus, quid difficilius, quàm Paralytico, qui ad Piſcinam propinquam vix valebat accedere, præcipere: *Tolle grabatum tuum, & ambula?* Potiùs viſus eſſet miſero illudere infirmo. Si autem verbi diuini contemplemur efficaciam, facillimum extitit; dum enim iubet ſurgere, ipſum omninò ſanat, vt ſurgere, & tollere grabatum, & ambulare poſſet. Simile in Ezechiele Gregorius adnotauit hom. 9. *Iacenti Prophetæ Deus iuſſit, vt ſurgeret, ſed omnino ſurgere non poſſet, niſi in hunc Omnipotentis ſpiritus intraſſet.* 7. *Quid vt humana? quid vt diuina?* Greg.

Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Efficaciam ad ſanandum, & ad operandum, præceptum verba Domini continebant. *Statim ſanus factus eſt,* ex quâ parte verba effectiua erant. Languidus etiam ſanitate donatus in omnibus, quæ ei ſunt præcepta, obediuit; ſurrexit enim, tulit grabatum ſuum, & ambulauit. Cur grabatum tollere iubetur? Vt conſtaret perfectè ſanatum. Caietanus, *Perfectio ſanitatis ſignificatur: vt ita ſanus effectus eſſet, vt qui non poſſet vſque ad natatorium deſcendere, tolleret lectulum ſuum.* Quare addidit: *Et ambula?* Idem Cardinalis reſpondet, *Non ſolùm vires, ad ſurgendum, & tollendum grabatum, ſed ad ambulandum portando onus, collatæ ſunt.* Nec timuit languidus Iudæorum calumnias, nec ſe legem tranſgredi, dum in Sabbato portat onus, arbitratus eſt, tanti auctoris præcepto ſecurus. 8. *Efficacia, & præceptum verborum Domini.* Caiet.

Erat autem Sabbatum in die illo. Adnotat Ioannes Sabbati religionem in die illa coli, vt exprimat vndenam Iudæi calumniandi anſam, arripuerint Quid Sabbatum? Lactantius lib. 7. cap. 14. Quaſi *dies ſeptimus* ex Hebræo vocabulo, quod *ſeptem* ſonat. Sed exiſtimo id aſſertum ex Hebraici idiomatis ignorantia; nam שֶׁבַע, quod *ſeptem* ſignificat, ſcribitur cum *Ain*, *Sabbatum* autem cum *Tayh.* Plutarchus in Simpoſiacis opinatur nomen Sabbati à verbo Græco σάβαζω, quod tripudiare more bacchantium ſignificat: eo quod eo die Iudæi ad largius bibendum ſe inuitarent. Aſt mihi vera etymologia eſt à verbo שָׁבַת, quod quieſcere ſignificat deriuari: eo quòd die ſeptimâ Deus ab opere mundialis opificij 9. *De Sabbato.* Lactan. Plutarch.

ficij vacauit, quieuit; & Iudæis eadem die ab omni ſeruili opere vacare præcepit. *Memento*, (inquit Deus,) *vt diem ſabbati ſanctifices, ſex diebus operaberis, ſeptimâ autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt; ſex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram: & requieuit in die ſeptimâ.* Exod. 20. Hinc Apionis de inguinum vlcere figmentum refello, de quo Ioſephus lib. 2. cont. ipſum.

Exod. 20. Ioſeph.

IN IESVM PARALYTICOS SANANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX PARALYTICI SANITATE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.

Vt hominem tam diu infirmitate preſſum ſanaret Chriſtus, ſuæ miſericordiæ mirabilis Piſcinam excitauit.

Media enim extra ordinem ſeu miraculoſa requiruntur, vt inueteratus dierum malorum conuertatur.

11. *Peccator inueteratus, qui ſe à peccatis paucis mediis communibus confeſſionis &c. expediebat, multiplicando vincula, miraculo indiget.*

Ex diuturnâ in crimine perſiſtentiâ ægritudine diuturnâ vexatum fuiſſe languidum infra ſect. 3. patebit. Triginta & octo annorum peccator, inueteratus dierum malorum aquis confeſſionis annuæ ſanandus, vt reliqui, non facilè intingitur: tantæ ægritudinis pertinaciæ miraculoſæ Dei miſerationis eſt turbanda piſcina, medio aliquo extra ordinem adhibito medicamen adhibendum.

Peccator quidem *funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Prou. 22. Filis adiectis funes contexuntur, quorum ſingula facilè frangi poſſunt; at tot fila ad vnum redigentur, vt minimè valeas conſtrictus te ab eis expedire; quia iam non filum ſed funis eſt. Lazarus prodit *ligatus manus, & pedes inſtitis, & facies eius ſudario erat circumligata.* Ioan. 11. Vbi Auguſtinus lib. 4. Confeſ. cap. 5. *Ligatus voluntate ferrea*, ſeu pertinacia impœnitentiæ. Vndenam ferrea voluntas myſtico peccatori? Quia non vnico filo, ſeu criminis ſtamine illigatur, capitis, manuum, pedum multiplicata vincula eum adeo conſtringunt, vt neceſſum ſit à Domino Deo homine, inſtar Paralytici à lecto excitari, miraculo auguſtiſſimo. Quàm verè audiſtis. Funiculus triplex difficile rumpitur. Vnum comminuis facilè, duplicem rumpendo deſudaſti, triplicem non potes niſi vberiores vires à Sampſone vero acceperis Saluatore.

Prou. 22. Ioan. 11. Auguſt.

12. *Inueteratum Iudæorum adulterium debebat mirabiliter Agni ſanguinis effuſione ſanari.*

Chriſti perſecutores criminibus inueterati *ſignum quærebant ab eo. Volumus*, inquiunt, *à te ſignum videre.* Matth. 12 Sol ſtet, Luna ſine terræ oppoſitione deficiat, ſanguine purpuretur, æthera militum compleant exercitus, vt huiuſmodi peccatorum præcordia mente meliori afficiantur. An non media ordinaria ſufficient? Chriſtus illos malam, adulteráque generationem vocitauit: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ.* Alibi oſtendi adulteram vocari generationem illam, quia ab antiquo Lamech adulterio nondum fuerat expiata. Diuturna ergo ægritudo miraculoſo medicamine curanda eſt, & non alio quàm paſſionis miraculo excitando, quum Alcuino authore, Iudaicæ gentis adulterij macula ſanguine ſalutari, vera Piſcina, diluenda. Gregorius, *Graue pondus peccati deponi non poteſt niſi auſteritate magnæ compunctionis. Ergò vt ad pœnitentiæ fructum ſic peccans prouocetur, per mirabilem motum aeris debet excitari.* Eget miraculoſo medio ablegari tanti temporis ægritudo.

Matth. 12. Alcui. Greg.

13. *Peccator inueteratus quodammodo creatur rurſum, vt ſanetur.*

Prodigo recedente à Domino in Regionem longinquam, Petrus non tam longè recedit, verum abnegat Saluatorem. *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum*, qui illicò *fleuit amarè.* Matth. 26. Porro prodigum famis calamitate ſeruitutis labore excitatum redeuntem tandem egreſſus excipit, *cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Luc. 15. Vbi Bernardus ſerm. 16. in Cant. *Os ori applicat, iteratò inſpirans in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Cur reſpiciens Petrum curauit, ſanauit: at ſanaturus prodigum occurrit, oſculatur, ac rurſum dat quodammodo operam creationi mirabili? Quia Petrus tyro delinquens communibus mediis ſubiacet, ſolo Ieſu aſpectu compungitur. At inueteratus dierum malorum indiget quodammodo creatione nouâ, ſiue tali eget reformatione, vt noua ſpiritus informatio videatur. Niſi enim huiuſmodi delinquentes ſigna, & prodigia viderint, non credunt.

Matt. 26. Luc. 15. Bernard.

14. *Sampſon poſt diuturnas voluptates indiget liberatore (ex miraculo) Deo.*

Sampſon ille Dalilæ preſſus ſeruitute, comâ priuatus & fortitudine, peccatorum ſuorum funibus conſtringitur, à quibus minimè liberabitur niſi excitato miraculo adiuuetur à Numine. Dorothæus de abren. doct. 1. *Dans poteſtatem, quâ operari bonum poſſemus, ne pertrahi ad peccatum nolentes (vt ita dicam) poſſemus vllâ vi. Aggrauatur, & trahitur, qui peccato ſeruit, & funibus*

Doroth.

peccatorum

peccatorum ſuorum conſtringitur. Hi quodammodo volentes liberari, minimè poſſunt, niſi Sampſonis liberator vincula conſtringentia comminuat.

Mulier ægra poſt tot annos non ſanatur communibus mediis, niſi Dei fortiter manu contingente. Luc. 13.

15\. Ad veram Piſcinam mulier diuturnâ preſſa ægritudine accurrit. *Ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere. Quam cùm videret Ieſus, vocauit eam ad ſe, & ait illi: Mulier dimiſſa es ab infirmitate tua, & impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt.* Luc. 13. En peccatoris inueterati imago. Sunt qui tam aſſiduè ex conſuetudine delinquunt, vt ſpiritum videantur infirmitatis habere. Huiuſmodi peccatori Deus, *Mulier*, inquit, *dimiſſa es ab infirmitate tua.* Si iam mulier hoc efficaci verbo ſanata, quomodo neceſſium fuit adhiberi manuum Ieſu contactum, vt ſanaretur? *Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt.* Acutè Gregorius contemplatur verbo illo: *Dimiſſa es ab infirmitate tua.* ſignari media ordinaria, quibus ſi velit æger ab infirmitate dimiſſus conſtringente, poſſit liberari. At communi medicamine inueterata anima minimè erecta indiget mirabili medici cœleſtis contactu: *Impoſuit illi manus.* Vidi ſæpe viros, aut fœminas diu voluptatibus indulgentes, nec recedentes ab improbitate, niſi Dei manu mirabiliter contingente, fortiter flagellante. Manuum illi impoſitione conuertuntur, ſeu (vt vulgariter exponam) *Conuiertenſe, porque Dios les aſſentò la mano.* Gregorius, *Vſitata culpa obligat mentem, vt nequaquam verbo ſurgere poſſit ad rectitudinem*, vnde manuum accedit attactus. *Greg.*

Observatio II.

Ad illa verba:

Hunc cùm cognouiſſet Ieſus, quia iam multum tempus haberet: dixit illi: : vis ſanus fieri?

Cognoſcens Ieſus inueteratæ infirmitatis ægrotum, rogat aptè, num ſanari velit?

Inueteratæ enim voluptatis, ſeu auaritiæ peccatores volunt ſanari, & non volunt ſanari.

16\. ANNONÔ Domine, ſatis nota languidi voluntas? Quid ergo rogaſti, num vellet donari ſanitate? Certè cum video homines pluribus annis voluntariè comprimi paralyſi, voluptatis lecto coniacere, licèt eos iuxta Piſcinam contempler Eccleſiæ, compertum mihi minimè eos velle ab ægritudine liberari. Quid mirum Chriſtum, qui præcordia hominis luſtrabat, de illius voluntate dubitâſſe, imo certò cognouiſſe illum non efficaciter voluiſſe ſanari, qui tantâ deſidiâ tam longo tempore circa ſanitatis media laborâſſet. Volebat ille, ſed non volebat. An implicatoria propoſitio?

Salomon inquit de iniquo, *Vult, & non vult* 17.
piger. Prou. 13. Sunt peccatores qui velle ſimul & non velle circa conuerſionem videantur. Vult Adamus immortalitatem à vetito cibo abſtinendo tueri, ſed non vult ſponſam dilectam contriſtare. Vult auarus epulo refrigerij vndâ donari, ſed non vult manum ad fontem admouere. Vult impudicus ornari rurſum ſtola puritatis, ſed non vult veterem exui hominem, ſed superveſtiri. Vult peccator Nuptiis regalibus intereſſe, ſed non vult de Nuptiali indumento curare. Vult Dina virginitate florere, ſed non vult à periculoſo adoleſcentum confluxu ſeparari. *Vult, & non vult piger.* Optimè Strabus, *Vult peccator regnare cum Domino, ſed non vult pati pro eo. Delectant præmia, terrent certamina. De quo Iacobus, Vir duplici animo inconſtans eſt in omnibus.* Cap. 1. *Et Ieſus Sirach, Væ peccatori terram duabus viis ingredienti.* Eccl. 2. Duabus viis ingredi curat peccator, qui vult per viam mandatorum incedere, & non vult à via recedere iniquitatis. Qui complicato morbo laborat, quàm difficile redderetur ſanitati!

Peccator vult, & non vult, & ideo interrogando, an velit. Prou. 13. *Strab.* Iac. 1. Eccl. 2.

Pilato Dominus, *Ego ad hoc natus ſum, & ad* 18.
hoc veni in Mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Cui Præſes, Quid *eſt veritas?* Addit Euangeliſta, *Et cum hoc dixiſſet iterum exiuit ad Iudæos.* Ioan. 20. Quò tendis Iudex? Cur non quæſtionis expectas ſolutionem? Alcuinus, *Non expectauit audire reſponſum.* Quærit Pilatus veritatis definitionem, quia vult ſibi eius pulchritudinem innoteſcere, ſed non vult tantæ amaritudinis calice potari.

Pilatus vult, & non vult veritatem audire. Ioan. 20. Alcui.

Memorati epulonis recolo ſententiam. *Mit-* 19.
te, inquit, *Lazarum, qui intingat digitum in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Cùm autem perſiſtere precando debuiſſet, adiicit: *Rogo, vt mittas eum ad domum patris mei.* Luc. 16. Si ad te mittendus, vt linguam refrigeret, quomodo ſimul ad domum patris immittendus eſt? Quia miſer luxuriei igne vexatus volebat addici refrigerio; ſed cæcitate adhuc captus non volebat. Chryſologus ſerm. 66. *Iam depone dolos.* Vis enim, & non vis, qui curas Lazarum tui imitatorem terram duabus viis ingredi, eodémque motu & ad tuum refrigerium venire, & à tuo conſpectu deturbari. Addit pulchrè Pater, *Quia tu Lazarum non potes videre, ſcitur: quia plus te felicitas Lazari, quàm gehennæ torquet incendium.* Aduocas, vt inimico reconciliari poſſis, precaris ad domum parentis immitti, vt à te omnino recedat, quia videre non vis quem odio proſequeris. Sæpe pœnitentiâ ductus vis inimico proximo reconciliari, ſed renuis occurſum, quia eum videre non potes: Vis, & non vis.

Epulo vult, & non vult aqua tingi. Luc. 16. Chryſol.

Vereor, miſerè perituros contrariarum via- 20.
rum curſores. Ex Arca Noë coruus egrediebatur vt experimentum de recedentibus aquis ſumeretur. *Dimiſit* Noë *coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur.* Gen. 8. Vbi aſſerit Caietanus ſæpe coruum ad Arcam paráſſe volatum, & illico cadaueribus illectum illum conatum reformâſſe, tandémque egrediendo & redeundo, ſiue reuertendo, & non reuertendo, miſerè periiſſe. Vis, & non vis, ſæpe conaris ad Arcã reuerti, & contrariis viis incedere paras? Miſero interitu obeueris.

Perit tandem contrariarum viarum curſor. Gen. 8. Caiet.

Quàm

21. *Iuſtus vult, & vult.* Ambroſ.

Quàm ſecus iuſtus vult, & vult; quia perſeueranter ſalutis conſequutioni inſudat. Chananæa acceſſit ad Chriſtum filiæ efflagitatura liberationem. Cui cum Dominus profaretur, *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus*, petitioni inſiſtit: *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Tandem Magiſter, *Fiat tibi ſicut vis.* Matth.15. Particulam *vis* adnoto. Sicut *vis*, quia perſeueranti voluntati inſiſtis petens, ac repetens. Ambroſius lib. 5. in Luc. *Verè hæc Regnum coëgit pertinax.* Quia ſcilicet voluit, & voluit.

Matth.15.

22. *Non vult ſanari qui circa ſalutem deſidia laborat.* Iacob.

Non mihi perſuadere poſſum velle ſanari, qui non efficaciter ſurgit à grabato; qui enim vult volentis habitum præ ſe ferre procurat. Audi pium Anthol. Sac. Iacobi Bill. carmen aptandum argumento.

In vitijs animum quiſquis ſine fronte voluat
Omnibus, & latum carpere gaudet iter:
Hic ſi iudicium extremum ſe credere dicat,
Credere tu fugias, verba dat ille tibi.
Quiſquis enim credit, metuit: quis namque tribunal
Iudicis æterni cogitet abſque metu?
Quod ſi ſe rurſum dicat, iuretque timere,
Verba dat hic iterum, qui timet, ille cauet.

Qui ſe velle ſanari affirmat poſt tot annos euolutos præcipuè ſi ad ripam Piſcinæ (vti Regulari, aut Sacerdoti accidit) reſideat, licet iureiurando aſſerat, minimè credulitate excipiendus, verba dat, nam qui vult, curat ad ſacramentorum Piſcinam properare, hominem Deum requirit adiutorem. Sicut ille credit & non credit: ita hic vult, & non vult; vnde appoſitè rogitandus: *Vis ſanus fieri?*

Observatio III.

Ad illa verba.

Vis ſanus fieri?

Rogat Dominus, vtrum ſanari velit, quem vidit addictum grabato.

Sunt enim quibus animi ægritudo, id eſt, peccatum ſiue mors ipſa commoditatem pariat: hi viuunt veneno, captiuitate regnant.

33. Caſſia.

ACVTE adnotauit Simon de Caſſia lib.5.cap.27. Languidum illum commoditate frui viſum ſibi, dum grabato addicebatur, ſi quidem Dominus interrogat: an ſanari vellet. *Placéne tibi ſanitas? Ergo infirmitas*, quæ tibi placet, *diſpliceat.* Cuinam non diſpliceat ægritudo? Proh dolor! Sic homines voluptatis tyrannidi præſtant obſequium, vt redemptorem arbitrentur tyrannum, ægritudinem reputent valetudinem, animi enim lumine capiuntur.

24. *Peccatores Ægyptiaca ipſa captiuitate delectãtur, quia diuturna.*

Dominus, inquit Moyſi, *Ego vos audiui dicere: Bene nobis erat in Ægypto.* Num. 11. Bene in Ægypto? Dominum teſtor in rubo ſpinis vulneratum laborantis in Ægypto populi imaginem præferentem. Quid Moſi profatur? *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto. Sciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum.* Exod.3. An non ingemiſcentes *filij Iſraël propter opera vociferati ſunt, aſcenditque clamor eorum ad Deum ab operibus?* Exod.2. Quonam modo igitur vobis *benè erat in Ægypto?* Addici miſeræ ſeruituti, reddere palearum penuria conſuetum numerum laterum bene vobis? Præmiſerat textus, *Poſt multum verò temporis.* Diuturnitas ſeruitutis neſcio quam cæcis commoditatem ingeſſerat.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T.I.

Num.11. Exod.3. Exod.2.

25. *Quodammodo Patribus in limbo conſiſtentibus longa captiuitas erat in delitijs.*

De Chriſti Domini aſcenſu ſic Paulus ex Dauide. *Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem.* Epheſ.4. Quænam illa captiuitas, quæ à triũphante Domino ducitur illigata? An mors? Minimè, quia non datum morti ad terram viuentium deportari; an peccatum? Minimè, quia nec victa cœlum valet iniquitas penetrare, poſtquam fuit cum Angelis deturbata. An inferni tyrannis? Minimè proſopopœia cælo conueniens. Caietanus, *Chriſtus aſcendens in altum, hoc eſt, in cælum, captiuam duxit captiuitatem, pro quanto Sanctos, qui captiui erant in limbo duxit in cælum, quod eſt, tanquam de captiuitate in captiuitatem ducere.* Preme proxima verba: *De captiuitate in captiuitatem*, id eſt, de limbo in cælum. Cur cælum *captiuitatem* appellarit? An quia adeo homines diuturnæ ſolent captiuitati addici, vt difficilè velint ſeparari? An ideo Dominus eis indicit à captiuitate illa diuturnâ in captiuitatem eſſe ducendos, vt faciliùs gaudeant limbi relinquere captiuitatẽ? Ægyptum dimittemus? Ægypti aſcenditis ad Regiones. Vincula captiuitatis comminuentur? Ad captiuitatis cæleſtis vincula aurea pergitis, vbi vincti ſpei vincti eritis charitatis nunquam ab aureis catenis diſceſſuri. Hac exaggeratione exprimit Cardinalis, quàm grata ſoleant eſſe diuturnæ vincula ſeruitutis.

Epheſ.4. Caietan.

27. *Miſeram duplicem ſeruitutem eorum, qui cum poſſint tam crudelem dominatum vitiorum effugere, non præſtant, deſcribo.*

Ioſeph ille, qui venditus, & ſeruus fuerat domus Putiphar conſtitutus in dominum, cùm vidiſſet dominæ inſidias, vt ad voluptatis eum traheret ſeruitutem, prudens aufugit (vt Ambroſius ait) *crudelem dominam*; ſciebat enim veraci illigari ſeruitute, qui voluptatibus præſtabat obſequium. Video plurimos vitiorum parere dominatui. Ambroſius idem lib.2. de Iacob, *ſeruus quicunque delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel indignatione exaſperatur; ſeruilis enim eſt omnis paſſio.* Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. *Bonus etiamſi ſeruiat, liber eſt: malus autem ſi regnat, ſeruus eſt, nec vnius hominis, ſed quod grauius eſt, tot dominorum, quot vitiorum.* Hieronymus epiſt. ad Simplici. *Peccator ſeruus proprijs paſſionibus, ſeruit ſuis cupiditatibus, quarum dominatio nec nocte, nec die fugari poteſt, quia intra ſe dominos habet, intra ſe ſeruitium patitur intolerabile.* Quàm eleganter vel Gentilis Tullius Parad. *Quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſeruos? An ille mihi liber videtur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præſcribit, vetat iubet quod videtur, qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet? Si poſcit, dandum eſt: ſi vocat, veniendum: ſi eijcit, abeundum: ſi minatur, extimeſcendum. Ego verò non iſtum modo ſeruum, ſed nequiſſimum ſeruum, etiamſi in ampliſſimâ familia natus ſit, appellandum*

Ambr. Auguſtin. Hieron. Tull.

puto. Cur nequiſſimus appellatur ſeruus? Quia cùm poſſis crudelem fugere dominam, vltroneè ſe addicit ſeruituti interminabili, quod ſuprema eſt ſeruitutis miſeria. Plutarchus in Apot. *Idathyrſus Scytharum Rex, in quem arma mouit Darius, ſuaſit Ionum Regibus, vt Hiſtrici pontis iunctura ſolutâ, fugientes ſe ſe in libertatem vindicarent. Qui, cùm id facere recuſaſſent, ne violarent fidem, quâ Dario erant obſtricti, vocauit eos mancipia mancipia; quia nolle tyrannicam ſeruitutem commutare libertate, ſi detur opportunitas, animi bis ſeruilis eſt.* An non te mancipium mancipium, ſiue bis ſeruum appellabo, qui ſuſtinens crudelis dominæ intolerabile imperium, adhuc cùm poſſis, ſolutâ obligatione, tyrannicam ſeruitutem libertate felici commutare, nolis? Quàm aptè ei, qui ſeruitute delectatur Dominus inquit: Vis ſanus fieri? Signum eſt, te nolle fugere crudelem dominatum, ſi poſt tam diuturnam tyrannidem non curris ad Piſcinam.

Observatio IV.

Ad illa verba,

Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet, quia iam multum tempus haberet, dixit &c.

Paralyticum benigniſſimè Dominus ſanauit, eò quòd cognouiſſet, multum tempus habere ægritudinis.

Tam mirabilia etenim miſericordiæ opera ſunt, vt amplius ſe deliquiſſe, quodammodo vberioris meritum pietatis.

17. CVm Chriſti pietas verax Piſcina vni ſolummodo reſtituere parat ſanitatem, relictis minus ægris, & peccatoribus: eum eligit, qui & ægritudine, & probabiliter iniquitate plures ſuperabat. Planè myſtice Patres Paralytico diuturno peccatorem magna preſſum inueteratâ iniquitate aſſerunt figurari. Cur igitur ſanitate hunc donauit, quia vidit iacentem, & cognouit grauiori diuturnæ iniquitatis morbo laborare? Certè ea eſt Dei pietas, vt quaſi meritum ſit, ad vberiorem veniam conſequendam grauius deliquiſſe.

28. Apud Matthæum Dominus duplicem ſanauit ægrotum. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Cap. 9. *Vidit hominem ſedentem in teloneo, & dixit illi: ſequere me.* Ibid. Hoc intererat inter vnum, & alterum, quòd (Chryſologo aſſerente) *deteriùs ſedebat in teloneo Publicanus, quàm Paralyticus iacebat in lecto. Ille carnis patiebatur paralyſim, iſte mentis: Ille iacebat captus carne, ſedebat animo, & corpore iſte captiuus: ille doloribus ſuccumbebat inuitus, iſte vitiis voluntarius ſeruiebat, ille ſe cognoſcebat inter vulnera peccatorem, iſte ſibi innocens auaritia videbatur in crimine; ille dolorum gemitibus peccata dolebat, iſte lucrorum cumulabat peccata.* Iam quærit Pater, *Quare* igitur *Publicanus, qui maior videtur in crimine maior habetur in munere?* Paralyticus minor peccator ſanitate donatur, & veniâ. Matthæus autem maior delinquens veniâ, & Apoſtolatu. An plus deliquiſſe fuit quodammodo meritum ad veniam vberiorem, ad auguſtiora munera titulus? *Vis noſſe, quare plus conſequutus ſit Publicanus? Quia, iuxta Apoſtolum, vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia.*

Matthæus maior peccator benignius à Deo exceptus eſt. Matth. 9. Chryſ.

29. In vituli conflatione Aaron grauius deliquit ſecularibus; quia cum vitulo nomen illud Deitatis ſingularitati repugnans *Hi ſunt dij tui*, indidiſſent, Aaron præconis voce idolum ineffabili nomine decorauit. Exod. 32. Porrò poſt tantum facinus electurus Dominus Pontificem ſummum, Aaronem grauius delinquentem aſſumit, relictis reliquis, qui non tam grauiter peccauerunt. Cur ita? An plus deliquiſſe apud piiſſimum Dominum fuit electionis quodammodo meritum? Caietanus inquit, *Non meretur tanta blaſphemia Aaron excuſationem. Inſaniuit enim ipſe multo magis quam alij, Nam alij nomina communia Dei idolo attribuerunt, ipſe incommunicabile, & ineffabile nomen Tetragrammaton, nullo inſtigante, & voce publicâ.* Adiicit appoſitè, *ſcriptum autem eſt hoc ad commendationem diuinæ gratiæ, quæ poſt tantum ſcelus Aaron aſſumit potius ad Pontificatum.* Hoc in veteri Teſtamento.

Aaron in Pontificem ſummum eligitur, quia magis inexcuſabiliter deliquit? Exod. 32. Caiet.

30. In nouo autem Petrum Eccleſiæ aſſignauit in Præſulem, cùm præferendus videretur aut Ioannes præcipuè dilectus, aut Iacobus conſobrinus egregiâ decoratus ſanctitate, aut Andreas Chriſticola primus, aut Paulus illuſtriſſimus operariorum Euangelicorum Magiſter. Cur ita? Recolens Chriſti comprehenſionem apud hortum, video Apoſtolos aufugiſſe, Petrum autem ter Magiſtrum optimum abnegâſſe. Aude bone aſſerere, ideo Petrum è reliquis aſſumptum in Præſulem quia copioſiorem miſericordiæ Dei, grauius delinquendo materiem miniſtrauit? Audiendus Cardinalis citat. *Scriptum eſt peccatum Petri ad commendationem diuinæ gratiæ, quæ poſt tantum ſcelus Petrum in nouo Teſtamento aſſumit ad Pontificatum.*

Petrus Eccleſiæ no electus Præſul, quia grauius deliquit Matt. 26. Caiet.

31. Apud deſertum Moyſes, *vidit, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Exod. 3. Vbi Auguſtinus, *In rubo ſignificata eſt ſinagoga Iudæorum, ſiue contra Dei gratiam rebelles.* Chriſtus ergo, qui iuxta Patrum expoſitionem figuratur in Angelo aduentu ſuo à ſupplicij flammis rebelles liberat peccatores. O Domine, cur ſpinas inſignium delinquentium, rebellium peccatorum ab igne Tartareo defendis? Relinque obſtinatos Iudæos à quibus ſpinis coronandus, ſuffigendus ligno, protege Gentiles à flammis. Ea eſt Dei miſericordia, vt grauioribus criminibus ſubiacere, quaſi titulus ſit recipiendæ pietatis. Theodoretus quæſt. 6. Rubus qui ardebat nec comburebatur, Dei potentiam, benignitatemque declarat, quòd videlicet ignis rubum, quem facilius cremare poſſet, non conſumeret. Quinam Rubus? Iſidorus apud *Gloſſ. Rubus ſpina Iudæorum.* Igitur Iudæorum iniquitas, ſpinus quæ igni poſſet exhibere alimentum, incolumis ſeruatur ab igne miſericordiæ & potentiæ. Quis non pietatis Dominicæ diuitias admiretur, recedenſque à Iudaicâ ingratitudine tanto Regi, tam benigno Imperatori præſtet obſequium?

Liberat Deus Hebræos à flammis, quia ſpinæ ſunt Chriſti caput compungentes? Meritum ne ad vberiorem pietatem vberior iniquitas Exod. 3. Auguſt. 164.

Obſeru.

Observatio V.

Ad illa verba:

Domine, hominem non habeo.

Tunc Deus homo Paralyticum viſitat,& ſanat,cùm ſe verè derelictum ab homine profitetur.

Nec enim cæleſti fruitur aſpectu, qui hominum nititur præſidio.

32. VIx miſer ille iam verè felix ſe omnino ab homine derelictum profeſſus eſt, cum medicus cæleſtis illius dat operam ſanitati. Angelus ſæpe ad Piſcinam deſcenderat, venturum (vt vidimus) referens Saluatorem, nec tamen Paralyticus recepit ſanitatem; quia hominum præſidio niteretur. Profitetur ſe omnino ab homine derelictum? Deus homo medicus præſentatur.

33. *Moſes Deum ſuauiſſimum experitur omninò ab hominum præſidio abſtractus.* Exod. 5.

Deus Moyſi oues Iethro paſcenti; *Vade* (inquit) *& congrega ſeniores Iſrael, & dices ad eos: Dominus Deus Patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Exod. 3. Achila transfert, *& viſus ſum ab Abraham, & ab Iſaac, & ab Iacob in Deo ſatis multo.* Id eſt, ſatis multo Deo ex pietatis, & munificentiæ oſtenſione. Vulgariter exponere liceat: *Moſtroſeles muy Dios en la piedad, y largueza.* Quandonam ergo Moyſi Deus tam ſatis multus? Profectò cùm ouium alienarum paſtor ab hominibus omnino receſſerat. Id quod in commoratione apud deſerta oſtendebatur. Gregorius lib. 23. Mor. cap. 20. *Moyſes admixtus Ægyptijs, quaſi vigilabat Mundo, ideo Dominum non videbat. Sed extincto homine poſtquam in deſertum fugit, diuinam vocem percepit.* O ſi nobis omninò homo extingueretur, ſoliúſque Dei hominis niteremur iuuamine, quam certò fulciremur auxilio! (Greg.)

34. *Cum hominum cingitur præſentia, & illis addictus eſt, Deum ita ſuauem non experitur.* Exod. 33. Euſeb. Cæſar.

Dum languidus fidebat hominibus Angelus turbat aquam, ſed non Dominus ei præſtat auxilium: ab homine derelictum Deus homo protexit. Protoparentibus Dominus ſub hominis formâ apparuiſſe, vt ægritudini mederetur humanæ Euſebius Cæſar. aſſeruit. Moyſe autem *ingreſſo Tabernaculum fœderis, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebatúrque cum Moyſe, cernentibus vniuerſis.* Exod. 33. Cur non Dominus humanâ apparet ſpecie, ſed Angelus ſub formâ nubis apparet? Reſpondet Euſebius, quia hominibus Moyſes nitebatur, populumque adeo diligebat, vt Moyſi populus vocaretur à Domino: *Vade aſcende de loco iſto tu, & populus tuus.* Ibid. *Quis loquebatur Moyſi? Columna nubis, cum antea Dominus Patribus in hominis formâ apparuiſſet. Sic oſtendebatur Moyſi propter populum.* Adamum autem & Euam omninò ſolitarios Deus ſpecie hominis inuiſit, eos & Piſcina & ope donaturus: *Ipſa conteret caput tuum, &c.* Gen. 3.

Clamabat Iſaias. *Emitte Agnum Domine, Dominatorem terræ de petrâ deſerti.* cap. 16. Legit Tyrus, *Mitte Filium Dominatoris terræ:* Chriſtus homo deſcendat homines ægrotantes ſanaturus. Cur *de petrâ deſerti?* Quia ex Virgine exortus habeute (vt cum Ruperto loquar.) *animum valdè ſolitarium.* Solitarium accedit ad montem filiæ Sion ſolius Dei hominis requirens auxilium. 35. *Chriſtus Agnus de deſerto hominum ope deſertis iuſtis opem adfert.* Iſai. 16.

Abrahá vnico homine puro nitebatur, vt ſperaret Dei hominis aduentum ad Piſcinam ægrorum deſcenſuri. Vt autem verè Domino Ieſu donaretur à Patre, vnici filij Deus mortem indicit. Se curabat Patriarcha ab vnico illo homine expedire cùm clamat Cœlicola: *Abraham, Abraham, ne extendas manum ſuper puerum.* Mox autem aries inter vepres ſeu Deus homo apparuit immolandus. Gen. 22. Quærit Chryſoſtomus hom. de Iob, & Abrah. *Quare non dixit: ſuper filium, ſed ſuper puerum? Et reſpondet, Opus erat, non puero, vel ſeruo, ſed filio.* Ac ſi diceret, Opus erat ei Filio Dei ex progenie ſanctâ naſcituro; vt autem huiuſmodi Filium à Domino acciperet, opus erat ei ſe omni homine ſeruo affectu ſpoliare, vnde Deus curauit Abrahamum hominem illum ſeruum immolâſſe animi promptitudine, vt verè hominem non habens purum, ſeruum vtique, Deum hominem Chriſtum immolandum haberet. 36. *Abrahamum Deus donaturus homine Deo Filio, eû omnino ab humano præſidio ſeparat.* Gen. 22. Chryſ.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Domine, hominem non habeo.

Languidus ille, quia ſeruiebat hominibus, hominem ſubleuatorem non habebat.

Vbi inter ſeruire Deo, aut hominibus maximè diſtare oſtendo.

QVI ex hominibus auxilium expectabat, miſerè ſub grabati iugo gemebat querelas ſuſcitans de tyrannide. Quàm feliciter ad Dei iugum ſuauiſſimum tranſiit è baratro, vt magno ſuo bono diſcrimen ſeruitutis experiretur. Triginta ſupra octo annorum ſeruitus potuit miſerum hanc edocere diſtantiam. 37.

Roboam, ac Iuda Principes delinquentes Deus in manus Seſac Regis Ægypti tradidit. Quonam conſilio? *ſeruient,* inquit, *ei, vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis Regni terrarum.* 2. Par. 12. Quàm ſuauis Dei hominis ſeruitus, quàm hominum dura tyrannis! Lyranus, *Quia ſeruitus Dei ſuauis eſt, & conſolabilis.* Laboribus ſancti cruciantur, ſed conſolatiune donati patiuntur. *Seruitus autem humana* *Seruitus Chriſti ſuauis, cõſolabilis: hominum ſeruitus dura ſine ſolatio eſt.* 2. Reg. 12. Lyran.

38. *Immenſa ſuauitas iugi Dominici eſt licitarum voluptatum ſuauitate comparata; quæ quidem duriſſimum iugum eſt.* Matth. 11. Bernard.

mana dura, & quaſi importabilis. Non enim premens humeros, addicit vnde patiens conſolari poſſit.

Ipſum Dominum audiamus. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Matth. 11. Particula *Meum* iugi exprimit ſuauitatem. Obiicias menti, quæ ſuauiſſima voluptatis, diuitiarum, dignitatum tibi videris comportare iuga, licito planè affectu ſine criminis admixti tyrannide. Eorum dulcedo pene erit amaritudo, ſicum iugi cœleſtis (laboribus quidem prementibus) ſuauitate componatur; quia ſcilicet Dei ſuauiſſimi iugum eſt hoc, illa autem hominum. Bernardus, *Quantò benignior, & dulcior eſt diuina clementia quolibet homine, tantò ſuauius certum eſt eſſe iugum eius cæteris omnibus.* Iugi Dei laboribus humeros ſanctorum prementis, & hominum iugi mundiali licità ſuauitate pleni ſuauitas componatur. Infinitè ſuauius hoc illud, quia Dominus ipſe infinitè ſuauior eſt homine ſuaui. O Iugi Dei infinita penè ſuauitas cum premis, cũ affligis!

39. *Vnicum eſt Chriſti iugum, multiplex hominum.*

Alteram premo particulam, *Iugum meum.* Vnicum eſt Chriſti iugum licèt ſit omnium laborum, queis torquetur iuſtus, colligatio. At hominum iugum (de licitis loquor voluptatibus, ſenſuúmque oblectationibus) multiplex planè eſt. Inuitatus ille ad cœnam magnam loco excuſationis hæc verba profatur: *Iuga boum emi quinque, vado probare illa, rogo te habe me excuſatum.* Luc. 14. Probet ille iugi ſuauitatem, ſenſibus quinque oblectatione ſua fruentibus. An non iuga ſunt multiplicia? Bernardus ad hæc. *Cùm ſine iugo eſſe homines non poſſint, quale hoc ipſum eſt? Elegere potius quinque quàm vnum. Quis enim poteſt ſeruire quinque Dominis ne dum quinque tyrannis, quinque prædonibus.* Si licita ſenſuum oblectamenta tyrannide expreſſa deprædantur: quid ſi iniquitatis pondus adiiciatur?

Luc. 14.

Bernard.

40. *Iugum Chriſti gratis offertur, iuga hominum magno pretio acquiruntur.* Luc. 14. Bernard.

Adhuc verbum illud expendo: *Iugum ſuaue, & onus leue.* Suaue fateor, & leue; ſed ſummo pretio comparatur. Falleris profectò. Iugum enim ſuaue gratis accipitur, cùm mundialis ſuauitas pretij ſummi acquiratur commutatione. *Iuga* (ait ille) *boum emi.* O miſer, qui ſuauiſſimum gratis datum iugum renunciat, & duriſſima pretio redempta iuga admittit, imo anxietate nimiâ præmiſſa requirit! Addit Abbas. *Quid enim iuga emit, & iuga boum, cui iugum ſuaue gratis offertur? Nam iugum Chriſti, iugum hominis Dei, (ſiquidem & Chriſtus Deus homo) neque modo gratis tribuitur, ſed etiam copioſa his, qui tulerint illud remuneratio eſt: vt à nemine non dico emi, ſed gratis ſuſtineri queat.*

41. *Prodigus ſub multiplici hominum iugo gemens, ſub iugo Chriſti Rex fuit, & quaſi legiſlator, dū legibus ſubiectus eſt.*

Expertus hominum iuga moleſtiſſimà Prodigus adoleſcens, ad iugum Chriſti hominis Dei ſuſtinendum accurrit, fatus: *Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* Lucæ 15. Fruitus ſum ſeruiente libertate, quæro ô Domine, dominantem ſeruitutem. Sic Chryſologus ſerm. 2. *Hoc petit, quia qui penes extraneum ſeruam ſenſerat libertatem penes Patrem credidit, ſibi futuram liberam ſeruitutem.* Ergo qui ſeruit voluptatibus miſerum eſt mancipium: qui autem Chriſto præſtat obſequium omnia continet iura Rex ſui: ille pluribus iniquis legibus plurium vtique dominorum, hic vnico ſubiicitur charitatis imperio. Cecinit Claudianus.

Claud.

Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris irâ,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia iura tenebis.
Si poteris Rex eſſe tui, &c.

Cum ſeruus Mundi, cum hominum mancipium Prodigus, ſubiugo gemebat plurium dominorum legibus duris patens: cum Rex ſui Chriſti properauit ad iugum, omnia tenuit iura, omnium Dominum imitatus. Dum enim legibus ſuauiſſimi Ieſu iugi ſubiicitur, quaſi continet omnia iura omnium legiſlator: quia ſub tali iugo ſeruire, regnare proculdubio eſt.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Tolle grabatum tuum, & ambula.

Iubet Dominus Paralyticum ſanum, grabatum portare, & abire.

Vt omnino eum à loco, vbi æger iacuerat, cogat ablegari.

42. *Fugienda occaſio delinquendi.*

SANITATE donato languido iubet Dominus & portare grabatum, & abire. Cur præcepit diſcedere? Quia cum peccatoris gereret imaginem, à loco, vbi ægritudine fuerat correptus, diſcedere oportebat. Abſtrahatur à porticu languidus. Sed humeris grabati pondus non adiiciat. *Tolle*, inquit, *grabatum*; ne ſcilicet rurſum veniendi ad porticum ſit occaſio, dum curas grabatum ad domum referre. Delinquendi enim illectamentum omnino fugiendum nobis eſt, præcipuè ſi ægrotauimus aliquando.

43. *Alter Paralyticus onere lectuli impoſito ad domū remittitur, ne ad Piſcinæ porticum reuertatur.* Matth. 9.

Alterum Paralyticum Chriſtus peccatorum à morbo liberauit. *Fili, remittuntur tibi peccata tua.* Murmurantibus autem Phariſæis, adiicit: *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid enim eſt facilius dicere: Remittuntur tibi peccata tua; an dicere, ſurge, & ambula. Vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata, dicit Paralytico: ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Matth. 9. Vbi particulam illam adnoto: *Tolle lectum, & vade in domum tuam.* Quare in domum iubet abire? Reſpondet Chryſologus ſerm. 50. *Ne Chriſtiana fide curatus, in viis Iudaicæ peruerſitatis iam moreris.* Quare autem præcipit lectum illico comportare? Quia non omnino ablegaretur à periculo, qui morandi apud illos haberet occaſionem. Ne cubandi cauſâ quæſiturus lectum, redeat ad porticum, mox ad domum referat grabatum.

Chryſol.

44. *Noluit Dom. Iſaac vxorē ducere de Chaldæorum Regione, ne reuerteretur occaſione rei nuptialis ad ignis periculum.* Gen. 24. Marian.

Exierat Iſaac de Vr Chaldæorum exeunte Parente. At cùm famulum quæſiturum filio vxorem immitteret Patriarcha ait Eliazerio: *Caue, ne quando reducas illuc filium meum.* Gen. 24. Vbi Mariana noſter, *Quia Hur interpretatur ignis, & tota illa Regio erat ignis diuerſis peccatis inflammata:*

mata : & ideo nolebat , quòd Iſaac illuc reduceretur , nec etiam propè locum illum. Replicat Eliazer , *ſi noluerit mulier* (terræ ac cognationis tuæ) *venire mecum in terram hanc , nunc quid reducere debeo filium tuum ad locum , de quo tu egreſſus eſt* Iam requiro ſi mulier erat ad Iſaaci ac Abrahæ domum afferenda , quonam modo Iſaac reducendus erat ad locum de quo Parens fuerat egreſſus , licèt ex Regione illa mulier ſponſa acciperetur ? Certè,quia occaſione rei connubialis poſſet dari inſtantia,quà teneretur Iſaac ad Vr Chaldæorum accedere , quod tantundem quodammodo erat reduci ; quia qui perfectè ab igne non abſtinet (ex Marianæ ſententia) facilè ſeſe pereundi periculo exponit. Vis non reduci ad Vr Chaldæorum, ad ignem luxuriei , ſeu auaritiæ? omnem ingreſſus, egreſſúſque viam quocumque ex prætextu cura præſcindi. Vulgariter expendo: *Euita las cauſas de entrar, y ſalir.*

45. *Dauid effugit recidendi occaſiones.* Pſal. 13. Baſil.

Ideo canit Dauid : *Obſeruabo me ab iniquitate mea.* Pſal. 13. Id eſt, poſtquam ab iniquitate mea me mundum contemplor, inſtat cura me ab illa obſeruandi. Non ſolùm rurſum ad domum ægritudinis accedam , ſed & oculos ſtudebo demitti , ne porticum Piſcinæ , vbi iacui ægrotus poſſint aſpectare. Baſil. Conſti. Monaſt. cap. 4. *Non elaborandum in moderandis animi motionibus , & corporis affectionibus tantum : ſed quo ad fieri poſſit , ab earum etiam rerum congreſſu longiſſimè fugiendum eſt.*

46. *Imo de paradiſo Adamus non reuerſurus deturbatur.* Gen. 3. Senec.

Deliquit Adamus , *& emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt. Eiecitquè Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim.* Gen. 3. Verba illa : *Emiſit , eiecit , collocauit.* indicant ſpecialem Dei curam circa Adami è paradiſo ablegationem, à quo inuitus abſtrahebatur , vt particula , *eiecit* ſubindicat. Seneca epiſt. 54. *Eiici eſt inde expelli, vnde inuitus recedas.* Cur igitur & Adamus eiicitur à paradiſo , & Cherubim flammeum gladium tenens cuſtos additus eſt ? Ne homo rurſum ineat locum (licèt paradiſum) vbi deliquerat , vbi vetito fructu infectus eſt.

47. *Apponitur cuſtodia, ne occaſione ligni vitalis, recurrat ad ad vetitum.* Gen. 3.

Textus addit appoſitè. *Et flammeum gladium, atque verſatilem , ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Gen. 3. Cur non dixit. Ad cuſtodiendam etiam viam ligni ſcientiæ boni , & mali ? Certè vt omnino amputaretur recidendi occaſio. Ad paradiſum vbi deliqui , vbi adeſt lignum vetitum recurro non vt comedam ex vetito fructu, ſed vt vitali cibo reficiar. Meretricis domum inire curo , non vt peream , ſed vt eleemoſynam poſſim inopi exhibere. Peribis miſerè, non enim ſolùm apponenda cuſtodia viæ ligni vetiti , ſed & ligni vitalis , ſi intra eandem domum exiſtat vtrumque. Ioannes Climac. de fuga inan. vitæ Grad. 3. *Solent diu ſopita vitia reminiſcere. Eua & Adam à paradiſo inuiti exulant : rurſus enim ad concupiſcendum inobedientiæ lignum pertracti fuiſſent.*

Clima.

48. *Nec vrbanitatis cauſa ad amatæ fœminæ domum accedas.* Ouid.

Ad domum , inquis, fœminæ , quam amaui, accedo , cauſa ſolummodo vrbanitatis. O imprudens ! ſtupa igni appoſita illicò conflagrabit. Bene Naſo libro ſecundo de Remediis.

Vt pene extinctum cinerem ſi ſulfure tangas,
Viuet , & ex minimo maximus ignis erit:
Sic niſi vitabis quidquid renouabit amorem,
Flamma recardeſcet, quomodo nulla fuit.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

49. *Vt non perdat diabolus , ex petit nobiſcū cōgredi apud domum, è qua recedimus , ipſum deturbamus.* Luc. 11.

E cæco ſurdo diabolus ablegatur , qui anxiè procurat ad eandem domum reuerti. *Et cum exierit ab homine ambulat per loca arida.* (Alios nitens perdere peccatores) *quærens requiem , & non inueniens , dicens : Reuertar in domum meam, vnde exiui* Luc. 11. Apud domum vnde exierat diabolus , cum exiit qui inibi delinquebat , præcipuè eſt potens ad perdendum. Vnde loca in aquoſa, ſeu corruptas peccatorum vias , plateáſque vrbium deſerit , inibique ſperat penitus hominem illum è domo illa exeuntem perditurum, vbi diu commorantem viderat in peccato. Toletus , *Perpende conatum , & ſtudium dæmonis ad nocendum hominibus , quantum ſibi promittat in eis , quos ſemel , & diu ſubiecit.* Hoc autem ſibi promittit dum eos tentare aggreditur , non in locis inaquoſis ſine ſecularibus cœtibus , foris, aut plateis ; ſed in ipſa domo , è qua pœnitens fugerat ; ibi enim hoſtis validiori vtitur fortitudine.

Tolet.

50. *Portat ſtratum , vt lacrymis abluat* Pſal. 3.

Obiicies languidum è porticu quidem receſſiſſe , ſed ſtratum , aut grabatum ſecum deportaſſe. Non ergo omninò diſceſſit à delinquendi illectamento. Deportauit ſanè lectum & iuſſus , vt lacrymis poſſet diluere maculas memor excubationis , affectu Dauidico , *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum , & lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Pſal. 6. Hebraicè lectum , aut ſtratum *mittath* , id eſt, *idolum* ; & *rigabo* , *ſechach mergere.* Idolum à me adoratum quondam te nauis in morem continuis lacrymis obrui curabo. Nyſſenus *Lacrymarum flumine eluam ex peccato conſtratum lectum meum* , quod ideo in domum reportare iubeor.

Nicen.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Tolle grabatum tuum , & ambula.

Languidus pœnitens aptè iubetur grabatum , quo iacuerat, deportare.

Vt ſcilicet animus , qui à corpore fuerat ad vitia portatus , corpus portet ad mandatorum obſeruationem.

51. *Vera pœnitentiæ indicium eſt ia in alium conuerti.*

CVR præcipit Dominus Languidum referre grabatum ? An vt vitium receptatum obiiciat documentum ? An vt facilior reddatur egreſſio , ſecum deferens captiuitatis inſtrumenta ? Profectò referre iubetur lectulum , vt mutationis vitæ præſentetur imago. Animus miſer diu ad voluptates , ad vitiorum illectamenta corporis ferculo deportatus fuit : mutatis vicibus iam animus ſit ferculum corporis illud ad mandatorum Dei præſcripta deportaturum.

52. *Lectus, id eſt, corpus ab animo portatur ad præcepti impletionem, mutatis vicibus.* Matth. 9. Chryſoſt.

Alterius Paralytici memor hiſtoriæ, audio Dominum imperantem, *Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* At ille, *Surrexit, & abiit in domum ſuam.* Matth. 9. lectum pœnitens ille portat, à quo fuerat deportatus. Pulchrè Chryſologus ſerm. 50. *Tolle lectum tuum, hoc eſt, porta portantem: omnes muta vices; vt quod eſt infirmitatis teſtimonium, ſit probatio ſanitatis.* Documentum enim ſanitatis eſt te portantem portare, ad præcepti Dominici executionem ferre corpus, quod ad tranſgreſſionem tuum animum concito rotatu deportârat.

53. *Rachel ab idolis, id eſt, corporis voluptatibus myſticè portata olim, iã portat idola ad exitium, ad comminutionem.* Gen. 31. Gregor.

Rachel olim idolorum cultrix affecta pœnitudine, abripuit, vt quæ portata fuerat ab eis, ea portare poſſet ad combuſtionem, ad comminutionem, quâ ab eis afficienda ducta eſt. Quòd cum Laban recuperaturus idola aduentaret, *Rachel abſcondit ſubter ſtramentum Cameli, & ſedit deſuper.* Gen. 31. Vbi Gregorius myſticè ait animum pœnitudine affectum figurari. *Idola* (inquit lib. 30. Mor. cap. 31.) *quæ apud Iacob Laban non inuenit, ea Rachel ſedendo cooperuit. Sancta Eccleſia Chriſtum ſequens terrena concupiſcentiæ vitia per humilitatem pœnitentia texit.* Ex qua ſententiâ ſolùm adnoto ex furto Rachelis animi pœnitudinem figurari. Iam requiro quare Rachel *ſubter ſtramentum Cameli* abſconderet? Recurro ad illud Dauidis carmen. *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Pſal. 6. Stratum Hebraicè *mittath*, ſeu *idolum*. Idolum meum, voluptas carnis meæ fuerat olim ſtratum meum, ferculum, & grabatum? Iam idolum, ſeu ſtratum illud ab alio ſtramento, ſeu ferculo deportatur. Quia *vniuerſum ſtratum meum*, ô Domine, versâſti in infirmitate mea, dum tollo grabatum, & ambulo; vt me portantem portare videar.

Pſal. 6.

54. *Non verè pœnitens qui adhuc à corporis lecto, aut ferculo deportatur.* Amos 6. Hieron.

Non verè pœnitens, qui adhuc à lectulo corporis deportatur. Amos ait, *Qui dormitis in lectulis eburneis*, Cap. 6. Vbi Hieronymus pœnitentiæ fictæ hîc aſſerit obiici imaginem. Vndénam pœnitudinis fictio colligitur? Quia lectulus corporis ab animo non tollitur, ſed adhuc animus miſer corporis lectulo, aut ferculo deportatur ad vitia. *Qui delitiis vacant, atque luxuriæ, dormiunt in lectis, ſeu immundis hærent oſſibus.* Cùm oſſa immunda, ſeu corporis lectus vice verſa fuerit ab animo portatus pœnitudinis veritas apparebit.

Observatio IX.

Ad illa verba.

Tolle grabatum tuum, & ambula.

Grabatum portare iubetur, vt vitiorum grauiſſimum pondus expertus, rurſum non implicetur ægritudine.

Ex obiectione enim laborum, quos ſuſtinuimus dum vitiis præſtaremus obſequium, velocius viam inimus ſalutarem.

AIEBAT Chryſologus ſerm. 50. Paralytici lectum impoſitum humeris fuiſſe, vt viam iniret ſalutarem, à Iudaicæ peruerſitatis recedens itinere. An non ineptè profecturo velociter (qui enim ſegniter viam mandatorum inſtituit reprehenditur) pondus lectuli adiicitur? Lazarus à vinculis expeditur vt abire ſinatur: *Soluite eum, & ſinite abire.* Cur non & à Paralytico viam ſalutis arrepturo pondus aufertur? Profectò potiùs profecturo velociſſimè calcaria apponuntur, dum humeris onus iniunctum eſt; currit enim ad præcepta ſeruanda properantior qui retinet humeris peccatorum ponderis memoriam. O quàm graue mihi extitit onus iniquitas! Ergò non præſtat rurſum animum deliciis implicari. 55.

Miniſtro Paterfamilias iuſſit, *Exi in vias, & ſepes, & compelle eos intrare.* 56.

Voluntarij trahuntur ad ſalutarem viam, memores itineris exitialis ſpinarum. Auguſt.

An ad ſalutem ineundam vi ſunt cogendi peccatores? Quonam modo hominis libertas tueatur? Non ſine libertate trahuntur. Ipſi namque memores ſpinarum, vulnerati à ſepium ſpinis vi voluntaria properant ad ſalutarem viam percurrendam. Auguſtinus, *Abſtrahantur à ſepibus, auellantur ab ſpinis. Voluntate, inquiunt, noſtrâ intremus.* Si abſtrahuntur, ſi auelluntur, quomodo ſuâ intrant voluntate? Quia ſpinarum pungentium, ſeu vitiorum exitialium recordati, huiuſmodi memoriæ pondere cogente, voluntariè feruntur ad viam mandatorum ineundam.

Immiſſus Ionas in Niniuem ab imperij cœleſtis via receſſit, abſorbetur à pelago inobediens, orat, obediens à ceto in littora emittitur. Quid plura? *Surrexit Ionas, & abiit in Niniuem. Niniue erat Ciuitas magna itinere trium dierum, & cœpit Ionas introire Ciuitatem itinere vnius diei.* Cap. 3. Difficultas inſurgit cum Iona ſurgente, Quonammodo vir marcidus ex hoſpitio ventris ceti, debilis inediâ potuit vnâ die dieturn trium triginta plus, minúſve conficere leucas? Reſpondeo languidum Prophetam lectulum, ſeu grabatum in humeris portare, dum memor præteritæ calamitatis, laborúmque, quos paſſus eſt propriæ voluntatis cultor, ad cœleſtis voluntatis terminum properauit. Strabus pulchrè, *Memor naufragij iter trium dierum feſtinatione vnius diei compleuit.* Me miſerum! præcepti Dominici violator pelagi ſubij iras, à piſce abſumptus iam iam ſuffocandus oraui, ſatius mihi currere ad diuini præcepti executionem, ne cogar huiuſmodi periculis rurſum implicari: *Ne mihi deterius aliquid contingat.*

57. *Ionas vno die iter trium dierum conficit, portans humeris grabatum.* Ion. 3. Strab.

Poſt diluuium Deus, *Arcum meum ponam in nubibus.* Geneſ. 8. Quærit Alcuinus, *Cur illud ſignum diuerſi coloris datur hominibus?* Et reſpondet, *In arcu idem color aquæ, & ignis oſtenditur ex parte cæruleus, ex parte rubicundus. Eſt vtriuſque teſtis iudicij vnius facti, & alterius faciendi.* Profectò cornua arcus terræ humeros aggrauant, *propter timorem*, addit Doctor. Quare vtriuſque iudicij memoria terra grauatur? Certè vt diluuij aquei recordata ſic ſeſe diuinis præceptis attemperet, vt ſalubriter, non exitialiter ignis futuri expectet incendia. Vis rurſum minimè voluptatibus implicari? Recole ipſius moleſtias voluptatis. Dominæ moleſtæ dic caſtus Ioſeph, cum Naſone lib. 1. Amor. Eleg. 8. 58.

Apponitur terræ onus, memoria ſcilicet diluuij, vt rectè gradiatur. Geneſ. 8. Alcui.

Impia ſub dulci melle venena latent.

Vel cum Horatio lib. 1. epiſt. 12.

Memoria voluptatis exitialis calcaria ad ſalutarem viam. Ouid.

Sperne

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

An non voluptas ſtimulis hominem furentem impellebat ad vetitum? Audi Boetium lib.37. Boët.

Habet omnis hoc voluptas
Stimulis agit furentes.

Sit igitur ſtimulus perſiſtens in homine. Furentem ſtimulis egit cordatum, eiſdem ſtimulis exitialis voluptatis memoriæ agat, vt viâ ſalutari incedat. Quænam ſunt ſpolia voluptatis? Pergit ille:

Apiumque par volantum
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Feris icta corda morſu.

Voluptatis ergò pungentis memoria tibi ſit ad viam ſalutarem ſtimulus. Quis tam ſegnis, qui tot vulneribus præteritæ voluptatis non(vti calcaribus addictis) velociſſimè currat ad brauium?

OBSERVATIO X.

Ad illa verba:

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

Languido inſigni ſanato, reliqui probabiliter ſanitate donati fuére.

Ex improbi etenim ſocietate ſæpè laboribus afficimur, à quibus abſtracti ab impio liberamur.

59. *Exitialis improborum ſocietas.* Auguſt.

MIRVM, quòd benigniſſimus Dominus ad Piſcinam primò ingreſſus non omnes donâſſet ægrotos ſanitate. Nonne ex Auguſtini mente vidimus ſalutem ex Chriſto omnibus præparari? Certè pulchrè Doctor adiecit: *Tot iacebant, & vnus curatus eſt, cum poſſet vno verbo omnes erigere. Sed vnus ſanabatur. ſignificans Eccleſiæ vnitatem.* Sed tamen Antonius Ghiſlandus probabile putat, cunctos fuiſſe ſanatos, Ieſu exuberante medicamine.

60. *Diſcipuli, Petrum peccaturum, timēt ex vnius ſocietate deriuanda incōmoda.*

Cur igitur, ſi Ghiſlando ſuſpitio vera eſt, adeo ingens miraculum noſter Euangeliſta ſubticuit? Quia vt reliqui ſanarentur, ſolùm Dominus improbum languidum inueteratum ſanauit peccatorem eum iubens cum grabato deſerere Porticus. At improbo recedente à reliquorum ſocietate, omnes illi ſanitatem recipiunt, quâ priuati fuerant probabiliter ex improbi inſignis ſocietate. An non peccatoris ſocietas hominibus exitialis eſt? Nonne in ſocios vnius iniqui redundant incommoda? Chriſtus ſoli Petro profatur, *Non cantabit gallus, donec ter me neges.* Diſturbantur Diſcipuli, quibus Dominus, *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.* Ioan.14. Petrus (Ioan. 14.) meritò turbatione affici debet, vos autem ô Diſcipuli cur diſturbamini? Cum vidiſſent Diſcipuli ſocium Petrum ter Dominum negaturum, conſequentérque ſuppliciis luiturum pœnas, timent appoſitè; quia flagellato improbo cuncti eius ſocij aſſolent flagellari. Auguſtinus, *Etiam ſibi metuebant Diſcipuli, cum Petro* ſocio *dictum eſſet: Non cantabit gallus, donec ter me neges.* Auguſt.

61. *In me peccat frater, quia eius peccati in me mala redundant.* Matth.18.

Eiſdem profatur Dominus Diſcipulis: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Matth.18. Videtur ſpeciem vindictæ documentum inuoluere. Si peccat in me, ab alio corripiatur. Profectò ſermo eſt, de quolibet crimine perpetrato à fratre, licèt non ſit mea iniuriâ ſpecialiter commiſſum. Frater (ex. gr.) dat operam adulterio, aut furto. Quare igitur non dixit, ſi peccauerit in Deum, aut in proximum frater tuus. Sed *ſi peccauerit in te?* Quia ſi peccat frater meus in me peccat, cùm in me peccati reliquiæ, flagella ſcilicet ſupplicij ex ſocietatis illigatione debeant redundare. Bellè Paſchaſius lib.8. in Mat. *Nihil eſt, in quo proximus peccare poſſit, quod nos lædere non debeat.* Ob delictum ſocij eius meſſis à grandine tangitur: an ſpicæ noſtræ immixtæ eidem calamitati ſubiacebunt? Paſchaſ.

62. *Triticum neceſſario affligitur, dum puniuntur zizania, ex ſocietate.* Matt.13.

Hæreditatis Domino agricolæ profantur. *Nonne bonum ſemen ſeminâſti in agro tuo, vnde ergo habet zizania? Vis imus, & colligimus ea?* Reſpondet Dominus. *Non, ne colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum.* Mat.13. Si potiùs ſerui expurgare triticum ex zizaniorum ablegatione conabantur, cur Paterfamilias tritico timet incommoda? Quia cùm zizania ſupplicio afficiuntur exilio addicta, neceſſium erat, etiam ſocium triticum eiuſdem exilij pœnâ ab hæreditate ablegari: *Eradicetis ſimul & triticum.* Vnde Auguſtinus aſſerit Dominum ex Parabolæ huiuſce ſenſu myſtico patientiſſimos reddere probos, qui *vſque ad meſſem* improborum ſocietate admiſcentur; cunctæ enim calamitates obuenturæ improbis in ſupplicium, moleſtiam ſunt probis ſociis illaturæ. Auguſt.

63. *Serpens innocens interminabili ſupplicio afficitur ſocius Diabolo æternùm damnato, ſcilicet pœna accidentaria inflicta.* Gen. 3. Chryſoſt.

Serpenti antiquo Dominus, *Maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ.* Geneſ.3. Cùm Diaboli improbitate homines periiſſent, quid ſerpens aſſumptâ vi à Diabolo peccati commiſit, vt debeat tanto ſupplicio ſubiacere? Chryſoſt. hom. 17. *Cùm Diabolus malum attulis conſilium, cur beſtia illi pœna infligitur?* Reſpondet acutè. *Dæmoni pœna perpetua intenta eſt.* Ac ſi diceret, quia Diabolo pœna æterna indicta eſt, conſequenter ſerpens ſocius licèt non communicaret in culpa, communicat in pœnâ. Vnde interminabili ſupplicio Diabolo afficiendo, ſerpens ſocius perpetuò terram comedit. A te cura ſeruum iniquum ablegari, ab improbo ſocio recede, ne communi ſupplicio ſubiacere cogaris.

***

SECTIO TERTIA.

Iudæorum inuidia.

TEXTVS.

Vers. 10. DICEBANT ergo Iudæi illi qui ſanatus fuerat : Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum. 11. Reſpondit eis : Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, & ambula. 12. Interrogauerunt ergò eum, Quis eſt ille homo, qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, & ambula? 13. Is autem, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat, quis eſſet, Ieſus enim declinauit à turba conſtituta in loco. 14. Poſtea inuenit eum Ieſus in Templo, & dixit illi : Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15. Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De ſanato languido Iudæi faciunt periculum.

1. *Arguitur de tranſgreſſione Sabbati.*

DICEBANT *ergo Iudæi illi, qui ſanatus fuerat : Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.* Particula *ergo* ex præcedenti ſententiâ adſert illationem. Sabbatum erat, propterea Iudæi hominem illum inſimulabant, dicentes : Sabbati ſolemni haud licet tibi grabatum, nec onus tollere. Non abſolutè dicunt : Non licet tibi grabatum portare, ſed cauſam, cur non liceat, exprimunt : Sabbatum eſt. & propterea non licet tibi hoc, eum tranſgreſſionis mandati diuini accuſantes; erat enim magna apud eos Sabbati ex diuino mandato obſeruantia.

2. *Prudens, ſapiensque Languidi reſponſio.*

Reſpondit eis : Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, & ambula. Ego (ac ſi diceret, non ſponte, ac propriâ voluntate motus hoc gero, ſed iuſſus ab eo, qui me ſanum fecit, & qui tantam habuit virtutem, vt me tam inueterato, & incurabili morbo laborantem celerrimè, & perfectè ſanaret, viſus mihi dignus, cui in omnibus obedirem. Toletus, *Vt diuinâ virtute ſanauit, credidit, diuinâ etiam virtute hoc præcepiſſe : & ſicut ſanitatem, ita & mandatum tanquam à Deo accepit.* Et Cyrillus lib. 2. cap. 128. in hunc morem expoſuit: *A quo ſanitatem recepi, hoc mihi iniunctum eſt; potiùſque ei obedire debui, quàm Sabbatum ſeruare. Nam ille, niſi Deus eſſet, hanc ſanitatem non dediſſet.* Non placet, quia nondum languidus diuinitatis Ieſu fidem habebat, imo an Chriſtus is eſſet minimè cognouerat; nec per opus illud Sabbati religio ſoluebatur. Auguſtinus verò Tract. 19. ſic : *A quo tantum accepi beneficium, debui eius ſeruare præceptum.* Non approbo; quia nec propter beneficium maximum diuinum eſt negligendum præceptum.

Tolet.

Cyril.

Auguſt.

3.

Exiſtimo hominem hunc ſeſe hâc ratione defendere. Vt cùm virtute diuina ſit opus effectum, iure optimo exiſtimauerit eadem virtute ſibi tale factum præceptum. Non quòd Deum eſſe crediderit, ſed quòd diuina virtute vtrumque fecerit. Et re verà quod diuina virtute præcipitur, non eſt contra præceptum. Diuinum præceptum eſt, *Non occides*; at ſi diuinâ virtute præciperetur alicui, vt alium occideret contra præceptum minimè ageretur. An languidus iuſtâ cauſâ nititur, vt exiſtimaret ſibi virtute diuinâ talia præcipi? Ita planè, quia per illum mandata ſunt, cuius diuinam in ſanitate receptâ virtutem, & poteſtatem experiebatur. *Authoris ſententia*

4. *Iniquitas Iudæorum.*

Interrogauerunt ergo eum; Quis eſt ille homo, qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, & ambula. Non potuit Iudæorum iniquitas contineri, ſed foras erupit. Languidus dixerat : *Qui me ſanum fecit*, non, Homo qui me ſanum fecit : non auſus determinare, an homo eſſet appellandus, qui tantâ virtute polleret : at inuidi Iudæi, quod eis non conſtabat affirmârunt dicentes : *Quis eſt ille homo?* Creſcit iniquitas, nam cùm abnegare non poſſent Languidum a Ieſu ſanitate donatum, de ſanitate tacent, de præcepto tollendi grabatum interrogant : *Quis eſt ille homo, qui dixit, Tolle grabatum tuum*; vt ſine gloriæ in operatorem miraculi redundantis penſione, poſſent efformare tranſgrediendi Sabbati religionem calumniam.

5. *Neſciebat Languidus Chriſtum.*

Is autem, qui ſanus fuerat effectus, neſciebat, quis eſſet; Ieſus enim declinauit à turbâ conſtituta in loco. Inſinuat Ioannes Languidum reſpondiſſe Iudæis ſe neſcire hominem miraculi patratorem. Neſciebat autem ille Dominum, quia cùm primum miraculo patrando operam dedit, à loco illo, vbi aderat multitudo, ſe ſubduxit. Cur aufugit Dominus? Reſpondet Cyrillus, *Vt interim Iudæorum feruor efferueſceret.* Toletus autem, *Tempus non conceſſit, vt agnoſci poſſet, ne propter gloriam hominum id feciſſe videretur.* Exiſtimo diſceſſiſſe, vt locum daret Iudæis periculum faciendi de miraculo, in illuſtriorem eius ad Dei gloriam, ac Diſcipulorum fidem, cognitionem. *Cur Chriſtus aufugerat?* Cyrillus. Tolet.

§. II

§. II.

Admonitio Chriſti ad Languidum ſanatum.

6. *In Templo Languidus à Domino inuenitur, laudabiliter planè.*

POſtea inuenit eum Ieſus in Templo. Verbum *Inuenit* innuit, non caſu illum repertum à Domino, quem nec caſu inter multos ad ſanandum elegerat. Porro ex animi propoſito eum conuenit, vt ipſius ſpirituali conſulat ſanitati. Laudo Languidum, qui tanto beneficio accepto ad Dei Templum redditurus gratias accurrerat, nos edocens munere cæleſti donatos Templi inuiſere penetralia. Voluit Chriſtus apud Templum manifeſtare ſe eſſe, qui illum donâret ſanitate; vt oſtenderet Dei virtute, cuius illud Delubrum, ſe geſſiſſe miraculum. *Et dixit illi:*

7. *Primum tuendæ valetudinis documentum, beneficiũ memoria cuſtodire.*

Ecce ſanus factus es, iam noli peccare; ne deterius tibi aliquid contingat. Chriſtus vno hoc verbo; *Ecce ſanus factus es*, multa iam ſano ſubindicat, quibus in poſterum receptam poſſit tueri ſanitatem. Nam & beneficium acceptum in memoriam reducit, *ſanus factus es*: & magnitudinem miraculi, & modum particula *Ecce* declarat. Cur non dixit, *Ego te ſanum feci?* Chryſoſtomus hom. 37. *Ne exprobrare beneficium videretur*; ſed tacitè inſinuat, ecce factus es ſanus, non tu ſanitatem feciſti, nec procuraſti, nec merito tuo conſequutus es; tu ſcis, tu vidiſti, à quo eam acceperis.

Chryſoſt.

8. *Secundum non amplius delinquere.*

Alterum tuendæ valetudinis documentum tradit præcipuum quidem, *Iam noli peccare.* Cauſam quippe morbi aperit præcedentis. Peccatum cauſa fuit ægritudinis. Caue ergo ne rurſum peccato fœderis. *Quod præſtabis*, (inquit Toletus) *ſi memoriâ ſemper retinueris, quâ ratione factus ſis ſanus: & à quanta miſeria, quam propter peccatum contraxiſti, ſis liberatus.*

Tolet.

9. *Vis particulæ Iam.*

Iam noli peccare. Particulâ, Iam ſignificat hunc hominem non ſolùm peccaſſe, ſed peccatum continuâſſe, in eóque perſtitiſſe: propterea & infirmitatem contraxit, & tandiu fouit ægritudinem. Huc vſque (ac ſi diceret) peccâſti, *iam*, ſiue deinceps, poſtquam es ſanitatem adeptus, te ad vitæ immutationem conuerte.

10. *Tertium documentũ, pœna timor.*

Tertium denique documentum præſeruationis eſt: Si iterum deliqueris, ſcito non morbum priorem, ſed multo peiorem te contracturum. *Ne tibi contingat.* Licèt non ſtatim venerit, tamen quando minus expectaueris, quando magis tibi tutus videberis, hoc accidet peius delicti ſupplicium. Sic Baſilius lib. 11. moral. regim. cap. 1. *Solet Deus in ſuis peccatis perſeuerantes punire, dum minus timent.*

Baſil.

11. *Quid deterius contingeret?*

Ne deterius tibi aliquid contingat. Inſinuatur, ſi peccatum repetierit, grauius tale futurum: Non enim aliter deterius contingeret; grauior enim pœna culpæ grauiori debetur, vt Baſilius citatus adnotauit. An non peccatum ſequens cæteris paribus grauius eſt propter maiorem ingrati animi erga Deum ſignificationem? Num non multo grauius eſt, ſi præcedentis peccati obtinuerat homo remiſſionem, & iterum delinquat? Nonne grauiſſimum, ſi admonitus & correptus à Deo non reſipuit; nam & ipſa correptio Dei eſt beneficium?

12. *Quo animo abierit Languidus ad Iudæos?*

Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum. An malo id animo? Minimè, ſed voluntate dextrâ, vt Cyrillus lib....c. 131. Chryſoſtomus hom. 37. & Auguſtinus tract. 17. aſſeruere. Quid ergo intendit? Cyrillus, *Medicum oſtendere.* Si quis illorum ſanitate indiguiſſet. Chryſoſtomus, *Tanquam gratus authorem beneficij profiteri.* Ideo annunciat non eum qui iuſſit eum lectum tollere, ſed qui *fecerat ſanum*, vt author tanti miraculi non lateret.

Cyril.
Chryſ.
Auguſt.

IN IESVM PARALYTICOS SANANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS CIRCA LITERAM.

EX IVDÆORVM INVIDIA.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ecce iam ſanus factus es, iam noli peccare; ne tibi deterius aliquid contingat.

Iam ſanus iam peccare nolit, quia iam ſanò peccanti ira cæleſtis vberior imminet.

Exitialis omninò eſt poſt veniam in peccata recidentia.

13.

BIs particulam *Iam* poſuit Dominus: *Iam ſanus factus es, Iam noli peccare.* Ac ſi diceret, dictionibus copulatis: Quia ſanus iam factus es, ſpecialiter fuge criminis recidentiã; ne deterius contingat, ne ſupplicio grauiori afficiaris, ſcilicet damnationis pœnâ. Qui enim, poſtquam veniã plurimorum criminũ aſſequuti ſunt, rurſum ad delicta prolabuntur miſerè aſſolent addici damnationi. Pende illam primã particulam *Iam ſanus factus es*, ſcilicet poſt diuturnã ægritudinem, tandem à Domino tot criminibus prouocato donatus es veniâ. *Iam* igitur *noli peccare*; nam qui poſt diuturnitatem criminum Deo miſericorde admodum pœnitent, & tamen rurſum prolabuntur, grauiori vindictæ nempe damnationis ſubiacebunt.

14. *Qui poſt diuturnitatem vita iniqua veniam accipiens, rurſum delinquit, terminos transferens, ſine termino punitur.* Oſe. 5. Theop.

Oſeas audiendus, *Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum, ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.* Cap. 5. LXX. *Facti ſunt quaſi transferentes terminos.* Dilatata fuit Principum peccatorum Iudâ iniquitas, Moyſe canente: *Incraſſatus eſt Dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus.* Deut. 32. Poſt ſupplicia innumera terminum iniquitati dante Domino, poſuerunt. At ingrati iam facti ſunt poſt veniam quaſi *transferentes terminos*, ſicut ſolet agricola vltrà terminos alienam terram aratro propriæ hæreditati addicere, ſiue terminos ipſos, aut lapides terminantes amouere, vt hæreditas valeat dilatari. Significatur poſt plurium criminum acceptam veniam in vnicum crimen nouum relapſio. Hæc certè tam inuiſa Domino, vt ſe ad vnius delicti vindictam horribilem, damnatione indictà, accingat: *Super eos effundam quaſi aquam iram meam.* Theophylactus, *Quando quiſque Princeps Iuda exiſtens confeſſus fuerit, ac promiſerit, ſe non eiſdem prauis ſtudiis admoturum mentem, idque ſecum decreuerit, & interim transmouerit tales fines, ac reuerſus fuerit ad proprium vomitum; ira Dei ſuper talem prorſus effunditur.*

15. *Pharaonis exéplo probo.* Theoph.

Id in Pharaone expreſſum obiicio. Poſt tantam duritiem, poſt triginta octo annorum paralyſim, tandem terminum poſuit, mirabiliter miſericorde Domino, iniquitati Hebræorum populum dimittens, ſiue animum captiuum à vinculis abſtrahens. Porrò Princeps ille factus eſt quaſi transferens *terminos* profectus, vt Hebræos miſerum referret ad carcerem. Quam iuſtè ſuper canem ad proprium vomitum reuerſum ira Dei velut aqua diffunditur, deſcendente Pharaone inſtar lapidis in abyſſum? *Deſcendit in profundum quaſi lapis.* Theophylactus, *Ira Dei* meritò *ſuper talem prorſus effunditur perinde ac rubri maris aqua ſuper Pharaonem, quia ſuis mentitus.*

16. *Saulis Iniquitate confirmo.* 1. Reg. 19. Lyran.

Quàm ſine termino Saul Dauidem iuſtum perſequutus eſt! Ionathas parenti, *Ne pecces Rex, in ſeruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona ſunt tibi valde: Quod cùm audiſſet Saul placatus voce Ionathæ iurauit: Viuit Dominus, quòd non occidetur.* Terminum poſuit Saul iniquitati, Dauid reuerſus *fuit antè eum ſicut heri & nudius tertius.* Profectò inſtigante inuidià Princeps terminos tranſtulit, *Niſus eſt Saul configere Dauid lanceà in pariete.* 1. Reg. 19. Effuſa profectò quaſi aqua ira Domini ſuper principem reuerſum ad vomitum, ad iniquitatis & deſperationis æternæ barathrum prolabi permittitur. Lyranus, *Per hoc apparet Dei miſericordia retrahens peccatores à malo, & hominum malitia, qui contempta tali retractione citò reuertuntur ad vitia conſueta. Super* Saulem ergo *effundam quaſi aquam iram meam.*

17. *Receptus Ieſus à Gentilitate à Iudæis non recipitur poſt veniam recidentibus.* Sulp.

Salutem circa piſcinam innumeri Iudæi expectabant, venit Chriſtus, vnus ſanatur, reliquis ægrotis remanentibus. Interpres quidam aſſerit hîc Gentilitatem, ac Synagogam deſignari, vt Gentilitas ſanitate donetur, Synagoga non recipiens Chriſtum ægritudine conficiatur. Cur Dominus à Iudæis receptus non eſt, ſed miſeri illi æternùm periere? Exiſtimo quia, poſtquam ſæpe terminum peccatis impoſuerant, tandem terminos, poſt repetitam veniam, tranſgreſſi reperiuntur. Gentilitas autem, inſtar paralytici, ſemel terminos ponit poſt diuturnam tot annorum (ſeculorum dixeris) infirmitatem. Seuerus Sulpit. lib. 1. Hiſt. *Reputare animo ſoleo populum tot beneficiis obligatum, tot cladibus, cum peccaret coërcitum, expertúmque miſericordiam Dei, nequaquam emendatum, & cùm ſemper veniam erroris acciperet, ſemper peccâſſe poſt veniam. Nihilmirum videri poteſt Chriſtum ab iis non eſſe receptum.* O quàm timenda in peccatis recidentia?

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Iam noli peccare, ne tibi deterius aliquid contingat.

Iam ſanum factum docet Dominus peccare rurſum non debere, ne grauiori ſupplicio afficiatur.

Ægritudines etenim, reliquáque corporis incommoda à peccatis habent exortum.

INDICAT Dominus, (vt vidimus) ex iniquitate ægritudinem profluxiſſe, adeóque ſociam infirmitatem extitiſſe nequitiæ, vt quæ antè veniam corpus affligebat, reuerteretur ad domum, vnde inſtar Diaboli, exierat, ſi rurſum languidus ſanus crimine implicaretur. Nec dubium, quin iniquitas ſit incommodi corporei omnis ſcaturigo. 18.

19. *Dauid poſt peccatum à cunctis hoſtibus impetitur.* 2. Reg. 12. Cyrill. Chryſ.

Dauid iuſtus de cunctis calamitatibus victoriam reportauit mediis in hoſtibus ſecurus. At poſtquam contaminatus eſt crimine, vniuerſa aduerſum ſe mala concitauit famem, bellum, peſtem, filiorum impugnationem, & qui iuſtus Saulis deriſit inuidiam, poſt crimen adoleſcentis filij expauit audaciam. Ipſi Natham cauſam aperuit, *Blaſphemare feciſti inimicos Domini.* 2. Reg. 12. Legit Cyrillus Ieroſol. Cat. 2. *Irritaſti inimicos Domini.* Adiicit appoſitè, *Multos propter iuſtitiam hoſtes habebas, ſed cuſtodiebat te temperantia. Traditis autem his armis, promptos habebis ſtantes contra te.* Chryſoſtomus autem, *Dauid propter nefarium coniugium a filio ſuo Abſalon bello impetitur.*

20. *Semei audet Regi poſt peccatum inſultare.* 2. Reg. 16.

Parum erat à filio diſturbari peccatorem? An non grauius ſupplicium non Principem exercitu copioſo cinctum, ſed hominem ſingulariter accedentem auſum fuiſſe Regi inſultare? *Ecce egrediebatur vir de cognatione Saul domus, nomine Semei, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid: Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial.* 2. Reg. 16. Vndenam auſus ſingularis ille contra Dauidem cinctum exercitu inſurgere? (ait enim Textus, *Vniuerſi bellatores à dextro, & à ſiniſtro latere Regis incedebant.*) Quiſnam ſuperbum Philiſthæum ſingulare impulit in certamen? Profectò videns ille Regem potentiſſimum

adul

adulterio maculatum prudenter coniicit faciliimè à quolibet incommodo ſuperandum. Saluianus lib. 2. de Gubern. *David ita Dei iudicio à ſe alter effectus eſt, vt ei, quem timuerat forſitam totus Orbis, vnus in faciem inſultaret inimicus.*

Salu.

21. Populo delinquenti iratus Deus. *Viſitabo* (inquit) *ſuper eos quatuor ſpecies: gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli, & beſtias terræ ad deuorandum, & diſſipandum.* Ierem. 15. Vnde exorta fames cunctos Hebræos conficiat conſequenti ægritudine. Vndenam tot incommoda? Ex iniquitate, Hieronymus, *Neque enim fieri poterat, vt, Creatore neglecto, non vniuerſa creatura conſurgeret in peccatores.*

Creatura cuncta in delinquentes ruunt.
Ierem. 15.
Hieron.

22. Teſtor decem Ægyptios plagas vulnerantes, cunctorum elementorum conſpiratione. De quâ Author mirab. ſac. Scrip. quæſt. 19. *Iſtarum modus plagarum vndique, hoc eſt, de terra, aquis, animantibus, aere, igne, nubibus, cælo, & Angelis conuenerat. Vt oſtenderetur, quòd contra Deo rebelles & contumaces ſeſe pariter vniuerſus Orbis armat.* Sapiente inclamante, *Armauit creaturam ad vltionem inimicorum.* Cap. 5. Sæpe argumentum recurret.

Ægyptios cuncta creatura premebant delinquentes.
Auguſt.
Sap. 5.

Observatio III.

Ad illa verba:

Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Deterius contingit, cùm, peccatore recidente, Deus eum permittit in grauiora crimina prolabi.

Deterrimum enim contingens eſt ſupplicium, cùm graue delictum grauius ſequitur.

23. PECCANTI poſt ſanitatem languido contingeret aliquid deterius, dum permitteretur in alia peccata grauiora incidere. Horribile etenim vnius peccati commiſſi ſupplicium eſt, ſi delinquens permittatur alio ſeſe grauiori piaculo contaminare.

Vnum peccatum grauius alterius eſt ſupplicium horribile.

24. Paulus ad hæc, *Cùm cognouiſſent* Hebræi *Deum, non ſicut Deum glorificauerunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Rom. 1. Hebræi ergo poſt Dei cognitionem idololatriæ crimine maculantur. Quodnam à Domino tanto crimini ſupplicium præparatum eſt? An contra inſenſatos vniuerſa armatur creatura? Certè grauiori ſupplicio ſunt ingrati afficiendi. Addit Paulus, *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam. Fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum: ſimiliter autem & maſculi.* An non ô Domine, aptiùs punirentur ægritudini dati, traditi gladio, igni commiſſi? Proh ſupplicij horribilitas! D. Thomas, *Inducit homines in deſideria cordis eorum, ſicut in manum Dominorum crudelium.* Et quonam modò eſt crudelitas oſtentata à diris dominis? Apoſtolus adhibet, *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum* (en vnum dominum eorum.) Quamnam igitur Dominus is crudelitatem exerit? *Vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, auaritiâ, nequitiâ, plenos inuidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum.* O tyrannum dominatorem! ſi vnus Dominus ſic torquet iniquum, quid miſer homuntio tot dominorum manibus crudelibus ſi tradatur?

Qui poſt Dei cognitionem delinquit, traditur voluntati ſuæ, vt grauius delinquat, Numine minime irato.
Rom. 1.
Thom.

Vnius vitij tyranni crudelitas expenditur.

An non horribilior ſententia fuiſſet, ſi à Domino morte damnarentur? Poſtquam Apoſtolus vniuerſa ex vnico domino reprobo ſcilicet ſenſu tot cruciamenta recenſuit, adiecit: *Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte.* Rom. 1. Si digni morte ſunt peccatores, mortis ſupplicio afficiantur. Profectò horribiliori pœnâ puniuntur. Malitiam ſequitur *fornicatio* punitura malitiam, fornicationem torquet *auaritia*, auaritia punitur nequitiæ vulnere, *nequitia* ab auaritia vulneratur. O ſupplicij grauitas! Anſelmus, *Vt culpis culpæ feriantur, quatenus ſupplicia fiant peccantium etiam incrementa vitiorum.* Digni igitur morte, mortis ſupplicio puniuntur, dum exitialibus aliis grauioribus criminibus implicantur. 25.

Horribilior morte pœna permiſſio peccati ad puniendum peccatum eſt.
Rom. 1.
Anſel.

Peccatorum miſeram vicem Iſaias piiſſimus deplorauit, *Væ animæ eorum!* Cap. 3. Quodnam accidit incommodum? Cuinam fuêre carnifici traditi? An mortis pœnæ addicti? An flammis commiſſi Babylonicis? Addit Vates, *Qui ſua ſcelera receperunt.* Scilicet pro pœnâ delicti. Hieronymus, *Væ illis, qui ſua ſcelera receperunt! Quaſi dicat: Nullam aliam illis optes crudeliorem, quam ſua ſcelera, carnificinam.* 26.

Væ qui ex peccati pœna recepit alteram iniquitatem.
Iſa 3.
Hier.

Tyrannis Imperatorum potentiſſima horribilia ſupplicia excogitauit, quibus Martyrum conſtantia frangeretur. Certè mitiſſima omnis crudelitas, ſi cum peccati torturâ comparetur. Vnde cùm poſt vnum peccatum commiſſum ſe quis alio crimine illigat, ſe diriori pœnâ afficit, quam duriſſimus tyrannus poſſet illi infligere. Theodoretus ad cap. 1. Rom. *Quæ nullus vnquam hoſtis in eos perpetrauit, ea libentiſſimè, & promptiſſimè amplectuntur, & quod nullus vnquam iudex in eos ſupplicium ſtatuerit, y illud in ſe ipſos attrahunt.* 27.

Nulla crudelitas eſt horribilem lanienam excogitauit.
Theod.

Profectò grauiora de ſe peccator, quàm Deus de illo ſupplicia ſumit. Vnde Dominus horribiliter puniturus homines non eos beſtiis tradit, non vndis, non igni, non gladio committit, ſed vni permiſſæ dat iniquitati. Ruere etenim nos in crimen alterum grauiſſimum eſt peccandi ſupplicium. Iſaias, *Facti ſumus vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. Et decidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos.* Proh iniquitatis magnitudo! Quonam ſupplicio horribili tam inſignis iniquitas afficienda? *Abſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.* Iſai. 64. LXX. pro *alliſiſti*, transferunt, *Tradidiſti nos.* Au manus habet iniquitas? Habet planè crudeliſſimas manus, vt teneat, & torqueat. Hieronymus, *Ex quo diſcimus, quod iniquitas manus habet, quæ nos fortiter ſtrictos tenere deſiderant.* Græcus Comicus, 28.

Summa ira accēſus Deus vt puniat peccata grauiſſima, nos in manus al[…] rit. permiſſæ iniquitati trad[…]
Iſai. 64.

Ali[…]

Aliquando peccat vir etiam ſapientior,
Peccare idem bis haud viri ſapientis eſt,
Qui tantam vult ſumere ſuâ manu vindictam.

Mirum planè tale à te ipſo propria ſententia ſupplicium ſumere, quali hoſtis teterrimus te afficere non poſſit.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Delinquenti poſt ſanitatem deterius contingit, aſſerente Domino.

Maius enim piaculum, poſt accepta beneficia, delinquere.

19. Tolet.

TOLETVS ait, *Si languidus peccatum repetiiſſet, grauiſſimum fuiſſet, quia à Deo expectatus, correctus, ſanatus peccatum commiſiſſet.* Poſt beneficia enim delinquere maius eſt piaculum. Vnde deterius ſupplicium (vt vidimus) deteriori homini præpararetur.

30. *Additur criminis malitia, cum poſt beneficium acceptum delinquitur.* Iud. 3. Thom. Suar.

Olim *quieuit terra* (poſt diuturni belli diſturbationem) *quadraginta annis. Addiderunt autem filij Iſraël facere malum in conſpectu Domini.* Iudic. 3. Particula illa: *Addiderunt* emphaticè appoſita, vt innuatur peccato idololatriæ additam eſſe ingratitudinem. Addiderunt idololatriæ operam dantes poſt acceptum pacis beneficium. Porro peccare poſt beneficia Dei ingentius eſt piaculum, docente D. Thoma 3. p. q. 78. art. 2. & 3. Suario diſp. 13 ſect. 3.

31. *Soli Deo peccant ingrati.* Pſalm. 50.

Dauid clamauit, *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Pſal. 50. Particula, *Tibi ſoli*, ponderanda eſt. An non ſemper Deo ſoli peccamus? Certè addidit *ſoli* vt flagitij grauitas innuatur: in Spiritum ſanctum deliqui. Siue aliunde grauitas innoteſcit, dum apponitur *Tibi ſoli.* Nam *ſi peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem peccauerit vir in Deum, quis orabit pro eo?* In ſolum Deum deliqui, quis orabit? Iam requiro, vndenam huic piaculo tanta grauitas? Quia Dauid poſt accepta à Domino beneficia deliquit. Chryſoſtomus, *Multa, & ampla beneficia a te accepi, contrariis autem rebus vicem tibi rependi.*

Chryſ.

32. *Ingratus ſine vlla excuſatione peccat.* Pſalm. 50.

Scio ô Domine, à te figmentum meum cognitum eſſe. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Hoc ex capite veniabilis appareo. At Domine, *incerta, & occulta ſapientia tuæ manifeſtaſti mihi.* Pſalm. 50. Qui natus ſum lapſui affinis, ex beneficio familiaritatis tuæ deberem adeo impeccabilis reddi, vt nullo hoſtis impetu perturbarer. Vnde qui ante accepta beneficia valebam ex adnatâ nequitia, & ad malum inclinatione excuſari quodammodo, poſt beneficia accepta omnino inexcuſabilis obiiciar. Pulchrè addit Chryſoſtomus, *Ego quidem qui poſt beneficia ingrati animi vitio laboraui, nulla venia* dignum me eſſe ſentio.

Chryſoſt.

33. *Quam grauis damnatio imminet ei, qui poſt ſingularia beneficia delinquit.* Cæſ.

Commune Redemptionis beneficium Cæſarius contemplatus aiebat hom. 4. de Paſc. *Graui damnatione iterantur crimina, poſtquam Chriſti ſanguine ſunt redempta. Inexcuſabile malum eſt, poſt mortem Redemptoris noſtri Domini ſeruum maculari peccatis.* Si cuilibet Chriſticolæ poſt Redemptionis beneficium commune tam grauis damnatio imminet, quid mihi poſt Regularis inſtituti munus, poſt Sacerdotis donum, poſt veniam toties replicatam? Totis meritò artubus contremiſco.

34. *Grauiſſima illa, quæ miſericordia ardens in Deum conuertit.* Greg.

Quid ſi ex ipsâ veniæ iteratione audeam miſericordiæ vbertate fultus, rurſum peccatis ſtudium impendere? Neceſſum planè Tartarum imperij ditionem dilatare, flammáſque ſpecialiſſimo Dei ferueſcere afflatu. Ad hæc Gregorius lib. 30. Moral. cap. 9. *Iram contra nos ſuperni Iudicis inextinguibiliter accendimus, ſi contra benignitatem illius, ex ipſa ſua largitate pugnamus.* Pono ab amico te non nihil, ſiue exiguum quid muneris accepiſſe, quod tu vilipendens irriſionis gratia calumniatorum auribus exponere curáſti. Exiſtimas piaculum veniale commiſiſſe? leuiter planè deliquiſti, ſi leuiter lædendi intentio adfuit. Profectò vel Gentilis contemplatus te piaculum illud leue contra benefactorem commiſiſſe, ſic exaggerat. *Quæ eſt lex tanta iniuſtitia, & inhumanitatis plena, vt eum, qui de ſuo nonnihil donauit, & rem humanam, vrbanámque fecit, gratiâ priues, & in calumniatorum manus coniicias.* Sic Demoſthenes Orat. de Coro. Sic venialis culpa ex ingratitudinis poſt beneficium acceptum circunſtantia videtur increſcere.

35. *Vel culpa venialis ex circumſtantia ingratitudinis poſt beneficium nimium increſcere videtur.* Demoſt.

Observatio V.

Ad illa verba:

Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Ieſus eſſet, qui fecit eum ſanum.

Chriſti Diuinitatem languidus Iudæis pergit manifeſtare.

Ex beneficentiâ enim in homuncionem collegit Paralyticus Chriſtum eſſe Diuinitate conſpicuum.

36. *Diuinitas ex beneficentia innoteſcit.*

QVI Ieſum non cognouerat cùm eum donauit ſanitate, videns in Templo Dei adoratorem pergit manifeſtare Iudæis illum eſſe Meſſiam Mundi Saluatorem: Ieſus eſt, Saluator ille eſt. Profectò (vt vidimus) dubitauerat languidus de Diuinitate Domini, cùm iuſſit: *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Ideo rogatus à Iudæis, quiſnam eum ſanâſſet, inquit: *Qui me ſanum fecit, &c.* Non auſus eum hominem appellare, quemadmodum inuidi dicentes: *Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, &c.* Tunc non audet Chriſtum hominem appellare, nunc illum Ieſum Saluatorem profitetur. Quare? Multiplicatis beneficiis, opinio multiplicata eſt. Qui priùs ſanauerat corpus,

ptiùs ſanauerat corpus, iam (vt Toletus adnotat) ſanitati ſpiritûs operam expendit. Ex primo igitur beneficio accepto non audet Chriſtum hominem appellare, dubitans, an eſſet Deus, ex multiplicatâ autem beneficentiâ in hominem Deum omninò dignouiſſe fatetur, beneficentiâ quidem diuinitatem manifeſtante.

37. *Cognoſcitur Deus, dum prohibet, ne Sol, & Luna hominibus noceant. Nocentes autem illi deprehenduntur Dij non eſſe,* Iob. 31.

Iob profitetur, *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè.* Cap. 31. Ac ſi diceret, Haud numerandus ſum cum ſtultis illis, qui Soli, ac Lunæ diuinos honores tribuerunt, quia nec Solis, nec Lunæ claritatem ſolam aſpexi. Sol micat iucundè, ſed ardet moleſtè; Luna claritate circumdata incedit, ſed caput hominis ſerena tentat in nocte. Qui Solem, & Lunam diuos profitentur, fulgorem quidem aſpiciunt, immemores influxûs ad humanam valetudinem exitialis. Ego autem luminaria pulcherrima vacua diuinitate deprehendo, quia aliquid fouent incommoditatem hominibus afferens. Hinc autem Conditoris Diuinitas mihi datur aſpicienda, dum Deum ſcio Solis vehementiſſimos radios mitigare, ne hominibus pariant exitium, ne *æſtus* veniat ſuper *caput* noſtrum (vti accidit illi) & moriamur. Theodoretus lib. 3. de diis, & Angelis, *Deus ab eodem Sole, ne vehementiores radij nonnunquam intenderentur, inſtituit, qui hominum corporibus permoleſti eſſent. Nullamque aliam ob rem ita inſtituit, niſi ne Solem vitæ cauſam eſſe, authorem ve opinemur.* An poteſt eſſe Deus, qui ſic fulget, vt hominum corpora æſtu comminuat? An non Deus, qui ſic Solis æſtum temperauit, vt lucens, non poſſit hominum corpora comminuere?

Theod.

38. *Fraudes Diaboli (Luna mutabilis ex ſtultitia) noxios aduersùs Iobum inſtantes, vnde Deus innotuit.* Iob. 1. Didim.

Iobum ſanctiſſimum Deus ſatanæ tradidit dilacerandum, torquendum atrociter. *Egreſſúſque eſt ſatan à facie Domini.* c. 1. Vbi Didimus in Cat. illam à facie Domini egreſſionem myſticè explicat, ac ſi omninò contrarius diuinis moribus aufugiſſet. Egreſſus eſt Diabolus, vt opera penitus diuinis operibus contraria exprimeret. Quænam illa? Profectò homini infenſus oſtentari. *Niſi extra Deum fuiſſet diabolus, contra Iobum is nihil molitus fuiſſet.* Curauerat ille Dominum aduerſus Iobum manum admouere: *ſed extende paululum manum tuam.* Dominus autem illi: *Ecce vniuerſa, quæ habet in manu tua ſunt; tantum in eum ne extendas manum tuam.*

Iob 2.

Rurſum Diabolus, *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem.* Deus autem, *Ecce in manu tua eſt veruntamen eius animam ſerua.* Cap. 2. Neſcit Dei manus aduerſum hominem amoueri. Hinc ô Domine diabolum, qui toties ſe Solem obiecit, ac diuinitatem affectauit minimè Deum eſſe deprehendo, quia homines conatur exuri. Dominúmque Deum profiteor, quem video Solis radios ne exitiales exiſtant, moderantem: *Tantum in eum ne extendas manum tuam, Veruntamen eius animam ſerua.* En Solis & Lunæ noxios frænat influxus.

39. *Diuinitas innotuit, dum ingratis Hebræis ipſam contemnentibus veniam impendit.* Pſalm. 105.

Experientia edocti Iſraelitæ cognouerunt illum ſolummodo eſſe Conditorem, qui erga homines munificus, ac benignus oſtendebatur. At ingrati *obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro. Et dixit vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius.* Pſal. 105. Hi profectò mutauerunt gloriam ſuam *in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Quàm iniqui, qui obliti Deum illum eſſe poſſe ſolummodo, qui erga homines benignitate pollet, vitulum eos comedentem (quia *omnis caro fœnum*) comminuentem, vulnerantem Deum eſſe profitentur! *Hi ſunt dij tui.* Porrò cùm Dominus irâ accenſus idololatras pararet extinguere, Moyſi precibus placatus obiicitur, vt ex munificentiâ in homines verum ſe numen eſſe manifeſtaret. Cyrillus Ieroſolym. Cate. 4. Vitulum populus fabricauerat, ſed non deſtitit Dominus à ſua benignitate. Negauerunt Deum homines, ſed Deus ſe ipſum *non negauit.* Imo ſe profeſſus, apertè oſtendit ſuam, ex munificentia erga homines, Deitatem. Temperat enim naturæ in homines ex crimine obortas feritates. Sic Boetius Lib. 1. cecinit expreſſam Conditoris Deitatem.

Conditor oſtenditur, dum ſtellarum, ac elementorum têperat in homines conſpirationem. Boet.

O ſtelliferi Conditor Orbis,
Qui perpetuo nixus ſolio
Rapido Cœlum turbine verſas,
Legémque pati ſydera cogis,
Tu frondifera frigore brumæ
Stringis lucem breuiori morâ.
Tu cum feruida venerit æſtas,
Agiles noctis diuidis horas.
Tua vis varium temperat annum
Vt quas Boreæ ſpiritus aufert,
Referat mitis Zephyrus frondes:
Quæque Arcturus ſemina vidit.
Sirius altas vrat ſegetes.
Omnia certo fine gubernas.

Certo inquam *fine*; vt ſcilicet hominum natura non modò incommodis afficiatur, verum ex ipſa Aſtrorum, elementorúmque impugnatione à Deitate temperata noſtra incolumitas tueatur. Hinc te ô Domine, ſtelliferi Orbis Conditorem profiteor.

PARS SECVNDA.

PARALYTICVS IN LECTO.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput nonum Matthæi.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum Paralyticos ſanantem.

PROLVSIO.

MEMBRA addicti lecto, lecto dicati hominis Dominus ſanaturus, priùs animi commiſſa remittit, vt ſecutis ad ægritudinis radicem apponeretur. Ad præceptum Domini eleuatur vt aquila, qui diu in lecto teſtudo iacuerat. Quàm vtile miſero Ieſum ſuam ad Ciuitatem appuliſſe! *Aſcendit in nauiculam, & transfretauit, & venit in Ciuitatem ſuam.* Chryſologus ſer.50. *Creator rerum, Orbis Dominus poſtea quàm ſe propter nos noſtrâ anguſtauit in carne, cœpit habere humanam patriam, parentes habere cœpit, parentum ipſe parens.* Ciuitas equidem Chriſti eius eſt Parens, Deiparæ ciuis adſcribitur; Paralytici accedite, diues enim in miſericordiis ſua ſe Chriſtus exhibebit in patriâ: *Cõfide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Nec poterit planè gratiæ nõ eſſe copia, vbi adeſt gratiæ redundans plenitudo.

MATTHÆI Cap. IX.

VERS. 1. ET aſcendens IESVS in nauiculam, tranſfretauit, & venit in Ciuitatem ſuam.

2. Et ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit Paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

PARAPHRASIS.

1. *POST miſſos in porcos dæmones, (minimè obiectas margaritas) naui conſcensâ, rurſus Ieſus lacum traiecit, ac in ſuam Ciuitatem Capharnaum reuerſus eſt; hic enim id tẽporis habebat domicilium.*

2. *Cùm autem tanta vis hominũ conflueret, vt iam domus eſſet anguſta, ac ne veſtibulum quidem capax eſſet immenſæ multitudinis: quidam adducebant quendam tam vehementi paralyſi detentum, vt à quatuor baiulis vnà cum lecto deportaretur cadauer hominis verius, quàm homo. Cum præ turba aditus non daretur, conſcendunt tectum, ac ſubmotis tegulis, ante pedes Ieſu funibus grabatum vnà cum Paralytico demiſerunt. Cui Dominus approbans baiulorum fidem, Bono, inquit, animo, fili; remittuntur tibi peccata.*

3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat.

3. Cùm autem in tanta frequentia fauentium caues Scribæ non auderent oblatrare, apud ſeſe loquebantur: Hic blaſphemus eſt in Deum, qui cùm homo ſit, Dei ſibi vendicat poteſtatem.

4. Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?

4. Reſpondens Ieſus ad ea, quæ illi tacitâ ſecum cogitatione loquebantur, ait, Cur inuidentes benefactis, malè veſtris in cordibus iudicatis? An quia morbus animi oculis corporeis non cernitur, ſuſpicamini, me falsò mihi ſumere, quod præſtare nequeam?

5. Quid eſt facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, & ambula?

5. Vtrum vobis videtur facilius, dicere peccatis obnoxio, quod modò dixi. Remittuntur tibi peccata: an dicere Paralytico, quem totum videtis morbo conſtrictum: Surge, & ambula?

6. Vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

6. Vt ergo ex his, quæ videtis, credatis & illa vera, quæ non videtis: & Filio hominis vtrumque eſſe procliue, & morbos dicto tollere, & peccata condonare, ſignum omnium ſenſibus conſpicuum exhibebo. Si videritis verba à me proferenda inania non eſſe, nolite dubitare Filio hominis eſſe in terris poteſtatem, vel dicto peccata redimendi. Simúlque conuerſus ad Paralyticum, dixit: Surge, tolle grabatum tuum, atque abi in domum tuam.

7. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.

7. Nec mora, illicò vocem eſt res conſequuta. Surgit Paralyticus, & ſublato in humeros lectulo, abijt in domum ſuam longè alia pompâ, quàm ante fuerat aſportatus.

8. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

8. Hoc euidens miraculum cùm vidiſſent turbæ, planéque intelligerent rem non eſſe humanæ, ſed diuinæ poteſtatis, Deum glorificauerunt, qui talem in terris dediſſet hominibus poteſtatem. Scribis autem ſic erat indictum ab inuidia ſilentium, vt exacerbatione magis compungerentur.

SECTIO QVARTA.

Paralytico Ieſus peccata dimittit.

TEXTVS.

VERS. 1. ET aſcendens IESVS in nauiculam, transfretauit, & venit in
Ciuitatem ſuam. 2. Et ecce offerebant ei paralyticum iacen-
tem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico:
Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. 3. Et ecce quidam de ſcribis dixe-
runt intra ſe: Hic blaſphemat. 4. Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, di-
xit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? 5. Quid eſt facilius dicere: Di-
mittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, & ambula?

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Apud Ciuitatem, Ieſu Paralyticus offertur ſanandus.

1. *Quando hæc geſta?* ET *aſcendens in nauiculam, tranſfretauit.* Marcus cap. 2. & Lucas cap. 5. hæc priùs narrantes, quàm quæ ſuperiori Capite à Matthæo ſcripta ſunt, confirmant ſe temporis ordinem non ſeruâſſe, quemadmodum Matthæus, qui illam hîc coniunctionem (*Et*) appoſuit vt filum duceret narrationis. *Et* poſt gregis porcorum deſtructionem aſcendens ſcapham in ſuam appulit ciuitatem.

2. *Quænam Ieſu Ciuitas?* *Sedul.* *In Ciuitatem ſuam.* Quænam Ciuitas Saluatoris? An Bethleem? Aſſeruit Sedulius lib. 3. Carm.

Intrauit natale ſolum, quo corpore naſci
Si voluit, patriámque ſibi pater ipſe dicauit.

Inibique Paralyticum putat eſſe ſanatum. Id quod à vero longè diſtare affirmo, & propter Capite ſuperiori narrata, & propter adiectam mox poſt Paralytici curationem Matthæi vocationis hiſtoriam. An Nazareth? Credit Hieronymus, nec improbat Auguſtinus lib. de Conſ. cap. 25. (*Hieron. Auguſt.*) Moneo tamen hanc opinionem non improbabilem ſequentes, dicendum eis eſſe, Chriſtum primùm iuiſſe in Nazareth Ciuitatem ſuam, deinde ex Nazareth ad Capharnaum, vbi hæc quæ ſequuntur acciderunt, rediiſſe.

3. *Authoris placitum.* Probabilius exiſtimo Ciuitatem Chriſti Capharnaum vocari. Omnes enim tres Euangeliſtæ ita loquuntur, vt apertè ſignificent, rectâ eum viâ veniſſe, & ſtatim ea, quæ de Paralytico narrant, conſequuta. Sequor Chryſoſtomum, Bedam, Strabum, Hugonem, Lyranum, Maldonatum, imo eundem Auguſtinum: (*Chryſoſt. & alij.*) qui, ſi non reprobat ſententiam alteram, approbat noſtram.

4. *Cur Capharnaum Chriſti Ciuitas appellatur?* Quare autem Capharnaum Chriſti Ciuitas appellatur? Num quia Galilææ Metropolis erat, cui ſubiecta Nazareth Ciuitas Chriſti, ſicut Romanus appellatur non ſolùm qui in ipſa Vrbe Româ, ſed etiam qui in oppidis, quæ ſub eius iuriſdictione ſunt, aut habitat, aut ortus eſt? Sic Auguſtinus, Beda, Strabus, Hugo, Lyranus, & alij. (*Auguſt. & alij.*)

5. *Authoris opinio.* Crediderim tamen ideo Capharnaum Ieſu Ciuitatem appellari, quòd ea in Vrbe Chriſtus frequenter habitaret. Sic Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & alij ex antiquis, & modernis. (*Chryſoſt. & alij.*) Tres Dominus Ciuitates habuit; Bethleem, in qua exortus: Nazareth, in qua educatus: Capharnaum, in qua frequentius commoratus eſt.

6. *Circumſtantia à Matthæo prætermiſſa.* *Et ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto.* Marcus & Lucas circumſtantiam prætermiſſam à Matthæo expreſsêre, mirum in modum offerentium fidem declarantem. Tanta enim in domum, vbi Chriſtus aderat hominum multitudo confluxit, vt nemo ingredi poſſet. Ideóque in tectum ij, qui Paralyticum geſtabant, aſcenderunt, eóque aperto, Paralyticum ad conſpectum Domini dimiſere. Ideo Dominus fidem tantam approbans, & munerans, ait: *Paralytico, Confide, fili.*

§. II.

De veniâ Paralytico à Domino impenſa.

7. *Fides ne portitorū ſolum, an etiam ægroti?* *Euthy.* ET *videns Ieſus fidem illorum.* An à Domino viſa fides tam eorum qui portabant ægrotum, quàm Languidi ipſius. Affirmat Euthymius. Probat, quia ſi Paralyticus fidem non habuiſſet, neque ſe efferri paſſus eſſet in tectum, neque peccata illi Chriſtus remiſiſſet.

8. *Exiſtimo ſolam portitorum fidē commendari.* Profectò etſi non incongruè poſſem Paralytici accedentis fidem abnegare, ſiquidem poſtquam illorum fidem Dominus vidit, Paralytico dixit: Confide, fili: attamen non dubito quin magnam Paralyticus fidem habuerit, ſed aſſero Dominum hîc non ægroti, ſed offerentium

tium fidem commendáſſe ſolummodo, ita omnibus Euangeliſtis ſcribentibus, vt minime id poſſit dubitari. Nec repugnat ob eorum fidem ſolam curatum Paralyticum, cum Centurionis ob fidem eius etiam paralyticus ſeruus fuit ſa-
Cyril. & alij. nitate donatus, Matth.8. Fauent Cyrillus Ieroſolym. catec. 5. Ambroſius lib.5. in Luc. Hieronymus hîc, & Chryſoſtomus hom.30.

9. *Dixit Paralytico, Confide fili.* Maldonatus
Quid verbum, confide? Maldon. exponit, *Bono animo eſto, plus enim quam petis, impetrabis.* Non enim æger ad fidem, quam habebat, alliciebatur; ſed ad fidei, aut fiduciei excitabatur dilatationem. Petis corporis,
Verbi varietas. impetrabis etiam animi ſanitatem. Pro *filio* Marcus & Lucas *hominem* poſuere. Leuis eſt immutatio, vocabuli, non ſensûs. Nam (vt ſæpe aliàs) alij verba, alij ſenſum retulerunt. Certè magis benignitati medici ægritudinem curanti congruit filij, quàm hominis vocabulum. Hæmorroiſſæ dixit, *Confide filia* hîc verſ. 22.

10. *Remittuntur tibi peccata tua.* Græcè, *Re-*
Sanaturus corpus Dominus, cur peccata dimittit? *miſſa ſunt.* Melius noſter interpres per præſens reddidit Hebraici ſtyli gerens morem. Sed quare ô Domine, petenti corporis ſanitatem, peccata dimittis? An vt paralyſis originem
Hieron. & alij. ſignificares? Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, *Voluit Dominus (inquiunt) morbi originem iudicare, & prius, quam morbum ipſum, tollere.* Solent profectò plerumque morbi fructus, & pœna eſſe delicti. Probo
Chryſoſt. etiam Chryſoſtomi mentem putantis Christum occaſionem calumniandi Scribis præbere voluiſſe, vt ipſe quoque ex eorum calumniâ occaſionem ſumeret ſuam probandi Deitatem.
Maldon. Nec non approbo Maldonati notationem exiſtimantis, eâ ratione Chriſtum docere voluiſſe, quid primo loco Paralyticus petere debuiſſet. Iam enim dixerat, *Primum quærite Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcien-*
Matth. 9. *tur vobis.* Matth. 6.

§. III.

De ſcribarum iudicio.

11. *Quinã Scribæ* ET *ecce quidam de ſcribis dicebant intra ſe.* Scribæ erant publici notarij, quorum officium non ſolùm publica inſtrumenta conficere, ſed etiam ſacras ſcripturas incorruptas ſeruare, earúmque interpretari ſenſum, vt conſtat 4. Reg. 22. ver. 8. 9. 10. & 1. Eſd. 7. v. 10. 11. & 1. Cor. 1. ver. 20. Idem legis periti vocantur Luc. 7. ver. 30. & 11. ver. 46. Non autem legiſlatores, vt alij putant, horum enim maior dignitas. Lege Maldonatum ad cap. 2. Mat. Maldon.

Dicebant intra ſe. Quidam exponunt, *Inter* 12.
ſe, quaſi alij cum aliis de Chriſti facto ſubmurmurarent. Sed omnino improbabilis ſententia, *Quid, intra ſe dicere?*
cum ex ver. 4. *Cum vidiſſet cogitationes eorum.* non dixit, cum audiſſet, aut cognouiſſet ſermones, ſed *vidiſſet cogitationes.* Et non addit Dominus, quid murmuratis? *ſed quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Dicere intra ſe Hebraica phraſis, *Dicere* (ac ſi diceretur) *in corde ſuo, dicere, aut cogitare in medio ſui.*

Hic blaſphemat. Dicunt Dominum blaſ- 13.
phemare, quia ſibi attribueret, quod Dei erat *Cur Dominum blaſphemare dicunt?*
proprium, nempe peccata dimittere. Legerant enim quod Iſaias dixerat, *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas.* cap. 43. O Iſa. 43.
ſtulti, qui non ſimul legeratis quod idem Euangelicus Vates ſcripſit, *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.* cap. 53. Alij Euan- Iſa. 53.
geliſtæ cauſam, quam afferebant, blaſphemiæ, expreſſerunt, *Quis poteſt dimittere peccata niſi* Mar. 2.
ſolus Deus? Mar. 2. Luc. 5. Luc. 5.

Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum. 14.
Marcus expreſſius, *Quo ſtatim cognito, Ieſus* *Chriſtus videt cogitationes.*
ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? Mar. 2.
Rectè ex hoc loco veteres Theologi Chriſti diuinitatem probauerunt. Solus enim Deus hominum corda, cogitationéſque cognoſcit. Tota Scriptura teſtatur. 1. Par. 28. ver. 9. & Par. 6. ver. 30. Ierem. 17. ver. 10. Rom. 8. ver. 27. & 1. Cor. 2. ver. 10.

Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi 15.
peccata tua, an dicere: Surge, & ambula? *An æquè difficile remittere peccata, ac ſanare corpus?*
Nonnulli Interpretes affirmârunt corpus propriâ, & non alienâ authoritate ſanare, æquè eſſe difficile, ac remittere peccata. Hi minimè audiendi, Auguſtino tract. 72. in Ioan. aſſerente, Auguſt.
difficilius eſſe hominem iuſtificare, quàm cælum, & terram creare.

Certè τὸ *dicere* nec pro ſolis verbis, nec pro 16.
ſolis rebus poſitum eſt. Nam ſi verba ſolùm ſpe- *Authoris expoſitio.*
ctes, æque eſt difficile dicere, *Remittuntur tibi peccata tua*, & dicere, *Surge, & ambula.* Si res, multo eſt difficilius peccata dimittere, quàm diſſoluta paralytici membra curare. Ponitur igitur pro verbis externâ effectus probatione coniunctis. Hoc enim modo difficilius eſt dicere, *Surge, & ambula*, quam *Remittuntur tibi peccata tua.* Quia an peccata verè remittantur, qui audiunt, videre non poſſunt: an autem Paralyticus ſurgat & ambulet, non poſſunt non videre.

IN IESVM PARALYTICOS SANANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS CIRCA LITERAM.

EX PECCATI PARALYTICI Remiſſione.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Et ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto.

Dum adhibetur portitorum diligentia, pene deſperato ægroto ſalutis patet aditus.

Nullus enim tam deprauatus animi habitus, nulla tam deſperata conſuetudo, quæ non ſanetur, ſi hominis adſit pœnitentis diligentia.

17. *Praui habitus abolendi ratio.* Beda.

BEDA ſic myſticè locum interpretatur, *Turba obſtans, ne infirmus coram Domino ponatur, priſca conſuetudines intelliguntur. Quid tunc fiet? Aſcende per tectum*, ſpecialiſſimam adhibe diligentiam, (*Paralyticus enim ſignificat eum, qui diu iacuit in inertia illecebra carnalis.*) *& legem Domini meditando & patefaciendo tectum, id eſt, velamina ſcripturarum.* Marci circumſtantiam à Matthæo prætermiſſam Doctor contemplatur: *Qui cùm non poſſent offerre eum illi præ turbâ, nudauerunt tectum, vbi erat, & patefacientes ſubmiſerunt grabatum, in quo iacebat Paralyticus.* Cap. 2. Miſero intercluſum ſalutis aditum ex prauorum habituum obiectione videbatur. Sed tamen animoſa reſolutione contra obſtacula militat, orationiſque, lectionis, aliorúmque exercitamentorum implorato auxilio, nullum non mouet lapidem (cum tegulas remouet) vt ſalutem adipiſcatur. O diligentia potentiſſima! Nullum ope tuâ flagitium inſanabile.

18. *Occiditur Amalecites occiſor Saulis, quia affirmit nõ poſſe vul-neratum viuere. Viuere quidem ſi adhibere diligentiam?* 2. Reg. 1.

Saul ab Amalecite illô lanceâ transfoſſus inuentus eſt, ab eodémque interemptus. Quod cum Dauid requireret, quonammodo auſus fuiſſet Chriſtum Domini vulnerare, reſpondit homicida: *Stans ſuper eum occidi illum; ſciebam enim quod viuere non poterat poſt ruinam.* 2. Reg. 1. Profectò nequiſſimus Amalecites meritò iuſſu Regio interemptus eſt. Cur occiſus qui rogatus à vulnerato Rege viſus ſibi debuiſſe eius imperio ſubiacere? Non dubito, quin ſi reſpondiſſet: Stans ſuper eum occidi illum, putaui enim, quod teneret præcipientis imperio ſubiacere: fortaſſe à benigniſſimo Rege veniâ donaretur. Vnde occiſum fuiſſe reor, quia de vulnerati vitâ, & ſalute poſt ruinam deſperauit. O ſtulte, nullus peccator adeo deſperationi addictus, qui non poſſit, ſi adſit diligentia, ſeſe à lethali periculo expedire. Bachiarius lib. de recip. lapſis. *Illum Dauid ſtatim morte damnauit, cum percuſſum ab hoſte deſperâſſet eſſe victurum, & eum ſublatâ ſpei fiduciâ iugulâſſet.* Diligentia adhibeatur, nullum tam graue vulnus, quod (viuente homine) curari non valeat. Aptè *ſtatim* improuiſo exitio occiſor abripitur, qui de proximi pœnitudine deſperauit. An Saul impendit aſſequendæ ſtudium liberationi? Minimè planè, cùm tam ſegniter mors (expectante Domino, vt opportunitatem pœnitudini impenderet) ad vulneratum lethaliter accederet, vt ipſe Saul Amalecitem ad perficiendum excitaret exitium. Bachiar.

Quàm aliter Niniuitæ, de quorum exitio Dominus: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Ion. 3. Poſt nouiſſimi exitij indictionem Rex, ciuéſque nullam non impendunt curam, nullum non ſtudium exprimunt, vt ad Numinis aſpectum aucrſum recipiantur. Quid illi geſſere? *Homines,* (inquit Rex) *& iumenta, & boues non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant. Et operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Deum in fortitudine, & conuertatur vir à viâ ſua malâ, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus?* Ibid. Etiam-ne inflictâ ſententiâ locus datur procurandæ ſaluti? Ita planè; diligentia enim animi curantis iumenta ac boues prauorum habituum (ex Cellenſis Abbatis ſententia) impedientia vtique ſeparare, reſerat ingreſſum, Chriſto medico iam pacato. Baſilius orat. 4. de Pœnit. *Talis erat diligens illa Niniuitarum pœnitentia, & ſapiens, ac conſeruata illa tribulatio, quæ nec bruta quidem animalia ſupplicij expertia eſſe voluit.* A Niniuitarum diligentia victa quatuor diligentia portitorum; hic enim à tecto tegulis detractis ad Dominum emittunt 19. *Niniuitæ adhibita diligentia orationis, & ieiunij, turbam obruerantem ingreſſum (ſi ue prauorum habituum pecora) abrogarunt, vt à Domino ſanarentur.* Ion. 3. Cellenſ. Baſil.

tunt ægrotum, illi autem & à tecto in fortitudine ad Dominum clamauerunt, & turbam impedientem, id eſt, brutalem conſuetudinem abſterreri curarunt. Vulgariter liceat exponere: Diligentiſſimi illi nihil prætermiſere conferens ad ſalutem, *ni de tejas arrina*, (tegulis tecti amotis) *ni de tejas auajo* (, turbâ obſtante ſemotâ.) Vicit animi diligentia.

20\. *Non leuem eſſe curam, aut ieiunium adhibendum, ad aliorum veniæ comparandã in praua conſuetudine ægros. Sed ſolus maximè deſperata.* Ion.

Fateor non leuem curam impendendam eſſe ad ſalutis aſſequutionem, cùm praui habitus obturant ingreſſum. Neceſſaria profectò orationis ac ieiunij exercitamenta, validus clamor excitandus, ieiunia ſæpe inſtituenda &c. Pondera Niniuitarum prudentiam, pecora, ac iumenta inediâ torquentium, ac ſimul eleuato clamore Dominum emollientium. *Iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquam, nec paſcantur, & operiantur ſaccis homines, & clament ad Deum in fortitudine.* Ion. 2. Quid proderunt cuncta, ſi poſt tantam diligentiam præmiſſam adhuc dubia veniæ conſecutio? *Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus.* Certè dubiam proponit miſerationem, vt ad orationes, & ieiunia validius adducat, Strabus, *Ideo ambiguè profert, vt dubij de ſalute fortius agant.* Diligentiæ fortitudini (mihi credite) facilis veniæ conſequutio. Deſes petit licet cum Iuda pœnitentia ductus, ad pietatis fontem videatur accedere.

Strab.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et ecce offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto.

Ingenium quatuor portitorum Paralytici ad ſalutem proximi procurandam commendatur.

Vbi de Doctoribus, ſeu Euangely operariis, qui ingenioſa curâ proximorum ſaluti incumbunt.

21\. *Ignatij, ac Xauerij, ſociorumque Ieſu aſtus fidelis, ad proximorum ſalutem procurandam.* Beda.

DE quatuor ægroti portitoribus Beda lib. 2. in cap. 5. Lucæ. *Paralyticus ſignificat eum qui diu iacuit in inertiâ illecebra carnalis. Hæc curatio fit per Doctores, qui quatuor eſſe debent: quia omnis prædicantium virtus in quatuor Euangeliis firmatur. Igitur Doctores patefaciant tectum.* Videntes portitores communes vias Paralytico occluſas, nouam ingenioſè excogitarunt, tegulas amouent, vt tectum concedat ingreſſum quem oſtium abnegarat. O Ieſuitarum charitas ingenioſa, tot quotidie adinuentiones exprimẽs, vt miniſteriis tuis inertem inueteratúmque peccatorem ad ſalutem adducas! Non audet delinquens peccata hortilia confeſſario aperire? D. Ignatius ſua illi grauia adoleſcentiæ ſecularis crimina aperit, vt eum valeat ad animoſam confeſſionem allicere. Chriſtiani apud Indos plurium concubinarum amore ſeu paralyſi illigantur? Meus Xauerius paulatim ableget meretrices, hodie vnam, cras alteram, donec reteniâ præſtantiore, quæ grauius amantẽ ſauciauerat, ei matrimonio adſtringitur. Bacchanalia Gentilica tres dies Chriſtiani referebant? Societas Ieſu Iubilæi, Quadraginta horarum ſolemnia curet inſtitui, vt epulo ſacerrimo exitialia pabula eminuantur. Effrænatur adoleſcentia, quæ quidem in cuſtodiendo Dei ſermones corrigitur: Scholarum Societatis aperiantur gymnaſia, inſtituantur Virginis ſodalitia, vbi iuniores anni ſanctam effloreant in ſenectam. Quàm commendabile portitorum ingenium!

22\. *Societas Ieſu Micholis ingenium æmulata, Ieſum protexit, & ab impetu Bacchanaliũ vindicauit.* 1.Reg 19.

Saulis inuidia Dauidis exitium anxiè procurauit. Quod cum Michol agnouiſſet aſtu ingenioſo milites deluſit occiſores. *Michol tulit ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit veſtimentis. Miſit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid; & reſponſum eſt, quòd ægrotaret.* 1. Reg. 19. Ieſu vero Dauidi à Saule diabolo præparẽtur inſidiæ fidem maculaturæ Bacchanalium reliquiis. Ieſum ergo Societas noſtra (ingenium Micholis imitata) piloſis caprarum exuuiis, ſiue muſicæ concentu, epularum apparatu induit; vt diuino cibo, ac potu vitali profani cibi, exitialis potus reliquiæ abolerentur: ſuorúmque amorum imagine (edendi ſcilicet, ac bibendi) Saul diabolus cæderetur. Laudandum prorſus Ieſu alumnæ Societatis ingenium. Baſilius Seleu. Orat. 16 *Sic Micholem commendauit. Quâ ſolertia, qua charitate mulier in virum fuerit. Perſuaſit quoque lectulo, vt in valetudinis ſimulationem adiuuaret.* An non Societatis ingenium perſuaſit quoque conuiuio, vt in valetudinis ſimulationem adiuuaret? Quid lecto cum valetudine? quid cum conuiuio ſobrietati? Quam ingenioſè conuiuij lautiſſimi apparatus fuit non ſolùm valetudinis fidelium ſimulatio, ſed & medicamen ægritudinis; ſuo gladio hoſte percuſſo.

Baſil.

23\. *Inſtarque fœmina alterius prudentiſſima ægrotantem, ſeu fameſcentem mundum vel inuitum ad Euchariſtiæ epulum adduxit.* 1.Reg. 28.

Saul impiè idololatriæ limina terit, dum Domino, & Prophetis eius minimè reſpondentibus ad ſpiritum Pithonicum conſulendum (vt Samuel ſuſcitaretur) habitu ſimulato perrexit. Fides Saulis exaruit, quia oblitus eſt ſuum panem comedere. Porro cùm exitium Principi eſſet à Propheta indictum, *cecidit porrectus in terram, & robur non erat in eo; quia non comederat panem.* An tam deſperato ægroto oſtio obſerato; aditus ſalutaris præparabitur? Mulier prudens accedit, quæ ſuſcitans Samuelem minas in Regem excitarat. *Nunc (ait) audi tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, vt comedens conualeſcas, & poſſis iter agere. Qui renuit, & ait: Non comedam. Coegerunt autem eum ſerui ſui, & mulier. Mulier autem illa habebat vitulum paſcualem in domo, & feſtinauit, & occidit eum, tollenſque farinam, miſcuit eam, & coxit azyma, & poſuit ante Saul, & ante ſeruos eius, qui cum comediſſent ſurrexerunt & ambulauerunt per totam noctem illam.* 1. Reg. 28. En ingenioſa Ieſu Societas vel renuentem Mundum idololatriæ reliquiis maculatum ſacratiſſimo epulo ad viam ineundam ſalutis ſtudet roborari: ſaginato vitulo, azymo pane prodigus, qui diabolo ſeruierat, veſcitur, redit fidelis, fortiter pugnaturus. An non viſus Petrus Dami. Societatem noſtram (prudentiſſimam inuentricem) ſibi obieciſſe, cum ep. 34.

Damia.

ſatur? *Hac prudens, & ingenua mulier rhetoricatur, & oratorum orationibus vtitur, vt inimicus eius, dum reſpuit, ad edulium prouocetur.* Eò etenim tendunt crebræ trium dierum declamationes, vt Dei inimici ad edulium vitaliſſimum prouocentur fideles chariſſimi receſſuri. Nunquam non Doctorum huiuſmodi ægroti portitorum ingenium laudatione efferendum.

Observatio III.

Ad illa verba.

Et videns Ieſus fidem illorum, dixit Paralytico: Confide, fili.

Ob fidem portantium Paralyticum, eum Dominus ſanitate donauit.

Vbi quàm ſæpe Deus ob fidem Catholici Principis totum Regnum penè è paralyſi deſperatum afficit valetudine.

24. Hugo. HVGO Cardinalis. *Offerebant Paralyticum, ſcilicet Reges, aut Prælati ſubditos ſuos exemplo Ieremiæ clamantis: Recordare Domine, quid acciderit nobis: & Danielis dicentis: Audi, Domine.* Pone ſubditum non clamare, pone eius fidem à Deo viſam non eſſe; pone luxuriei Paralyſi (ſic Card. exponit) aut ſeptem peccatorum (vt idem exponit) totum Regnum illigari. Certè Principi Catholici fide, ergaque cœleſtem cultum pietate ſæpe vidi excitari miracula, (ſi opus ſit) vt populus ab ægritudine liberetur. Videns igitur Dominus Principum portitorum fidem, Regno ſubdito ait; *Confide fili.* Nec enim me tuum abnegabo parentem, qui te velut filium bellorum flagellis vulneraui, vt te ad meliorem mentem pœnitudine reuocares.

25. *Ex fide Principis Abrahami Iſraelem Deus ab hoſtibus ſæpe liberauit.* Rom. 4. De Abrahami fide ſic Paulus: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Rom. 4. In cuius expoſitionem adnoto τὸ *Iuſtitiam* idem eſſe ac *gratiam.* Componit enim Apoſtolus ea munera, quæ Abraham ex gratiâ recepit, cum illis quæ aliis ex debito impenduntur. Ac ſi diceret, Aliis ex operum debito munera dantur æqualia quidem operibus. At Abrahæ ex fidei gratiâ, ſine reſpectu (ſic loqui liceat) ad opera vlla, ſine menſura beneficia impenduntur. Theod. Theodulus, *Operanti merces ſecundum opera tribuitur, credenti verò iuſtitia,* ſeu gratia *imputatur: innumeras autem merces hæc iuſtitia,* ſiue gratia *continet.* Vndenam putas Iſraelis filios iniquè operantes, ſed gementes ex flagellorum vulnere fuiſſe toties ab hoſtibus in potentiſſimâ manu liberatos? Ex Abrahami Principis fide. *Hæc dices ad filios Iſrael, Dominus Deus Abraham miſit me ad vos.* Exod. 3. Exod. 3.

26. Mortuo impio Rege Oziâ, qui Templi thuribulum prophanarat, Regni clauum tenuit filius eius Ioathan pius quidem fidei propugnator. Illico Deus Iſaiæ victoris ſpecie apparuit. *Ex fide Ioatham Deus populum pace donauit.* *Anno,* (inquit) *quo mortuus eſt Rex Ozias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum.* Iſa. Cap. 6. Vbi Hieronymus. Hieron. *Vt habitum regnantis oſtenderet.* Tunc enim Dominus regnare dicitur, cùm fidele Imperium hoſtibus ſuperatis, throno potitur: tunc autem quaſi victi & ſeruientis habitum præſefert, cum Regnum fidele ab hoſtibus ſuperatur. Regnante igitur impio Ozia quaſi ſeruiebat Deus, Regno vtique ab hoſtibus ſuperato, obnubilato priſtino fulgore. Ioatham Rector exurgit, ob pietatémque tam catholici Principis adeo res immutantur, vt vincente iam Imperio, fulgore priſtino reſtituto ſua & Deus purpurea vincentis indumenta oſtentet. Doctor adiecit, Ex quo animaduertimus, regnante in nobis leproſo Rege, nos Dominum in ſua Maieſtate regnantem *videre non poſſe.* Quia ſpeciem regnantis non oſtentat niſi quando regnat fidelium populus. At abiectus hic cùm Regi leproſo, id eſt, catholicæ pietatis contemptori ſubiicitur: quemadmodum illuſtri lauro cingitur, cum à Catholico Principe gubernatur, è cuius fide hoſtes ſuperantur.

28. *Ex fide ac pietate Dauid, Salomon pacificus imperauit.* 1. Reg. 29. Carthuſ. Poſt Dauidis obitum, *ſedit Salomon ſuper ſolium Domini in Regem.* 1. Par. 29. Vbi aſſerit Carthuſianus pacificum Salomonem ſopitis bellis ſediſſe, vt cum Domino ſimul conſidente regnaret. Vndenam ingrato, & iniquo toties populo tanta pax? Dauide potentiſſimo Imperatore extincto, quonam modo hoſtes Iſraelitarum non illico impugnaturi inſurrexere? Profectò fidei ac pietati Catholici Regis pax illa vel ingrati popoli debebatur. *Quia fuit ſolium Regis fidelis, qui præſidendo, ac iudicando fuit vicarius Dei, & cultor ipſius.*

28. *Ob Ieſum pace fruitur Orbis ex reſpectu quidem fideliſſimi Dauidis, & Iacob.* Luc. 1. Equidem Salomon ſi *pacificus,* Chriſtum Dominum *pacis* Principem figurabat. Populus Dei, imo Orbis vniuerſus pace fruebatur in Euangelij pacis præparationem. *Dabit ei Dominus Deus* (inquit Angelus) *ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Luc. 1. Cur in Domo Iacob & Dauid, non autem in domo Iſaac & Abraham Saluator dicitur regnaturus? Salmeron. Salmer. *Non in domo Abraham* (ait to. 3. tract. 6.) *in quâ Iſmael pugnat cum Iſaac, nec in domo Iſaac, vbi Eſau perſequitur Iacob: ſed in domo Iacob quæ ſanct. & cæteris, ſicut ſedes Dauid iuſtior reliquis.* Ac ſi diceret, Nullum ingruet bellum, Saluatoris imperium, pace æterna ſubditi potientur adeo, vt apud Regnum eius nullus adſit Eſau iurgia excitans, nullus Iſmael rixas commouens, ſedebit Dominus cum Dauide, & Iacobo pacificus; quia vni & alteri piiſſimo & fideliſſimo Principi ſtabilimentum pacis æternæ debebatur. Mihi credite Regis Catholici non peribit Imperium; ſubditorum enim iniquitati Deus ſæpe in miſericordiis diues ignoſcit ob Catholici Principis pietatem.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

Priùs Dominus ægrotum liberauit à crimine quàm à languore eriperet.

Auguſtius nàmque Dei eſt beneficium, nos à peccato eripere, quàm à cunctis corporeis tribulationibus abſtrahere.

29. *Laboribus animus protegitur, ne peccatis fundari valeat.*

REQVIREBAT languidus à cœleſti medico ſanitatem corporis, à grabato expetens liberari, de animo non curans paralytico. At Dominus quaſi negligens corporis ſanitatem curando animo ſolùm modò tunc curam impendit. Quàm benignè! Nihili enim ducenda corporis valetudo, ſi cum animi ſalute componatur. Languor increſcat, membris compedes adiiciantur, feliciter tibi continget Chriſti acceſſus, ſi increſcente corporis ægritudine, ſpiritûs conualeſcat.

30. *Diui nihili ducebant cunctis pœnis affici, dummodò non delinquerent.* Dan. 3. Chryſ.

Hinc Diui nihili ducebant corpoream incolumitatem, vni innocentiæ tuendæ addicti. Tres illi Hebræi ſic Tyranno: *Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quòd ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Dan. 3. Ponderandæ particulæ: *Quod ſi noluerit: Notum ſit tibi, &c.* Ac ſi dicerent: ſiue liberet à nece, ſiue Dominus non defendat à flammâ, nihil noſtra intereſt; parum ex eo aut commodi, aut incommodi reſultabit. Quod oportet, quod maximi beneficij loco accepimus, notum ſit tibi, quia Deos tuos non colimus, quia criminis flammis non exurimur. Deſæuiat ignis, dummodo pietas non lædatur. Chryſoſtomus hom. 18. in 1. ad Corinth. *Quòd ſi noluerit, inquiunt, Deos tuos non colimus. Habemus enim hanc remunerationem, quòd digni videamur, qui ab impietate liberemur, & idcirco exuri corpora noſtra eligimus.*

31. *Quàm benigniter Deus abſcondit iuſtis dulcedinem, vt non delinquant? Id dulciſſimum planè dignoſcentibus.* Pſal. 37. Orig.

Accidentalis tibi ſit quæcumque tribulatio, nihil inferat præcordi fideli moleſtiæ, dum mente perpendis, ſic te à crimine præſeruari. Ideo enim Dominus aſſolet in corpora deſæuire, vt fulgor animi tueatur. Dauid aiebat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Deus, quam abſcondiſti timentibus te!* Pſalm. 37. τὸ *Abſcondiſti* premendum. Si abſcondit dulcedinem iuſto timenti, quid commendabile de eius multitudine prædicatur? Profectò iuſtis Dominus dulcedinem abſcondit, vt flagellorum vulnere virtuti ac iuſtitiæ præparet habitaculum. Origenes in Epiſt. ad Rom. 9. *Quid cauſa dicemus, cur iram Deus manifeſtet hominibus, & dulcedinem celet? ſcit ſine dubio fragile eſſe hominum genus, & ad lapſum procliue per negligentiam, quibus expediat magis eſſe ſub metu iræ, quam ſpe benignitatis Dei relaxari.*

32. *Benignius Deus pueros Sod. merum flammis addixit, quam Niniuitarum infantes ſeruauit.* Ionæ 3. Alcuin.

Obrutis Sodomæ Vrbibus, flammæ traditis ciuibus impudicis an innocentes fuêre reſeruati? Memini Dominum apud Niniuem inclamantem, *Et ego non parcam Niniuæ Ciuitati magnæ, in quâ ſunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam?* Ion. 3. Si innocentes Niniuitarum aſſeruantur, nec Deus nocentes delere voluit tantâ infantium ſtrage: cur Sodomorum pueros flammis addixit, nec eorum innocentia peſſimis parentibus pepercit. Reſpondet Alcuinus, *Nonne prouiſum eſt illis, ne diu viuentes exempla ſequerentur patrum?* Seruantur pueri patrum Niniuitarum ſeſe ex pœnitudine ad meliorem frugem recipientium, quos cum imitati fuerint felicius obibunt. At filij incorrigibilium parentum (ingenium enim illo immundiſſimo vitio obcæcatum difficillimè corrigitur) quid niſi impudicitiam edocerentur? Flammis feliciùs addicantur, quàm delinquendi exponantur periculo.

33. *Iuſtos afficit Deus tentoribus, vt non delinquant.* Iſai. 13. Hier.

Iſaias aduentum Domini ex tribulationum irruptione ad iuſtos ſic deſcripſit: *Ecce dies Domini venit crudelis, indignationis plenus, & iræ.* Cap. 13. Putarem ego aduerſum iniquos Dominum illaturus ſupplicia aduentare. Irruit in iuſtos. An benigniter? Profectò benigniſſimè, vt eos terrore laborum in virtute efficiat contineri. Hieronymus, *Ergo abſconditur multa Dei miſericordia ab iis, qui adhuc in timore ſunt poſiti vt dum crudelem audiunt diem Domini, & inſanabilem, & indignationis, furoriſque plenum, peccare non audeant.* Abſconditur, inquam multa Dei miſericordia, non tollitur; quia illud ipſum Sanctos tribulatione afficere, idem eſt, ac ineffabili miſericordiâ donari, dum eos ſcilicet ab incurrendo liberat criminis exitio.

Observatio V.

Ad illa verba:

Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

Corpus ab ægritudine liberaturus Dominus, priùs animum ſanitare donat.

Iniquitas enim animi, fons aſſolet laborum exſtere.

34. *Ex ipſa radice peccati mala cuncta corporis oriuntur. Nam per quæ quis peccat, &c.*

RVRSVM quæritat Doctor Angelicus, *Cur ſanaturus corpus, tollit peccata prius?* Et reſpondet: *Certè quia tollit cauſam: quia propter iniquitates eorum, multiplicatæ ſunt infirmitates eorum.* Pſalm. 15. Quidam hinc Gentilis apud Mirabel. aiebat, *Radicantibus peccatis, inde abſque alio initio germinauit ſeruitus, & impiorum aſperitas.* Cuncta mala in corpus miſerum

rum irruentia ab infectâ criminis radice germinârunt. Pondera, quæſo, particulam illam: Radicantibus peccatis inde abſque alio initio. Ac ſi radix illa non virgam, aut ramum, ſeu arborem emittat, cuius fructus ſint labores cuncti: ſed ex ipſa immediatè radice abſque alio initio mala oriantur.

35. *E radice ſuperbia orta eſt Abſalonis tortura.* 2 Reg. 18. Chryſ.

Quercui adhæſit capite Abſalon. *Adhæſit caput eius quercui.* 2. Reg. 18. Vbi Chryſoſtomus ad Pſalm 3. *Vinctus erat a ramo ramus, qui erat a paterna affectione abruptus, & capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat, & tanquam fructus pendebat ab arbore, qui naturâ agricolam volebat abſcindere.* Vbi illud expendo: *A ramo ramus.* Abſalon ramus appellatur, cuius radix capilli erant. Graui dolore afficitur ipſum caput à capillorum radice, adeò quidem immediatè, vt vbi eſt radix capillorum, inibi adſit capitis tortura. Quare? Quia in comâ, quam Abſalonis ſuperbia curabat diademate cingere, aderat criminis ſimulacrum. Vbi igitur peccata radicantur (vti aiebat prudens ille) *inde abſque alio initio*, germinauit capitis tortura crudelis.

36. *Serpentini capitis ſuperbi à radice ſupplicium germinauit.* Geneſ. 3. Barzeph.

Confirmo ex Serpentis ſuperbia, & ſupplicio. Deus profatur, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ipſa conteret caput tuum.* Gen. 3. Ibi Moyſes Barzepha, *Quia per ſuperbiam elatum fuit caput tuum, & improba locutum eſt, qui ex fœmina naſcetur conculcabit caput tuum.* Vulnus cur in corpore non infligitur ſed in capite? An non quia corpus eſt arbor, cum autem ſupplicij pœna debeat ex ipſa radice germinare *abſque alio initio*, ideo immediatè capiti vulnus adhæſit? *Sic Deus* (addit) *confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.* Pſal. 67. Verticem capilli, ſiue radicis ſummitatem, vt ex radice immediatè criminis malorum germina producantur.

37. *A radice frontis Oziæ flos lepræ immediatè proceſſit.* 2. Par. 16. Rupert.

Huc reuoco Oziæ Regis ſuperbiſſimi ſupplicium. *Orta eſt lepra in fronte eius.* 2. Paral. 16. Cur non in manibus ſicut in Patriarcha? Quia germen illud ægritudinis ab ipsâ radice abſque alio initio debuit oriri: *Orta eſt lepra in fronte*, vbi ſuperbiæ ſacrilegum auſum radices immiſit. Bellè Rupertus, *Vbicumque eſt impudentia, ibi eſt vltio.*

38. *E concupiſcentia radice orta eſt cæcitas Samſonis.* Iudith. 16. Brixia.

Samſon denique oculis priuatus horribiliter eſt. *Eruerunt oculos eius.* Iudic. 16. Cur non potiùs manus tot ſtragium hoſtis operatrices abſcinderunt? Sine manibus nec valens, ſeu comâ creſcente, poterit mandibulam aſini admouere tot Philiſthæos vulneraturam, nec vulpes apprehendere ad meſſium deſtructionem, nec Gazæ portas è limine abducere. Profectò oculi eruti à Iudice, quia concupiſcentiæ fuerat crimine maculatus. Brixianus, *Samſon oculis fuit priuatus, quod à concupiſcentia oculorum ſibi non temperaſſet.* Si concupiſcentia oculorum radix emittitur ab ipſa concupiſcentia *abſque alio initio* debebat pœnæ exitiale germen exoriri. Vt igitur Dominus pœnam, paralyſim ſcilicet tollat è corpore, radicem exſiccare curauit, criminum ablegatione; quia nulla miſero *nocebit aduerſitas, ſi nulla ei dominetur iniquitas.*

Observatio VI.

Ad illa verba.

Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge & ambula?

Dictione facilius fari: *Dimittuntur tibi peccata tua*, quam, *Surge, & ambula*; at opere difficilius hoc illud.

Facilius enim eſt, Mundum extruere, cunctaque miracula excitare, quam vnicum veniâ donare peccatorem.

AD hæc D. Thomas, *Mentiendo* (inquit) *facilius eſt dicere: Dimittuntur tibi peccata; quàm, ſurge, & ambula. Sed in opere maius eſt dimittere.* Idem eſt (fateor) *in poteſtate*, vt idem Angelicus Doctor aduertit. O quàm facile opus multiplicem orbem moliri, innumera mirabilia patrare, ſi cum remiſſionis criminis opere comparetur! 39. Thom.

Nato Domino, noua ſtella Orientalibus apparuit Proceribus: aduentantes illi Ieroſolymam ingrediuntur, *Turbatus eſt Herodes Rex, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Matth. 2. Vbi requiro, cur non dixit Euangeliſta Magos retuliſſe: *Vidimus ſtellam eius in Oriente*, & turbati ſumus ex miraculosâ luminaris apparitione: aut quare ſaltem tunc audientes non turbantur? Non turbantur Magi, nec eorum Vrbes commouentur rei nouitate, ſolummodo ex aduentu Regum diſturbatur Herodes, & omnis Ieroſolyma commota eſt. Liceat mihi mentem meam exponere Comici Gentilis ſententia.

40. *Maius miraculum Magos conuerti, quam ſtellam nouam apparere, & ideo turbatur Ieroſolyma.* Matt. 2.

Quæ plus inſolita, plus commouent animos.

Plus (me Hercle) inſolitum Magos humiles aduentare puero recèns nato obſequium præſtituros, quàm nouam ſtellam apparere; quia difficilius opus eſt peccatorem conuerti, quam quælibet miracula excitare. Chryſologus ſerm. 156. *Plus cœleſte de Magis, quàm de ſtella ſignum eſt, quòd Iudæa Regem, quòd legis authorem Magus ſcit.* Vnde ipſi Ieroſolymæ ciues, Herodes ipſe ex relatione apparentis ſtellæ minimè commouetur, qui ad Magorum obſequium conturbantur. Chryſol.

41. *Excitatis ſignis adhuc peccatoris conuerſioni verbum ſacrum inſtabit, quia difficilior peccatoris reductio, quam ſignorum patratio.*

Cùm Dominus Diſcipulos ad Orbem concionaturos, hominéſque conuerſuros immittit, profatur: *Signa autem eos*, qui crediderint, hæc ſequentur: linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi quid mortiferum biberit, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent *& bene habebunt.* An huiuſmodi ſigna patrantur ad infallibilem peccatorum conuerſionem? Addit Textus, *Illi autem prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Mar. vlt. Dominus cooperatur vt Euangelicus

sermo

ſermo confirmetur ad efficaciam. An non confirmato ſermone miraculorum vi homines conuertuntur? Non quidem ſemper, nec cuncti. Cur qui miracula excitare potuerunt, non ſimul poterant hominum auerſa corda ad Deum reuocare? Quia præſtantioris opus potentiæ eſt, peccatorem conuerti, quàm cuncta miracula patrari, ſi poſtquam miracula ſequuntur, & ſermo confirmatur, adhuc non eſt infallibilis verbi victoria.

41. *Num Deus potens tot ſignorum excitare portenta, potuerit Pharaonem conuertere?* Exod. 7.

Exaggero excogitationem. Quid ſi Deus potentiſſimus miracula excitare, impotens quodammodo aliquando peccatorem obduratum conuertere? Vt Pharaonem ad meliorem mentem Deus reuocaret, Ægyptum decem plagis percuſſit. *Multiplicabo* (inquit) *ſigna & oſtenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos.* Exod. 7. Cælum, terra, pelagus miraculis replentur, non autem præcordia Regis immutantur. Abbas Cellenſ. lib. de Pan. cap. 17. *Laborat manus Omnipotentis eripere, nec liberat; verbis premonet, & verberibus vrget, nec tamen de fouea ſua beſtiam ſanientem extrahere poteſt.* Qui potuit tot excitare miracula, non potuit ea operandi efficacitate Regis animum conuertere? Non potuit equidem ea ſola vi, qua miracula fecit, efficaciter Pharaonem ad pœnitudinem adducere; quia maior potentia requiritur ad hominis conuerſionem, de qua Dauid; *Dextera Domini fecit virtutem; dextera Domini exaltauit me; non moriar, ſed viuam.* Pſal. 117. Vt viuus homo ſpiritualiter viuat, præſtantiſſima potentia requiritur. Hæc mutatio eſt dexteræ Excelſi. Homo conuertitur, alter efficitur? O dexteræ Excelſi mirabilis mutatio! Euſebius Galican. hom. 2. de Epiph. *Ecce vera miracula, ſtupendæ mutationes, quas quotidie in nobis operatur Redemptor, quando de peſſimis bonos facit, caſtos de luxurioſis, humiles de ſuperbis, de ſectatoribus ſeculi amicos Dei. Quæ poteſt maiora exercere miracula?* Aliæ ex digito, hæc ex dextera Dei tota mutatio perfecta eſt.

Cellens.

23 *Opus dexteræ Dei hominis conuerſio, in qua miracula recapitulantur.* Pſalm 117. Euſeb.

SECTIO QVINTA.

Languidum Chriſtus corpus ſanat.

TEXTVS.

Vers. 6. VT autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectū tuum, & vade in domum tuam. 7. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.
8. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De poteſtate Chriſti hominis ad peccatorum remiſſionem.

1. *An ſint hæc verba Chriſti?*

VT *autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra, &c.* Sunt, qui putent hæc verba Euangeliſtæ eſſe. Quod minimè approbandum, cùm quia ſententia ipſa poſtulat, vt Scribis Chriſtus hoc dixerit, vt probaret ſe poteſtatem habere, peccata remittendi: tum quod Marcus, & Ioannes eadem verba apponunt; quod non feciſſent, ſi ipſorum eſſent verba, non Chriſti.

2. *Quidnam Chriſtus hic probare intendat?*

Quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. Quidnam Chriſtus probare intendit? Plerique interpretes exiſtimant, probare voluiſſe, ſe eſſe Deum, ac propterea non blaſphemare, cum dicit ſe dimittere peccata. Aptè quidem, ſed tantorum Doctorum veniâ hærens illi particulæ *Filius hominis*, arbitror Chriſtum oſtendere intendiſſe, ſe non ſolùm vt Deus eſt, ſed etiam vt homo, poteſtatem habere peccata remittendi. Moueor, quia exiſtimo Dominum contrarium eius, quod Scribæ putabant, probare voluiſſe. At illi putabant ſolum Deum poſſe peccata remittere, & Chriſtum vtique non eſſe Deum. Chriſtus igitur probat ſe Deum eſſe, & etiam vt hominem peccata remittere; non vt qualécunque hominem, ſed vt hominem Deum.

Quonammodo probat ſe eſſe Deum? Certè non tam argumentando, quàm experientiâ ipsâ demonſtrat, dum illis, quid cogitarent, expoſuit. Quomodo autem ſe vt hominem remittere peccata oſtendit? Hanc vim duæ particulæ, *Filius hominis, & ſuper terram,* habent. Non enim dixit: Vt ſciatis Filium Dei habere poteſtatē, ſed *Filium hominis*: & non dixit, In cœlo, ſed *ſuper terram.* Eſt homo Deus: ergo vtrumque perfecit.

3. *Quonammodo probet ſe eſſe Deum, & vt hominem, remittere peccata?*

Aduersùm totum Domini argumentum obiectio non leuis inſurgit. Quomodo Chriſtus, quod probandum erat, concludat. Nam ſi remittere peccata erat reuerâ difficilius, dum experientia curati Paralytici docet, ſe, quod re ipsâ facilius eſt, poſſe facere, non bene probat, & ſe peccata remittere, quod difficilius erat. Reſpondeo cum Maldonato Chriſtum tantùm probare voluiſſe, ſibi eſſe credendum, quod bene probat ab eo cuius probatio erat difficilior. Quaſi dicat, ſi non fallo, dum dico Paralytico, *ſurge, & ambula,* vbi difficilius eſt probare, me verum dicere, cur creditis me fallere, cum dico, *Remittuntur tibi peccata tua.*

4. *ab obiectioni ſit ſatis.*

§. II.

§. II.

De Paralytico donato ſanitate.

5. *Cur iubeat ſurgere, & lectum tolleret?* Chryſol.

TVnc ait Paralytico, *ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Hæc tria verba ad euidentem curationis probationem Chriſtus adiecit. Nec enim videri poterat ſimulata, aut imperfecta curatio, quâ Paralyticus ſurrexiſſet, & lectum ſuum debilis priùs, ſuſtuliſſet in humeros, & in domum reportâſſet. Chryſologus ſerm. 50. *Scrutator animarum præuenit mentium maligna conſilia, & Deitatis ſuæ potentiam operis atteſtatione mõſtrauit, dũ diſſipati corporis membra componit, neruos ſtringit, iungit oſſa, complet viſcera, & greſſus ad curſum ſuſcitat in viuo cadauere iam ſepultos. Tolle lectum tuum, vt lectus doloris tui ſit meæ curationis indicium, vt receptæ fortitudinis magnitudinem ponderis afferat magnitudo.* Conteſtatur Chryſoſtomus.

Chryſ.

6. *Timor pro admiratione ponitur.*

Videntes autem turba timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Pro *timuerunt* eſt Græcè, ἐθαύμασαν, ſiue *admirati ſunt.* Interpres noſter ſenſum, non verba reſpexit. Et quamuis Græcum vocabulum propriè ſit *admirari*, aptè hîc poſitum pro *timere*, eſt enim admiratio quædam quæ ex gaudio, alia quæ ex timore proficiſcitur. Vnde Lucas quod Matthæus admirationem vocat, ſtuporem appellat, & vehementem timorem interpretatur. *Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum, & repleti ſunt timore.* Quonam timore replerentur? An illo, qui ex odio? Minimè, ſed illo, qui ex magnâ alicuius opinione, & reuerentiâ ſolet oriri: An non cum populus in illo iudicio inter duas meretrices Salomonis ſapientiam perſpexiſſet, timuiſſe dicitur Salomonem. 3. Reg. 3. Quemadmodam ergo illic timere pro admirari; ita hîc admirari pro timere poſitum eſt.

3. Reg. 3.

Et glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Beda, *Meritò damnata blaſphemia voce glorificant.* Proximum iratus, aut ſeductus verbo vulneraſti? Pacatus eundem verbis procura demulcere. An glorificauerint Deum, quod Chriſto dederit talem poteſtatem? Reſpondet Hilarius Can. 8. Non glorificauerunt, quod Deus dederit Chriſto talem poteſtatem: quid enim non habeat Chriſtus? ſed glorificauerunt, quòd Deus dederit hominibus, id eſt, Diſcipulis poteſtatem dimittendi peccata, reſuſcitandi infirmum, & reducendi *eum in cœlum per verbum Dei.* Aſt, tanti Patris venia, haud illi huiuſmodi poteſtatem penes Diſcipulos futuram ſciebant. Vnde exiſtimo Deum glorificauiſſe, quod Filio hominis talem impendiſſet poteſtatem, de qua ipſe: *Vt autem ſciatis, quia Filius hominis in terra habet poteſtatem dimittendi peccata, &c.*

7. *Cur glorificant Deum: & de quali poteſtate hominibus data?* Beda. Hilar.

Myſticè Iſidorus. Paralyticus iacens in lecto anima eſt vitiis deſolata in corpore ſuo. Reſurgit & lectum carnis, in quo debilis ante iacebat, ad domum virtutum reportat, vt ſe intra conſcientiæ *ſuæ ſecreta conſtringat.* Legendus Bernardus, ſerm. 4. de mod. orandi.

8. *Paralyticus myſticus.*

IN IESVM PARALYTICOS SANANTEM.

PANEGYRICVS MORALIS QVINTVS CIRCA LITERAM.

EX LANGVIDO CORPORE SANATO.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Surge, Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

Paralytico ſanato iubet Dominus, lectum abluendum lacrymis in domum deferre,

Pœnitens enim nunquam debet circa crimina præterita ſecuritate frui, ampliùs curet abluere.

9. *Habitus prauitatis abolendi ratio.*

IMPERIO Dominico parens languidus, *ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Non ſolum ſe potens lectũ portare oſtendit, ſed ad domum adduxit. Audiendus Bernardus ſerm. 4. de mod. oran. *Si iam ſurgis deſiderio ſupernorum, ſi tollis lectum, id eſt, corpus tuum à carnalibus voluptatibus, vt iam non te corpus regat, ſed tu corpus; ſi iam ambulas, quæ retrò ſunt obliuiſcens, ad anteriora te extendens: iam curatus es à tuo languore. Neque enim aliter ſurgere poteras, aut corpus tuum regere, aut in feruore ambulare, niſi peccatorum mole detracta.* Lectus igitur corpus eſt olim voluptatibus illicitis maculatum. Detractum eſt ab humeris onus peccati grauiſſimum, onus corporis ſuccedit non mox deponendum, ſed ad domum referendum: *Et vade in domum tuam.* Quare? Vt operibus pœnitentiæ, ſcilicet lacrymis, aſperitate ieiunij, cilicij, &c. lectus ampliùs mundetur, prauique habitus omnino aboleantur.

Ad domum itaque referte lectum, corpus adducite, *in cubilibus veſtris compungimini*, lectum ampliùs abluite; ne rurſum, excidente ex humeris hoc onere leui, peccatorum immenſo pondere pergrauemini. Aiebat Dauid, *Lauabo per ſingulas*

10. *Poſt pœnitentia confeſſionem poſt gratiam receptã,*

...dum tolli- quam in corpo- re praui ha- bitus volu- ptas diluen- da lacrymis. Pſal. 6. Caſſio.

ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Pſal. 6. Caſſiodorus, *lectus eſt delectatio corporis, in quâ homo reſoluitur, ſtratum ſenſualitatis.* An poſt pœnitudinem, ac peccati remiſſionem reliqua in corpore voluptas? Profectò inibi reſidet habitus ad voluptatem alliciens. Ideo Dauid poſtquam beneficio cœleſtis medici, paralyſi abolitâ, ſurrexit è lecto, ipſumque corpus regendum portauit, ad cubile adduxit, vt continuo lacrymarum profluuio habitum libidinis extinguere poſſet.

11. *Remiſſo Dauidis peccato libidinis, ad transfert Deus in humeros eius, vt lectum in domum referat, & amplius abluat.* 2.Reg 12.

Natham ad Dauidem nondum pœnitentem immittitur. At ex ouiculæ parabolâ è ſomno euigilans, fatur: *Peccaui Domino.* Natham autem adiecit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. Cur non dixit: Dominus dimiſit peccatum, ſed tranſtulit. Profectò corpus mundauit, paralyſim voluptatis ablegauit è membris, lectum omninò à pondere ægrotantis animi liberauit. Sed tranſtulit quidem lectum in domum, in cubile, vt inibi habitus praui reliquiæ vberiùs abluantur. Hoc enim pœnitenti onus impoſuit, vt aſperitate pœnarum curaret lectum corporis omnimodâ puritate nitere. Lectulus transfertur ad domum, vt per ſingulas noctes diluatur. Baſilius Seleu. Ora.17. *Dauid, acceptâ per confeſſionem gratia, non quieuit; ſed quod pœnitentiæ ſtadium cupeſſiuerat, mordicus tenuit. Medicamentum nequidem poſt curationem abiecit. At flens per omnem vitam, clamabat: lauabo per ſingulas noctes lectum meum.* Cuinam vulneri medicamen adhibetur poſt curationem, poſt ſanitatem? Porrò habitus praui reliquiis pœnalibus operibus abolendis.

Baſil. Seleu.

12. *Publicanus deſcendit à confeſſione in domum, vt habitum criminis opere pœnali detergeret.* Luc.18.

Audiſti Phariſæum iactitantem: Non ſum ſicut cæteri homines, ieiuno bis in ſabbato, &c. Et Publicanum humili, ac pœnitenti affectu clamantem: *Deus, propitius eſto mihi peccatori.* Quàm iuſtè addit Dominus, *Deſcendit hic iuſtificatus ab illo in domum ſuam.* Luc.18. Apud noſtræ Societatis ingenioſum modernum legi particulæ illius: *Ab illo* ponderationem. Non dicitur abſolutè, & ſimpliciter iuſtificatus deſcendiſſe: ſed ſolùm dicitur iuſtificatus deſcendiſſe *ab illo*, hoc eſt, præ illo Phariſæo. Iuſtificatus equidem dici poterat, ſi cum Phariſæo compararetur: ſed non abſolutè iuſtificatus dicitur, quia requirebatur pœnitentiæ diutinæ ſuſceptum iugum. Aptè quidem. Sed argumento accommodatius, pondero non particulam: *Ab illo*, ſed, *In domum ſuam.* Deſcendit hic *iuſtificatus ab illo in domum ſuam.* Apud Templum ex pœnitudinis veræ affectu ex profeſſione criminum iuſtificatus eſt, *ſed in domum ſuam* lectum portauit: *Abiit in domum ſuam*, vt pœnalibus operibus prauos habitus aboleret. Ephren. de pœnit. *Salutis initia dantur publicano. (Deſcendit enim iuſtificatus) nec perfectè ipſum debitis liberarunt.* Si iuſtificatus abſceſſit, quomodo non perfectè liberatus eſt? Quia pro onere peccati, portat onus lectuli, quem pœnalibus operibus ampliùs ablui eſt curaturus.

Ephren.

13. *Niniuitæ vbi pœnitentiam peculdubi lectum in domum aſportauerunt, vt habitus prauos abſtergarent.* Ion.3. Baſil. Seleu.

Poſt indictum Niniuitarum exitium Rex ac ciues ſe ſe ad meliorem mentem receperunt. *Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de viâ ſuâ malâ: & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Ioan.3. Vbi Baſilius Seleu. Orat. 12. *Niniuitæ ſoluto in eos edito decreto, pœnitentiam ſalutis ſociam non reliquerunt.* Quid in eos editum decretum ſolutum eſſe, niſi miſertum fuiſſe Dominum ſuper malitiam, *quam loquutus fuerat, vt faceret eis*? Vndenam autem tibi conſtat ô Doctor, Niniuitas pœnitentiam ſalutis ſociam (ſcriptura tacente) non dereliquiſſe? Quia verò pœnitenti conſequens eſt lecti aſportatio. Socia ſalutis pœnitentia eſt aſportatio illa lecti in domum, vt habitus praui frequentibus lacrymis tandem valeant aboleri: *ſurge, & tolle lectum tuum*, ne ex conſuetudine facilè corpus eadem ægritudine corripiatur.

Eſcob.& Mend.in Euang.de Temp. T.I.

Observatio II.

Ad illa verba:

Surge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

Præcipit Dominus, Paralyticum lectum portare, vt rectâ viâ in habitaculum tendat.

Studens ſcilicet, opus illud egregium ab oculis hominum occultari, inanem gloriam parui pendens.

14. *Vana gloria opera egregia diſperdit.*

NON ſolùm Dominus iubet Paralyticum in domum abire, ſed & lectum humeris comportare. Quare mittit in domum? Credo, vt videatur non circumducere hominem ciuibus oſtentandum, ſed curare potiùs, ne opus egregium plauſu excipiatur. Cur autem addidit lecti aſportationem? Certè vt rectâ viâ languidus iam ſalute donatus pergeret in domum, nec enim pondere grauis adeo facilè circumferretur. Sic viri ſanctiſſimi curant egregia opera occultari.

15. *Formicæ opera egregia intra clauſtra geſta, minimè diſperdenda.* Prou. 6.

Salomon id edocet, fatus; *Vade ad formicam, ô piger.* Prou. 6. Cur pigrum ad formicam immittit, & non potius eam iubet expectare, quæ tam ſollicitè ad hyemalem famem quæritat eſcas? Certè mirabilis planè animalculi illius intra domum prouidentia & ſeruantis granum, & rodentis ne naſcatur, & ægrotantes ſocias leuantis, & cadauera ſepelientis. Quæ quidem omnia apud foraminis clauſtra peraguntur. Quis crederet in tam exiguo corpuſculo tam egregia prouidentiæ contineri ſpectacula? O piger tam parua geſta curans publicè exponi, vt gloriam hominum poſſis aucupari, vade ad formicæ domum vbi tot egregia Conditori ſoli exponuntur. Confirmo excogitationem ex L X X. lectione, *Vade ad apem, ô piger.* Ad apiculam, inquam mellis conditricem, quæ domo recepta tot mirabilia opera exequitur. Appoſitè Antiochus hom.43. *Vir intelligens ingenioſam, & ſolertem imitatur apiculam. Quot externè* [illegible] *alueariam, internè mellis* [illegible] *ſius conficit. Ne labores tuos* [illegible] *deturpandos exponas.*

Idem de apicula [illegible] *Antio.*

Etenim graui periculo exp [illegible]

Extra domũ diuagãs grex (id eſt, opera illuſtria) à lupis diripitur. Ioan. 10. Anſel.

aut maculas contrahendi opera expoſita plauſui, extra domum diuagantia. De Paſtore mercenario ſic Dominus: *Mercenarius autem, cuius non ſunt oues propriæ, dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues.* Ioa. 10. Vbi Anſelmus mercenarium vocitat hominem inanis gloriolæ ſectatorem, qui opera ſua circumducit oculis hominum exponenda, nec ad domûs clauſtra curat adducere. Huius quidem oues propriæ non ſunt, ſiue circa opera ſua ſic ſe gerit, ac ſi propria non eſſent, ſi quidem ea exponit pereundi periculo. Publicè enim expoſita geſta quantumuis egregia aut diſpergun-tur, aut lacerantur. *Huius* (ait Pater) *non ſunt oues propriæ, quia virtutes, quas in ſe ipſo cuſtodire videtur, ab eo ſunt alienæ.* Non recipiuntur præcordiorum domo, diuagantur, miſerè à lupis circumeuntibus abſumuntur. Vndenam tanta incommoda? *Eas* (ait) *ob tranſitoriam gloriam ſeruat.* Ad agros adducit e ſtabulo extractas ouiculas, non curat de reductione, ſolummodo adductioni, ac circumductioni ſtudens. Quid mirum opera periiſſe?

Virtus inimicorum manibus addicitur diripienda, dum è Tabernaculo procedit aſpectanda. Pſal 77. Eucher.

17. Dauid cecinit, *Et repulit Tabernaculum Silo, Tabernaculum ſuum, vbi habitauit cum hominibus. Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Pſal. 77. Vbi quærito, Quænam virtus, ac pulchritudo ab inimici manibus fuerit direpta? Reſpondet Eucherius ad Reg. 4. *Virtus, & pulchritudo arrogantium inimici manibus traditur.* Vndenam tanta inimico licentia, vt poſſet animum prædiuitem denudare? *Et repulit* (inquit Vates) *Tabernaculum, Tabernaculum ſuum, vbi habitauit cum hominibus.* Apud Tabernaculum opera illa cuſtodiebantur, denudata ſunt opera, Tabernaculo repulſo, inimici, ex gloriola mundiali, diripuere. Addit pulchrè Doctor, *Hoſtes namque ad rapinam prouocant, qui ſuas eorum notitia diuitias denudant.*

Petrus curauit egregia ſanctitatis domi recludi: (ipſo diuagante) ne gloria inanitate perirent. Act. 12.

18. Miror Petri ſanctitudinem, dum eum video ab Angelo tam mirabiliter à carcere liberatum. Sed plus me in admirationem rapit Petri modeſtia, quâ curauit egregium hoc ſanctitatis documentum domo recludi, non huc ac illuc diuagari. *Venit ad domum Mariæ matris Ioannis, vbi erant multi congregati, & orantes.* Pulſat, ingreditur, *Annuens autem eis manu, vt tacerent, narrauit, quomodo Dominus eduxiſſet eum de carcere; dixitque. Nunciate Iacobo, & fratribus hæc; & egreſſus, abijt in alium locum.* Act. 12. Si reuerſurus erat illicò Petrus, cur ad domum Marci progreſſus eſt, & ſemel ac iterum pulſans inſtitit vt aperiretur oſtium? An vt narraret ſuam e carcere liberationem? Nónne cuſtodes carceris euulgarent vinctum aufugiſſe? Certè narraturus Petrus liberationem illam mirabilem, vnde illuſtriſſima eius ſanctitas deberet agnoſci, ad domum properat, voce tenui explicat, ſilentium indicit, iubet Iacobo, ac fratribus (qui fortaſſe tunc ſomno inibi contemplationis indulgebant) referri. O vir verè Paſtor oues virtutum haud exponens luporum direptioni! Chryſoſtomus hom. 27. ponderat illud verbum: *Nunciate Iacobo, & fratribus. Non dixit, Vbique manifeſta facite hæc ſed fratribus.* Chryſ.

Si opera cuſtodienda, non circumferenda vbique, ſed intra domus clauſtra ſunt reponenda. *Et abſceſſit in alium locum.* Ego aufugiens periculi inſtantiam huc, illuc diuagabor ſecurus à lupo. At ſanctitatis hæc documenta in Dei gloriam ſanctis exponenda in domo cuſtodiantur.

Observatio III.

Ad illa verba.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam: & ſurrexit, & abijt in domum ſuam.

Oneratum lecto Languidum Dominus iubet in domum abire. At dicit Matthæus abiiſſe domum, non lectum deportaſſe.

Innuitur, ſuauiſſimum eſſe pænitentiæ onus.

IMPERAVIT Dominus Paralyticum lectum in domum deportare. At Languidus properaſſe ſcribitur in domum, non autem lectum deportaſſe. Nónne dicendum fuiſſet: *Et ſurrexit, & lectum portauit, & abijt in domum ſuam.* Cur igitur de aſportatione lecti memoria non agitur? Num portare neglexit? Minimè, ſed id eſt equidem pœnitentiæ onus, quod non poſſit humeros pergrauare. Vnde nulla fit ponderis ſublati mentio, quia quaſi vacuus onere Languidus procedebat. O ſuaue iugum, ô ſarcina leuis! 19.

Pœnitentiæ fructus charitas, & gaudium, onus quippe ſuauiſſimum. Matth. 3. Gal. 5.

Ioannes Baptiſta prædicabat, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Matth. 3. Quinam, quæſo, pœnitentiæ fructus? Certè ieiunia, lacrymæ, flagella, cilitium, humi cubatio, reliquæque corporis aſperitates. O grauiſſimum lectum pœnitentis humeris imponendum! Imo ô pondus omninò ab humeris deturbandum! Paulus ſic humeris apponendum lectum deſcribit: *Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, &c.* Gal. 5. En pœnitentiæ fructus, quod vos Ioannes gerendos edocet: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, lectulos tollite, ad domum accurrite, Portamus ſine moleſtiâ iugum, onus ſine onere ſuſtinemus. Thomas Angelicus, *Fructus pœnitentiæ ſunt charitas, gaudium pax, &c. quia habent in ſe ſuauitatem, & dulcedinem.* An dulcedo & ſuauitas poſſint premere collum, humeros aggrauare? 20. Thom.

Sarcina dulciſſima eſt delictorum lamentatio. Mat. 8. Periand.

Ideo Dominus pœnitentes beatos vocitauit, *Beati qui lugent.* Matth. 8. Aiebat Gentilis deſcribens meretriculam è domo amanti inopem deturbatam, ſolummodò *lacrymarum ſarcinam* deportaſſe. Non dubito quin grauis ſit ſarcina lacrymarum profluxio, onus vtique pœnitentis. Ideo Petrus *egreſſus foras,* 21.

flenit

Matt. 26. *flenit amarè.* Math. 26. Amaritudo enim onus plorantis eſt, ſarcina lacrymarum. Cur ergo Dominus lugentes beatos appellauit? Quia onus illud ſine onere prorſus: tota illa ſuauis eſt amaritudo. Apolin. Auguſt. Apollinaris, *Valde ſuauis eſt delictorum lamentatio.* At Auguſtinus lib. de Catechiſ. *Citò ſentias* (quicumque deportare lectum imperaris) *dulciores eſſe iuſtitiæ fructus, quàm iniquitatis. Et veriùs, atque iucundius gaudere hominem de bonâ conſcientiâ, inter moleſtias, quàm de mala inter delicias.* In pondere peccati, quod ex humeris pœnitens proiecisti, tota moleſtia adeſt, libera omnino ab onere properat pœnitudo. Quia ſcilicet pœnarum aſperitas bonæ conſcientiæ ſuauitate alleuiatur.

22\. *Onus pœnitentiæ non grauat corda.* Iſai. 65. Iſaias ſic alloquitur pœnitentes: *Obliuiſcentur tribulationis ſuæ primæ, & non aſcendet ſuper cor eorum.* Cap. 65. Si dominus imperat ſuper humeros lectum aſcendere: *Tolle lectum tuum*, quomodo tribulatio non aſcendet? *Sed gaudium*, (adiicit) *& exultationem inuenient in ea.* Humeros fortaſſe pœnitentiæ opera premunt, ſed non corda; quia exultatione & gaudio præcordium hominis repletur, vt pondus aſperitatis valeat indulcari. Abbas Cellen. Abbas Cellen. lib. de Pan. cap. 7. *Nomen languoris, nomen doloris nec nominatur apud vos. Quid autem? Vita, iucunditas, exultatio.* Quam leue pœnitentium onus (verius dixerim) quàm non onus eſt!

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et ſurrexit, & abijt in domum ſuam.

Languidus in domum fortitudinis, tutiſſimam arcem à Domino immittitur.

Pœnitentia enim fortitudinis domus, arx tutiſſima eſt, ad hominis protectionem.

23\. Hieron. DIvvs Hieronymus myſticè aſſerit hominem pœnitentem ad domum virtutum adduci, vt ibi munitus, à nullis valeat hoſtibus expugnari. *Anima roborata pergit ad domum virtutis.*

24\. Olim filij Iſraël *fecerunt malum in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manus Madian ſeptem annis, & oppreſſi ſunt valdè ab eis. Feceruntque ſibi antra, & ſpeluncas in montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca.* Iudic. 6. Quàm infirma ineunt peccatores habitacula! Vis ô miſer, munitiſſimam domum inuenire, vbi munitiſſimus valeas contemptis hoſtibus commorari? *Vade in domum tuam*, te in pœnitudinem recipe, vbi ab hoſtibus abſcondaris. Gregorius 4. Mor. cap. 16. *Solus ab illo locum fugæ inuenit, qui poſt perpetratam culpam, ſe in pœnitentiam abſcondit.* Reliqui quique ſine propugnaculo iaculis hoſtium exponentur. *Peccator debent ſe ad pœnitentiæ munitiſſimā domum recipere protegendus.* Iudic. 6. Greg.

25\. *Quærens Dauid domū refugij, pœnitentiam inſtituere curauit.* Dauid delinquens perfugij domum quæritabat. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculò, & habitauero in extremis maris; etenim illac manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Pſal. 138. Pſal. 138. An inuenisti refugij, ac protectionis domum? Ita planè, cum dixi: *Peccaui Domino.* Auguſtinus ad Ioan. 3. Auguſtin. *Si vis ab illo fugere, ad ipſum fuge confitendo, non ab ipſo latendo.* Confeſſionis pœnitentia domus refugij eſt.

26\. *Pœnitens in domo paradiſi protegitur.* An apud paradiſum cœleſtem tutus eris ab hoſte? Chriſtus Latroni, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Luc. 23. Luc. 23. Vt omnimodam promitteret ſecuritatem, cum aſſerit in domo paradiſi recipiendum, vt aliquis grauis cogitauit interpres. Qui igitur pœnitentiæ ſtudet affectui, effectuíque operam impendit in ſecuriſſima paradiſi domo recipitur. Ambroſ. Ambroſius lib. 5. in Luc. de Paralytico noſtro, *Nec ſolum (ait) iubetur leuari corpus, ſed in domum repeti, id eſt, in paradiſum. Ea enim noſtra domus eſt, quæ prima hominem ſuſcepit: non iure amiſſa, ſed fraude.* Pœnitentia tibi munitio paradiſi eſt, Salomone ſante, *Et munitio ſancti timor Domini.* Prou. 10. iuxta Septuaginta.

27\. *Nec Deus oppugnauit pœnitentem in domo ſua, quia ipſe Dominus murus eſt.* Te igitur in domo tuâ receptum nullus oppugnabit hoſtis, quia nec te Dominus exercituum expugnare contendet, qui potius tui protectio futurus eſt. *Non faciam* (inquit) *furorem iræ meæ: non conuertar, vt diſperdam Ephraim: quoniam Deus ego: in medio tui ſanctus, & non ingrediar.* Oſe. 11. Oſe. 11. Quiſnam *ſanctus ille?* Dominum ipſum, qui loquitur, expono. Me ipſum protegentem pœnitentem obiiciam, murum contemplabor. Cyrill. Cyrillus, *Hoc eſt, murum habebo Deum, ſecuritatem, & tutamen, & ſpem in ipſum mihi faciam.* An Deus ſe ipſum oppugnans vulnerabit? Bene Cellenſis Abbas lib. de Pan. cap. 12. Abbas Cellen. *Pœnitentia vincit inuincibilem, ligat Omnipotentem.* Quàm munita commoratur in domo, qui pœnitentiæ armatur affectu!

LIBER SEXTVS.

SOCRVS SIMONIS.

Paraphraſis, Commentariíque literales ad Caput quartum Lucæ.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum Febrim extinguentem.

PROLVSIO.

Vitalis ligni Chriſti Admirabilis, *ſiue miracula gerentis*, FRVCTVS SEXTVS. Hilar.

SIMONIS ſocrum exitialis febris vrgebat, quam rogatus Dominus tactu ſalutifero extinxit, exurgente muliere, vt in morem Marthæ medico cæleſti grata equidem miniſtraret. Siue ſit Petri ſocrus concupiſcentiæ caro inflammata à gehenna, vt Beda affirmat; ſiue omnis infidelitatis affectio vitioſa, vti aſſerit Hilarius Can. 7. ſiue Synagoga laborans febri inuidiæ, D. Thomâ adnotante; ſiue quælibet anima Chriſtiana, quæ ſpiritum amittit, niſi curetur, Ruperto contemplatore lib. 7. ſiue fides magnis febribus, ſeu magnis dubiis agitata, Simone Caſſiano expoſitore: rogatus Dominus exhibet ſanitatem. *Ibi* (ait Caſſia.) *rogatus ſanat, quia preces aliorum valent*. Si aliorum valent preces, quantum valebit intereeſſio illius, quæ (Laurentino Richardo authore) alia non eſt, ſed eadem cum Ieſu? *Eandem* enim *cum Domino quantum ad carnem attinet* (aſſerente Auguſtino) *habet eſſentiam*.

Caſſ.

Auguſt.

LVCAS Cap. IV.

VERS. 38. SVRGENS autem Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea.

39. Et ſtans ſuper illam imperauit febri: & dimiſit illam. Et continuò ſurgens miniſtrabat illis.

PARAPHRASIS.

38. *POST ſpiritum nequam ab homine ablegatum, reliquit Dominus Synagogam, & ingreſſus eſt domum Simonis, cui nomen additum Petrus. Huius ſocrus vehementi febri tenebatur. Affines autem, & cognati Ieſum rogauerunt, vt qui non rogatus à viro dæmonium expulerat, amicorum precibus fæminam Diſcipuli affinem febri leuaret.*

39. *Ieſus autem, vt oſtenderet, ſe ſe erga notos & ignotos, erga omnem ætatem ac ſexum eſſe beneficum, imminens mulieri, interminatus eſt febri, vt abiret. Simul equidem ad Domini iuſſum morbus aufugit, repentè ſuccedente omni vigore, omni alacritate ſicut ſurgens è lecto pararet cœnam Ieſu, ac Diſcipulis, & diſcumbentibus miniſtraret.*

40. Cùm

40. Cùm autem Sol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.

40. Tanta erat promptitudo Domini ad benefaciendum omnibus, vt nec temporis importunitatem excuſaret. Etenim vel poſt Solis occaſum quotquot habebant domi ægrotos varijs morbis obnoxios ad fores ædium, in quibus Ieſus verſabatur, adducebant. At ille nec nöctem rebus gerendis intempeſtiuam excuſans, eos manuum impoſitione cunctis liberabat à morbis.

41. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei: & increpans, non ſinebat ea loqui: quia ſciebant illum eſſe Chriſtum.

41. Nec morbi ſolùm ad iuſſum vocis, & manuum contactum fugiebant: verùm etiam dæmonia diuinam Ieſu virtutem non ferentia, vltrò ex infelicium corporibus fugiebant, clamantia quidem, Tu es Filius Dei. Ieſus autem compeſcuit illorum clamores, ac minis additis ſilentium indixit. Sentiebant enim admirabilem ab eo proficiſci virtutem, & hinc eum eſſe Meſſiam Dei Filium ſuſpicabantur.

42. Factâ autem die, egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vſque ad ipſum: & detinebant illum, ne diſcederet ab eis.

42. Porrò cùm iam dies eſſet, denuo magna vis promiſcua multitudinis ob pridie geſtorum magnitudinem, confluxit. Diluculò autem Ieſus relictâ Capharnaum, fugitans popularem laudem, ſeceſſit in deſertum. Vbi autem turba cognouere Ieſum abeſſe, conſecutæ ſunt illum, repertúmque conati ſunt remorari, ne ipſorum Ciuitatem relinqueret, ſed illic ſedem ſibi perpetuam aſſignaret.

43. Quibus ille ait: Quia & aliis Ciuitatibus oportet, me euangelizare Regnum Dei; quia ideo miſſus ſum.

43. Reuocantibus denique placidè reſpondit, Quod gratis in vos collatum eſt beneficium boni conſulite. Veſtrum haud hoſpitium aſpernor, ſed oportet vt mihi Regnum Dei annuncianti aliæ Ciuitates impendant hoſpitium. Si quidem in hoc miſſus à Patre, vt omnes Vrbes ad ſocietatem Regni cæleſtis inuitem.

44. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ.

44. Placatis hac excuſatione Capharnaitis, Ieſus vicos, & Ciuitates Galilææ perambulans in Synagogis eorum iuxta ſuum morem prædicabat.

SECTIO PRIMA.

Febris extinguitur.

TEXTVS.

VERS. 38. SVRGENS Ieſus de Synagogâ, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum proea. 39. Et ſtans ſuper illam, imperauit febri; & dimiſit illam. Et continuò ſurgens miniſtrabat illis.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Petri Domo.

1. *Quandonam hæc geſta?* SVRGENS *autem Ieſus de Synagoga.* Quandonam hæc quæ narrare aggreditur Lucas acciderint? ſimul atque Chriſtus in Synagoga Capharnaum illam concionem habuiſſet, propter quam turbæ miratæ ſunt: & poſtquam illud eiecíſſet Dæmonium, de quo Marcus Cap. 1. Lucas hoc Capite ſcripſere, de quo Matthæus, & Ioannes mentionem non fecerunt. Deſcribitur hiſtoria diſtinctius à Marco, vt Chryſoſtomus hom. 28. & Auguſtinus lib. 2. de conſ. Cap. 21. adnotárunt, è quo (ſi quid apud noſtrum Lucam obſcurius apponitur) elucidabitur. *Introiuit in domum Simonis.* Si Pe-

2. *Quonammodo tunc Petrus domum haberet.* trus omnia iam reliquerat, quonammodo tunc domum haberet? Non miror Interpretes hæreticos reſpondere omnino Apoſtolos omnia ſua reliquiſſe, ſed curam, adminiſtrationémque ſuorum bonorum, quam Chriſtum ſequentes, & Euangelio ſeruientes, gerere non poterant: ſolitos tamen ad ſua redire, cum Euangelij prædicatio non impediebat. *Quia ſimiles* (ait Maldonatus) *Apoſtolis fieri nolunt, volunt ſibi Apoſtolos ſimiles facere.* (Maldon.) Miror autem nonnullos Catholicos Expoſitores in eundem adductos errorem, dum eorum ſcripta cautè non legerint. Reſpondendum igitur, Petrum domum non habuiſſe. Nec enim mentitus dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Mat. 19. (Matth. 19.) Reliquimus non ſolum curam, ſed proprietatem ea quidem perfectione, quam Dominus adoleſcentem docuerat *Si vis perfectus eſſe vade, vende vniuerſa, quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 8. (Matth. 8.)

3. *Cur appellatur domus Petri?* Quare igitur Domus Petri appellatur? Quia aliquando Petri domus fuerat, quam credibile eſt, vxori, ac ſocrui ſuæ, quia pauperes erant, reliquiſſe. Niſi ipſarum fortaſſe erat, & Petri vocabatur, quia Petrus in ea, antequam Apoſtolus eſſet, habitabat. Marcus Cap. 1. aſſerit (Marc. 1.) domum fuiſſe domum Simonis & Andreæ, quæ probabiliter neutrius fuit, ſed patris eorum; dicitur autem eorum domus, quia parentum domus domus filiorum aptè vocitatur.

4. *Quomodo Bethſaida cíuis in Capharnaü domum haberet?* Quod ſi inſtes, quonammodo Petrus Bethſaïdæ ciuis domum in Capharnaum haberet? Reſpondeo hanc Petri domum, non in Capharnaum fuiſſe, ſed Bethſaïdæ, quæ viciniſſima erat, ita vt, Chriſtus exiens ex Synagoga Capharnaitarum Bethſaidam pranſum, aut cœnatum ire potuerit.

5. *Quorſum Chriſtus domum Simonis venerit?* Quorſum autem Dominus domum Simonis venerit? Reſpondet Euthimius, *Ingreſſus eſt, cibi ſumendi causâ vocante iam horâ.* (Euthym.) Chryſoſtomus, *Mihi videtur Chriſtum domum Petri petyſſe, vt cibum ſumeret.* Petrus, cum prandij tempus inſtaret, Dominum poſt concionem probabiliter inuitauit. Libenter autem ille in domum Petri diuertit Diſcipuli chariſſimi. *Quippe quæ* (addit Barradius) *Eccleſiam adumbraret.* (Barra.) Prandiſſe autem aſſerit Lucas, cùm ait, ſocrum Petri ſanitate donatam illis miniſtrâſſe ſcilicet prandentibus.

§. II.

De Simonis ſocru.

6. *Petrus habuit vxorem.* SOcrus autem Simonis. Colligitur apertè Petrum vxorem habuiſſe. Quæ quidem Simeone Metaph. authore in vita Petri, filia fuit (Metaph.) Ariſtobuli fratris Barnabæ Apoſtoli. Martyrem Clemens Alex. lib. 7. Strom. aſſerit. (Clemens Alex.) *Aiunt*, inquit, *beatum Petrum cùm vidiſſet vxorem ſuam duci ad mortem, lætatum quidem eſſe propter vocationem. Valde autem exortando, & conſolando proprio nomine eam conſolantem dixiſſe: Heus tu, memento Domini. Tale erat beatorum matrimonium.*

7. *Num reliqui Ap. vxores habuerint.* Quæris, num reliqui Apoſtoli vxores habuerint? Affirmat Ignatius Epiſt. 9. ad Philadel. *Petrus, & Paulus, & omnes alij Apoſtoli nuptijs operam dederunt.* (Ign.) Ambroſius 2. Cor. 11. *Omnes Apoſtoli, excepto Ioanne, & Paulo vxores habuerunt.* (Ambroſ.) Clemens Alex. lib. 3. ſtrom. *Petrus, & Philippus filios procreârunt. Et Paulus quidem non veretur in Epiſtolâ quadam ſuam appellare coniugem, quam non circumferebat, quod non magno ei opus eſſet miniſterio.* (Clemens.) *Dicit 1. Cor. 9. Non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi ſicut & reliqui Apoſtoli?* Et Abulenſis ad Matth. 19. q. 147. *Chriſtus vocauit ad perfectionem Apoſtolos, & omnes illi, aut plurimi erant coniugati, quando vocati fuere ab eo.* (Abul.)

8. *Aſſero non habuiſſe.* Aſſero tamen præter Petrum nullum Apoſtolorum vxorem duxiſſe. Ioannes quidem perpetuam coluit virginitatem, vt docet Eccleſia. De Iacobo maiore eius fratre idem teſtatur Epiphanius hære. 58. (Epiph.) *Ioannes & Iacobus filij Zebedoi manſerunt in virginitate, neque nuptias contraxerunt.* De minori Iacobo hoc ipſum affirmat hære. 78. & Hieronymus lib. 1. adu. Iouin. Cap. 24. (Hieron.) Andreas præterea vitam coniugij degit expértem de ſententia Metaphraſtæ in Petri vita. (Metaph.) Addit Hieronymus, Cap. 14. (Hieron.) *Excepto Petro Apoſtolo, non eſt manifeſtè relatum de alijs Apoſtolis, quòd vxores habuerint. Et cùm de vno ſcriptum ſit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, ſine vxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale Scriptura ſignificet.* Tertullianus lib. de Monogam. Cap. 18. conteſtatur, (Tertull.) *Petrum ſolum inuenio maritum per ſocrum. Cæteros cùm maritos non inuenio, aut ſpadones intelligam neceſſe eſt, aut continentes.*

9. *Pauli teſtimonium expono.* Quid de Pauli ſententia? Reſpondet Tertullianus citatus, cap. 9. (Tertull.) *Non demonſtrat Paulus vxores ab Apoſtolis circumductas, ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes miniſtrabant.* Non itaque interpretor de vxoribus, ſed de fœminis piis prouectæ ætatis, quas Apoſtoli circumdu-

cebant,

cebant, vt quæ corpori opus erant, miniſtrarent vel ex opibus ſuis, vel ex iis, quæ ab aliis donabantur. Caietanus 1. Cor. 9. *Cum Apoſtoli diſcurrerent prædicando, ducebant mulierem aliquam miniſtrantem eis ſumptus neceſſarios, exemplo Chriſti, quem comitabantur mulieres miniſtrantes de facultatibus ſuis. Nec intelligo circunduci mulierem de propriys facultatibus miniſtrantem: cum hoc extra Regionem Iudæorum difficile fuerit, ſed mulierem, cui facilè à diuitibus mulieribus dabantur pecuniæ pro ſumptibus neceſſarys Apoſtolis & in ciuitate, & præcipuè in itinere.*

Caiet.

§. III.

Febris extincta eſt, Apoſtolorum precibus.

10\. *Preces Apoſtolorum pro febricitante.*

TEnebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Cùm domum Petri Chriſtus veniſſet, nonnulli eum fuere deprecati vt fœminæ febricitanti ſanitatem afferret. Veroſimile Petrum ſimul exoraſſe, vt ſocrui honorem, & obſequium impenderet. Annuit Ieſus precibus, ad lectum accedit, fœminæ manum tetigit, vt ſcribit Matthæus, & vt Marcus ait, eleuauit eam ſanitati, ac viribus reſtitutam.

11\. *Medicus ca-*

Et ſtans ſuper illam, imperauit febri, & dimiſit illam. Illud: *ſtans ſuper illam* ex Marco exponitur ſante. *Accedens eleuauit eam, apprehenſa manu eius.* Poſſunt medici febrim pellere, ſed medicamentis, non imperio. Chriſtus verò ardentiſſimam febrim non medicamine, ſed abegit imperio: *Imperauit febri, & dimiſit eam.*

Ieſus ſanat imperio. Mar. 1.

12\. *Perfectæ valetudini ægra reſtituitur.*

Dimiſit omnino, ita vt perfectæ ſanitati fœmina redderetur. Medici adhibitis medicamentis corpus febri liberant, imbecillitate ſubitò liberare non poſſunt. At Chriſtus & febrem ſimul, & imbecillitatem expulit, corporis illico robore reducto. Hieronymus, *Natura hominum iſtiuſmodi eſt, vt poſt febrim magis laſſeſcant corpora, & incipiente ſanitate ægrotationis mala ſentiant. Verum ſanitas, quæ confertur à Domino totum ſimul reddit.* Et Chryſoſtomus. *Non febrium tantùm ardores Chriſtus extinxit; verum etiam priſtinas corporis vires recuperare illicò fecit. Vt quando facilis curatio ægrotatio videbatur, curandi modo virtus curantis oſtenderetur.*

Hieron. Chryſ.

13\. *Miniſtrabat prandentibus gratitudinis ergo.*

Et continuò ſurgens miniſtrabat illis. Miniſterium aſſeruit perfectam redditam ſanitatem, ſiquidem ſurgens grata miniſtrat prandenti Seruatori. Receptam à Deo valetudinem non vitiis, ſed virtuti ſtude libare. Simon de Caſſ. lib. 5. cap. 9. *Optimum in moribus eſt accepta gratia cooperari: & omne, quod à Deo accepimus, in dedicationem conuertere Creatoris. Sicut ſocrus Petri ſanitatem acceptam in obſequium ſtatuit largitoris.*

IN IESVM FEBRIM extinguentem.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX ÆGROTANTIS FOEMINÆ CVRATIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Intrauit Ieſus in domum Simonis, ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

Dominus non rogatus diuertit ad domum, vbi de ſocru laborante gener ſollicitudine afficitur.

Arguitur enim, domum Dei eſſe illam, vbi ſocrum & generum ſchiſmata non diuidunt.

SOCRVS domus generi domus appellatur? Inibi aut viuente vxore, aut non ſuperſtite, gener frequenter ſortitur domicilium? Non miror Dominum non inuitatum (probabiliter) ad domum illam propeaſſe reficiendus; quia propria Dei eſt domus vbi ſocrus & gener pacis vinculo colligantur. 14.

15\. *Non rogauit Petrus pro ſocru, quia vbi gener & ſocrus pacis vinculo colligantur, ad Ieſum aſtantes munera conferre ipſis tacentibus.* Ambr.

Quæritur an Petrus pro laborante ſocru Chriſtum fuerit deprecatus? *Et rogauerunt illum pro ea.* Ambroſius aſſerit Petrum non rogaſſe. Cur tam deſes Simon circa ſocrus valetudinem? An ex prauo generi affectu tacuit? Minimè verò. Abulenſis tacuiſſe exiſtimat, *quia Petrus ſciret languere ſocrum ſuam, noluit vexare Dominum, neque impedire eum à prædicatione, & miraculorum operatione. Ab exordio enim erudiebatur, quæ aliorum erant, ſibi ipſi præponere.* Pondera particulam: *Quæ aliorum erant.* Cauſa hæc erat propria Simonis, quia ſocrus erat, qua cum ſtricto charitatis vinculo illigabatur. Vnde nec ni-

tnis de proprio commodo ſollicitus eſſe videretur, propriam cauſam alienæ ſuppoſuit. Addo non petiiſſe, quia ſciebat non à ſe rogatum Dominum ægrotantem fœminam ſanaturum; quia vbi ſocrus & gener vniuntur, documentum præbent, domum illam ad Dei ditionem pertinere, vt non rogatus, nec excitatus ſtudeat munerum collationi.

Quodammodo non poterat Deus ſocrum Petri non ſanare, vt reuerentia merita in præmio afficeret. Athan. Paſch.

16. Etenim adeo Chriſtus afficeretur, vt ſocrum huiuſmodi valetudini reſtitueret, quòd quaſi neceſſitate adſtrictus id præſtaret, nec ſe quodammodò poſſet ab hoc munere expedire. Bellè Athanaſius orat. 4. cont. Arrian. *Neceſſitas requirebat, vt Dominus ſocrum Petri febricitantem excitaret.* Cur requireret neceſſitas? An vt hoſpitio excepto Domino, adeſſet qui poſſet miniſtrare? Paſchaſius, *Non erat in domo Petri vernacula, non miniſter aliquis, non familiaris, non propinquus certè, vel vxor, quæ matris obſequia iunior præueniret; ſed anus ſola diu vexata febribus hoc faceret Magiſtro, quod Diſcipulus, cuius domus fuiſſe dicitur, facere debuerat.* Si Petrus debuerat facere, & ſi neceſſitas cogeret, proculdubio feciſſet, non ea neceſſitas miraculum tantum requiſiuit. A quanam igitur neceſſitate miraculum hoc requiſitum eſt? *Neceſſitas requirebat.* Certè à ſocrus ac generi vnione, quæ adeo Dominum ad munus excitabat, vt quodammodo neceſſitate compulſus valetudini perfectè reſtitueret ægrotam.

Ruth ob pietatem in ſocrum ſuam, Moabitis cum eſſet, fit Chriſti electa in parentem. Ruth 1. Ruth. 2.

17. Mihi credite, pietas, & charitas aut generi, aut nurus erga ſocrum Dominum cogunt ad munera præſtantiſſima exhibenda. An non ineffabile munus pauperculam fœminam eligi à Domino Meſſiæ ſeruatoris in parentem? Id præſtitit Ruth in ſocrum pietas decantata. Socru in Bethleem proficiſcenti hæc nurus profatur: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi non ſola mors me, & te ſeparauerit.* Cap. 1. Hæc ad Booz nobiliſſimi aures peruenere. *Nunciata ſunt mihi* (ait) *omnia, quæ feceris ſocrui tuæ poſt mortem viri tui.* Cap. 2. Et quamnam poſſum aptiorem, ac fideliorem mihi iungere ſponſam, quam eam, cuius erga virum fides ex reuerentia, ac pietate erga ſocrum, (vel poſt viri obitum) tam apertè fulgurabat? Ambroſius, *Vtique Ruth, quæ deffinitionem legis exceſſit, & intrauit in Eccleſiam, & facta eſt Iſraelitis, & meruit inter maiores Dominici generis computari.* Vndenam hæc paupercula à populo fideli ſeparata? Addit Pater, *Atque hanc ſanctitatem erga ſocrum cum cognouiſſet Booz proauus David, eam ſibi elegit vxorẽ.* Quam erga maritum fidelem fidelis exſurget, qui priorem coniugem diligens reſpectu eius ſocrum putauit diligendam? Nurum enim à ſocru diſſidentem quis non videat documentum exhibere, ſe non cum ſponſo arctiſſimo amoris vinculo colligari. Mariti enim parentem diligeret, quæ perfectè maritum amaret.

Ambr.

Pia in ſocrum maritum diligit.

Deus reuelauit Booz Ruth dignã, quæ duceretur vxor, ob pietatem in ſocrum. Ruth. 2. Chald.

18. Pondero adhuc Booz ſententiam. *Nunciata ſunt mihi, quæ feceris ſocrui tuæ poſt mortem viri tui.* Ruth. 2. Paraphraſtes Chald. *Per prophetiam nunciatum eſt mihi fore, vt proueniant ex te Reges, & Propheta propter bonitatem, quã aſſuiſti erga ſocrum tuam, quam, marito tuo demortuo, aluiſti.* *Per prophetiam nunciatum eſt mihi*, Innuit Deum ſpeciali prouidentiâ curauiſſe tanto munere douare nurum ob reuerentiam erga ſocrum.

Promiſerat iam Propheta, *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* Cap. 11. Promiſſum-ne prophetico vaticinio Meſſiam è Ieſſe radice proditurum? Igitur huic radici ingerere oportet hanc fœminam ſocrus honoratricem. Cuinam enim niſi nurui piæ erga ſocrum Dominus tantam maternitatis gloriam exhibebit? *Per prophetiam nunciatum eſt mihi fore, vt proueniant ex te Reges*; quia ſi Meſſias eſt è fœminâ naſciturus, è quanam precor niſi ex ſanctiſſimâ, quæ ſciat ſocrui reuerentiam exhibere? Hieronymus, *Promittitur per Prophetam de radice Ieſſe virgo pro noſtra ſalute preditura. Hic tamen Ieſſe auiam non Iſraeliticam habuit, ſed Moabitam, cui tantùm peregrina conceditur, quantùm nulla de Patriarcharum germine promeretur, vt ſuo vtero deſtinata benedictionis ſemen accipiat. Vnde iſtud, oro, promeruerit? Credo, quia dixit ſocrui ſuæ: Populus tuus populus meus, &c.* 19.

Iſaias qui orīturum Chriſtum prophetauit, quaſi aſſeruit è nuru pia in ſocrum naſciturum. Iſa 11. Chald. Hieron.

Iam vulgare à Deo munus eſt totum Mundum à diluuio ſeruari, quod ex ſoceri ac nurum colligatione pia aliqualiter profluxiſſe oſtendam. Celebrat Alchimus Arch. Vien. lib. 4. in Gen. cap. 6. Noe virtutem, & cordis animoſitatem eo quòd in vniuerſali diluuij clade nuribus conſuluerit, eiſque eo amore, quo filiis ſaluandis incubuerit. 20.

Reuerentia huiuſmodi, amorque ſoceri in nurus contulit hominum à diluuio liberationi. Alchim.

Sed non tamen illud
Segnius admirer, ſancti quod tempore Noe
Vnius ob meritum natis, nuribúſque tuendis
Orbis in exitio ndlatam nouêre ſalutem.

Iam ſcio, cur Domino à foris claudendum Arcæ oſtium relinquatur, non Noe curæ commiſſum fuerit? Tenetur quodammodo Deus illam protegere domum, vbi nurus ac filij pari affectu excipiuntur à ſocero. Et ſicut *neceſſitas* (vt dicebamus) *requirebat, vt Dominus ſocrum Petri febricitantem excitaret*, quaſi neceſſitas requirebat, vt Deus ſocerum & nurus pace illigatos protectione firmaret.

Poſtquam Iacobi filij Simeon & Leui ſtuprum Dinæ ſororis Principis morte delere curarunt, Iacob à Domino benignius exceptus illâ promiſſione beatiſſima rurſum donatus eſt: *Non vocaberis vltra Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Creſce, & multiplicare, Reges de lumbis tuis egredientur.* Gen. 35. Vndenam tam benignus Dominus? Exiſtimo quia ſe ſanctiſſimum in generi nece oſtentauit. Ambroſius libr. de fide Reſurrec. *Sanctus Patriarcha Iſrael profugus Patriâ, fratre, parentibus, domum mutauit exilio, generi necem fleuit.* O ſanctiſſimam animam, dignam prorſus, quæ ſupremo munere à Domino afficiatur! 21.

Iacob ſpecialiſſimo munere à Domino donatur, quia generi necem fleuit. Geneſ. 35.

OBSER

Observatio II.

Ad illa verba:

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

Indecorum eſſet Petro Chriſti amantiſſimo, pro ſocrûs valetudine ſollicitudine non commoueri.

Inuiſa etenim Domino in ſocrum aut ſocerum generi, aut nurûs impietas, quam grauiſſimo ſupplicio aſſolet vindicare.

22. *Petrus pro febricitante ſocru rogauit.* Ambr.

PROCVRAVIT Ambroſius Petrum omninò ab impietatis erga ſocrum calumniâ liberare. Vnde aſſerit proculdubio non ſolùm ſociorum interceſſione petiiſſe, ſed propriis precibus inclamâſſe. Sic exponit illud Marci. *Et protinus egredientes de Synagogâ, venerunt in domum Simonis, & Andrea cum Iacobo, & Ioanne, decumbebat autem ſocrus Simonis febricitantis, & ſtatim dicunt ei de illa.* Cap. 1. Quinam *dicunt ſtatim?* Profectò Simon Andreas, & Zebedæi filij. Petrus enim (adnotante Doctore) ſociis viſus eſt indiguiſſe, vt nulla adeſſet impetrandi dubitatio. Eo in ſocrus commodum ferebatur affectu. Quàm aptè Ambroſius curat Petrum à qualibet circa pietatem in ſocrum notulâ liberare. Dedecebat enim virum tam arcto amoris vinculo Domino illigatum illa pietate non fulgere, cuius defectum tam ſeuerè Dominus ſæpe vulnerauit, qui redundātiam tanto præmio donarit.

23. *Leuita non acquieſcens soceri cōſilio, dilectiſſima orbatur vxore.* Ioſeph.

Ille Leuita, cuius vxor (authore Ioſepho lib. 5. Antiq. cap. 6.) zelotypiæ ſchiſmate diu grauata ad parentes fugiens virum ſe receperat, pergit in Bethleem. *Quod cum audiſſet ſocer eius, occurrit ei lætus, & amplexatus eſt hominem, manſitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo, & bibens familiariter. Die autem quarto conſurgens proficiſci voluit. Quem tenuit ſocer, & dixit ad eum: Guſta priùs pauxillum panis &c.* Semel & iterum non ſolùm die illa, ſed & alterâ generum domi continere curauit. *Noluit igitur acquieſcere ſermonibus eius, ſed ſtatim perrexit.* Iudic. 19. Vbi Abulenſis,

Iud 19. Abul.

Moleſtum ſibi videbatur, cum diu permanere apud ſocerum. Profectò impio in ſocerum genero grauiſſima incommoda (quia remanere noluerit) obuenere. Apud Gabaa enim effrænatis adoleſcentibus Leuitam ipſum opprimere libidine curantibus miſer maritus dilectiſſimam exhibuit vxorem pudicam planè, ſi videns ſe deturpatam mortua fuerit, & non ex adoleſcentum impudentiſſimorum nimiâ oppreſſione. Quam meritò tanta incommoda marito excitantur, qui gener noluerit ſoceri ſalutari conſilio ſubmitti.

24. *Loti generi igne perierūt, nō audientes soceri conſiliū.*

Soceri alius conſilium à generis non receptum audite. *Egreſſus eſt Loth, & locutus eſt ad generos ſuos qui accepturi erant filias eius, & dixit: ſurgite, & egredimini de loco iſto; quia delebit Dominus Ciuitatem hanc. Et viſus eſt eis, quaſi ludens loqui.* At, conflagrante Vrbe, illi pariter perierunt. Gen. 19. Sic erga Gen. 19. ſoceros inobedientiam Dominus aſſolet vulnerare. Chryſoſtomus hom. 44. *Cum audirent* Chryſoſt. *generi à iuſto terribiles illas minas, quaſi ſubſannabant, & putabant deliramenta eſſe, quæ dicebantur. Veruntamen iuſtus, quod ſuum erat, faciebat. Et quia ſemel illis filias deſponſârat, voluit eripere eos à plagâ. At illi noluerunt, & re ipſa didicerunt, quod magno ſuo damno conſilium iuſti reiecerunt.* Pondera illud: *Veruntamen iuſtus* ſocer *quod ſuum erat, faciebat.* Si quod tuum eſt ſocer aut gener efficis, ſocrus aut nurus præſtas, non in te, ſed in neceſſitudinis ſupplicium recidet contemptorem.

Quodnam, dic mihi, grauius ſupplicium, 25.
quam Synagogæ reprobatio? Hoc quidem ex odio ſocrus in nurum proceſſiſſe quis abneget.

Reprobatio Synagogæ nōne ex impietate ſocrus in generum, aut in nurum? Euſeb. Emiſſ.

Synagoga quidem ſocrus Eccleſiæ, cuius ſponſus Dominus Seruator. Euſebius Emiſſ. *Vxor Petri Eccleſia eſt, quoniam ei à Domino* ſponſo chariſſimo *tradita eſt* Vicario. *Eius ſocrus eſt Synagoga, quia ipſa eſt mater Eccleſiæ. Vnde eidem in Canticis Dominus ait: Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Quid plura? *Hæc autem Synagoga mater* (adiicit pulchrè Chryſologus ſerm. 146.) Chryſ. *vbi Eccleſiam vidit è Gentibus adueniſſe, occidit ſceleſta filium ſponſum, nurus conſortium ne videret: Occidit Chriſtum, ſi vel ſic amorem nurus furibunda valeret extinguere.* Ex Emiſſeno & Chryſologo Synagoga ſocrus eſt, niſi quod ille Eccleſiæ, hic autem Chriſti matrem eſſe affirmauit. Siue igitur Synagoga ſocrus filium in odium nurus, ſiue generum interemerit, tam graui à Domino ſupplicio eſt affecta, vt magnis febribus nunquam non ægrota coniaceat. *Hæc autem iacet,* (addit Emiſſenus) *& febricitat, quoniam vſque* Emiſſ. *hodie inter Chriſtianos in domo Petri Synagoga infirma moratur, & habitat vbicumque eſt Eccleſia.* O flagitium ſocrus circa generum aut circa nurum horribile, è quo tandiu febricitans coniacebit! Mirabilis ô pietas generi occiſi, qui *ſocrus manum circa finem Mundi tanget, & tunc febre fugatâ, ſurget, & miniſtrabit Domino!* Sic Euſebius.

Observatio III.

Ad illa verba.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

Petri ægrotans ſocrus non habebat febres, ſed ab ipſis vtique habebatur.

Innuit Euangeliſta, à cupiditatibus animum teneri, non ipſum tenere cupiditates.

SI (Ambroſio authore) myſticè in ſocru 26.
Petri *varijs criminum febribus, caro noſtra languebat, & diuerſarum cupiditatum immodicus,* Ambroſ.

medicis æſtuabat illecebris: aptè Euangeliſta ſcripſerit: *Tenebatur magnis febribus.* Cupiditates enim nos tenent, nobis dominantur. Quare de eadem febre Lucas, *Et dimiſit illam,* Domino imperante. Dimiſit planè, quia eam febris habebat, non ab illa habebatur, *tenebatur.*

Tenetur à cupiditate, qui ipſi præſtat obſequium. Ierem. 16.

17. Tenetur certè à cupiditate, quicumque illi præſtat obſequium. Ex Ieremiæ ore Dominus, *Seruietis diis alienis die, ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Cap. 16. Ac ſi diceret, Adeo vos tenebunt, ac comprimient, vt nihil veſtrum in veſtram recidat poſſeſſionem. Pende illud: *Diis alienis.* Alieni vocantur, quia omnino immiſericorditer nos ſubditos opprimunt. L X X. pro particula: *Qui non dabunt vobis requiem,* transferunt, Qui non dabunt vobis miſericordiam. Vos enim vt proprios tenebunt, vt alienos vulnerabunt. De Tito Vinio Galbæ Imperatoris familiari in Romam deſæuiente Tacitus lib. 1. Hiſtor. *Minore auaritia graſſaretur Titus Vinius, ſi ipſe imperaſſet. Num & ſubiectos nos tenet, tanquam ſuos: & viles, vt alienos.* Quàm tyrannicè tenemur, poſſidemur à vitiis, qui tanquam ſuos habentes, tanquam alienos vulnerant!

Tacit.

Tenent nos cupiditates vt ſuos, torquent vt alienos. Bernard.

28. Visobiiciam, quàm nos ſtrictos vanitas, & volupeas teneant, vt ſuos: quàm, vt alienos, viles alligent? Bernardum lege in declamat. *Huius ſanguiſugæ duæ ſunt Inſatiabiles filiæ clamantes: Affer, affer. Si quidem nec animus vanitate, nec voluptate corpus aliquando ſatiatur.* Si noſter animus vanitatem inſatiabiliter abſumit, ſi noſtrum corpus voluptatem haurit, proculdubio animus & corpus cupiditatem tenebit, quemadmodum venter tenet cibum, quem ſumimus. O tyrannidem cupiditatum! Cùm animus vanitatem, corpus voluptatem tenere videtur, vice verſâ à cupiditatibus abſumptis ipſi tenentur. Adiicit Abbas, *Fuge ſanguiſugam hanc, & omnia reliquiſti. Hæc enim omnia trahit ad ſe.* Putabas à te teneri vanitatem & voluptatem? Teneris ab illis, traheris à cupiditatibus. *Non eſt Dominus crudelis ad illam, non eſt tyrannus tam impius, & inhumanus ſic vrgens ſeruulum, & non*

Tenemur quaſi in carcere cupiditatum tyrannide. Tacit. Ambr.

29. *parcens fatigatum magis inſtigat.* Tacitus de miſetis voluptatis febricitantibus mancipiis. *Quorum corda ſi recludantur, inſpici valeant laniatus, & ictus, quando vt corpora verberibus, ita ſæuitia, libidine malis conſultis animus dilaceretur.* Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 12. *Peccator quamuis foris abundet, & deliciis diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animi vitam exigit. Intueris lætitiam eius, opes, abundantiam: introſpice vulnera & vibices animæ eius, cordiſque mæſtitudinem.* Bellè dixit; *Introſpice.* A cupiditatibus etenim homo tenetur, & recluditur, ne facilè poſſit à carcere aufugere.

Non habemus voluptates, ſed ab illis habemur. Senec.

30. Ex pulchra Senecæ ſententia confirmo epiſt. 8. *Quiſquis noſtrum tutam agere vitam voles, quantum plurimum poteſt, iſta viſcata beneficia deuites, in quibus hoc quoque miſerrimi fallimur, quod habere nos putamus, habemur.* Et epiſt. 119. *Sic diuitias habent, quomodo habere dicimus febrem, cùm illa nos habeat, è contrario dicere debemus: Febris illum tenet. Eodem modo dicendum eſt: Diuitiæ illum tenent.* An aptius potuiſſet ſcribere, ſi Lucæ legiſſet ſententiam: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus?* Te igitur à tyrannis cura eximere voluptatibus: non te teneant, quas fugaciſſimas tenere non poſſis.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Et rogauerunt illum pro ea.

Petrus curat de ſocrus ſanitate, poſtquam omnes alij à Domino curantur ægroti.

Princeps enim Eccleſiæ futurus propria commoda debebat communi ſupponere vtilitati.

31. Chryſ.

DIVVS Chryſoſtomus hom. 28. in Matt. fatur, *Expectauit Petrus, quouſque Dominus prædicationem abſolueret: cæteróſque omnes, qui tunc ad eum confugerant, curâſſet. Et tunc demum cum intraſſet, pro ipſa iacente rogauit. Sic enim ab ipſis ſtatim initiis aliorum commoda ſuis vt præponeret, inſtitutus erat.* Princeps futurus Eccleſiæ debuit quidem communem vtilitatem proprio commodo præponere.

32. *Affectum matris Præſul debet ſupponere ſubditorum affectui.* Chryſ.

Vti matrem Petrus ſocrum diligebat, ſed proximorum ſubditorum ſalus adeò ab Apoſtolo præponebatur, vt vinceret totius cognationis affectum. Petri ſpiritu informatus Chryſoſtomus idem hom. 11. tom. 5. cum aiebat. *Ego millies pro vobis immolari paratus ſum. Quid enim non patiar pro vobis? Vos mihi fratres, vos mihi filij, vos mihi mater, membra, corpus, lux.* An gratis id ſubditis impendebat? *Et nec gratia mihi in hoc eſt, ſed debitum reddo;* bonus enim Paſtor propria commoda debet ſubditorum ſaluti ſubmittere. Priùs Petrus ſocrui requiem poſt omnes procurauit, quia cauſa propria in ſocrus valetudine gerebatur. Quàm appoſitè Plinius de Traiano in eius Panegyr. *Quid? cum ægris opem ferres? Non tibi moris tua inire tentoria niſi commilitonum antè luſtraſſes, nec requiem corpori niſi poſt alios dare.* Domum propriam non iniuit Petrus Dominum ſequutus, donec ægrotantium valetudini prouideretur, nec requiem ſibi, ſocru refrigeratâ, dedit, niſi poſt ſubditos requie donatos. Quod aiebat Chryſoſtomus, *Expectauit quouſque Dominus cæteros omnes, qui tunc ad eum confugerant, curaſſet: & tunc demum pro ipſa iacente rogauit.*

Plin.

Chryſ.

33. *Moyſes ſe futurum Principem videns (ſi ei fuit reuelatum) diſtic maternâ*

Digniſſimus Moſes, qui inter egregios Principes adſcriberetur. Quonam, quæſo, virtutis documento? Paulus ait, *Moyſes grandis factus, negauit ſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei.* Hebr. 11. Ac ſi diceret, Cum ſe grandem Moyſes agnouit, ſiue

Principem

[illegible] poſt-ponere ſubditorum ſaluti. Hebr. 12.

Principem eligendum, Numine fortaſſe reuelante, vidit, ſuam quaſi matrem abnegauit, abnegans Pharaonis filiam, a qua fuerat educatus è flumine exceptus, vt ſubditorum ſaluti prouideret. Chryſoſtomus adhuc hom. 15. in 2. ad Cor. *Etenim Moyſes propter ſubditos tantas diuitias, & ineffabiles theſauros dereliquit, eligens magis affligi cum populo Dei. Propterea inſipientiſsimè dicebat ad eum Hebreus quidam: Quis te conſtituit Principem, & Iudicem ſuper nos? Quid dicis? Opera vides, & de nomine controuertis?* O Principis futuri opus egregium, ſubditorum commoda procurare ipſius matris abnegatione! quàm iuſtè ſynagogæ eligeris in Præſulem! Petrus vt ægrotis miſeris Dominus ſalutem impendat, abnegat ſe filium eſſe ſocrus febricitantis, nec poſtulat eius leuari infirmitatem, niſi poſt cunctos ſubditos ſanitate donatos? Meritò Princeps, ac Iudex Eccleſiæ conſtituendus eſt.

34. *Moyſes vel matris cauſā non gereret, niſi priùs ſubditorum ſalutem procuraret. Sic Petrus ſocrus agit cauſam poſt ſubditos ſaluti reſtitutos.* Exo 32. Bernard.

Princeps ille videns Deum ſuo populo infenſum, ſic preces effudit: *ſi dimittis, dimitte: ſin autem, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Exod. 32. Nulli peculiari commodo ſtudeo, ſubditorum commoda mea cauſa eſt. Si delentur ſubditi, me neceſſum ſimul à vitali codice deturbari; pereuntibus enim commodis ſubditorum Prælati propria commoda periere. Exclamat Bernardus ſermo 12. in Cant. *O verè hominem vnctum vnctione miſericordiæ! loquitur parentis affectu, quem nulla poteſt delectare felicitas, exortibus, quos parturinit. Si diues quiſpiam mulieri pauperculæ dicat: Ingredere tu ad prandium, ſed, quem geſtas infantem, relinque foris. Numquid faciet? Nonne magis eligeret ieiunare, quam expoſito pignore charo ſola prandere cum diuite? Ita nec Moyſi ſedit, ſolum ſe introduci in gaudium Domini ſui, foris ſcilicet remanente populo, cui licet ingrato, vice pariter, & affectione matres inhæret.* Non ſederet Petro ipſi priùs ſocrui procurare ſalutem, vbi propria cauſa gerebatur, ſi non priùs filiis ſubditis prouideret.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et ſtans ſuper illam imperauit febri.

Chriſtus febricitantis fœminæ febrem increpat.

Quia egregij Præſulis, Patris, Concionatoris eſt, non peccatores, ſed peccata increpare.

35. Eum.

EVTHYMIVS pro particula, Imperauit, legit, *Increpuit.* Quid febri & increpationi? Toletus ait, *Chriſtum increpaſſe febrim, vt ſignificaret hominibus audientibus, huiuſmodi malæ, atque infirmitates culpa hominis emanaſſe. Non enim ſic Deus hominem a principio fecit, ſed ille talem ſe reddidit peccato ſuo. Increpatio igitur febris culpam, & cauſam reſpexit.* Gerat itaque vetula febricitans veteris Protoplaſti è culpa ægrotantis imaginem. Rogo autem, cur non ipſa Petri ſocrus, ſed febris illius increpatur? Profectò, quia egregij Præſulis, Patris, Concionatoris eſt, non peccatores, ſed peccata increpare, naturam humanam tueri, crimina vulnerare.

Paulus audiendus, *Euodiam rogo, & Syntychem deprecor, id ipſum ſapere in Domino.* Phil. 4. In cuius expoſitionem præmitto Brunonem. *Hæ duæ matronæ erant, quæ miniſtrauerant Apoſtolo, & Diſcipulis in prædicatione. Sed per muliebrem leuitatem, quod fecerant Apoſtolo, idem faciebant illis Pſeudo-Apoſtolis, putantes ſe bene agere, & ſuper hoc redarguuntur a Paulo.* Cur ergo rogat, & deprecatur, & non potiùs acriter reprehendit? Certè rogat Euodiam, Syntychem deprecatur, inungit humanam naturam, ſed ſimul acuit aduerſus leuitatem, culpámque ferri aciem. Quàm bellè D. Baſilius Seleu. Orat. 17. *Aciem ſermonum ſuorum tegit, & narratu ferrum celat. Sub linguâ medicamentum gerit, & ſenſum fallit, vt ſenſum excites.* Medicamine ſuauiſſimo rogans ſcilicet, & deprecans inungit naturam, febricitantem fouet, vt ferrum interea poſſit aduerſum ægritudinem deſæuire. 36.

Paulus inungens naturam, ferrum præparat iniquitati. Phil. 4. Brun.

Baſil. Seleu.

Regij Vatis iudicio is inter alios Dei Tabernaculo potiturus perhibetur, qui *nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduersùs proximos ſuos.* Pſalm. 14. Certè priuatus quilibet, qui Præſulatus munus non gerit, aut concionatoris, magiſtriue curam non ſuſcipit, poteſt proximo malum non inferre, opprobriáque minimè iactare. At cum Dei Tabernaculum præcipuè Apoſtolis, Præſulibus, ac Concionatoribus præparetur iuxta Dominicum illud: *ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, &c.* Quonammodo beatitudini addicentur ſi nec malum inferunt, id eſt, ſupplicium: nec iactant reprehenſionis opprobrium? Porrò Dauid non aſſerit Præſules non malum illaturos, iactaturos opprobria: ſed in proximos minimè inferenda, aut opprobrium iactandum, ſed in peccata. Hilar. *Non eſt opprobrium aduerſus proximos ineundum. Sed ſi quid in iis incurioſum, ſi quid petulans, ſi quid incontinens deprehenditur ſine exprobrationis amaritudine, blandimento dictionis eſt corrigendum.* 37.

Præſul, ac Concionator egregius opprobrium non accipit aduerſus proximum, ſed aduerſus crimina. Pſal. 14.

Hilar.

Aſſerit Pineda ad cap. 9. Iobi, Magiſtratus olim virgis, Reges ſceptris vti, in eam ſpeciem efformatis vt ex earum ſummitatibus roſæ pullularent. *Pro his, qui commutabuntur*, inſcribitur Pſalmus quadrageſimus quartus. Alij, *Pro roſis.* Chaldæus, *Pro Aſſeſſoribus Senedrin ipſius Moyſis.* Reſpicit Iudices ſeptuaginta à Moyſe inſtitutos, Lorino authore. Cur roſas vocitauit? Quia peccatorum ſubditorum naturæ clementiæ ſuauitatem aſpirant, peccatis verò aculeos ſeueritatis intentant. 38.

Sint illi roſæ, ſuauitatem naturæ, aculeos crimini hominum exhibentes. Pſal. 44. Pined. Lorin.

Corinthiis Paulus ſeueritatem minitatur. *Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* 1. Cor. 34. Vbi Chryſoſtomus adnotat, *Non dixit Apoſtolus, In ſpiritu virga, quemadmodum dicit, In ſpiritu manſuetudinis.* Quare? Vt adnotet quacſcum ſit dimicandum. Cùm homine ne ſpiritu rationali informato pugnabit virga? Minimè, ſed manſuetudinis ſpiritus totum hominem ſpiritum fouentem amplectetur. At virga ſine ſpiritu aduerſùs mortua opera, nequitiam ſcilicet dimicabit. 39.

Paulus ad homines ſpiritum manſuetudinis, aduerſus crimina virgam exerit. 1. Cor. 34. Chryſ.

Perficit

40. *Cum culpa non adeſt, virgam omnino Paulus proiicit.* 2. Cor. 1. 2.

Perficit Apoſtolus Caput primum Epiſtolæ ſecundæ ad Corinth. fatus, *Adiutores ſumus gaudij veſtri: nam fide ſtatis.* Mux Caput tertium ſic inſtituit: *ſtatui autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitia venirem ad vos. In triſtitia* quid niſi in *virga* venire? Ergo virgam proiicit, ac ſolum ſpiritum manſuetudinis fouit. Ambroſius Epiſt. 8. *Abiecit virgam, & affectum charitatis aſſumpſit.* Cur ita? Certè quia ablegatâ à Corinthiis iniquitate ſola natura erat charitatis demulcenda inunctione, virgâ quidem ablegatâ à Præſule, cum iniquitas corripienda non adeſſet.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et continuò ſurgens miniſtrabat illis.

Manus vetulæ piæ, qua ex contactu Domini ſalus ad corporis membra pertranſierat, obſequij miniſterio conſecratur.

Nec enim manus tanto munere donata, debuit exeri, niſi ad obſequium Domino impendendum.

41. *Egregia gratitudinis ratio, ut, quo acceptum eſt beneficium eterno benefactoris obſequio mancipari.* Hieron.

Divus Hieronymus particulam *continuò* ſic premit: *Illa manus continuò miniſtrabat, quæ & tacta fuerat, & ſanata.* Chriſtus febricitantis anûs manum tetigerat, vt ad præcordia ſalus proficiſceretur. At fœmina ſurgens, continuò curauit eadem manu beneficio donatâ Domino miniſtrare: nec alia viſa eſt ſibi primum actio decens, niſi priùs manus benefactori particulam benignitatis exolueret. Illa igitur manus quæ tacta fuerat, & ſanata aptè addicitur miniſterio gratitudinis.

42. *Manus Sponſa, qua recipit à Ieſu cibum, Ieſu cibum porrigit.* Cant. 2. Bernard.

Profabatur Sponſa, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.* Cant. 2. Aliter, *Qui paſcit inter lilia.* Meam ille manum pane ſuauiſſimo impleuit paſcens ouiculam. Ego autem cœleſti pane ditata curo manum plenam virtutum pabulo Domino Agno præbere. Bernardus ſerm. 68. *Ille mihi benignus, & miſericors eſt: ego illi non ſum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia: ego illi gratiam pro gratiâ. Paſcit, & paſcitur.* Nec enim deceret manum tot beneficiis obæratam à miniſterio huiuſmodi abſtinere. Nam ſi Sponſa manum ſuam aperuit inopi Ieſu vt ab ipſo acciperet cibum cœleſtem, debuit manum ipſam extendere ad pauperem obſequio excipiendum.

43. *Exaggerare curant Chaldæi Hebræorum ingratitudinē quorum manum à Rege muneratam, eius imperiū deturbaret.* Dan. 3. Chryſ.

Acceperant à Babylonis Rege Hebræi pueri virgam, quam manu geſtarent operum adminiſtratores. Quam quidem manum cum Regis cœleſtis obſequio conſecrauiſſent Chaldæi, vt crimen aduersùs Regem magis ingrauarent, aiebant: *Sunt viri Iudæi, quos conſtituiſti ſuper opera Regionis Babylonis.* Dan. 3. Vbi Chryſoſtomus hom. 4. ad Popu. *Non ſimpliciter gentem commemorauerunt, ſed etiam honorem in memoriam reuocarunt; vt Regis iram accenderent.* Quales putas ô Rex, Hebræos adoleſcentes? Tam ingrati, vt manus ipſæ quæ poteſtatis inſigne à te acceptum geſtabant, aduersùm imperium tuum exercebant actiones.

44. *Dauid enſem ſtringit in Nabalem, nō in Saulem, quia à Saule acceperat ipſe, à se autem Nabal acceperat.* 1. Reg. 25.

Dauid manſuetiſſimus enſem diſtrinxit in Nabalem. *Tollam ergò* (ait Nabal) *panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio, vnde ſint?* At Dauid (cui *pueri nunciauerunt omnia verba, quæ dixerat*) *dixit: Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis, accinctuſque eſt & Dauid enſe ſuo.* 1. Reg. 25. Miror Dauidem, qui in Saulem, qui cædem ipſi moliebatur ne manum quidem extendere auſus eſſet, in Nabalem, à quo tantùm fuit verbo laceſſitus enſem diſtrinxit. Certè Nabal multis fuerat à Dauide beneficiis affectus. Nam cùm Dauid pueros immitteret ad Nabal, verè illud profari potuit: *Audiui, quod tonderent paſtores tui, qui erant nobiſcum in deſerto: nunquam eis moleſti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege omni tempore, quo fuerunt nobiſcum in Carmelo.* Ibid. Manus igitur illa, quæ tot munera acceperat, ad obſequium debitum contracta eſt; vnde meritò manus Dauid quæ munera fuerat elargita aduersùs ingratiſſimum gladium ſtrinxit. Theodoretus, *Quamobrem* (inquit quæſt. 54.) *is, qui in Saulem tantam oſtendit lenitatem, & patientiam, Nabalem tentat occidere? Iſte multis beneficiis ſæpe fuerat affectus. Reddidit mihi* (inquit Dauid) *malum pro bono. Recordatus ergo Dauid horum beneficiorum, & auditis conuitiis, magno impetu vadit armatus.* Porrò ipſe in Saulen auſus non fuit nec manum extendere, memor planè eam ipſam manum, Saulis beneficio, extenſam, vt Micholem filiam Regis vxorem acciperet. Et quali ſupplicio ſubiacebis qui valetudinem à Deo acceptam, poteſtatem, diuitias aduersùs eundem armas largitorem? Theod.

45. *Quam feris beneſactores vulnerare eadem manu, qua accepiſti.* Menand. Plutar.

Sic Menander Epigram. 1. Græcus carpit ingratos:

Lupum ex propriis mammis nutrio inuita.
Sed me cogit paſtoris ſtultitia.
Auctus enim à me contra me fera erit.
Ore qui acceperat ore mordet.

Quàm feræ ſimilis, qui os, aut manum admouet in illum, qui ſuauiter pauit ſacro epulo, largiter bonis munerauit. Themiſtocles (Plutarcho in Apot. auctore) Athenienſibus ipſum contumeliâ afficientibus, inquit: *Quid tumultuamini aduersùs eos, à quibus ſæpe numero fuiſtis affecti commodis? Aiebat autem ſe ſimilem platanis, ſub quarum vmbra accurrunt homines afflicti tempeſtate, & eaſdem ſimul vt rediit ſerenitas, vellunt.* O ingrati manum aduersùs platanum admouetis, quæ brachiorum ſuorum ei miniſteria præparauerat?

Observatio VII.

Ad illa verba:

Et continuò ſurgens miniſtrabat illis.

Fœminæ prius febricitantes manus Chriſto excipiendo hoſpitio impendunt miniſteria.

Exemplar exhibent pœnitentiæ perfectæ, quando membra, quæ ſeruierant iniquitati, ſeruiunt iuſtitiæ.

46. CONTINVO fœmina, quæ febricitarat, exurgit, vt eiſdem manibus, imo toto corpore miniſtraret excipiendo Domino, quod ſeruierat ægritudini. Beda, *Membra, quæ ſeruierant immunditiæ ad iniquitatem, vt fructificarent morti: ſeruiant iuſtitiæ in vitam æternam.* (Beda.)

47. (*Pœnitēs plus ſollicitus circa Dei obſequium eſſe debet.* Luc. 15.) Apoſtolis poſt parabolam Dominus, *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſupra nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia* Luc. 15. Et cur adeò ſuper peccatoris conuerſione gaudium increſcit? Profectò, qui non indiget pœnitentiâ, ſæpe deſes coniacet, nec ad opera egregia exerit manus. Qui autem ſe criminibus maculatum agnouit feruentiſſimè (ſi pœnitentia commendabilis) curat membra quæ ſeruierant iniquitati, iuſtitiæ deſeruire. Gregorios hom. 34. in Euang. (Gregor.) *Conſiderandum nobis eſt, cur Deus plus de conuerſis peccatoribus, quàm de ſtantibus iuſtis in cœlo gaudium eſſe fateatur? Quia plerumque hi, qui nullis ſe oppreſſos peccatorum molibus ſciunt, ſtant quidem in via iuſtitiæ, nulla illicita perpetrant: ſed tamen ad cœleſtem patriam anxiè non anhelant: At contra nonnunquam hi, qui ſe aliqua illicita feciſſe meminerunt, ex ipſo ſuo dolore compuncti, inardeſcunt in amorem Dei, ſeſéque in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia ſancti certaminis appetunt, omnia Mundi derelinquunt: & quia ſe erràſſe à Deo conſiderant, damna præcedentia lucris ſequentibus recompenſant.*

48. (*Sic tempus redimis datum iniuſtitiæ.* Epheſ. 5.) *Continuò* illa *ſurgens* Domino, ac Apoſtolis miniſtrauit tempus vtique redimens, quo ægrotans myſticè, delicto ſeruierat. Paulus adhæc. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Videte itaque, fratres, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes: redimentes tempus.* Epheſ. 5. Quid hîc tempus redimere? Si tenebræ aliquando eratis, nunc lux ſitis in Domino, procurantes ſcilicet, vt quantò priùs malis ſtuduiſtis; tantò nunc bonis operibus operam impendatis. D. Thomas, (Thom.) *Contigit quandoque, vt aliquis per magnum tempus vitæ viuit in peccato, & hoc eſt tempus perditum. Sed quomodo redimet? Dicendum eſt, quòd tantò magis debet vacare operibus bonis, quantò priùs inſtitit malis.* Quàm laudabilis pœnitens, qui *nihil ex ſuo tempore delibauit* (cum Seneca loquor lib. de breu. vitæ) (Senec.) *nihil inde incultum, otioſúmque iacuit, nihil ſub alio fuit.*

49. (*Ionas properat poſt pœnitudinem, vt tempus redimat.* Ion. 3.) Fugerat Ionas a facie Domini vectus nauigio. At poſt naufragium properans ad obſequium, velociſſimis greſſibus vſus eſt. *Et Niniue erat Ciuitas magna itinere trium dierum, & cœpit Ionas introire in Ciuitatem itinere diei vnius.* cap. 3. Sub alio prætextu ex mente Strabi locum ſupra euolui: nunc requiro, quonammodo potuerit debilis ex pelagi iniuriis tanta ferri velocitate, vt tam longam viam tam exiguo tempore conficeret? Reſpondet pulchrè Hieronymus, (Hieron.) *At ille præcepti, & naufragij ſuperioris memor, viam trium dierum vnius diei feſtinatione compleuit.* Si delinquens vt Dominum fugeret feſtinârat, appoſitè vt ad Dominum reuertatur redimens tempus feſtinatione vtitur eiſdem membris virtuti ſacratis, quæ ſeruierant fugæ. Id expendit Gregorius adnotans Magdalenæ obſequia. (Greg. Luc. 7.) *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat.* Luc. 7. Vt quæ oculis & comâ deliquerat, oculis & comâ ſeruiret membris iis virtuti obſequentibus, quæ ſeruierant prius iniquitati. Ait Philoſtratus in ſophiſt. (Philoſt.) *Cum Iſæus primos ſuæ pueritiæ annos in voluptatibus contriuiſſet, vir factus in melius vitam inſtituit. Cùm igitur fortè cum amico deambulâſſet, qui ei formoſam oſtenderet puellam interrogâſſetque, vtrum formoſa videretur, reſpondit Iſæus: Nihil hîc iudico quandoquidem deſij, & iam non poſſim laborare oculis.* Non poterat verè pœnitens rurſum laborare qui totum cæcitatis tempus redimere debuiſſet.

SECTIO SECVNDA.

Plura Chriſti miracula.

TEXTVS.

Vers. 40. CVM autem Sol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos. 41. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans, non ſinebat ea

loqui; quia ſciebant illum eſſe Chriſtum. 42. Factâ autem die egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vſque ad ipſum: & detinebant illum, ne diſcederet ab eis. 43. Quibus ille ait: Quia & aliis Ciuitatibus oportet me euangelizare Regnum Dei: quia ideo miſſus ſum. 44. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De infirmis ſanitate donatis.

1. *Poſt prādium curat ægrotos.*

CVM *autem Sol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum.* Poſt prandium Chriſti ſub Solis occaſu ægroti multi ad illum fuerunt adducti, omni Ciuitate Capharnaum ad Petri ianuam confluente. *Erat* (inquit Marcus) *omnis Ciuitas congregata ad ianuam.* Potentiſſimus itaque Medicus cunctos ægrotos ſanitate donauit, ſalutari manuum admonitione.

2. *Cur poſt Solis occaſum ægroti ſanantur.*

Cur poſt Solis decubitum ægroti ſunt ad Chriſtum adlati? Quia dies illa Sabbatum erat, quo ad occaſum Solis vſque minime licebat operari. Nam Iudæi à veſperâ præcedentis diei vſque ad veſperam ſequentis feſtos dies agere ſolebant iuxta illud: *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra.* Leuit. 23. (*Leuit. 23.*) Poſt veſperam ergo Sabbati, & poſt occaſum Solis ad conſueta opera redire fas erat, ideóque tunc ad Chriſtum attulerunt ægrotos. Theophylactus (*Theoph.*) ad Mar. 1. *Non abſque cauſa addit Euangeliſta, cùm occidiſſet Sol: ſed quia putabant, non licere cuipiam ſanare die Sabbati, & eius gratiâ expectabant vſque ad Solis occaſum, & tunc afferebant curandos.* D. Hieronymus (*Hieron.*) Solis occaſum myſticè exponens, ait: *Omnes non manè, non meridie, ſed ad veſperam curantur, quando Sol occubiturus eſt, quando granum frumenti in terra moritur, vt multos in terra fructus ferat.*

§. II.

De Dæmoniacis clamantibus.

3. *An dæmones Dominum agnouerint Meſſiam.*

EXibant *autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es Filius Dei.* Dominus autem *increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Celebris voluitur diſputatio, an dæmones Dominum agnouerint eſſe Meſſiam? Negauit Dionyſius Carth. (*Dionyſ. Carthuſ. & alij.*) *Dæmones Ieſum eſſe Chriſtum, id eſt, Meſſiam, non ſciebant certitudine abſolutâ, ſtabili, quemadmodum nec Iudæi.* Conteſtantur Molina 1. part. q. 57. art. 5. diſput. 1. Bannes eadem quæſt. art. 3. Bonauentura (*Bonau.*) ſic explicat dæmonis verba illa: *ſcio quis ſis ſanctus Dei. Ille* ſcilicet, de quo Dan. 9. dicitur: *Vngatur Sanctus ſanctorum. Hoc autem non ſciebat certâ ſcientia Dæmon; cùm dicatur 1. Cor. 2. Si cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Sed cognoſcebant coniecturandò.* Sic Ianſenius, & Caietanus. (*Ianſen. Caiet.*)

4. *Dæmones agnoſcunt Chriſtum Meſſiam dignouiſſe.*

Aſſero dæmones Deum eſſe Meſſiam dignouiſſe. D. Thomas (*Thom.*) 3. p. quæſt. 47. art. 5. *Maiores Iudæorum ſicut & dæmones cognouerunt eum eſſe Chriſtum.* Lyranus (*Lyran.*) Mat. 1. Auth. qq. ex nou. Teſt. tom. 4. Auguſt. (*Auguſt.*) q. 66. Ambroſius (*Ambr.*) 1. Cor. 2. *Sciebant dæmones ipſum eſſe, qui in lege promiſſus erat.* Euthymius Mar. 1. *Loquebantur dæmonia de eo, quoniam nouerant ipſum eſſe Chriſtum.* Beda (*Beda.*), *Dæmonia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Gregorius (*Greg.*) lib. 33. Mor. cap. 10. Gloſſa ordin. 1. Cor. 2. Auguſtinus lib. 9. de Ciu. cap. 21. & alij moderni. Ex Lucæ noſtri teſtimonio confirmo.

5. *Confirmo ex Lucæ teſtimonio.*

Non ſinebat ea loqui, quia ſciebant eum eſſe Chriſtum. Id eſt, non permittebat dæmonia loqui, ne id hominibus aperirent, quod nouerant, videlicet ipſum eſſe Meſſiam. Sic Beda (*Beda.*), *Dæmonia, Euangeliſta atteſtante, ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Exponunt ſic Ambroſius (*Ambroſ. & alij.*) 1. Cor. 2. D. Thomas 3. p. q. 44. art. 1. Euthymius, Lyranus, & alij. Dæmonis perſpicacia, & vis intelligendi facilè ex Scripturis, miraculis, ac operibus Chriſti cognoſcere ipſum eſſe Meſſiam. Si potuere Iudæi, multo magis dæmones potuerunt. An non dæmon audiuit Chriſtum affirmantem ſe eſſe Meſſiam? *Ego ſum qui loquor tecum.* Ioa. 4. (*Ioa. 4.*) An non Petri confeſſio eum potuit hanc edocere veritatem? *Tu es Chriſtus.* Mat. 16. (*Mat. 16.*)

6. *An agnouerint dæmones Chriſtum Deum eſſe? ſententia negans Hieronym. & alij.*

Cognouerunt-ne tunc dæmones Chriſtum Deum eſſe? Negat Hieronymus Mat. 8. *Tam dæmones, quàm diabolus, id eſt, Princeps dæmonum ſuſpicari magis Filium Dei, quàm nôſſe intelligendi ſunt.* Quem ſequuntur D. Thomas 3. part. q. 44. art. 1. Strabus 1. Cor. 2. Gregorius ad Iob. 2. *Commouiſti me aduersùs eum.* Euſebius lib. 8. de demonſtrat. Euang. Cap. 2. & lib. 10. cap. 8. Chryſoſtomus hom. 5. in Mat. Ambroſius 1. Cor. 1. Leo de Paſſ. ſerm. 18. Auguſt. Antonin. Iſidor. & alij. At alij affirmant. (*Sententia affirmans. Nazian. & alij. Bonau.*) Nazianzenus orat. 42. Euthymius hîc, Tertullianus lib. adu. Praxe. cap. 26. & 4. cont. Marc. cap. 7. & 8. Bonauentur. 3. ſent. diſtinct. 13. q. 3. *Quia dæmones videbant miram Chriſti virtutem in ſuis effectibus, cui nullatenus poterant reſiſtere, cognoſcebant ipſum non purum hominem, ſed etiam Deum eſſe.* Et Simon de Caſſ. (*Caſ.*) lib. 5. cap. 10. *Quoniam dæmones ſciebant, quis eſſet Chriſtus, ſcilicet Dei Filius, increpabat Dominus illos, vt tacerent.*

7. *Secunda hæreo opinioni.*

Huic hæreo ſententiæ, aſſerens morali quadam certitudine hoc dæmones nouiſſe. Audierunt è cælo delapſam ſententiam: *Hic eſt Filius meus dilectus*, Petri confeſſionem à Domino approba

approbatam : *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Sciebant Deum Filium naturalem habere, & hunc naturam humanam aſſumpturum ; ergo facilè è Chriſti operibus poterant Chriſtum Deum incarnatum eſſe dignoſcere, Apollinis Pythij reſponſo Auguſto reddito confirmante, quod refert Nicephorus lib.1.cap.17. Nicephor.

Me puer Hebræus diuos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede iubet, triſtémque redire ſub Orcum.

Chriſtum Puerum Deum appellat, ergo Deum eſſe nouerat. Addo illud noſtri Lucæ : *Exibant dæmonia à multis clamantia, & dicentia : Quia Tu es Filius Dei.* Cùm verò Euangeliſta non ſcribat illos ignoràſſe, quod dicebant, id ſciuiſſe dæmones videtur innuere.

8. *Obiectioni ſatisfacit.* Obiicis, ſi Dæmones nouiſſent Dominum Meſſiam Deum, nouiſſent homines redempturum, atque adeò in necem illius Iudæorum animos non inflammàſſent. Reſpondeo dæmones Chriſtum Deum Seruatorem mundi cognouiſſe, hoſtem, & euerſorem dæmonum, vt aſſerit Gregorius lib.33. Mor.cap.7. Gregor. Ignoraſſe tamen redemptionem hominum, dæmonúmque euerſionem per mortem, ac ſanguinem Chriſti eſſe perficiendam. Inflammàrunt quidem animos Iudæorum in Chriſti necem, quoniam ignorabant, Chriſti ſanguine homines redimendos, & dæmonum Principatum profligandum. Vnde Beda, Beda. *Non ideo dæmon Iudæis Chriſtum crucifigere perſuaſit, quia Meſſiam, id eſt, Dei Filium non eſſe putauit, ſed quia ſe morte illius non prauidit eſſe damnandum.*

§. III.

De Dæmoniaca in deſertum locum profectione.

9. *Primo diluculo ad orandum porrexit, orationē matutinam commendans.* FActa die, egreſſus ibat in deſertum locum. Apud Petri domum Dominus noctem illam egit, & factà iam die ſurrexit, nondum quidem orto Sole, cùm tenebræ diſcuſſæ non eſſent, ſed ſummo manè diei factæ, ſeu in ipſo tenebroſo diei crepuſculo : abiitque in locum deſertum, vt orationis exercitamento operam daret. Edocemur ad orandum diluculò ſurgere. *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum : & in conſpectu. Altiſſimi deprecabitur.* Eccli. 39. Eccli.39. *Exurge* (ait Vates) *gloria mea, exurge Pſalterium, & cithara: exurgam diluculò.* Pſal.56. Pſal 56. Chaldæus, Expergiſcar ad orationem matutinam. Chald. D. Cyprianus lib.de orat.Dom. Cypr. *Manè orandum eſt, vt Reſurrectio Domini matutinâ oratione celebretur.*

10. *De turbis requirentibus Ieſum.* *Et turba requirebant eum,* &c. Proſequutus eſt Dominum Petrus ſimul cum aliis. Cúmque in ſolitudine orantem reperiſſent, ab omnibus quæri, ac deſiderari renunciarunt. Requiſitus piis inuenitur à turbis eum detinere curantibus. Queis ille : Sinite me abire, aliis enim Ciuitatibus Regnum Dei euangelizare oportet. A Capharnaum ergo, ſiue à deſerto propè Capharnaum loco in alia Galilææ Oppida ad Regnum Dei euãgelizandam profectus eſt. Hunc ordinem ſequitur Auguſt.lib.2.de Conſ.c.22. Abul.Mat.9. Baron.in Annal.Ianſen.Beauxam.& Adrichom. Auguſt. & alij.

IN IESVM FEBRIM extinguentem.

PANEGYRICVS SECVNDVS MORALIS CIRCA LITERAM.

EX PLVRIBVS CIRCA ÆGROTOS MIRACVLIS.

Observatio I.

Ad illa verba :

Cùm autem Sol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos varijs languoribus ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.

Occidente Sole iuſtitiæ, cuncti ſanantur ægroti.

Vbi oſtendo, Chriſtum Præſulem optimum nece fuiſſe ouibus præcipuè ſalutarem, quem Paſtores quique imitari debent.
Eſcob.& Mend.in Euang.de Temp. T.I.

11. MYstico ſenſu ſic clauſulam illam Beda expendit : Beda. *Solis occubitus paſſionem, mortémque ſignificat illius, qui dixit : Quandiu in Mundo ſum, lux ſum Mundi. Et Sole occidente plures dæmoniaci, quam antè, plus ſanantur ægroti.* Ac ſi diceret : Dum ſuperſtes eram Mundum miraculorum fulgore complebam, nec tamen ſalute donabam peccatorum planè iniquitate. At me Sole occidente totum Orbem ſalute donaui. Non dubium quin Princeps ſubditos faciliùs vincat, & ſibi hærere faciat, dum pro illorum ſanitate vitam periculis non grauatur obiicere.

12. *Chriſtus Ionas, cuius mors Eccleſiæ magis ſalutaris, potius, quam vita.* Ionas nautis æquoris tumore iam perituris clamat: *Tollite me, & mittite in mare à vobis.* c.1. Ion.1. Vbi D.Maximus.hom.1.de Paſch. *Niſi Ionas profundetur, naufraga nauis periculum non ſedatur; & non liberatur Eccleſia niſi Chriſti morte ſaluetur.* Dum Chriſtus ſepulchro reconditur, in

 Mari.

ventre ceti expreſſo (è Domini ſententia): *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus*, &c. Eccleſia reſurgit. Idem Propheta confirmauit, cùm liberatus à morte quaſi ruſſum morte preineretur Eccleſia, profatur: *Tolle igitur Domine animam meam, quia melior eſt mihi mors, quàm vita.*

Ion. 4.

cap. 4. Quare melior mors? Quia ſi viuente me ex ſpe mortis nautæ pauci ſaluantur: occumbente Sole, me moriente, tota Niniue viuet, vniuerſa

Maxi.

ſaluabitur Eccleſia. Maximus addit; *Dicit itaque Ionas in oratione ſua: Tolle igitur, Domine, animam meam, quia melior eſt mihi mors quàm vita. Id eſt, viuens*, moriturus quidem, *vnam Iudæorum gentem omnino ſanare non potui*; (quia ſcilicet noluit efficaciter) *moriar, vt Mundus vniuerſus vna morte ſaluetur.* Melior itaque mihi Principi egregio mors, ſi moriendo totum Orbem acquiram.

13. *Viuens Chriſtus quaſi ſcribit nomina hominum ſaluationis libro, moriens ſaluat.* Baſil.

Adamus animantibus nomina imponens, & Noë in Arca animantia recludens, ne diluuio obruerentur, Chriſtum Dominum expreſsere, authore D. Baſilio Seleu. orat. 6. Vbi Deum cum Noe loquentem inducit. *Ad te ducam animalia, vt olim ad Protoplaſtum. Tu verò pro paradiſo eis arcam pande. Eſto honoratior animantium Dominus, quàm Adamus; dedit ille nomen: tu ſalutem confer.* Viuentem Dominum Præſul cum Adamo, morientem verò cum Noë confert. Viuens Chriſtus nomina contulit, ſiue prædeſtinatos vitali libro adſcripſit: moriens autem ab æterno exitio liberauit.

14. *Chriſtus bonus Paſtor viuens cuſtodit oues, moriens ſaluat.* Ioa. 10. Gen. 31.

Aiebat Dominus, *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Ioa. 10. An non viuens ouibus ſalutaris? Profectò Dominum viuentem paſtorem expreſſit Iacob, qui dicebat: *Die, noctúque æſtu vrebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis.* Gen. 31. Quàm accuratius Chriſti circa Dei ouium cuſtodiam ſtudium. *Nam ſi ſic laborat, & vigilat,* (loquor cum Damaſo epiſt. 4.) *qui paſcit oues Laban, quanto labore, quantiſque vigilijs debet intendere, qui paſcit oues Dei.* Cuncti paſtores à ſupremo ouium Dei Præſide victi. Hic ouium vtilitati, non propriæ prouidit, quemadmodum illi paſtores, de quibus Nazianzenus, *Magna temporis parte quercus ipſis, & vmbra, & fiſtula curæ erunt, & in commodo herbæ loco corpus ſternere, amatorium quidpiam cantillare, ac oues, vel boues aſtari, earumque etiam pinguiſſimum quodque comedere, ac pretio addicere.* Haud ſic Paſtor Ieſus totus ouium vtilitati addictus. Attamen viuus puſillum gregem cuſtodiuit à lupo, ſed à diſperſione non liberauit iuxta illud: *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oues gregis.* Moritur Paſtor diſperſæ congregantur ouiculæ, lupus comminuitur, ouis centeſima cœleſtem Paſtoris humeris reuocatur ad gregem.

Damaſ.

Nazian.

15. *Boni Præſules Chriſti imitatores moriendo gregi ſalutares.* 2. Cor. 12. Chryſ.

An vnicè Dominus Paſtor eſt vitalis ouibus dum occiditur? Certè quilibet bonus paſtor nece ouibus exiſtit ſalutaris. Paulus aiebat, *Ego libentiſſimè impendar, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* 2. Cor. 12. Chryſoſtomus hom. 11. *Ego millies pro vobis immolari paratus ſum. Non enim propter diuitias veſtras Mundi inſidias patior; ſed propter charitatem, quam erga vos habeo; quia omnia ago, vt vos proficiatis.* Sic ouibus imitator Pauli ſe morti præparatum oſtendit. Igitur bonus Præſul futurus gregi ſalutaris potiùs mortes, quàm dignitatem debet contemplari ad Præſulatûs verticem aſſumptus. Iſidorus Peluſ. lib. 3. epiſt. 216. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, labores intueatur, pericula conſpiciat, mortes contempletur, non delicias; inſidias, & curas conſpiciat, non vt voluptates, animique remiſſionem oculos conijciat. Illud* [illegible]*at, quod ſi quis ad hunc thronum euehatur, idcirco inſtituitur, vt legitimè certet, non autem vt citra periculum in luxu, ac delicijs verſetur.* Quemadmodum enim Dominus iuſtitiæ Sol occaſu ouibus vitalis oſtenditur, ſic Præſules Chriſti imitatores. Iſid. Peluſ.

Observatio II.

Ad illa verba:

Factâ autem die, egreſſus ibat in deſertum locum.

Primo diluculo Dominus deſertum init oraturus.

Edocens, primo manè orationi vacare, vberrimo quidem fructu.

MARCVS pro particula *Factâ autem die* ſcribit, *Diluculò valdè ſurgens, egreſſus eſt in deſertum locum, ibique orabat.* Vt edoceat orationem primo manè reliquis ſuccedentibus occupationibus præmittendam, præcipuè ab eis, qui proximorum ſaluti vacant. Vnde Ieſus, (inſtruens Ieſuitas) turbæ ne impedimento eſſent acceſſuræ, orationem valde diluculò inſtituendam curauit. 16. *Ieſuitarum matutinam antelucanam orationē commendat.*

Orationis ſuæ Dauid opportunum tempus expreſſit, fatus: *Præueni in maturitate, & clamaui.* Pſal. 118. verſ. 147. Qui præuenit immaturus accedit: qui in maturitate opportunus, & ſuo tempore, non præuenit, ſed ſtatis horis aduenit. Quomodo igitur & Dauid ad clamandum præuenit, & in maturitate, ſeu ſtatâ hora exorauit? Certè, quia illud ipſum ſurgere præuenientem, eſt ſuo tempore orare. Rex enim tot ſubditorum negotiis diſtrahendus debet præuenire ad orandum, quod quidem huiuſmodi orationis proprium tempus eſt. Vnde loco illius particulæ: *In maturitate*, alij legunt, *In immaturitate.* Alij, *Cum adhuc tenebræ eſſent.* Præueni valde diluculò, vt orarem, cum adhuc tenebræ peruolarent, curaui preces meas cuncta externa negotia præcedere. 17. *Rex tot ſubditorum negotiis diſtrahendus debet præuenire, vt oret ante Solis exortum.* Pſal. 118.

Certè tam antelucanæ orationis exercitamentum Euangeliſta expreſſit fatus: *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. 6. Non ſolùm orandum, nobis Chriſtus curat perſuadere, ſed quo tempore preces ſint profundendæ. Eccleſ. *Tempus omni rei ſub cælo.* Cap. 3. Orationis tempus ante Solis exortum. Erat pernoctans in oratione, antequam turbæ accederent edocendæ. 17. *Regia pernoctando, vt oret.* Luc 6.

cendæ. D. Ambroſius ſerm.19. ad Pſalm. 118. *Pernoctabat in oratione Dominus Ieſus, non indigens precationis auxilio, ſed ſtatuens tibi imitationis exemplum. Ille pro te rogans pernoctabat, vt tu diſceres, quomodo pro te rogares. Redde igitur ei, quod pro te tulit.* Quid reddendum? Orare his, aut illis verbis, hoc aut illo cordis affectu? Nihil adnotat horum Euangeliſta, ſed *quomodo*, aut quo tempore orârit: *Erat pernoctans in oratione.* Reddimus itaque, quod pro nobis detulit hoc ex capite Dominus, dum antelucanæ orationi ſtudium impendimus. Adiicit Pater, *Audi ſupra dicentem Prophetam, Nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Et tu ſurge nocte, vt dum nocte oras, veri Solis pectori tuo ſplendor irradiet.* En orationis antelucanæ fructus præcordia Solis iuſtitiæ fulgore irradiari ad cuncta opera gerenda.

Orans nocte, Solis iuſtitiæ fulgore irradiatur. Ambr.

19. Miniſteria (mihi credite) omnia orationis antelucanæ ſapient feruorem. Poſtquam Ambroſius aſſuerit debere nos cum Pſalte præuenire, vt ante tenebras preces fundamus, adnotat cuncta Dei miniſteria orationis præmiſſæ affectum, & feruorem referre. *Siue manducamus*, (ait illo ſerm.19.) *ſiue bibimus Chriſtum cogitamus, Chriſtum* (proximorum miniſterio incumbentes) *loquimur: in corde noſtro ſemper, in ore ſemper noſtro eſt Chriſtus.*

Miniſteria Dei ſapiunt ante lucanæ orationis feruorem. Ambr.

20. Vnde Chryſologus ſerm. 43. affirmat neceſſarium nobis preces matutinas præmittere ad omnium operum cuſtodiam. Quaſi pereunt enim inſipida ſi non fuerint orationis ſale condita. *Sed nos, qui ad incerta conſurgimus, qui inter inſidias diem ducimus, qui horarum varietates, momentorum motus, verborum lapſus, actuum pericula ſuſtinemus, quid eſt, quòd Eccleſiam manè nolumus intrare? Quid eſt, quod matutinâ prece totius diei cuſtodiam nolumus poſtulare. Quid eſt quòd homini adſtare toto tempore libet, & Deo aſſiſtere nec puncto libet?* O Ieſuita, quonam modo ſine operum diſpendio auderes toto tempore diei proximis aſſiſtere, non curans priùs Domino vnicâ ſaltem hora adſtare? Quonam modo totius diei operibus cuſtodiam prouideres?

Neceſſaria huiuſmodi oratio ad operum cuſtodiam. Chryſ.

21. Diſcipulos monebat Dominus orationi nocturnæ operam expendere præuenturos planè hoſtium aduentum: *Orate, vt non intretis in tentationem.* Matth.26. Vbi Chryſologus citatus, *Audiamus vocem Domini monentem: Orate, ne intretis in tentationem. In tentationem vadit, qui ad orationem non vadit.* Aptè quidem, ſed aliter expendo conuenientius argumento. Orate, ô Diſcipuli, haud ſomno corripiamini, ne tentamina futura iam iam inſtantia vos orationis præſidio non munitos inueniant. O Petre, cum Iudæis peruerſis ſermonem texturus deberes præuenire. O Ieſuita, quonam modo audes ad proximorum depratiatorum conſortia neceſſaria properare, antelucanâ oratione non præmiſſa?

Monet Dominus, ne inueniat Ieſuitas miniſterium, è quo tentari poſſint orationis præſidio non munitos. Matth.26.

Observatio III.

Ad illa verba.

Aliis Ciuitatibus oportet me Euangelizare.

Non vult Dominus illa in vrbe commorari, aliis Vrbibus Euangelium euulgaturus.

Edocens Euangelicos miniſtros, communes eſſe, non partiales verbi euulgatores.

CVRABANT pij Ciues Dominum detinere, ſolem Vrbe recludere a terrâ, num ſibi ſalutarem, fluuium claudere ſub ſignaculo. At Sol Orbi natus, Orbem illuminaturus progreditur, fluuius autem propetat epotandus vbique, qui omnem terram, vt circuiret è Mariano paradiſo profluxit. Decet equidem Euangelij miniſtrum communem, non partialem oſtendi. 22.

23. Matthæus audiendus, *Relictâ Ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in Ciuitate Capharnaum maritimâ, in finibus Zabulon, & Nephtali. Vt adimpleretur, quod dictum eſt per Eſaiam Prophetā. Terra Zabulon, & terra Nephtali, via maris trans Iordanem Galilææ Gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* Cap 4. Vbi Hieronymus, *Hi primi audiuere Dominum prædicantem.* Quinam? *Terra Zabulon, & Nephtali, & via maris trans Iordanem Galilææ Gentium.* Simul-ne cunctæ vrbes Iudæorum, ac Gentilium Dei verbum audierint? Profectò tam curat Dominus communem omnibus Orbis Ciuitatibus oſtendi, vt vni prædicans, quaſi cunctis verbum euulgare videatur: Iudæos edocens, ſimul & Gentiles videtur informare. Particula *Galilæa* idem ac *Rota*. Dum apud Galilæam Dominus concionatur, quaſi rotatus ſermo totum Orbem illuſtrat. Ideo adiicit Iſaias: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Nam in morem Solis, cunctos Dominus populos illuſtrauit, ſicut ille plures regiones.

Quaſi totum Chriſtus ſimul orbem edocuit inſtituit quidem Sol ſimul plures illuminans Regiones. Mat.4. Hieron.

24. De Euangelij miniſtris Iſaias præfatur. *Simul prædabuntur filios Orientis. Idumæa, & Moab preceptum manus eorum.* Cap.11. Vbi Strabus ad Apoſtolos accommodat. *Apoſtoli* (*de quibus: Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant.*) *volabunt. Sæpe enim nauigio inſulas adierunt, inter quas, & Philiſtinorum, quibus verbum vitæ annunciauerunt. Idumæa, & Moab præceptum manuum eorum, quia opere docent, & verbo.* Volant itaque vt nubes rorem vbique ſparſuræ, *ſimul* cunctis Orientis filiis ſalutares. Cur *filiis orientis*, & non incolis? vt ſpiritualis parentis in cunctos filios innuatur æqualitas. Quam omnibus debitor exurgit, qui non ſucceſſiuè, ſed *ſimul* quodammodo vbique, Solis in morem radios ſpargit!

Apoſtoli ſimul pluribus populis ſalutares, vt Sol. Iſa.11. Strab.

25. Euangelica vox lucernæ à Domino aſſimilatur. *Et lucerna ardentes in manibus veſtris.* Luc. 12. Si vox prædicationis lucernam refert, cur potiùs in manibus quàm in ore ſtatuenda eſt? Dominicum vidi facis lucentis geſtatorem? Profectò in manibus, non in ore lucernæ prædicationis collocantur, vt innueretur Apoſtolos morem gerere Solis; qui communiter omnibus videndus obiicitur. Vocis namque vis non tantùm aſſolet dilatari, quantùm fulgoris virtus. Apoſtolorum igitur vox in morem Solis omnibus ſimul eſt obiicienda. Ideo vox Apoſtolica in omnem exiit Orbem, Prophetâ canente: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Porrò in omnem terram exiuit prædicatio, quia Solis gerens imaginem ſimul omnibus hominibus præſentatur. D. Baſilius Seleu. orat. 29. *Huius vocis hæreditatem obtinuit Apoſtolorum cœtus; hanc in manibus lucernam habentes, non in inflatâ tubâ, cœlum omnibus hominibus peruium reddiderunt: terras integras peruaſit ea vox.* Dominum minimè imitatur, qui apud Vrbes illuſtres verbum curat profundere ambiens hominum plauſum, loco, vt Apollo Delphicus, addictus: non vt Phœbus accinctus interminabili profectioni, vt omni fiat creaturæ ſalutaris.

Vox Apoſtolorū ideo fulgori in manibus, non in ore comparatur. Luc. 12.

Baſil.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et turbæ requirebant eum, & venerunt vſque ad ipſum, & detinebant eum, ne diſcederet ab eis.

Quàm piè, ac ſalubriter illi incolæ Chriſtum requirunt, & conantur detinere!

Cogendus etenim affectuoſo ſtudio Dominus, ne diſcedat ab homine, poſtquam conſtanter eſt requiſitus.

26. VIx Sol fulgorem ſparſerat cùm turbæ ad deſertum properant Chriſtum conſtantiſſimè quæſituræ. Inueniunt certè eum qui ſeſe inuentu facillimum offert: quem curant tenaciter apud Vrbem retinere. Diſce Deum ob crimen amiſſum affectuosè quærere, inuentum conſtanter retinere, ne rurſus abſcedat.

27. Pſaltes clamat, *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis.* Pſal. 2. τὸ *Apprehendite* innuit rem aliquam anxiè quæſitam, inuentam totis viribus, omni conam apprehenſam, ne è manibus elabatur. Diſciplina autem virtus eſt, quæ à nobis Chriſto reperitur inuento. Quærite virtutem feruenti mentis affectu, & inuentam vigili cuſtodia tenere, ne ſeſe fugæ committat. Hilarius, *Apprehendenda diſciplina, & inuadenda eſt quodam amplexu, & vinculo corporali, ne elabatur.* Euthymius, *ſummo ſtudio contendite, vt perfectam virtutem conſequamini. Dictum eſt autem hoc ex metaphorâ eorum, qui pugno aliquid conſtanter tenent.*

Quærendus Deus, inuentúſque apprehendēdus eſt. Pſal. 2.

Hilar.

28. Conteſtatur Paulus, *Sequor, ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto.* Phil. 3. Chriſtus hominem è cœlo deſcendens perditam centeſimam ouem requiſiuit, apprehendit adeò inuentam, vt quam humeris ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſerit. Quemadmodum ergo à Chriſto comprehenſus ſum, curo & requirere, & Dominum apprehendere. Hilarius citat. *Sic Beatus Paulus currit, vt apprehendat, dicens: Sequor autem, vt apprehendam, in quo & apprehenſus ſum. Non lento gradu properat, neque otioſo ſequitur proceſſu; apprehenſurus enim ſequitur. Et ſatis quidem dixiſſe videretur, ſi conſequuturus ſequeretur: ſed vim & ipſe afferre optat, & apprehendere properat, & modo exempli corporalis inuadere.*

Chriſtum curare, & quærere, & apprehendere, ſicut ab ipſo quæſitus, & apprehenſus fuiſti. Phil. 3. Hilar.

29. Alibi Apoſtolus, *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam.* 1. Timoth. 6. Duplex edocemur documentum. Vnum quidem more ſtrenuè dimicantis militis Deum eſſe requirendum. Chryſoſtomus hom. 23. in Mat. *Non inſtanter ad Deum accedimus, non interpellamus aſſiduè, non rogamus quemadmodum pro tanta eſt dignum cauſâ rogare. Sed etſi eum adeamus aliquando, ita facimus hoc, quaſi non deſideremus accipere.* Alterum autem Deum, ſiue vitam æternam apprehendendam eſſe: *Apprehende vitam æternam.* Quod enim difficilè poſt multos exanthlatos labores acquiritur, conſtantiori adhibitâ curâ conſeruatur. Euthymius, dictum hoc ex metaphorâ eorum, qui pugno aliquid conſtanter tenent. Imò pugnis, ſiue *vtraque manu*, quod prouerbij loco circumfertur. Vulgariter expono: *Tenen a Dios hallado con dos manos.* Quod aiebat ſponſa, Tenui eum, neque dimittam.

Sequitur requirentium taxatur, & non apprehendentium. 1. Tim 6. Chryſ.

30. Dominus ad hæc: *Ecce venio citò: tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Apoc. 3. Quicumque me requiſitum inueniſti cura tenere, apprehenſum cuſtodi, duplici manu illiga, ne elabatur, ne auferatur, qui pectoris tui carcere amat recludi. Chriſtus quidem Regnum cælorum eſt diripiendum. Antiochus hom. 130. tom. 2. Biblior. *Sancti omnes ad mortem vſque ſtrenuè decertarunt, quo vel tandem Regno perfruerentur cœlorum. Regnum ſiquidem cœleſte vim patitur, illud enim piè rapuerunt.* Tenentes ſcilicet inuentum in Chriſto, ne elaberetur, vtraque manu apprehendentes. Plato in ſophiſt. *Quod dici ſolet, nequaquam alterâ apprehendendum manu: quin magis ambabus.*

Tene, quod habes: apprehende Dominum, quem inueniſti. Apocal. 3. Antio.

Plato.

LIBER

LIBER SEPTIMVS.

MVTI, ET SVRDI.

PARS PRIMA.

DIABOLVS MVTVS.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput vndecimum Lucæ.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum ſenſuum reformatorem.

PROLVSIO.

MVTVS dæmoniacus, immundo ſpiritu à Domini potentia ablegato, loquitur, turbam non mediocri rei admiratione capiente. Verum dona Dei non agnoſcentes Phariſæi, Beelzebub, dæmoniorum Principi opera Chriſti accepta referunt. Quàm fælix muliercula, quæ Iudæorum inuidentem clamorem potuit piâ confeſſione perturbare: *Beatus venter, qui te portauit!* Quàm opportunè Deiparæ memoria peragitur! Triá (ait Hieronymus Matth. 12.) ſigna ſimul in vno homine perpetrata ſunt, cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à dæmone liberatur. Quod & tunc quidem carnaliter factum eſt: ſed & quotidie completur in conuerſione credentium, vt expulſo dæmone, primum fidei lumen aſpiciant, deinde in laudes Dei tacentia priùs ora laxentur. Chriſtus itaque reſpondet clamanti mulieri: *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Vbi acutè Titus Boſt. *Conuenienti planè, opportunóque tempore hoc ab eo dictum eſt.* Mariæ etenim reſpectus peccatoribus adeo opitulatur, vt mutus adhuc, iam laudis proferat confeſſionem.

Vitalis ligni Chriſti Admirabilis, *ſiue miracula gerentis*, FRVCTVS SEPTIMVS.

Hieron.

Titus.

LVCAS Cap. XI.

VERS. 14. ERAT IESVS eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eieciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

PARAPHRASIS.

ADDVCTVS eſt ad Ieſum quidam dæmonio obnòxius. Id erat non ſimplex, ſed ſimul & mutum, & cæcum, vt Ieſum nec poſſet aſpicere, nec appellare. Ieſus autem vltro calamitati, vocali quidem, miſertus, iuſſit exire dæmonium, & exijt, mirantibus turbis.

15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

15. *Aderant Iudæi quidam, quorum animos periculoſius Satanæ ſpiritus poſſidebat. Quorum alij calumniabantur, à dæmonio miraculum effectum, dicentes, quòd hæc faceret non virtute diuinâ, ſed Beelzebub, Principis dæmoniorum præſidio.*

16. Et alij tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo.

16. *Alij adhuc poſt conſpecta miracula diffidentes, ab eo ſignum aliquod inſigne de cælo poſtulabant. Quo planè conſtaret illum cum Deo, qui in cælis habitat, commercium habere: & non cum ſpiritibus immundis Tartari habitatoribus.*

17. Ipſe autem, vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne Regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.

17. *Ieſus autem, vt vidit impias illorum cogitationes, Qui conſiſtit, ait, calumnia veſtra? Videmus enim nullum regnum poſſe conſiſtere, ſi inteſtinis diſsidijs diſturbetur. Si ſecum pugnet, neceſſe eſt, vt deſoletur omninò, & publica ruina domus concidat ſupra domum.*

18. Si autem & Satanas in ſe ipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit Regnum eius, quia dicitis, in Beelzebub me eiicere dæmonia?

18. *Quòd ſi verum eſt id, quod cogitatis, me Beelzebub Principis dæmoniorum præſidio dæmones noxios eijcere, qui nimirum illius ſodales ſunt, & ſatellites: conſequitur, malos ſpiritus inter ſeſe diſcordes pugnare, & alios ab alijs profligari. Iam ſi Satanas pugnat aduersùs Satanam, quomodo illius regnum conſiſtet? An Beelzebub ſolet hominum ſaluti conſulere?*

19. Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia: filij veſtri in quo eiiciunt? Ideo iudices veſtri erunt.

19. *Quòd ſi hoc vobis odium mei perſuadet, me præſidio Beelzebub eijcere dæmonia, hi iuuenes filij veſtri, quos idem facientes vidiſtis, cuius præſidio dæmonia profligant? Simplices ſunt, artes Magorum malitioſas neſciunt, & tamen iſti meo in nomine eijciunt. Solâ fiduciâ erga Deum efficiunt, quod præſtant.*

20. Porrò ſi in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos Regnum Dei.

20. *Quòd ſi palàm eſt, me Dei virtute peragere, quæ videtis, dubium non eſt, quin in vos Dei regnum peruenerit, quod Ioannes inſtare prædicabat.*

21. Cùm

21. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet.

21. Non poteſtis vtriuſque Regni eſſe conſortes. Futurnm planè, quod inter duos Reges ſolet accidere. Cùm potens armatus cuſtodit arcem ſuam, in tranquillo ſunt ea, quæ poſſidet.

22. Si autem fortior ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.

22. Quòd ſi quis fortior eo illum adoriatur, & armis armatum deuicerit, nullum cum eo conſortium inibit: ſed domum, ipſo profligato, occupabit. Arma quibus confidebat, eripiet, diſtribuet ſpolia militibus. Nunc veſtrûm eſt diſpicere, ab vtro ſtare malitis: à Deo potentiore, an à ſatana mox Mundo expellendo, quem à miſero homuncione deturbaui.

23. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.

23. Si cum Satana pax eſt, cum Deo eſt ſimultas. Si cnm Deo pax eſt, nihil conuenit cum Satana. Qui non eſt in parte mea, aduerſarius eſt mihi: & qui non colligit mecum diſpergit ſpicas.

24. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui.

24. Id parabolâ expendit. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine Dei virtute depulſus, quoniam illi voluntas pertinax eſt nocendi, ambulat per loca ſterilia aridáque requiem quæritans. Eam cum nuſquam inueniret, apud ſe fatur, Reuertar in domum meam, vnde exiui.

25. Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam.

25. Ad hanc igitur veniens reperit eam ſcopis quidem mundatam, ſed vacuam.

26. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.

26. Hoc vbi videns, abit, & adiungit ſibi ſeptem alios ſpiritus ſceleratiores, quàm eſſet ipſe, cumque tali ſodalitio commigrat in domum, purgatam quidem, ſed incuſtoditam, nulliſque Euangelicarum virtutum armatam præſidijs. Occaſio hinc homini maioris impietatis, qui purgatus ab vno dæmone, fit ſeptem peioribus obnoxius.

27. Factum eſt autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.

27. Cùm hæc, aliaque multa loqueretur Ieſus, promiſcua multitudini, mulier quædam ſermones tam ſapientes, tam efficaces admirans, ſuſtulit vocem è mediâ turba, & dixit: Beatus venter illius Mulieris, quæ te portauit, & beata nutricis vbera, quæ ſuxiſti.

28. At ille dixit: Quinimò; beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

28. Ieſus non renuit, ſed perfecit fœminæ piæ prædicationem, fatus; Sanè beati ſunt, qui ſermonem audiunt, & illud in animo ſeruant, ne effluat; vt aliquando fructum ſalutis æternæ producat.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Diabolus pellitur.

TEXTVS.

VERS. 14. ERAT *Ieſus* eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecilſet Dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De muto Homine.

1. *Quādonam hæc geſta fuerunt?*

ERAT *Ieſus eiiciens Dæmonium.* Non ſemper (vt alibi aſſeruimus) Euangeliſtæ tempora in narrandis Chriſti geſtis obſeruârunt. Matthæus ſcribit Hiſtoriam, ſed cum præcedentibus temporis ordine non ſeruato. Nam vt ex Marci cap. 3. colligo, hæc geſta ſunt ante vtramque Apoſtolorum miſſionem. Vnde Marcum ſolum hac in parte ordinem reor obſeruâſſe.

2. *Ordinem temporis Lucas non ſeruat in præſenti.*

Tranſit igitur Euangeliſta ad miraculum narrandum, quod quantum ad temporis ordinem cum præcedentibus connexionem non habet. Quod ſignificat Lucas, dum non vtitur particulâ aliquâ tempus indicante, ſed abſolutè continuat ſermonem. *Erat* itaque Chriſtus *eiiciens dæmonium* à quodam homine obſeſſo. Cur vſus imperfecto. *Erat eiiciens?* Toletus, *Notat Phariſæos protuliſſe verba ſequentia contra Chriſtum tunc, quando Chriſtus dæmonium hoc eiecit.*

Cur vtitur verbo imperfecto? Toler.

3. *Cur dæmonium mutum vocatur?* Chryſ. Euthym.

Et illud erat mutum. Cur dæmon mutus appellatur? Chryſoſtomus hom. 41. in Matth. & Euthymius hîc aſſerunt, hunc hominem non naturâ, ſed dæmonij malitiâ mutum fuiſſe. Id Euangeliſta ſignificat affirmans dæmonium fuiſſe mutum, quia ſcilicet dæmonium mutum hominem effecerat. Matthæus non ſolùm mutum docet fuiſſe, ſed & cæcum. *Oblatus eſt dæmonium habens & cæcus, & mutus.* Tertullianus lib. 4. cont. Marc. Chryſoſtomus hom. 41. Boſtrenſis, & Euthymius adnotant fuiſſe ſurdum. Quod deduxiſſe exiſtimo Patres ex vocis Græcæ ſignificatione; nam κωφὸς mutum, & ſurdum ſignificat; idque videtur factum, quia qui naturâ muti ſunt, etiam carent auditu. Hinc Auguſt. lib. de verâ & falsâ pœnit. cap. 9. *Sunt plures, quos pœnitet peccâſſe, ſed non omnino, reſeruantes ſibi quedam, in quibus delectentur: non animaduertentes, Dominum ſimul ſurdum, & mutum à dæmonio liberâſſe, per hoc docens nos nunquam niſi de omnibus ſanari.*

Erat & cæcus & ſurdus. Tertull. & alij

Auguſt. *de omnibus ſimul mortalibus peccatis ſanandi ſumus, ſicut ſurdus & mutus ſanatus ſimul eſt.*

4. *Auctoris ſententia aſſerēs ſurdum non eſſe.*

Exiſtimo tamen ſurdum illum non eſſe, qui non naturâ, ſed iniquitate dæmonis mutus extiterat: Lucamque vocabuli κωφὸς ambiguitatem, & multiplicitatem ſuſtuliſſe fatum: *loquutus eſt mutus.* Si enim nomen præcedens pro muto, & ſurdo accepiſſet, dixiſſet planè: *loquutus eſt, & audiuit.* An non qui accidenti aliquo muti fiunt auditûs facultate non priuantur? Obiicis Zachariam non ſolùm mutum, ſed & ſurdum redditum. Fateor, ſed quia Scriptura aſſerit, dum dicit: *Innuebant patri eius.* Luc. 1. Quaſi verbum percipi non poſſet auditu. De noſtro autem muto potiùs Scriptura videtur abnegare. Hieronymus, & Beda poſt eum: *Tria ſigna in vno homine perpetrata ſunt, cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à Dæmone liberatur.* Auguſtinus lib. 1. qq. Euang. cap. 3. hunc cæcum, & mutum ſignificare putat eum, qui non credit corde, nec ore confitetur, quæ duo ad ſalutem neceſſaria Paulus aſſeruit, *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Rom. 10.

Luc. 1.

Hieron. Beda. Auguſt.

§. II.

De dæmonis expulſione.

ET *cùm eieciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus.* Cùm homo ille non naturâ, ſed extrinſeco dæmonis obſtaculo mutus eſſet, ad dæmonis expulſionem, ſolutâ vi fandi, loquutus eſt. Porrò Matthæus qui cæcum ſimul ſcripſerat, loquutum eum affirmat, & vidiſſe: *Curauit eum ita, vt loqueretur, & videret.* An verbum *curauit* innuit Chriſtum aliquid vltra dæmonis eiectionem geſſiſſe? Reſpondeo curandi verbum ad liberationem à dæmone extendi, ita vt qui ab eius vexatione ereptus eſt, curatus dicatur. *Obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus, & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit omnes.* Matth. 4. Ecce dæmoniaci ob dæmonis expulſionem dicuntur curati.

5. *Loquitur mutus, & cæcus videt.*

Matth. 4.

Loquutus eſt mutus. Vt loquutio eius circumſtantibus liberationis à dæmone manifeſtū eſſet argumentum. Quidnam fuerit loquutus, Euangeliſta non exponit. Approbo Toletum fantem. *Probabile eſt loquutum fuiſſe verba laudis & encomium illius, qui eum à tanto malo liberauerat.* Beneficium quodlibet vox gratiarum debet comitari.

6. *Actionis gratiarum mutus vocem effudit.* Tolet.

Et admiratæ ſunt turbæ. Mat. vberius expoſuit, *Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic eſt filius Dauid?* Admiratio tanti miraculi turbas induxit in ſuſpitionem, & inquiſitionem, an eſſet Meſſias, quem Iudæi ſoliti per excellētiam Dauid filium appellare. Simplices ergo turbæ, quæ nullo inuidiæ, aut odij contra Dominū tenebantur affectu, tam inſignem, & inſolitū effectum cernentes, admirantur, nondum enim eum eſſe Dei filium crediderant, & ideo affectæ admiratione.

7. *De turbarum admiratione.*

IN

IN IESVM SENSVVM reformatorem.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX DIABOLI PVLSIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba.

Erat Ieſus eiiciens dæmonium.

Quaſi validè repugnantem Chriſti potentiſſimum brachium erat eiiciens è corpore dæmonem.

Adeò enim difficilè inueterati animi conſuetudo ablegatur, vt vel ipſi Deo hic labor, hoc opus eſſe videatur.

8\. ADEST homo cæcus, ſurdus, & mutus, quem miſerum diabolus inueteratum (myſticè expendo) teneret in crimine, quod verè dæmonium erat Saluator eiiciens. τὸ *erat*, imperfecti temporis diuturnam aſſerit durationem actionis. *Erat eiiciens.* Vulgariter expendo. *Eſtauale lanzando muy deſpacio.* An non potentiſſimo Domino fante: *Fiat lux*, lux eſt è nihilo excitata? Cur ergo vt Luciferum a pectore expellat, tot moris vſus eſt? Quia inueteratæ conſuetudinis dæmoniacus quodammodo ipſi potentiæ diuinæ videtur apponere obſtaculum. Auribus namque audiendi non audit, cæcus legem iudicat conſuetudinem, mutus culpam minimè profitetur. Quàm difficilis ſanitas!

9\. *Quaſi characterem imprimunt peccata conſuetudinis.* Geneſ.4.

Profectò conſuetudinis crimina quaſi characterem imprimere videntur, quæ vix poſſint aboleri. Cain ex iniquitate in grauiora crimina pergens, poſtquàm in præcordia radices immiſerant, concludit: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Gen.4. O Domine, tanta mei cordis iniquitas, vt quodammodo vel à te potentiſſimo expelli non valeat, ſi retinenda conſuetudinis conditio, quæ characterem videatur imprimere, Philone profante, *Inibi characteres malitiæ.* Vis materna linguâ exponam? *Auia en el impreſo character la malicia.* (Philo.)

10\. *Qui ex conſuetudine peccat, ſibi videtur lege peccare.* Baſil. Seleu.

Quid ſi huiuſmodi delinquens ſibi videatur lege peccare, quam abſtinens à crimine transgrediatur? Deſcribit Moſes inueteratam iniquorum Cain filiorum conſuetudinem delinquendi, quæ ſic increuerit, vt dicat D. Baſilius Seleu. orat.5. *Quæ legum prauitas non apud eos pro lege ſtatuebatur?* Si putabant legem præſcribere iniquitatem, planè crederent non peccare, legis eſſe tranſgreſſionem. Euſebius Emiſ. Exhort. ad pleb. *Tunc putas peccat, quando peccare ceſſauerit.* Quàm iuſtè Dominus curat delere imaginem. *Pœnituit Deum, quod hominem feciſſet in terra: delebo, inquit, hominem.* Gen. 6. An non faciliùs reformare imaginem, quàm delere, vt rurſum efformes? Conſuetudo imaginem deturpans aboleatur. O conſuetudinis ablegandæ difficultas, paſſibilitatis quodammodo tranſiliens terminos! (Emiſ. — Gen.6.)

11\. *Chriſtus Patri remittit inuidorum ex conſuetudine ſanitatem.* Matth.27. Arnold.

Tam inueteratâ Iudæorum inuidia, vt iam quaſi vſuatam illis tam facilè exercerent, quam reliquas corporis actiones; curauit ſæpe Chriſtus eos donare ſanitate: at deſperatos velut ægrotos Cruci illigatus Patri omnipotenti ſanandos addicit. *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Matth. 27. Vbi Arnoldus Card. *Vſque adeò enim in hoc malo voluntarij ſunt, vt voluntas conſuetudinem, & conſuetudo faceret neceſſitatem* (ſeu difficultatem) *neceſsitas verò vſque ad illam vecordiam erumperet, vt neſciret, quid faceret.* Ex inueteratâ enim inuidiâ putabant ſe legem implere, cum Dominum horribilem adferebant ad mortem.

12\. *Inueteratam conſuetudinem vt Deus deleat, delet naturam.* Gen 6. Philo.

Redeo ad Geneſeos locum. *Delebo* (inquit Deus) *hominem quem formaueram.* Geneſ.6. Quare non reformauit hominem, culpam ſolummodo ex conſuetudine delendo, naturam conſeruando? Quia ſcilicet conſuetudo conuerſa fuerit quodammodo in naturam. Vnde vt ablegaretur conſuetudo praua, neceſſum naturam ablegari? Philo libr. de Abrah. *Inueterata conſuetudo tantùm poteſt, quantùm natura. Cum natura autem pugnare eſt difficile.* Adeo ſanè, vt naturæ Author quaſi facilius putet efformare, quàm reformare. O quam difficilè è conſuetudine crimina abolentur!

13\. *Difficultas pellendorum ex conſuetudine criminum.* Tertul. Senec.

Audi ex Gentilium ore. Tullius 2. ad Heren. *Conſuetudo peccandi maleficij ſuſcipiendi remouet dubitationem.* Quia ſi non dubitas manum, aut pedem admouere, quia aduatæ homini actiones: quaſi adnata crimina ex conſuetudine. Scitè Seneca epiſt. 28. *Tunc conſummata eſt infelicitas, vbi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent: & deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt.* Et epiſt. 58. *Diu in vitiis iſtis iacuimus, euelli difficile eſt. Non enim inquinati ſumus, ſed infecti.* Cur exiſtimas ex conſuetudine delinquentes minimè diſturbari, bibere ſicut aquam iniquitatem, nunquam affici mœrore? An manum ad actionem domeſticam admouendo triſtitia corriperis! Non ſanè. Puta iniquis

perpetrare

perpetrare delicta iam eſſe manum ad miniſterium adhibere. Si primum crimen patraretur, doleret iniquus, ſed conſuetudine delinquens non dolet, quia miſeriis obtorpuiſſe videtur.

Eurip. Pulchrè ille apud Euripid.

Si mihi nunc triſtis primum illuxiſſet dies,
Nec tam ærumnoſo nauigaſſem ſalo.
Eſſet dolendi cauſa, vt iniecto equulei
Freno, repentè tactu exagitamur nouo.
Sed iam ſubiectus miſeriis obtorpui.

Alibi plura.

Observatio II.

Ad illa verba:

Erat Ieſus eiiciens dæmonium.

Cœleſtis Medicus non per tranſennam, diuturno miniſterio, ægrotantis incumbit curationi.

Contra ſpirituales Medicos peccatorum inueteratam ægritudinem in inſtanti aboleri exiſtimantes.

14\. ERAT Ieſus dæmoniacum curans, nec leui actione applicans medicamina, ſed inſidans miniſterio eum reſtitui ſanitati. Sunt ſpirituales medici, qui lethaliter vulneratum non tam ſeriò curandum excipiunt, quàm ipsâ exceptione ſanatum ſinunt abire. O repentina curatio medicorum! veſtra properatione ô Patres, vinum & oleum non immittentes, vulnera ampliùs exaſperantur. An ſufficit ægroto criminis languorem profiteri non mutum, & vos abſolutionis beneficio afficere? Fomentis vulnus demulcendum. Chryſoſtomus hom. 80. ad Popul. *Nec enim ad ſanitatem nobis ſatis eſt, ſagittam tantùm extraxiſſe: verum & medicamenta vulneri ſunt imponenda.* Confeſſione, fateor, ſagitta extrahitur, ſed vulneris cicatrices, ſiue praui habitus fomentis abolendi, te gerente Chirurgi prudentis maturum miniſterium.

15\. *Non ſufficit ſagittam extrahi, vulnus curetur.* Chryſ.

16\. Obiicias menti Samaritanum illum Medicum, qui ſuſcipiens vulneratum à latronibus, medicamina præparauit. *Infundens vinum, & oleum, & alligauit vulnera eius.* Luc. 10. An non poſt curationem ſtabulario traditur, vt eius curam gereret? Tibi à Domino, de quo verè illi: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu?* (*Cuſtos* enim hominum eſt.) Poſt vini & olei, ſeu virtutis ſanguinis ſalutaris infuſionem ægrotus traditur, vt illius curam geras, donec habitu prauo ablegato, perfectè reſtituatur valetudini. Bernardus tract. de vita ſolit. *Cura eges, & non modica non inquinata, ſed infecta natura.* De qua Seneca profabatur: *Diu in vitiis iacuimus, non enim inquinati ſumus, ſed infecti.* Epiſt. 58. Stabularius igitur ſeu Confeſſarius medicus *incumbat* (cum Abbate Clareua. loquor) *valetudinario ſuo* (*ſic enim ſolent appellare: redici valetudinum curandarum officinam,*) *& remedijs proſequatur vſum vſque ad ſanitatis experimentum.* Vbi duplicem particulam premo. Vna eſt, *Valetudinum curandarum officinam.* Non ſolùm curatur ægritudo, ſed & valetudo curanda eſt. Ideo Xenodochia illuſtria valetudinibus curandis officina eſt. Liceat vulgariter exponere. *Ai ſala para conualecientes.* Qui quidem minime ablegantur, donec perfectæ ſanitatis exhibeant documentum. Altera autem, *Et remedijs proſequatur vſum vſque ad ſanitatis experimentum.* Samaritanus Dominus vulneratum vini & olei, ſeu Euchariſtiæ infuſione curauit? Quemadmodum igitur curata eſt Sacramentorum vſu ægritudo, frequentiâ Sacramentorum valetudo curanda. Ideo ſtabulario traditur ægrotus iam valens, vt valetudo ab illo eadem vini & olei infuſione curetur.

Samaritanus leſus curatũ tradit nobis Confeſſariis ægrotum, vt valetudini remedia adhibeamus. Luc. 10.

Bernard.

Senec.

Bernard.

Officina valetudinis curanda.

Sacramentorum vſu valetudo curatur.

17\. Pulchrè Oſeas, *Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipſe cæpit, & ſanabit nos: percutiet, & curabit nos, viuificabit nos poſt duos dies, in die tertiâ ſuſcitabit nos.* Cap. 6. Non primâ die omninò perfectâ donatos valetudine dimittit, curat ægritudinem die primâ, ſecundâ & tertiâ valetudini medicamina apponit. Hieronymus, *Artis medicorum eſt, grauia vulnera longo curare tempore, & per dolorem reddere ſanitatem.* Pende illud: *Cæpit, & curabit nos.* Si abſolutione perfectâ curatur ægrotus, illud ipſum incipere, erit abſoluere. Cur igitur curatus dicitur de futuro curandus? Quia poſt curatam ægritudinem, reſtat vtique curanda, valetudo, quæ longius requirit temporis interſtitium. *Et curabit nos.* Aliter *Linteola apponet.* Hieronymus, *Pro eo quod dicimus, curabit, omnes tranſtulerunt, Linteola apponet,* quæ inſeruntur vulneribus vt putridas carnes comedant, & extrahant purulentias.] Hiſpanè *Hilas* appellantur ex attrito linteo extrahendæ. Quam medicus huic valetudini diuturnum præparat medicamen!

Poſt curatam ægritudinem, valetudini Deus diuturnum præparat medicamen. Oſe. 6. Hieron.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et illud erat mutum.

Stupendum miraculum, priùs dæmonem ablegatum eſſe, quàm mutus loquutus fuiſſet.

Aſſolet enim diabolus, cunctæque tribulationes à nobis ablegari, Deum inuocantibus, quæ apud mutos diu commorantur.

18\. DVM mutus ſit homo, non mirum diabolum præcordiis recludi, quia nec dæmon recedere ſolet, nec tribulationibus ablegari, homine muto, nec Dei opem efflagitante. Illud mihi mirabile prorſus, diabolum è corpore diſceſſiſſe, priùs quàm mutus

Precibus ſeu orationi omnia incommoda ſubiiciuntur.

mutus loqueretur. *Et cum eieciſſet dæmonium loquutus eſt mutus.* Cur non dixit: Et cùm loqueretur mutus, eiectum eſt dæmonium? Si mutus loqueretur opem precibus diuinam efflagitans, quid mirum Diabolum receſſiſſe? Id mirabile planè, quòd, homine muto, dæmoniaco non orante, dæmon fuerit à Domino ablegatus. Quàm inſipiens qui orationis ope aduerſus cuncta incommoda non vtitur!

19. *Muto Eliſæo aqua non diuiduntur, eius loquenti.* 4 Reg 2. Pallij magiſtri appoſitione ſilens Eliſæus curauit fluctus fluminis huc illuc recedere, nec conſequutus eſt. *Et dixit, Vbi eſt Deus Eliæ? Percuſſitque aquas, & diuiſæ ſunt.* 4. Reg. 2. Cùm tacet, cùm mutus obiicitur imperator, aquæ non diuiduntur: loquitur mutus, & recedunt. Theod. Theodoretus quæſ. 10. *Pelle ouinâ percuſſit aquam, nihil dicens. Poſtquam autem non obedit natura aquarum, vocauit Deum Magiſtri ſui, & diuiſa ſunt aquæ.* Dum mutus es, dum nihil dicis, fluctus tumientes non recedunt, impoſſibile tibi ad ripam vlteriorem tranſmeare: dic & protinus recedent incommoda.

20. *Loquente Iob, recedit diabolus.* Quod ſi diabolus vincendus ſit, potiori iure mutus eſt loquuturus vt abſterreri poſſit. Iob. 1. Iob à dæmone impugnatur poſt tot ſtrages victoriam reportaturus. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit.* Cap. 1. Orig. Vbi Origenes Lib. 1. *Proſtrauit ſe in terram, & orauit ad Dominum.* Illicò loquente muto, diabolus ablegatus eſt. *Quem cùm proſtratum videret diabolus gauiſus eſt; cùm autem orantem audiuit, obſtupuit, atque expauit.*

21. *Apoſtolis linguæ dantur ab Spiritu ſancto, vt loquuti, precibus effuſi, diabolū valeant ſuperare.* Actor. 2. Ideo Pentecoſtes ſolemni vt Apoſtoli contra diabolum armarentur, illuſtriſſimáſque victorias reportarent, linguas igneas recipiunt, queis tela ignita Tartari comminuerent. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, & repleti ſunt Spiritu ſancto, & cœperunt loqui.* Actor. 2. Loqui cœperunt? Ergo diaboli potentia comminuitur, iam victoribus coronæ præparantur, Tartaro ſuperato. Cyrillus. Cyrillus Ieroſ. Cat. 17. *In ſpecie linguarum ignearum ſedit ſupra ſingulos Paracletus, vt noua coronæ ſpirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum.* Sic Iob loquutus diabolum ſuperauit. Orig. Origenes citat. *Iob in primâ tentatione, quam per peculium, & filios victoriam de aduerſario acquiſiuit, ad orationem ſe proſtrauit; vt perfectas tolerantiæ ſuæ à Deo acciperet coronas.* Paracletus itaque Apoſtolis cum diabolo vbique terrarum conflictaturis validiſſima arma prouidit, dum eos linguis donat ad proferenda precum modulamina,
queis Dauidicum carmen
à Saule Satanam
ablegauit.

***

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et illud erat mutum:

Diabolus fecerat hominem obmuteſcere, tyrannide linguam vſurpans, vt in miſeri exitium inflammaret.

Vbi oſtendo, linguam iniquam Vniuerſitatem eſſe iniquitatis, cuius Diabolus Rector.

Vocatum mutum dæmonem vidimus, quia hominem effecerat obmuteſcere. Linguam vſurpauit dæmonium, vt inflammaret in gehenna, & poſſet exitij exiſtere occaſio. Vis oſtendam; qualis a diabolo poſſeſſa lingua poſtmodum exeratur? 22.

23. *Lingua nequam eſt vniuerſitas iniquitatis, cuius diabolus Rector.* Iacobus oſtendit, *Lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis.* cap. 3. Syra. *Mundus peccati.* Si lingua vniuerſitas eſt iniquitatis, quid mirum ſibi diabolum hominis illius linguam arripuiſſe adeo vt & mutus eſſet ipſe, & loqueretur, ſi diabolus *Rector tenebrarum* Vniuerſitatem huiuſmodi moderatur: *Et illud erat mutum.*

24. *Baptizatur lingua, vt diabolus pellatur illius Rector.* Siue ergò mutus ſis ad confeſſionem, ac laudis hymnodiam, ſiue iniquè in proximum conuitia iactes, diabolus & mutus, & loquax eſt. Diſcipulis Dominus, *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne.* Mat. 3. Vbi D. Hieronymus, *Quia ignis eſt Spiritus ſanctus, quo deſcendente, ſedit quaſi ignis ſuper linguas credentium.* Lauacro ignis linguæ abluuntur, baptizantur. Quare? Vt ab eis diabolus Rector vniuerſitatis poſſit ablegari, quemadmodum ab animo Baptiſmatis ſacramento pellitur, Cunctis fidelibus Baptiſma.

25. *Vna in lingua totus ignis tartareus, quia ibi vniuerſitas iniquitatis.* Clamabat Epulo, *Mitte Lazarum, ô Pater Abraham, vt intingat digitum in aquam, & refrigeret linguam meam.* Luc. 16. Chryſologus ſer. 66. *Quaſi reliquum corporis ab incendio haberet immune.* En tibi in vnicâ linguâ quaſi vniuerſa incendij flamma commutabatur. Cur ita? An non quia cùm in lingua iniquitatis adſit Vniuerſitas, inibi diabolus Rector illius aſſiſtit cogens totum Tartari incendium quodammodo ad vnius iniquæ linguæ domicilium? Sanè.

26. *Lingua hominis mēdax diabolo accommodata.* Baſil. Curans diabolus Mundum perdere, ſerpentem init, quem fecit humanæ linguæ exprimere modulos. Orbis perit, Dei Filius ſuffigendus exoritur. Baſilius Seleu. orat. 2. *Serpens linguam diabolo accommodauit.* Quonammodo dæmoni accommodauit linguam? Porrò hominis vocem referendo mendacis, hæc diaboli vox, & lingua eſt: *Linguam diabolo accommodauit.*

Observatio V.

Ad illa verba:

Et illud erat mutum.

Dum dæmoniacus tacet, ſignum quidem obiicit, ſe dæmonium habere.

Illud enim ipſum, te obticere delicta, idem eſt, ac præconis voce euulgare, quæ operis confitendo.

26. *Diſſimulatio adeò delictũ exaggerat, vt tacẽtem non hominem dæmoniacum, ſed ipſum dæmonium reputemus.* Tertull.

INNVITVR è Patrum ſententia peccator mutus, qui obticere curat, ne peccata valeant manifeſtari. At ideo euulgantur, quia conatur operire. Vnde cùm mutus erat homo, Euangeliſta ait: *Et illud* dæmonium *erat mutum.* Vt conſtaret dæmonium miſero in animo commorari, quando homo nitebatur crimina ſilentij velamine operiri. Tertullianus aiebat: *Tantum releuat confeſſio delictum, quantum diſſimulatio exaggerat.* Si non diſſimularet homo ille ægritudinem, omnes dæmoniacum eum hominem appellarent. At diſſimulante, obmuteſcente, non eum hominem dæmoniacum, ſed ipſum dæmonium reputamus, *& illud erat mutum*; diſſimulatio enim delictum exaggerat.

27. *Caini tacentis publicatur delictum, Dauidis loquentis operitur.*

Dum Cain obticet, eius delictum vociferabatur, Domino affirmante, *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Geneſ. 4. Quid exaggeratius? Fratris ſanguis innoxius delictum manifeſtat. Dauid proclamat, *Peccaui Domino,* cui Propheta, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Ab oculis auertit, ne aſpiceretur, ad ſuum authorem diabolum remiſit iniquitatem tuam. Cur Caini delictum præſentatur, Dauidis operitur, aut transfertur iniquitas? Mutus erat Cain, Dauid autem profeſſus eſt, *Loquutus eſt mutus.*

28. *Phariſæi operientis delicta manifeſtantur, Publicani aperientis operiuntur.* Luc. 18. Auguſtin.

Iniquiſſimus Phariſæus aiebat, *Non ſum ſicut cæteri homines*, iniquitatem cordis diſſimulare curans: dum Publicanus iniquitatem decantare ſatagebat: *Domine, propitius eſto mihi peccatori.* Luc. 18. Quàm contrarius euentus! Aſcendit hic iuſtificatus ab illo. Vbi Auguſtinus, *Sana Phariſæus membra oſtendebat, vulnera tegebat.* Publicanus è contrà tegebat ſanitatem, (ſi fortè aliquod bonum opus morale foueret) vulnera proferebat. At qui vulnus detegit ab illo loco aſcendit ad ſuperos; Phariſæus autem deſcendit ad Tartara. Locum commutauerunt, qui crimina operire curauit, aperuit, qui peccata aperire ſtuduit, operuit omninò, haud apud illum crimen, tota iuſtitia eſt: *Aſcendit iuſtificatus.*

29. *Dauid tacẽs clamat, clamando, tacet.* Pſal. Auguſt.

Ad hæc Dauid, *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Pſal.... Auguſtinus requirit, *Quid eſt hoc, quòd acclamando ſic tacet? Inueterauerunt oſſa acclamando tota die.* Clamando tacet, tacendo clamat. Quia dum curat peccator delicta obticendo operire, præconis voce manifeſtat. At ſatagens declamare, ac manifeſtari, eo ipſo videtur obticere: Clamando tacet, tacendo clamat.

Alibi Vates, *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata* Pſal. 31. Quonammodo peccata teguntur? An obticendo? Prorſus manifeſtantur, *Dum clamarem tota die.* Certè tunc peccata teguntur, cùm medico proferuntur medicamine afficienda. Ipſe enim alligat, nè ab hominibus aſpiciantur. D. Gregorius. *Tegit medicus vulnus ſanando medicamine. Tegit Deus peccatum. Si quis peccata ſua tecta eſſe deſiderat, Deo per vocem confeſſionis oſtendat.* Samaritano medico cæleſti vulnera aperire, alligari eſt: operire autem oſſa eſt computreſcere, vnde contagium neceſſariò peruulgetur. 30.

Dum manifeſtas medico vulnera alligantur, ne aperiantur. Pſal. 31. Greg.

Sex alas Cherubini expandebant, quarum *duæ tegebant corpora eorum.* Ezech. 1. Vbi D. Petrus Dami. Ser. de Michae. *Prima hominis ala reuertentis ad Deum amaritudo cordis eſt. Sed quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem, ſequitur ſecunda penna, Confeſſio videlicet oris. Iſtæ ſiquidem virtutes ſunt, quæ multiplicem cumulum ſcelerum noſtrorum antè Dei oculos abſcondunt.* Confeſſio igitur ſignatur in ala. Quare? Quia corpora fœda contegit, dum confeſſio denudat. Illud enim ipſum manifeſtare crimina, tegere eſt: *Duæ tegebant corpora.* 31.

Confeſſio peccati ala eſt corporis operis defectus. Ezech. 1. Damia.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et cùm eieciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus.

Non loquitur mutus, donec Diabolus egrediatur.

Niſi enim priùs è pectore tuo delinquendi occaſio ablegetur, haud confeſſioni ſalutari operam dabis.

SANANDVS miſer ille dum ad proferenda crimina ſalutarem vocem emitteret, quod quidem præſtare non poterat, niſi priùs è pectore diabolum ablegaret. Dum domo recluditur dæmon mutus eſt homo; nec enim dignè confitetur, qui occaſionem delinquendi fouere curat. Pellitur è domo criminis illectamentum, mox mutus loquitur, ac ſalubriter confitetur. 32.

Myſticus peccator Lazarus apud ſepulchrum, Tartarum vtique (ex Chryſologi ſententia) cum diabolo ſimul morabatur. Vt autem dignè peccata manifeſtaturus loqueretur, Chriſtus clamat, *Lazare, veni foras. Et prodijt, qui fuerat mortuus*, &c. Ioa. 11. An non potuiſſet in ſepulchro, ſiue Tartarea domo profiteri delicta? Reſpondet Dauid. *In inferno quis confitebitur tibi?* Pſal. 6. Neceſſariò diuidendi, aut pellatur è domo diabolus, aut homo 33.

Lazarus à diabolo educitur pol, priuſquam abſoluatur, vt dignè confiteretur. Ioa. 11. Pſal. 6.

mo pellatur à diaboli domicilio, vt confiteri poſſit. D. Gregorius lib. 22. Mor. cap. 13. *Mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reuiuiſce: ſed veni foras. Signatur, qualiter nos reſuſcitemur in corde.* Nec enim licet ore confiteamur, corde ad reſurrectionem confitemur, & oluimur, (*ſoluit eum*) dum occaſio delinquendi vna nobiſcum commoratur.

Greg.

34\. Pergebant Hebræi à captiuitate liberi, è tyranni domo abſtracti, vt confeſſioni criminum & ſacrificio Agni referentis Euchariſtiam operam impenderent. *Cùmque appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſrael oculos timuerunt valde.* Exod. 14. Vbi Rabanus, *Iuxtà altiorem ſenſum filij Iſrael viderunt Pharaonem, & Ægyptios poſt ſe, quando auditores Euangelij iam illuminatos oculos cordis habentes reſpiciunt præteritos errores, in quibus fuerunt. Timuerunt valde.* Ingenti enim timore corripitur qui dignam confeſſionem gerere curat ad Agnum Euchariſticum recipiendum, cùm præteritæ captiuitatis vel vmbram aſpicit. Nec enim in vna ſede morari poſſunt digna cõfeſſio, & tyrannus [illegible] ſeruiebas.

Nec ... ocaſionem delicti poſteris ... confeſſionem dum expendere.
Exod. 14.
Rabanus.

35\. E[illegible]as ad hæc, *Nos præuaricati ſumus in Deum noſtrum, & duximus vxores alienigenas de populis terræ. Et nunc. (ſi eſt pœnitentia in Iſrael) ſuper hoc percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro, vt proijciamus vniuerſas vxores.* 1. Eſdr. 10. Preme illam clauſulam: *Si eſt pœnitentia in Iſrael, percutiamus fœdus, vt proijciamus vxores.* Nec enim vera poteſt adeſſe pœnitudo niſi priùs exitiales alienæ vxores è domo pellantur. Diabolus tibi aliena vxor eſt? Eiiciatur diabolus, vt mutus loqui poſſit, *ſi eſt pœnitentia in Iſrael,* ſi gerenda delictorum digna confeſſio. Strabus, *ſi populum hunc peccati perfectè pœnitet, primùm conuerſi ad Dominum pœnitentiam promittamus. Deinde ad nos reuerſi omnem peccati radicem extirpemus, & fruticem, eiectis ſcilicet vxoribus cum omni ſobole.* Proximam particulam preme: *Cum omni ſobole.* Sunt qui pœnitudine ducti è domo diabolum pellunt, fœminam eiiciunt, ſed ſobolem curant retinere. Haud veræ exhibet pœnitudinis documentum (ſpeciatim Sacerdotes admoneo) qui non ſeſe omninò exuuiis criminis expediuit. Filij, ait, ſunt. Non te ex huiuſmodi ſobolis retentione grauiter reum eſſe affirmo, ſed vicem tuam doleo, qui verè poteris inclamare: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* Pſal. 50.

Expellatur vxor aliena, ſi eſt pœnitentia digne gerenda.
Eſdr. 10.
Strab.
Non ſolum è domo fœmina exturbanda, ſed & ſoboles.

36\. Chriſtus Dominus Petri ſocrum donauit valetudine, vt menſæ miniſtraret. *Surgens Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis; Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & imperauit febri, & dimiſit illam, & continuò ſurgens miniſtrabat illis.* Luc. 4. Beda fœminæ huiuſce ſanitatem peccatoris conuerſionis eſſe aſſeruit imaginem. Surgit illa vt mundata crimine Euchariſticæ menſæ miniſtraret. Quando? Poſtquam ab illa Dominus febrim ſeu diabolum expulit: *Imperauit febri, & dimiſit illam.* Nec enim diabolo apud præcordia permanente poſſet vera pœnitudine ad Euchariſticum cibum præparari.

Chriſtus à ſocru Petri prius febrim pellit, quàm menſæ illa miniſtret.
Luc. 4.
Beda.

37\. Rachel olim parentis idola ſurata eſt, vt de idololatriâ triumphum ageret. Cùm autem Iacob ſtuderet purificationi, ac conſcientiæ expiationi, dixit: *Abijcite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra.* Geneſ. 35. Vbi Chryſoſtomus apud Lipom. *Significans Deos Laban, quos Rachel ſubſtraxerat, dixit hoc: Auferte, ſi quæ ſunt in vobis idola, vt purificemini.* Expiatio conſcientiæ, ô Rachel, & idolorum in domo retentio non benè conueniunt. Idola, ô ſponſe, minimè adoro, ſed apud me aurum, quod aliis miniſteriis poteſt deſeruire conſeruo. Pelle omninò ſi verè conſcientiæ expiationi ſtudere procuras. Profectò licèt pretioſa tibi aut domus gubernationi, aut valetudinis miniſterio fœmina, quæ delictis extitit occaſio, domi non eſt retinenda. Seruituram retineo. An ſcis, ſi ex occaſione rurſum dominabitur? Polybius Hiſt. lib. 9. *Dominatur occaſio in cunctis rebus humanis.* Addidit, *Maximè verò in bellicis.* Aptius dixerit, *Maximè verò in amatorijs.*

Iacob ſtudens conſcientiæ expiationi, curat prius è domo idola deturbari.
Gen. 35.
Chryſoſt.
Polyb.

38\. Domi retinetur pellex, donec adſit decentis egreſſionis ratio. O quàm miraculosè non te rursùm voluptatibus implicabis, ſi captiuitatis foues illectamenta! Egreſſus Lazarus è ſepulchro viuus, ſed vincula ſigna captiuitatis præferens. *Prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inſtitis.* Ioa. 11. D. Gregorius ad illud verbum: *Lazare, veni foras,* ait: *Vt mirum homo in peccato mortuus qui intra conſcientiam ſuam abſconſus iacet per nequitiam, à ſe ipſo foris exeat per confeſſionem.* Itaque egredi confiteri eſt. Quonammodo igitur funerea vincula cum liberatione copulantur? Expectandum opportunum tempus, vt ſine notâ infamiæ è domo pellatur. O miraculum ſtupendum te poſſe dignè confiteri & pellicem licitè retinere domi, & ſimul cum illa commorari! Ponderat huiuſmodi prodigium Auguſtinus ad Pſal. 101. Conc. 1. ſatus: *Chriſtus de ſepulchro voce Lazarum ſuſcitauit. Proceſſit ille vinctus; non ergo pedibus proprijs, ſed virtute producentis ſit hoc in corde pœnitentis.* O quàm illuſtre diuinæ potentiæ documentum vel paruo temporis interſtitio hominem viuere vinculis illigatum, ſeu huiuſmodi retinendi pellicem vinculum obligatione! Adnota, quàm exigua temporis particulâ viuit alligatus. *Soluite,* inquit, *eum, & ſinite abire.* Ibid. Ad quæ Baſilius Seleuc. orat. 42. *Ne res eiuſmodi putetur eſſe ſpectrum, iubet eum ſolui.* Liceat mihi vulgariter excogitationem expendere. *Hombre que teniendo el diablo en caſa, ſe confieſſa? Penſaran que es phantaſma.* Quam cæcus, qui ſibi perſuadet in vnâ ſede morari diabolum, & veram confeſſionem.

Miraculum, vel licitè pellicem apud te commorari, & nõ rurſum implicari delictis.
Ioa. 11.
Gregor.
Auguſt.
Exiguo tempore hoc durantis prodigium.
Baſil. Seleuc.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Loquutus eſt mutus.

Pulſo dæmone, videt cæcus, audit ſurdus, mutus loquitur.

Nec ſufficit verè confitenti, cuncta peccata aperire, niſi ſimul ſtudeat, à praua conſuetudinis cacitate omnino liberari, ab amore delicti perfectè eripi.

39. Euthym. EVTHYMIVS aſſeruit ſimul cæcum videre, & mutum loqui, quia qui verè confitetur, non ſolùm cuncta grauia delicta debet exponere, ſed & totis viribus procurare, vt omnino a cæcitate liberetur, ab affectu quolibet noxio recedens. Effectus praui è pectore pulſi, & affectus delinquendi; ſed adhuc affectio naturalis quædam erga complicem criminis perſeuerat. Haud perfectam reor valetudinem, quæ excidendi in morbum periculo ſubiacet.

40. *Non ſolum crimina cordis exuere debes, ſed te à quolibet affectu excoriare.* Cant. 5. Thadæ. Ambr. Sub imagine peccatoris clamabat ſponſa, *Expoliaui me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. Thadæus Can. ver. 25. *Odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.* En tunicam Adami, de qua Ambroſius, *Exuit ſponſa tunicam pelliceam, quam acceperunt Adam, & Eua poſt culpam, tunicam corruptelæ, tunicam paſſionum.* Nondum mentem expendi. Hebraicè pro *Expoliaui* eſt *Paſſat*, ſiue excoriaui. *Deſollè* (vt materno idiomate exponam) *no ſolo traſquilo*, vellus omnino extraxi. Confeſſio perfecta nos debet non ſolùm à vinculis, ſed à voluptatum affectu quolibet licèt naturali, (vt expendi) amouere. Bernard. Bernardus ſerm. 9. in Cant. *De* quibuſdam dicitur: *Operti ſunt iniquitate, vt non facilè explicare ab illa ſe poſſint: & vt ampliùs dicam, quaſi cute quadam, ſic aliquâ paruâ ſunt operti conſuetudine vitiorum, vt illam dediſcere, non tam expoliari ſit, quam excoriari.* Quàm pulchrè! Paruam conſuetudinem appello affectum illum innatum ad amatam olim exitialiter fœminam. Non magnum animi incommodum aut exitium, ſed magno ſtudio à corde extrahendum, ne nos efficiat ruſùm voluptate implicari.

41. *Totis viribus incumbendum, vt radices voluptatis perfectè extrahantur.* Eccli. 7. Eccleſiaſticus monebat, *Honora Deum ex tota animâ tuâ, & honorifica Sacerdotes, & propurga te cum brachijs. Da illis partem ſicut mandatum eſt tibi primitiarum, & purgationis, & de negligentia tua purga te cum paucis* cap. 7. Cur te cum paucis, propurgare monet? Quia cum brachiis te propurgandum aſſeruit. An non cum digitis ſufficit purgationi operam gerere? Vt perfectè cum paucis propurgari valeas, neceſſum eſt totis viribus perfectæ purgationi addici. Non ſolùm peccata confitendo, verum quemlibet affectum à corde deturbando. Nazian. Nazianzenus orat. 40. *Porro non fucanda eſt purgatio, ſed imprimenda: tibique hoc agendum, vt plenè ac perfectè ſplendeſcas, non vt leuiter, ac in ſuperficie. Vt gratia non tantum peccata obducat, ſed ab ijs omnibus omnino te vindices.*

42. *Vt omnino radicitus crimina abſtergantur, toto animo requiritur.* Pſal. 50. Tam difficile id præſtatur, vt poſt pœnitudinem Dauid inclamitaret: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Pſal. 50. Cupio me à radicato illo affectu omnino expedire, vt nec permiſſâ dilectione criminis detrar in exuuias, nempe prolem, &c. Quonammodo id conſequi valeam? *Cor mundum crea in me Deus.* De nouo creatum cor pectori apponatur à Numine. Seneca epiſt. 51. Senec. *Satis diu cum Baiis litigauimus, nunquam ſatis cum vitiis, quæ oro te mi Lucili perſequere ſine modo, ſine fine. Nam illis quoque nec finis eſt, nec modus. Proijce quæcunque cor tuum laniant. Quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis reuellendum erat.* Quod aiebat Dauid, *Cor mundum crea in me Deus*, vt priſtinum cum reliquiis vitiorum reuellatur.

43. *Vſque ad pulueres voluptates redigendæ, vt dispergantur.* Pſal. 17. Auguſtin. Alibi Vates, *Perſequar inimicos meos, & comprehendam, & non conuertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare cadent ſubtus pedes meos. Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti.* Pſal. 17. Donec in pulueres reducam voluptates, vt poſſint arripi, & diſpergi à vento, non quieſcam. Auguſtinus, *Perſequar affectus carnales meos, ne ab eis comprehendar; comprehendam illos, donec abſumantur.*

44. *Facile reaccenditur fax fumans.* Gen. 10. Suſan. Quàm *aptè*, *Ne ab eis comprehendar.* Facilè enim ignis accenditur, ſi fumans lignum non extinguitur. *Thare olim reduxit familiam de terra Chaldæorum.* Gen. 10. Suſann. Reduxit affectus ſuos omninò, quia Chaldæa ignis eſt. *Quoniam candela ſemel accenſa, & extincta citius reaccenditur, ſi adhuc fumat.*

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Loquutus eſt mutus.

Simul loquitur mutus, & cæcus videt, ac dæmoniacus à diabolo liberatur.

Quia ergò eum, qui delicta confitetur, Dominus ſe munificentiſſimum exhibet.

BEDA profatur, *Tria ſigna in vno homine perpetrata ſunt. cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à dæmone liberatur.* Confeſſionem etenim criminum, bonorum quidem, munifico Domino, ſequitur abundantia. 45

Iſaias

44. *Tunc iuſtificatur à Domino cõfitenti peccatori.* Iſa. 43.

Iſaias docebat, *Narra, ſi quid habes, vt iuſtificeris.* cap. 43. LXX. *Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris.* Proxima hæc particula *iuſtificeris* vberrimam Dei erga pœnitentem munificentiam innuit. Qui enim ritè confitetur vltrà nouam acceptam gratiam priſtinis meritis à Domino donatur. Aptè Chryſoſtomus ad Pſal. 135. *Dic, inquit Deus, & nihil quæro amplius confitere, & totum fero.* Totum, quod abſtuleram; totum, quod apud cæleſtem theſaurum abſcondo tibi traditur confitenti. (Chryſ.)

45. *Quaſi debitor Deus atque adeſt confitentem pœnitentem donis opplere.* Iudic. 10.

Peccatores ingenuè profitentur, *Peccauimus, ſed redde tu nobis.* Iud. 10. Quid reddendum peccatoribus? Num ſupplicium? Porro beneficia cæleſtia. Quonam titulo præparari intendis? *Peccauimus.* Proh ſtulti! Imo ó prudentiſſimi! Particula illa, *Peccauimus* vox eſt pœnitentis, quemadmodum illa Dauidis: *Peccaui Domino.* Qui peccatum ingenuè profitetur Deum acquirit adeo debitorem cæleſtium munerum, vt illum excitet ad debiti ſolutionem. *Redde tu nobis.* Theodoretus quæſt. 17. *Vbi ſuas iniquitates confeſſi ſunt, beneficia eius perſenſerunt.* Nec enim expectauit Dominus, vt exigerent, ſed illico eos muneribus cumulauit. Cur ergo proclamant adhuc, *ſed redde tu nobis?* Quia adeo Dominum confitenti munificus oſtenditur, vt poſtquam plura munera exhibuit, (quaſi ex cenſus natura) ad præſtanda maiora præparetur. (Theod.)

46. *Pane, id eſt, omnium bonorum abundantia replebitur vera cõfeſſione præmiſſa.*

Panis omnium bonorum exprimit abundantiam, Patribus adnotantibus. Aiebat Propheta, *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es.* Mat. 2. Vbi Bernardus ſerm. 2. de Nat. Mar. *Bethleem domus panis, Iuda ſonat confeſſionem.* Confitere ergo, & Bethleem domus panis efficieris, id eſt, omni oppleberis abundantiâ. *Bethleem factus eſt dignus ſuſceptione diuinâ,* (quia ex abundantiâ ditiſſimum Deo domicilium) *ſi tamen confeſſio non defuerit.* An non Dominus confitenti pane Euchariſtico donat? Quid panis ille niſi cunctorum bonorum colligatio?

47. *Chriſtus excipiens prodigum copioſus ad veniam.* Luc. 15. Gillib.

Reuerſo per confeſſionis viam prodigo Pater cæleſtis *ſtolam primam* ſine merita demortua iam reuiuiſcentia reddi imperat: addit annulum, calceamenta, vitulum ſaginatum omnis collegium abundantiæ. Luc. 15. Gillibertus ſer. 33. in Cant. *Reuolue Euangelium, vbique Ieſum inuenies copioſum ad veniam.* Veniam enim confitenti impendit omnium bonorum copia comitatam. Querulo fratri frugi reſpondet, *Gaudere oportebat quia frater tuus mortuus erat, & reuixit.* Apponitur menſa, cibaria præparantur, ornatus inuitatus, ſymphonia inſonât. O Domine, non ſufficeret Prodigum recipi à parente? Profectò cum Deus pœnitentem excipit, neceſſariò quodammodo cuncta in eum congerit beneficia. *Vide* ait Pater *profluam Domini Ieſu gratiam.*

48. *Quam munificus cum Ezechia … Deus!* Iſa. 38.

Poſtulanti Ezechiæ vitam, ſiue myſticè veniam, Propheta ait, *Hæc dicit Dominus, Vidi lacrymas tuas. Ecce ego adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos, & de manu Regis Aſſyriorum eruam te, & Ciuitatem iſtam, & protegam eam.* Iſa. 38. Solummodo Rex vitâ donari petit, ſiue primæ gratiæ reſurgere: at benigniſſimus Dominus quaſi neſcit gratiam largiri quin ſimul cuncta bona homini cumulando impendat. Cyrillus Alex. lib. 5. in Iſai. tract. 4. *Vbi ſemel Deus vitam annuit, & morbum iuſſit tollere, & de manu Regis Aſſyriorum liberari,* & annos addici, &c. (Cyrill.)

OBSERVATIO IX.

Ad illa verba:

Loquutus eſt mutus.

Exitialiter ille mutus erat, ſalubriter ac vitaliter loquutus eſt.

Viuit enim animus, dum lingua crimina profitetur; moritur dum obticere curat. Vnde in linguæ manibus vita, ac mors ſtatuitur.

QVAM verè ſapiens, *Mors & vita in manibus linguæ.* Prou. 18. Mutus ille diaboli tyrannidi addicebatur: loquutus autem liberatur à Dæmone, vitâ æterna donatur. 49.

50. *Lingua confitetur ad Dauidis vitam.* 2. Reg. 11.

Dum mutus Dauid crimina non profitetur, morti addictus quaſi occiſionis ouis obiicitur: profitetur crimina fatus, *Peccaui,* & ore Prophetico audiuit, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* 2. Reg. 11. Si enim mutus fueras moriturus, loquutus à morte liberalis. D. Auguſtinus hom. 41. *Tantum valent tres ſyllabæ. Tres ſyllabæ ſunt, Pec ca ui: ſed in his tribus ſyllabis flamma ſacrificij coram Domino aſcendit in cælum.* Vita in lingua. (Auguſt.)

51. *Lingua obmuteſcit ad inuitati ad nuptias exitium.* Matth. 22. Galfri.

Vidit Rex *hominem* illum *non veſtitum veſte nuptiali,* & requiſiuit, *Quomodo huc intraſti non veſtitus veſte nuptiali? At ille obmutuit.* O linguam ſagitta præcordia miſeri hominis transfodientem! *Tunc dixit Rex, ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Mat. 22. Galfridus, *Tunc dixit Rex.* Quando? An cùm illum ſine nuptiali aſpexit ſtola? An cùm eius deprehendit audaciam? An cùm verbis defendit, quod operibus deliquit? Minimè, ſed *tunc tunc videlicet, non vbi ille ſine nuptiali veſte introijt, ſed poſtquam admonitus ſiluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.* In lingua mors.

52. *Lingua Adamo vitalis, lethalis Caino.* Gen. 3. Gen. 4.

Adam peccauit, Cain deliquit. Adamo Dominus, *Adam, vbi es?* Caino autem, *Vbi eſt Abel frater tuus?* Profitetur Adam, *Mulier dedit mihi de ligno & comedi.* Abnegauit Cain, *Numquid ego cuſtos ſum fratris mei?* Gen. 3. & 4. O euentus diſſimiles! Parens viuit beneficio confeſſionis. Domino peccatori propitio: filius moritur delictum operiens. Deus terram ob Adami peccatum maledictione afficit, ipſum Cain non terram maledicit: *Maledicta terra in opere tuo. Maledictus eris ſuper terram.* Tertullianus in Marcio. *Ideo nec maledixit ipſum Adam, nec Euam, vt confeſſione releuatos. Cum verò maledixit & cupidum morte* (Tertull.)

lucre delictum, mors uterum vetuit. Infelicius enim a morte eripiebatur peccati morte diu corripiendus, & diſtorquendus tartaro inquitatis, Quam vere, *Mors, & vita in manibus linguæ.*

52. *Salutaris confeſſionis vox, abnegatio exitialis æternum.* Eccli.4. Oſe.10. Admonet Sapiens, *Ne retineas verbum in tempore ſalutis.* Eccli.4. Tigurina, *Salutiferam occaſionem nactus,ne comprimas ſermonem.* Linguæ enim in manu vita,aut mors. Oſeas, *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis.* cap. 10. LXX. *Quid reticuiſtis impietatem, & iniquitates meſſuiſtis?* Seminaſtis culpas reticere? Nouam ex ſacrilegio additam flagitiis, quæ operuiſtis, iniquitatem meſſuiſtis. Ad hæc D.Pacianus Paren. de pœnit. *Rogo ergo vos per illum Dominum, quem occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam. Peccator timebit? Peccator erubeſcet? Perpetuam vitam præſenti timore mercabitur? Et offerenti manus Domino vulnera male tecta ſubducet?* De Confeſſione ſæpe alibi. (Patian.)

Observatio X.

Ad illa verba:

Et cum eieciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus.

Mutus verba profert, vt benefactorem encomiis efferret.

Acceptis enim beneficiis laudis actio debetur.

53. Tolet. QVÆRIT Toletus, quidnam mutus loquutus fuerit? & reſpondet, *Probabile eſt, fuiſſe verba laudis, & encomium illius, qui eum a tanto malo liberauerat.* Beneficij vox laudis comes adiici debet, ne ingratitudinis incuſemur.

54. *Debora ſanctique clarissimam carmine, beneficijs acceptis protulerunt.* Debboræ imperio ſtante, *humiliauit Deus in die illo Iabin Regem Chanaan coram filijs Iſrael. Qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin Regem Chanaan, donec delerent eum.* Iudi.4. Mox additur, *Cecinerúntque Debbora & Barach in illo die: dicentes: Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculum, benedicite Domino.* Cap.5. Quid dicentes, niſi vocem laudis proferrent, vt victoriæ authorem collaudarent: Carthuſianus. *Solebant viri ſancti acceptis a Deo beneficiis in laudes prorumpere.* Submergitur Pharao? Cecinit Moſes. Exod.15. Lex promulgatur? Intonat hymnum. Deut.32. Filij Iſrael viſo puteo, laudant. Num.21. Samuele nato, Anna canit. 1. Reg.2. Trucidato Holopherne Iudith modulatur. cap.16 Dauid, Ezechias, Hebræi Adoleſcentes, Ionas, Zacharias, Simeon, beneficiis acceptis, laudis voces protulere. Chryſoſtomus ad cap. 5. Iſai. *Debbora, erecto illo admirabili tropæo, partáque præter omnium opinionem victoriâ, prætexuit triumphale Canticum, laudem totius victoriæ Deo adſcribens.* (Iudic.4. Iudi.5. Carthuſ. Exo.15. Deut.32. Num.21. 1.Reg.2. Iudit.16. Chry.)

55. *Trophæum triumphi, Dei laudes poſt victoriam proferre.* An non, parta victoria, trophæum erigitur arcu triumphali obiectum? Laudes tuæ locum exerant arcus, vbi Dei gloria triumphet. Id Debbora ſtatuit, Chryſoſtomo adnotante ad Pſal.95. *De proſtratis in bello hoſtibus, pro maximo quaſi tropæo erexit hymnum victorialem.* Deum enim [illegible] in tuam gloriam redundare quis dubitet? [illegible] trophæum hymnus, quo Dei [illegible] efficitur. (Chryſoſt.)

56. *Laudatur, qui poſt alligationem a vinculis liberatus dat verba in liberatoris laudem.* Aiebat V[illegible]b, *Nephtali ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.* Geneſ.49. Quidam apud Abulenſem aſſerunt laudari hic Barach e Tribu Nephtali, quia, inſtar emiſſi cerui ad bellum contra Siſaram proceſſiſſet, donatus victoria Deo cecinit laudes. Lyranus mauult præcones terræ Nephtali fructus efferri, quibus acceptis Deus author collaudandus. Myſticè interpretor ceruum emiſſum Nephtali miſerum illum hominem cæcum & mutum a dæmone illigatum. A Domino immittitur, dum à vinculis liberatur. Hic loquutus mox dat pulchritudinis verba beneficij extollens authorem. (Gen.49. Abul. Lyran.)

57. *Ægrotat Ezechias, quia poſt beneficium acceptum non laudes effudit.* Caue ne mutus, rurſum à dæmone torquearis. Ezechias fuerat à Domino egregiis muneribus donatus. Promiſit Deus victoriam, exercitus Sennacherib ab Angelo occiditur. *At ægrotauit Ezechias vſque ad mortem.* 4. Reg. 2 An ex hoſtibus trucidandis ab ægritudine Regem ò Domine, reſeruaſti? Ægrotauit planè, quia donatus victoriâ vocem laudis minimè promſit. Hieronymus, *Tradunt Hebræi, ideo ægrotaſſe Ezechiam, quod poſt audítam victoriam Iudæorum non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moyſes Pharaone ſubmerſo.* (4.Reg. Hieron.)

SECTIO SECVNDA.

Reprimit Ieſus hoſtium calumniam.

TEXTVS.

VERS.15. QVIDAM autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia. 16. Et alij tentantes ſignum de cælo quærebant ab eo. 17. Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. 18. Si autem & Satanas in ſe ipſum diuiſus eſt: quomodo ſtabit Regnum eius; quia dicitis,

cuis, in Beelzebub me eiicere dæmonia? 19. Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt. 20. Porrò ſi in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos Regnum Dei. 21. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. 22. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. 23. Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit. 24. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens dicit, Reuertar in domum meam, vnde exiui. 25. Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam. 26. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. 27. Factum eſt autem, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti. 28. At ille dixit, Quin imo, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Iudæorum circa miraculum iudicia.

1\. *Iudæorum iudicantium temeraria improbitas.*

QVIDAM *autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Qui inuidiâ, & odio Ieſum proſequebantur, tanto viſo miraculo, non in ſuſpicionem, aut diſceptationem; an eſſet Meſſias, inducti ſunt; ſed Chriſtum vi Beelzebub dæmonis cuiuſdam ſuperioris dæmonia pellere affirmarunt. *Principe dæmoniorum.* Sunt enim dæmonia ſuperiora, & inferiora, vno alterum ſuperante. Athanaſius peiores in hoc Iudæos Magis Pharaonis adnotat; etiam Magi ſigna Moyſi videntes, dixerunt: Digitus Dei eſt hic: At Phariſæi maiora Chriſti opera experti fantur. *In Beelzebub eiicit dæmonia.*

2\. *Quinam Beelzebub Princeps? 4 Reg. 1.*

Quinam Dæmoniorum Princeps Beelzebub? Nomen fuit idoli Acharon, quæ eſt Ciuitas Paleſtinæ. 4. Reg. 1. Dicebatur Baal, ſeu Beel: at Hebræi, vt teſtatur Hieronymus Mat. 9. nomine ſpurciſſimo, illud nominabant, id eſt idolum, ſeu Deum muſcarum: *muſca enim ſpurcum eſt animal*, vt ait Hieronymus, *quæ exterminat olei ſuauitatem.* Porrò Iudæi exiſtimabant dæmonia Paleſtinæ fortiora iis quæ in Iudæâ diuagabantur: ideo Principem dæmoniorum Beel appellabant.

3\. *An quiſquam poſſit in Dæmonij [illegible] [illegible] pelleret. Orig.*

Origenes Hom. 13. in Num. requirit, an quiſquam poſſit in dæmoniorum Principe dæmonia pellere? & affirmatiuè reſpondet; quia *Sicut inter homines vnus alio potentior eſt, maioribúſque viribus præditus poteſt ab aliquo loco alterum expellere, id etiam dæmones inter ſe valent efficere.* Porrò poteſt vnus alterum expellere, aut vi, quia potentior eſt: aut pacto aliquo, quia vt homines delinquere faciant ac perdant, conueniunt inter ſe, vt ad imperium vnius alter abſcedat. De priori modo Iudæos reor fuiſſe locutos, ideirco Principi dæmoniorum potentiori aliis adſcripſerunt.

4\. *Taxantur*

Et alij tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo. Calumniati non ſunt miraculum, ſed quaſi id non ſufficeret, auguſtiora miracula exegerunt, nempe de cælo, aut deſcendente igne, aut (*petentes ſignũ de cœlo.*)
conſiſtente Sole. Id autem petunt Chriſtum tentantes, eius curantes confuſionem, non fidei anſam expetentes. Sic Euthymius, Aptiùs puto (Euthym.)
ideo tentaſſe dictos eſſe, quia eius virtutem volebant experiri, nondum certi, an id facere poſſet: ſiue ob fidem, ſiue ob curioſitatem gererent. At arguendi, & taxandi inquit Hieronymus (Hieron.)
Mat. 12.) Quia ſic petunt noua ſigna, quaſi facta priùs ſigna non fuiſſent. Chryſoſtomus (Chryſoſt.)
hom. 44. in Mat. *Petunt ſigna quaſi nulla facta fuiſſent.*

De cælo. Vberius expono. Euthymius cælum 5.
interpretatur ipſos cæleſtes orbes ac ſi ſignum (*Quodnam de*)
circa cæleſtia peterent luminaria. At Hieronymus (*cælo ſignum requirebant.*)
& Beda aërem explicant, qui in Scriptura (Euthym.)
ſæpe cælum vocitatur. *Petebant de cælo*, (ait ille) (Hieron.)
ſigna, ſiue quia in morem Eliæ ignem de ſublimi (Beda.)
venire cupiebant, vel in ſimilitudinem Samuelis tempore æſtiuo contra naturam loci mugire tonitrua, coruſcare fulgura, ruere imbres. Vtrumque complector, quia vtraque miracula per Prophetas tam de aëre, quàm de Orbe cœleſti legerant excitata. Ioſuè enim Solem ſtare fecit, & Elias ex aëris ſuperiori regione ignem ad hoſtium ſupplicia traxerat.

§. II.

Chriſtus confundit calumniatores probans ſe diaboli vi minimè vſum ad dæmonij deturbationem.

IPſe autem vt vidit cogitationes eorum. Significat Euangeliſta Iudæos hoſce non tantum cogitatione, ſed & ſermone protuliſſe calumniam; verbum enim *Dixerunt*, loquelam indicat exteriorem. Cur igitur Dominus ad illorum cogitationem dicitur reſpondiſſe? Chryſoſtomus hom. 24. in Mat. aſſerit hos ſubmiſſâ inter ſe voce protuliſſe adeò, vt putarent à Chriſto exaudiri non poſſe. Huiuſmodi autem cogitationem vt vidit Dominus reſpondit. *Arcana cordium ipſorum, quæque inter eos ſecretò agitabant, proferens* (6. *Cur dicitur ad cogitationes reſpondiſſe, [illegible]*)

7. *Expendo locum.*

Reſpondet me expoſitore Dominus ad eorum cogitationes, quia quamuis quidam eorum verbo calumniam protulere, alij tamen ſiue ab iis ſeducti, ſiue propria malitiâ excitati, eandem calumniam ſolo corde conceperunt, quam mente retinebant. Ad omnes igitur reſpondens ideo cogitationes vidiſſe dicitur. Quod ſi Chryſoſtomi interpretatio placeat, aſſero apte dictum cogitationes eorum a Domino viſas, quia qui non poterat ſubmiſſam illorum calumniantium vocem audire, vt videns eorum cogitationem reſpondebat.

8. *Manſuetudo Domini probat ſe non viſum vi diaboli ad dæmonum pellendum.* *Marc. 3.* *Chryſ.*

Dixit eis. Refert Marcus cap. 3. Chriſtum calumniatores aduocaſſe, vt conuinceret. *Conuocatis eis, in parabolis dicebat illis.* Parabolas appellat quæ ſequuntur ſimilitudines. Chryſoſtomus hom. 42. in Matth. annotat Chriſtum non ſolum cogitationum notitiâ, ſed & ineffabili hac manſuetudine ſe vi diaboli dæmonia non pellere oſtendiſſe. *Non eſt dæmonis tanta clementia, manſuetudine, humanitatéque vti.* Addit, *Docet nos etiam Chriſtus tota nos mites erga inimicos eſſe, vt quamuis aduerſum nos ea dicant, quæ nullâ ratione nituntur, quorumque ipſi nequaquam conſcij ſumus: non conturbemur tamen, neque commoueamur: ſed æquo animo ipſis rationem referamus.*

9. *Argumenti propoſitio.*

Omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Particulæ *domus* apponendum participium *diuiſa*, nempe domus aduerſum ſe diuiſa cadet. Haud domus multæ vna contra alteram, ſed contra ſe diuiſa. More autem Hebræo loco relatiui ponitur idem antecedens, *domus ſupra domum.* Probat itaque Dominus ſe in Beelzebub virtute dæmonia non pellere. Sic autem propoſitionem argumenti ſtatuit: Regnum in ſe ſiue aduersùm ſe diuiſum diſcordiâ, & mutuâ contentione non ſtabit diu, ſed deſolabitur: domus etiam ſupra domum, id eſt, contra ſe ipſam diuiſa cadet; ſi enim domus partes non cohærent, citò domus corruit. En argumenti & ſyllogiſmi propoſitio.

10. *Perficit ſyllogiſmum.*

Si autem ſatanas in ſemetipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis, in Beelzebub me eiicere dæmonia. Perficit ſyllogiſmum aſſumptâ ſecundâ propoſitione, & factâ illatione ſic: ſatanas diuiſus eſt in ſemetipſum, id eſt, Regnum ſatanæ & dæmoniorum in ſe diuiſum eſt; igitur Regnum eius ſtare, & perdurare non poteſt. Totus hic eſt ſyllogiſmus: *Omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur; Regnum ſatanæ eſt in ſe diuiſum; ergo eius Regnum deſolabitur.* Porrò ſecundam propoſitionem ſeu minorem probat ex ipſorum Phariſæorum dictis: *Quia,* inquit, *vos dicitis me in Beelzebub eiicere dæmonia.* Ac ſi diceret, ſi verum eſt, quod dicitis, me eiicere dæmonia in Beelzebub, conſequitur Regnum eius in ſe ipſum eſſe diuiſum, & ſic non poteſt diu permanere. Argumento ſupplendum: At cùm notum ſit Regnum ſatanæ diu permanſiſſe, & permanere: neceſſariò ſequitur non eſſe diuiſum, & conſequenter, me in Beelzebub dæmonia non pellere. *Totus ſyllogiſmus [illegible]*

11. *Quid ſignificet vo[illegible] ſatanas.* *Iren.* *Iuſt.*

Quid ſatanas? Irenæus lib. 5. cap. 21. aſſerit idem ſignificare, quod apud nos *Apoſtatam*, ſeu deſertorem, à verbo Hebræo נטש quod ſignificat *præuaricari auertere, declinare.* Inde שטן *ſatan*, ſeu *ſatanas*, quaſi *declinator, auerſor*, ſeu *deſertor*; apud Græcos *Apoſtata.* Iuſtinus in dial. cum Triph. conuenit ex parte, & ex parte differt; putat enim compoſitum a *ſata* a verbo שטה quod ſignificat deſerere apud Hebræos, & a *nas*, quod ſignificat ſerpentem. נחש *nachas* idem ac *ſerpens*, eoque Gen. 3. nomine appellatur: ab vtroque nomine *ſatanas* compoſitus. Hieronymus Matth. 16. & Origenes tract. 1. in Matth. *Aduerſarium*, ſeu *contrarium* interpretantur. *Hieron.* *Orig.*

12. *Quodnam ſatanæ Regnum?*

Quodnam ſatanæ Regnum? A Deo in homines dæmonibus permiſſa poteſtas, qua eos tentant, & ad crimina inducunt. Ab hac poteſtate *Princeps huius Mundi* dicitur, Ioan. 14. & Princeps poteſtatis aeris huius, *Spiritus qui operatur in filios diffidentiæ.* Eph. 2. *Ioan 14.* *Eph. 2.*

13. *De quibuſnam Iudæorum filiis loquatur.*

Si autem in Beelzebub ego eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Erant apud Iudæos multi exorciſtæ, qui Dei inuocatione adiurabant dæmonia, & expellabant. Vnum, ô Phariſæi, (ad hominem arguit) & idem opus in illis probatis, quia filij veſtri ſunt, in me autem damnatis. Non igitur rem, ſed perſonam reſpicitis, cùm & illi multo ſint me in hoc ipſo præſtantiſſimo opere inferiores. Chryſoſtomus particulam *Filij veſtri* Apoſtolos, ac Diſcipulos Domini interpretatur, qui iam eo tempore dæmonia pellebant. Hieronymus autem de exorciſtis aptius expoſuit, Hilario, & Athanaſio conſentientibus. *Chryſ.* *Hieron.* *Hilar.* *Athan.*

14. *Quomodo hi futuri iudices.* *Hier.*

Ideo ipſi iudices veſtri erunt. Quomodo hi futuri iudices calumniatores dicantur? Hieronymus Matth. 12. duplicem interpretationem exhibet. Vna eſt, vt dicantur iudices, non quod ipſi proferant iudicium, ſed quod erunt quaſi & cauſa & ratio, ex qua ſumetur iuſti iudicij argumentum, & damnationis calumniatorum. Cui hæret Chryſoſtomus. Altera autem, vt dicantur iudices, quia ipſi iudicabunt, ſicut dictum eſt de Apoſtolis: *Sedebitis ſuper ſedes iudicantes duodecim Tribus Iſrael.* Conteſtatur Hilarius cant. 12. in Matth.

15. *Authoris placitum.*

Nos autem primam expoſitionem imitamur, Hi filij veſtri eiicientes dæmonia futuri argumentum iudicij, & damnationis calumniatorum, non quod ipſi iudicabunt eos quaſi iudices, ſed quod argumentum & ratio iuſtæ damnationis ab illis excipietur. Iuſtè enim damnantur iſti calumniatores, quia dæmoniorum expulſionem per Chriſtum Beelzebub adſcripſerunt, & eandem per exorciſtas filios ſuos factam Deo tribuerunt, cùm hi & Chriſto inferiores multò eſſent, nec tã mirabiliter ea expulerint, imo eorũ multi in Ieſu nomine abiegarint. Sic Matth. 12. dicitur de Niniuitis, & Auſtri Regina ſurrecturos in iudicio, & condemnaturos Iudæorum nationem, non quod ſententiam damnationis proferent, ſed quod ab illorum pœnitentia, & opere iuſta damnatio Iudæorum apparebit. *Matth. 12.*

16. *Probat Dominus ſe dæmonia virtute Spiritus ſancti pellere.* *Tolet.*

Porro ſi in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos Regnum Dei. Cùm igitur non eiiciam dæmonia in Beelzebub, conſequitur me in Spiritu Sancto eiicere: & Meſſiam promiſſum eſſe, cuius aduentu Regnum Dei, id eſt, gratiæ, & iuſtitiæ, ac ſanctitatis futurum eſt. Quaſi diceret, expelletur Regnum diaboli, quod in homine exercuit; regnabit Deus in hominibus. *Si enim* (ait Toletus) *virtus Dei eſt, quæ dæmonia eiicit, Regnúmque eius deſtruit, conſequitur aduentaſſe Regnum Dei deſolans dæmonij Regnum, non enim hoc niſi per illud potuit deſolari.* Particula *Porro* loco *Autem* poſita eſt, vt ex Græco nomine

Quod primum hæc conſequentia nitatur? mine conſtar. Quonam, ais, principio nitatur hæc conſequentia: *Si in digito Dei eiicio dæmonia, peruenit in vos Regnum Dei.* Nonne ante
Chryſ. aduentum Chriſti dæmonia ab exorciſtis eiiciebantur? Reſpondeo cum Chryſoſtomo hom. 41. in Matth. mereo dixiſſe, quia prædictum fuit per Prophetas hæc futura aduentus Chriſti tempore, ideo rectè deduci, ſi eiiciebantur dæmonia, Regnum Dei, id eſt Chriſtum aduenisse.
Tolet. Non tamen Toleto quadrat ſolutio, & meritò, qui hoc ſignum Dominici aduentus expreſsè haud legimus in Prophetis. ſic ipſe: *Chriſtus dæmonia eiecit, ſicut & alia ſigna faciebat, nimirum in ſuæ prædicationis veritatem, & teſtimonium, quo ſe miſſum à Patre probabat, ſeque eſſe Meſſiam oſtendebat. Si autem id ita non eſſet, non vtique in digito Dei dæmonia expuliſſet; non enim miracula virtute diuinâ fiunt in falſitatis teſtimonium.*

17\. *Quare Spiritus ſanctus digitus appelletur?* Hieron. Ambroſ. Chryſoſt. Auguſtin.
Apud Matthæ. legitur, *ſi in Spiritu Dei eiicio dæmonia.* Lucas noſter, *ſi in digito.* Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, & alij, *Idem digitus, ac Spiritus ſanctus.* Cur autem Spiritus ſanctus Dei digitus appelletur: Reſpondet Auguſtinus lib. 2. qq. Euang. cap. 17. *Propter partitionem donorum, quæ in eo dantur, vnicuique propria ſiue hominum, ſiue Angelorum; in nullis enim membris noſtris magis apparet partitio, quam in digitis.*
Authoris expoſitio. Porrò ſicut Spiritum ſanctum Scriptura digitum, ſic Filium brachium appellat: Brachium Domini, cui reuelatum eſt. Iſa 53. ſicut ergo brachium a corpore, digitus autem ex brachio, & corpore: ita Filius à Patre, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedunt. Vnde infert Hieronymus, ſicut corpus, brachium, & digitus vna ſunt ſubſtantia, ita etiam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Nec attendenda inæqualitas membrorum, quia omnes perſonæ æquales ſunt, ſed vnitas potius corporis, & ſubſtantiæ.

§. III.

Idem argumentum confirmat ſimilitudine.

18\. *Cur Princeps dæmoniorum cum forti armato comparetur?* Chryſ. Auguſt.
CVM *fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſsidet, ſi autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* Tertio argumento calumniam refellit. In cuius expoſitionem in primis requiro, cur dæmoniorum Princeps cum forti armato comparetur: Chryſoſtomus enim hom. 41. in Matth. Auguſtinus lib. 1. qq. Euang. cap 4. ex ipſo quaeret contextu liquet Beelzebub dæmoniorum Principem eſſe eum qui forti armato atrium ſuum cuſtodienti comparatur: Reſpondeo igi-
Iren. tur ex Irenæo lib. 3. cap. 8. fortem dici diabolum reſpectu noſtri, quia fortior eſt nobis iuxta illud:
Iere. 31. *Redemit Dominus Iacob, & eripuit eum de manu fortiorum eius.* Iere. 31 Quænam hæc fortitudo?
Auguſt. Auguſtinus citat. Quia tenebat homines in peccato, ne ſe ab illo poſſent viribus ſuis eripere; gratiâ autem per Chriſtum facti ſumus illo fortiores, & vt à peccato liberemur, & vt tentationibus illius reſiſtamus. Porrò armatus dicitur appoſitè; habet enim arma offenſiua, quibus nocet, & quibus ſe defendit, ne à nobis lædatur. Proponit delectabilia, (vt cum Baſilio loquor) vtilia, & apparentia huius ſeculi bona, vt ad verè malum ſcilicet peccatum alliciat: aut deterrendo ſub ſpecie apparentium malorum, vt à vero bono retrahat. Teſtor diabolum Chriſto panes offerentem, & Mundi gloriam oſtentantem. Vnde Sapiens, *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt,* Cap. 14.
& in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Cap. 14. Deinde inquiram, quænam ſit domus fortis, de qua Matthæus, & Marcus? Hieronymus, *Mundus iſte ſenſibilis.* Irenæus, *Homines, qui erant in apoſtaſia.* Reſpondeo domum Principis & Mundum ſenſibilem eſſe, in quo ſuis cum miniſtris verſabatur, & homines etiam, in quibus modo particulari per peccatum inhabitat. 19. *Quænam domus fortis?* Hier. Irenæ.

Quodnam fortis atrium? Eſt atrium locus apertus, & vacuus ante ædes ipſas expoſitus; vbi cuſtodiæ ante ipſam portam domus aſſolent apponi. *Atrium dæmonis* (vt aſſerit Toletus.) *ignorantia, & tenebræ, quibus totus fere Mundus inuoluebatur, notitia veri Dei, & eorum, quæ ad ſalutem neceſſaria erant, excluſâ.* Hoc atrium conabatur diabolus cuſtodire, & conſeruare, ne cœleſtis lux intrare valeret. De tenebrarum atrio dictum: *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos,* Iſa. 60. 20. *Quodnam atrium?* Tolet. Iſai. 60.

Quænam dæmonis vaſa. Irenæus, *Homines.* Chryſoſtomus hom. 41. in Matth. *Dæmones inferiores, vel mali homines.* Auguſtinus lib. 1. qq. cap. 5. *Infideles.* Euthymius. *Arma.* Chriſtianus Druthm. *Homines à diabolo vexati.* Arbitror vaſa dæmonis non dici quoſcumque malos, ſed quoſdam per quos tanquam per inſtrumenta ſuum principatum conſeruabat, & promouebat: eos nimirum, qui alios decipiebant, ac falſam eius religionem tuebantur, puta Philoſophos Gentium, qui perniitioſos ſeminarunt errores: & Principes terrenos, qui idololatriam tuebantur. Vaſa hic profecto iniquitatis, quibus congruit illud Geneſeos: *Simeon, & Leui vaſa iniquitatis.* Cap. 49 Quia ſcilicet multa in Sichem homicidia commiſerant aliis nocentia. 21. *Quænam vaſa?* Iren. Chryſ. Augu. Euthym. Druth.

Quæ ſunt dæmonis ſpolia? Quæ priùs ſub dæmonis erant poteſtate, & poſtea ſunt ab eo per Chriſtum ablata. Patres nempe in limbo olim illigari: homines mali, infideles, idololatræ conuerſi ad fidem ſpolia dæmonis: loca, Templa, Prouinciæ, in quibus diabolus colebatur, ab eo iam erepta vocantur ſpolia. [illegible] 22. *Quænam ſpolia dæmonis?*

Iam locum expendo, vim exerens argumenti, quo oſtendit Dominus, ſe non in Beelzebub, ſed in digito, ac virtute Dei dæmonia pellere: Ego Beelzebub alligo, eius arma, in quibus confidebat, aufero, ſpolia diſtribuo: Ergo ego fortior ſum. Probat hanc conſequentiam ſimilitudine, Quia cùm fortis armatus cuſtodit atrium, defendit, conſeruatque quæ habet. At ſi fortior eum inuadit, & vicit, eius arma aufert, ſpolia diſtribuit; nec ea efficeret, niſi eo fortior eſſet. Igitur in virtute, ac in digito Dei eiicio dæmonia, non humanâ, quæ inferior eſt virtute dæmonis: nec in eius virtute quia ipſe vincitur, ligatur, & ſpoliatur; vnde conſequitur Meſſiæ Regnum aduenisse. Fortior Diabolo Chriſtus, qui inuadens eum, & vincens abſtulit arma; Agnus enim eſt, qui abſtulit peccata Mundi, in quibus dæmon confidebat, ſe victoriam conſe- 23. *Vis argumenti exeritur.*

qui

qui contra hominem : ſpolia eius diſtribuit, magnam enim hominum partem, quæ illius vincta tenebatur imperio, liberauit, eos qui in limbo detinebantur educendo, & plurimos, qui in terrà illius partem ſequebantur, ad ſe conuertendo, & variis gratiæ, ac Spiritus ſancti donis implendo munificè, ſequutus Toletum, Maldonatum, Barradium, Cornelium, Ianſenium, & alios ſic locum expoſui.

Tolet. Maldon. & alij.

§. IV.

Quartum argumentum, quo confutat calumniatores.

25. *Quartum argumentum idem probans inſontum.* Chryſ.

CHryſoſtomus hom. 42. in Matth. exiſtimat hanc ſententiam. *Qui non eſt mecum, contra me eſt; qui non colligit mecum, diſpergit*, quartum eſſe argumentum, quo Dominus vſus contra calumniatores. Quid ego quæro, aut quid volo, Dominus inquit? Vniuerſos ad Deum reducere, vera ipſis virtutum tradere documenta, Regnum cœlorum cunctis annunciare. Quid autem dæmones quærunt? Quippe, quæ eis oppoſita ſunt. Quomodo igitur qui mecum non colligit, neque mecum omnino eſt, ſuâ me operatione iuuat? Cur non iuuat e ipſum dixi ſolum, qui etiam ſpargere, atque diſſipare mea deſiderat? Quoniam qui non iungit ſolum, ſed etiam cuncta mea diſpergit, quomodo mihi adeo aſſentiret, vt mecum vellet dæmonia eiicere? Conteſtatur Hieronymus. His hæreo ſic argumenti vim expediens: Quorum opera ſunt contraria, non ſunt concordes: at opera mea, & opera Beelzebub contraria ſunt valde: ergo non poteſt eſſe mihi cum illo concordia. Qui non eſt mecum, ſeu qui meis operibus diſſentit, & aduerſatur, contra me eſt, nec vllam mecum habet concordiam. At Princeps dæmoniorum cum ſuis meis operibus aduerſaptur; quomodo ergo poſſum cum illo concordiâ colligari?

Hieron. 24. *Authoris expoſitio.*

§. V.

Parabola Chriſtus poſt argumenta Iudæos vulnerat.

25. *Puniendos Iudæos Dominus prædicat.*

CVm immundus ſpiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Poſt argumenta expoſita, calumniatorum, reliquorúmque infidelium punitionem prædicit. Cùm ego dæmonia à vobis expellam ingratis adeò, vt me in virtute Beelzebub pellere calumniemini, prædico vobis euenturum, vt a dæmonibus pluribus agitemini peioribus quàm ante: nec erit qui vos ab eorum tyrannide eripiat. Huius argumenti prius ponit exemplum hominis a dæmonio vexati, qui cùm ab eo eſſet liberatus, nec diligentiam vllam adhibuerit; ſed otio vacauerit, peiùs eſt à dæmonio vexatus, quàm ante. Lucas prætermitit applicationem, Matthæo adnotante.

26. *Quid loca arida?*

Per loca inaquoſa. Matthæus, *arida.* Quænam illa? Hieronymus, *Gentium populos.* Gregorius lib. 33. Mor. cap. 3. *Corda iuſtorum, quæ per diſciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiſcentiæ humore ſiccantur.* Spiritualia hæc. Accedens ad literam Origenes hom. 9. in Leu. Infernum ipſum, in quod dæmonium ab homine eiectum detruditur, loca arida interpretatur. Aptiù puto loca inaquoſa eſſe loca ſolitaria, & deſerta, à communione hominum abſtracta. Hieronymus, *ſolitudines*, ad quas ſolent ij, qui virtute diuinâ dæmonia expellunt, ea abigere, vt neque hominibus, nec eorum rebus nocere valeant. Angelus dæmonium in Ægypti deſerto illigauit. Tob. 8. In his locis dæmon requiem non inuenit, quia deſiderium eius hominibus nocere: vbi autem non inuenit, cui noceat, requiem non habet: non quòd dæmonia vera requie fruantur, ſed requies eorum eſt maioris faſtidij, & tormenti priuatio: ſicut inuidus in proximi incommodo requiem habere dicitur, quando bono illius non grauius diſtorquetur. Cum igitur requiem non habeat, vbi non nocet, prematurq; vehementi nocendi appetitu, tentat reuerti ad hominem quem prius diuexabat: *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Non quod liberum ſit illi reuerti, ſed quòd tentat, & conatur, & Domino permittente id præſtat. Cur non tentat in aliam diuertere domum? Quia expertus eſt iam, ſe in eum præualuiſſe: & ſperat denuo poſſe, quod priùs iam potuerat. Contemplare *ſtudium dæmonis* (cum Toleto loquor) *ad nocendum hominibus, & quantum ſibi promittat in eos, quos ſemel ſubiecit.*

Gregor. Hieron. Orig.

Tob.

Tolet.

Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam. Venit dæmon ad hominem illum, à quo eiectus erat, ac non ſtatim ingredi audet, ſed ſtatum eius conſiderat, inuenit autem eum quaſi domum ſcopis mundatam, id eſt, præparatam ſuæ habitationi, nempe virtutibus, ac donis Spiritus ſancti carentem, vitiiſque incumbentem abſque vllâ vitæ emendatione. *Nota* (inquit Toletus) *non priùs dæmonium tentare ingredi in hominem, niſi negligentem, ac vitiis incumbentem viderit. Hæc ſunt, quæ præparant diabolo ingreſſum, & ipſum animoſum faciunt ad introeundum.* 27. *In negligentem dæmon intrat.*

Tolet.

Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Præmitto tripliciter aliquem poſſe à dæmone poſſideri. Primò, ſpiritualiter ob crimen lethale. Secundò, corporaliter tantùm, vt in energumenis, ſeu exercitatis; queis vexatio data in exercitium, aut probationem: quia (vt adnotat Augustinus lib. 21. ciu. cap. 14.) non ſemper qui à dæmoniis vexantur in peccato ſunt, ſi nonnulli baptizati infantes huiuſmodi ſubiere vexationem. Tertiò, corporaliter & ſpiritualiter ſimul, quando homo in peccato eſt, & propter ipſum corporaliter dæmoni traditus. Fornicatorum Paulus tradidit ſatanæ corporaliter vexandum, vt ſpiritus ſaluus fieret. 1. Cor. 5. Præmitto deinde cum Orige. hom. 8. in Exod. dæmones mutuò ſe iuuare ad nocendum hominibus: uno pluribus dæmoniis ſimul hominẽ poſſideri Lucas teſtatur, aſſerens à Maria ſeptem dæmonia eiecta, & legimus, à quodam integram legionem expulſam. Denique adnoto huius hominis grauiorem fuiſſe culpam, quam erat priùs, cum poſt libe. ationis beneficiũ adhuc crimini incubuerit. 28. *Tria [illegible] præmiſſa.*

1. Cor. 5.

Quibus præmiſſis ſententiam expono conclusionem parabolæ. Videns dæmonium priùs eiectum 29. *Locus expenditur.*

eiectum diſpoſitionem hominis, à quo fuerat pulſus ptantam, accommodatamque ſibi, alia dæmonia ſeptem ſe nequiora ſecum inuitat, vt ſecum in illum hominem ingrediantur: ne ita facilè rurſum eiiciatur, ſicut priùs fuerat eiectum. Quæ dæmonia ad nocendum paratiſſima conſentiunt, veniùntque cum illo, &, Deo permittente, in hominem ſimul ingrediuntur. Vnde fit, vt multò peius ſe habeat miſer ille, quàm prius antè liberationem ſe habebat. Nam qui ab vno dæmonio poſſidebatur, & torquebatur, nunc ab octo, iiſque ſeptem nequioribus poſſidetur, & diſtorquetur. Profectò dæmonia ideò nequiora dicuntur, non ſolùm quia ſceleratiora, ſed etiam quia fortiora, & promptiora erant ad nocendum, ad torquendum, ac ad peccata prouocandum; vt homo ille grauius nocumentum & animo, & corpore pateretur.

§. VI.

De fœmina vterum, ac vbera Deiparæ commendante.

30. *Mulier laudans.*

F*Actum eſt autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi:* De mediâ plebe in Phariſæorum calumniantium damnationem ſimplex fœmina commendatrix exſurgit. Hæc enim clarâ voce non erubuit, ac timuit inter primores Iudæorum verba proferre, & Chriſtum extollere, & quem dæmoniacum illi prædicabant, hæc non ſolùm beatum, ſed & vterum quo fuerat deportatus, vberaque quæ ſuxerat, beata profiteri. At Dominus. *Quin imo, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

31. *An vnius fuerit laudatoria ſententia* Auguſtinus aſſerit non vnius mulieris, ſed multorum vocem extitiſſe. *Cum Dominus* (ait tract. 10. in Ioan.) *in turba admirabilis videretur, faciens ſigna, & prodigia, & oſtendens, quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt, Fœlix venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.* August.

32. *Quid aſſeruerit Dominus* An Dominus hiſce verbis, *Quin imo, &c.* negatit Matrem ſuam beatam ex qua parte eum genuit, & lactauit? Aſſero non eſſe verba negatiua, ſed comparatiua. Beata quidem Mater mea eſt. Sed ſi hoc tantùm conſideratur, quod Mater eſt, maior eſt beatitudo, & beatiores ſunt, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. *Qui audiunt verbum.* Auguſtinus, id eſt, ipſum Dei Filium, de quo dictum, Et Verbum caro factum eſt. Violentam reputo expoſitionem; nam de Chriſti doctrinâ ſermonem eſſe minimè dubitarim. Denique illi dicuntur audire, qui credunt: illi autem cuſtodiunt, qui quod credunt, opere complent. Plura tom. 4. de ſanct. in Dedic. ad Niues. Auguſt.

IN IESVM SENSVVM REFORMATOREM.

PANEGYRICVS SECVNDVS MORALIS CIRCA LITERAM.

EX CALVMNIATORVM IVDICII REPRESSIONE.

Observatio I.

Ad illa verba.

Omne Regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.

Edocet Dominus, ex ciuium diſcordia Regna, ac domos corruere, omninóque deperire.

Aſſolet enim fidelium charitas, ciuiúmque pax mœnia eſſe Reipublicæ.

33. VT probet Dominus ſe in virtute dæmonis dæmonem minimè pepuliſſe, aſſerit omne Regnum in ſe ipſum diuiſum neceſſariò corruere. Muro cingente Ciuitas ſpoliatur: Corruat neceſſe eſt. Profectò ciuium concordia murus eſt vrbi appoſitus, cuius expugnatione vrbem neceſſum corruere, & deleri.

34. *Concordia Ciuium vrbis mœnia, ſine quibus corruet.* Antiſtenes (authore Laertio lib. 6. c. 1.) *fratrum inter ſe concordiam dixit quouis muro firmius munimentum. Id dictum,* ait, *& ad ciuium concordiam accommodari poteſt.* Iſæus ſophiſta *Lacedæmonij cùm periclitarentur,* (ait Philoſtratus in ſophiſ.) *ac de Ciuitate mœnibus cingenda conſultarent, Homericum carmen recitauit.* Laert. Philoſt.

Scutum hæſit ſcuto, galea galea, atque viro vir. *Et adiecit, ſic mihi ſtate Lacedæmonij, & muris cincti ſumus.* Bellè Plutarchus in Lac. apoph. *Ageſilaus à quodam percontatus, quam ob cauſam Spartha mœnibus non cingeretur? oſtendit ciues vnanimes. Hi, inquit, ſunt Spartha Ciuitatis mœnia, ſignificans Reſpublicas nullo munimento tutiores eſſe, quam virtute ciuium conſentientium.* Plutar.

35. *Fratres duo concordes domus paternæ murus.* Salomon appoſitè, *Frater, qui adiuuatur à fratre quaſi Ciuitas firma.* Prou. 18. Hoc enim cincta muro nunquam non verticem attollet auguſtum. *Filij Salma corona domus Ioab, & dimidium requietionis Sarai.* 1. Paral. 2. Et cur Salma filij domus Ioab coronæ vocitàtur? Hieronymus Prou. 18. 1. Par. 2.

pro

SECTIO PRIMA.

Diabolus pellitur.

TEXTVS.

VERS. 14. ERAT *Ieſus* eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De muto Homine.

1. *Quidnam hæc geſta fuerint?* ERAT *Ieſus eiiciens Dæmonium.* Non ſemper (vt alibi aſſeruimus) Euangeliſtæ tempora in narrandis Chriſti geſtis obſeruârunt. Matthæus ſcribit Hiſtoriam, ſed cum præcedentibus temporis ordine non ſeruato. Nam vt ex Marci cap. 3. colligo, hæc geſta ſunt ante vtramque Apoſtolorum miſſionem. Vnde Marcum ſolum hac in parte ordinem reor obſeruâſſe.

2. *Ordinem temporis Lucas non ſeruaſſe profitetur.* Tranſit igitur Euangeliſta ad miraculum narrandum, quod quantum ad temporis ordinem cum præcedentibus connexionem non habet. Quod ſignificat Lucas, dum non vtitur particulâ aliquâ tempus indicante, ſed abſolutè continuat ſermonem. *Erat* itaque Chriſtus *eiiciens dæmonium* à quodam homine obſeſſo. Cur vſus imperfecto. *Erat eiiciens*? Toletus, *Notat Phariſæos protuliſſe verba ſequentia contra Chriſtum tunc, quando Chriſtus dæmonium hoc eiecit.*

Cur vtitur verbo imperfecto? Tolet.

3. *Cur dæmonium mutum vocatur?* Chryſ. Euthym. *Et illud erat mutum.* Cur dæmon mutus appellatur? Chryſoſtomus hom. 41. in Matth. & Euthymius hîc aſſerunt, hunc hominem non naturâ, ſed dæmonij malitiâ mutum fuiſſe. Id Euangeliſta ſignificat affirmans dæmonium fuiſſe mutum, quia ſcilicet dæmonium mutum hominem effecerat. Matthæus non ſolum mutum docet fuiſſe, ſed & cæcum. *Oblatus eſt dæmonium habens & cæcus, & mutus.* Tertullianus lib. 4. cont. Marc. Chryſoſtomus hom. 41. Boſtrenſis, & Euthymius adnotant fuiſſe ſurdum. Quòd deduxiſſe exiſtimo Patres ex vocis Græcæ ſignificatione; nam κωφὸς mutum, & ſurdum ſignificat; idque videtur factum, quia qui naturâ muti ſunt, etiam carent auditu. Hinc Auguſt. lib. de verâ & falsâ pœnit. cap. 9. *Sunt plures, quos pœnitet peccâſſe, ſed non omnino, reſeruantes ſibi quædam, in quibus delectentur: non animaduertentes, Dominum ſimul ſurdum, & mutum à dæmonio liberâſſe, per hoc docens nos nunquam niſi de omnibus ſanari.*

Erat & cæcus & ſurdus. Tertull. & alij

Auguſt. *de omnibus ſimul mortalibus peccatis ſanandi ſumus, ſicut ſurdus & mutus ſanatus ſimul eſt.*

4. *Auctoris ſententia aſſerēs ſurdum non eſſe.* Exiſtimo tamen ſurdum illum non eſſe, qui non naturâ, ſed iniquitate dæmonis mutus extiterat: Lucamque vocabuli κωφὸς ambiguitatem, & multiplicitatem ſuſtuliſſe fatum: *loquutus eſt mutus.* Si enim nomen præcedens pro muto, & ſurdo accepiſſet, dixiſſet planè: *loquutus eſt, & audiuit.* An non qui accidenti aliquo muti fiunt auditûs facultate non priuantur? Obiicis Zachariam non ſolùm mutum, ſed & ſurdum redditum. Fateor, ſed quia Scriptura aſſerit, dum dicit: *Innuebant patri eius.* Luc. 1. Quaſi verbum percipi non poſſet auditu. De noſtro autem muto potiùs Scriptura videtur abnegare. Hieronymus, & Beda poſt eum: *Tria ſigna in vno homine perpetrata ſunt, cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à Dæmone liberatur.* Auguſtinus lib. 1. qq. Euang. cap. 3. hunc cæcum, & mutum ſignificare putat eum, qui non credit corde, nec ore confitetur, quæ duo ad ſalutem neceſſaria Paulus aſſeruit, *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Rom. 10.

Luc. 1. Hieron. Beda. Auguſt.

§. II.

De dæmonis expulſione.

5. *Loquitur mutus, & cæcus videt.* ET *cùm eieciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus.* Cùm homo ille non naturâ, ſed extrinſeco dæmonis obſtaculo mutus eſſet, ad dæmonis expulſionem, ſolutâ vi fandi, loquutus eſt. Porrò Matthæus qui cæcum ſimul ſcripſerat, loquutum eum affirmat, & vidiſſe: *Curauit eum ita, vt loqueretur, & videret.* An verbum *curauit* innuit Chriſtum aliquid vltra dæmonis eiectionem geſſiſſe? Reſpondeo curandi verbum ad liberationem à dæmone extendi, ita vt qui ab eius vexatione ereptus eſt, curatus dicatur. *Obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus, & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit omnes.* Matth. 4. Ecce dæmoniaci ob dæmonis expulſionem dicuntur curati. Matth. 4.

6. *Actionis gratiarum mutus vocem effudit.* Tolet. *Loquutus eſt mutus.* Vt loquutio eius circumſtantibus liberationis à dæmone manifeſtū eſſet argumentum. Quidnam fuerit loquutus, Euangeliſta non exponit. Approbo Toletum fantem. *Probabile eſt loquutum fuiſſe verba laudis & encomium illius, qui eum à tanto malo liberauerat.* Beneficium quodlibet vox gratiarum debet comitari.

7. *De turbarum admiratione.* *Et admiratæ ſunt turbæ:* Mat. vberius expoſuit, *Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Nunquid hic eſt filius David?* Admiratio tanti miraculi turbas induxit in ſuſpitionem, & inquiſitionem, an eſſet Meſſias, quem Iudæi ſoliti per excellētiam David filium appellare. Simplices ergo turbæ, quæ nullo inuidiæ, aut odij contra Dominū tenebantur affectu, tam inſignem, & inſolitū effectum cernentes, admirantur, nondum enim eum eſſe Dei filium crediderant, & ideo affectæ admiratione.

IN

IN IESVM SENSVVM reformatorem.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX DIABOLI PVLSIONE.

Observatio I.

Ad illa verba.

Erat Ieſus eiiciens dæmonium.

Quaſi validè repugnantem Chriſti potentiſſimum brachium erat eiiciens è corpore dæmonem.

Adeò enim difficilè inueterati animi conſuetudo ablegatur, vt vel ipſi Deo hic labor, hoc opus eſſe videatur.

8. ADEST homo cæcus, ſurdus, & mutus, quem miſerum diabolus inueteratum (myſticè expendo) teneret in crimine, quod verè dæmonium erat Saluator eiiciens. *τὸ erat*, imperfecti temporis diuturnam aſſerit durationem actionis. *Erat eiiciens:* Vulgariter expendo. *Eſtauale lanzando muy deſpacio.* An non potentiſſimo Domino fante: *Fiat lux*, lux eſt è nihilo excitata? Cur ergo vt Luciferum à pectore expellat, tot moris vſus eſt? Quia inueteratæ conſuetudinis dæmoniacus quodammodo ipſi potentiæ diuinæ videtur apponere obſtaculum. Auribus namque audiendi non audit, cæcus legem iudicat conſuetudinem, mutus culpam minimè profitetur. Quàm difficilis ſanitas!

9. *Quaſi characterem imprimunt peccata conſuetudinis.* Profectò conſuetudinis crimina quaſi characterem imprimere videntur, quæ vix poſſint aboleri. Cain ex iniquitate in grauiora crimina pergens, poſtquàm in præcordia radices immiſerant, concludit: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Gen. 4. O Domine, tanta mei cordis iniquitas, vt quodammodo vel à te potentiſſimo expelli non valeat, ſi retinenda conſuetudinis conditio, quæ characterem videatur imprimere, Philone profante, *Iuibi characteres malitiæ.* Vis maternâ linguâ exponam? *Auia en el impreſo character la malicia.*

Geneſ. 4. — Philo.

10. *Qui ex conſuetudine peccat, ſibi videtur lege peccare.* Quid ſi huiuſmodi delinquens ſibi videatur lege peccare, quam abſtinens à crimine tranſgrediatur? Deſcribit Moſes inueteratam iniquorum Cain filiorum conſuetudinem delinquendi, quæ ſic increuerit, vt dicat D. Baſilius Seleu. orat. 5. *Quæ legum prauitas non apud eos pro lege ſtatuebatur?* Si putabant legem præſcribere iniquitatem, planè crederent non peccare, legis eſſe tranſgreſſionem. Euſebius Emiſ. Exhort. ad pleb. *Tunc putas peccat, quando peccare ceſſauerit.* Quàm iuſtè Dominus curat delere imaginem. *Pœnituit Deum, quod homines feciſſet in terra: delebo, inquit, hominem.* Gen. 6. An non faciliùs reformare imaginem, quàm delere, vt rurſum efformes? Conſuetudo imaginem deturpans aboleatur. O conſuetudinis ablegandæ difficultas, paſſibilitatis quodammodo tranſiliens terminos!

Baſil. Seleu. — Emiſ. — Gen. 6.

11. *Chriſtus Patri remittit inuidorum ex conſuetudine ſanitatem.* Tam inueterata Iudæorum inuidia, vt iam quaſi innatam illis tam facilè exercerent, quam reliquas corporis actiones; curauit ſæpe Chriſtus eos donare ſanitate: at deſperatos velut ægrotos Cruci illigatus Patri omnipotenti ſanandos addicit. *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Matth. 27. Vbi Arnoldus Card. *Vſque adeò enim in hoc malo voluntarij ſunt, vt voluntas conſuetudinem, & conſuetudo faceret neceſſitatem* (ſeu difficultatem) *neceſſitas verò vſque ad illam vecordiam erumperet, vt neſciret, quid faceret.* Ex inueteratâ enim inuidiâ putabant ſe legem implere, cum Dominum horribilem adferebant ad mortem.

Matth. 27. — Arnold.

12. *Inueteratam conſuetudinem vt Deus deleat, delet naturam.* Redeo ad Geneſeos locum. *Delebo* (inquit Deus) *hominem quem formaueram.* Geneſ. 6. Quare non reformauit hominem, culpam ſolummodo ex conſuetudine delendo, naturam conſeruando? Quia ſcilicet conſuetudo conuerſa fuerit quodammodo in naturam. Vnde vt ablegaretur conſuetudo praua, neceſſum naturam ablegari? Philo libr. de Abrah. *Inueterata conſuetudo tantùm poteſt, quantùm natura. Cum natura autem pugnare eſt difficile.* Adeo ſanè, vt naturæ Author quaſi facilius puret efformare, quàm reformare. O quam difficilè è conſuetudine crimina aboleantur!

Gen 6. — Philo.

13. *Difficultas pellendorum ex conſuetudine criminum.* Audi ex Gentilium ore. Tullius 2. ad Heren. *Conſuetudo peccandi maleficij ſuſcipiendi remouet dubitationem.* Quia ſi non dubitas manum, aut pedem admouere, quia aduatæ homini actiones: quaſi adnata crimina ex conſuetudine. Scitè Seneca epiſt. 28. *Tunc conſummata eſt infelicitas, vbi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent: & deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt.* Et epiſt. 58. *Diu in vitiis iſtis iacuimus, euelli difficile eſt. Non enim inquinati ſumus, ſed infecti.* Cur exiſtimas ex conſuetudine delinquentes minimè diſturbari, bibere ſicut aquam iniquitatem, nunquam affici mœrore? An manum ad actionem domeſticam admouendo triſtitia corriperis! Non ſanè. Puta iniquis

Tertul. — Senec.

perpetrare

perpetrare delicta iam eſſe manum ad miniſterium adhibere. Si primum crimen patraretur, doleret iniquus, ſed conſuetudine delinquens non dolet, quia miſeriis obtorpuiſſe videtur. Pulchrè ille apud Euripid.

Eurip.

Si mihi nunc triſtis primum illuxiſſet dies,
Nec tam ærumnoſo nauigaſſem ſalo.
Eſſet dolendi cauſa, vt iniecto equulei
Freno, repente tactu exagitantur nouo.
Sed iam ſubiectus miſeriis obtorpui.

Alibi plura.

Observatio II.

Ad illa verba:

Erat Ieſus eiiciens dæmonium.

Cœleſtis Medicus non per tranſennam, diuturno miniſterio, ægrotantis incumbit curationi.

Contra ſpirituales Medicos peccatorum inueteratam ægritudinem in inſtanti aboleri exiſtimantes.

14. ERAT Ieſus dæmoniacum curans, nec leui actione applicans medicamina, ſed inſudans miniſterio eum reſtitui ſanitati. Sunt ſpirituales medici, qui lethaliter vulneratum non tam ſeriò curandum excipiunt, quàm ipsâ exceptione ſanatum ſinunt abire. O repentina curatio medicorum! veſtra properatione ô Patres, vinum & oleum non immittentes,

15. *Non ſufficit ſagittam extrahi, vulnus curetur.* Chryſ.

vulnera ampliùs exaſperantur. An ſufficit ægroto criminis languorem profiteri non mutum, & vos abſolutionis beneficio afficere? Fomentis vulnus demulcendum. Chryſoſtomus hom. 80. ad Popul. *Nec enim ad ſanitatem nobis ſatis eſt, ſagittam tantùm extraxiſſe: verum & medicamenta vulneri ſunt imponenda.* Confeſſione, fateor, ſagitta extrahitur, ſed vulneris cicatrices, ſiue praui habitus fomentis abolendi, te gerente Chirurgi prudentis maturum miniſterium.

16. *Samaritanus Ieſus curatũ tradit nobis Confeſſariis ægrotum, vt valetudini remedia adhibeamus.* Luc. 10.

Obiicias menti Samaritanum illum Medicum, qui ſuſcipiens vulneratum à latronibus, medicamina præparauit. *Infundens vinum, & oleum, & alligauit vulnera eius.* Luc. 10. An non poſt curationem ſtabulario traditur, vt eius curam gereret: Tibi à Domino, de quo vere illi: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu?* (*Cuſtos* enim hominum eſt.) Poſt vini & olei, ſeu virtutis ſanguinis ſalutaris infuſionem ægrotus traditur, vt illius curam geras, donec habitu prauo ablegato, perfectè reſtituatur valetudini.

Bernard.

Bernardus tract. de vita ſolit. *Cura eget, & non medica non inquinata, ſed infecta natura.* De qua

Senec. Bernard.

Seneca profabatur: *Diu in vitiis iacuimus, non enim inquinati ſumus, ſed infecti.* Epiſt. 58. Stabularius igitur ſeu Confeſſarius medicus *incumbat* (cum Abbate Clareuæ loquor) *valetudinario ſuo* (*ſic enim ſoleni appellare medici valetudinum curandarum officinam*,) *& remedii proſequatur vſum vſque ad ſanitatis experimentum.* Vbi duplicem particulam premo. Vna eſt. *Valetudinum curandarum officinam.* Non ſolùm curatur ægritudo, ſed & valetudo curanda eſt. Ideo Xenodochia illuſtria valetudinibus curandis officina eſt. Liceat vulgariter exponere. *Ai ſala para conualecientes.* Qui quidem minimè ablegantur, donec perfectæ ſanitatis exhibeant documentum. Altera autem, *Et remedii proſequatur vſum vſque ad ſanitatis experimentum.* Samaritanus Dominus vulneratum vini & olei, ſeu Euchariſtiæ infuſione curauit? Quemadmodum igitur curata eſt Sacramentorum vſu ægritudo, frequentiâ Sacramentorum valetudo curanda. Ideo ſtabulario traditur ægrotus iam valens, vt valetudo ab illo eadem vini & olei infuſione curetur.

Officina valetudinis curanda.

Sacramentorum vſu valetudo curatur.

Pulchrè Oſeas, *Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipſe cæpit, & ſanabit nos: percutiet, & curabit nos, viuificabit nos poſt duos dies, in die tertiâ ſuſcitabit nos.* Cap. 6. Non primâ die omnino perfectâ donatos valetudine dimittit, curat ægritudinem die primâ, ſecundâ & tertiâ valetudini medicamina apponit. Hieronymus, *Artis medicorum eſt, grauia vulnera longo curare tempore, & per dolorem reddere ſanitatem.* Pende illud: *Cæpit, & curabit nos.* Si abſolutione perfectâ curatur ægrotus, illud ipſum incipere, erit abſoluere. Cur igitur curatus dicitur de futuro curandus? Quia poſt curatam ægritudinem, reſtat vtique curanda, valetudo, quæ longius requirit temporis interſtitium. *Et curabit nos.* Aliter *Linteola apponet.* Hieronymus, *Pro eo quod dicimus, curabit, omnes tranſtulerunt, Linteola apponet, quæ inſeruntur vulneribus vt putridas carnes comedant, & extrahant purulentias.*] Hiſpanè *Hilas* appellantur ex attrito linteo extrahendæ. Quam medicus huic valetudini diuturnum præparat medicamen!

17. *Poſt curatam ægritudinem, valetudini Deus diuturnum præparat medicamen.* Oſe. 6. Hieron.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et illud erat mutum.

Stupendum miraculum, priùs dæmonem ablegatum eſſe, quàm mutus loquutus fuiſſet.

Aſſolet enim diabolus cunctaque tribulationes à nobis ablegari, Deum inuocantibus, quæ apud mutos diu commorantur.

18. *Precibus ſeu orationi omnia incommoda ſubiiciuntur.*

DVM mutus fit homo, non mirum diabolum præcordiis recludi, quia nec dæmon recedere ſolet, nec tribulationibus ablegari, homine muto, nec Dei opem efflagitante. Illud mihi mirabile prorſus, diabolum è corpore diſceſſiſſe, priùs quàm mutus

mutus loqueretur. *Et cum eieciſſet dæmonium loquutus eſt mutus.* Cur non dixit: Et cùm loqueretur mutus, eiectum eſt dæmonium? Si mutus loqueretur opem precibus diuinam efflagitans, quid mirum Diabolum receſſiſſe? Id mirabile planè, quòd, homine muto, dæmoniaco non orante, dæmon fuerit à Domino ablegatus. Quàm inſipiens qui orationis ope adiuetis cuncta incommoda non vtitur!

19. *Muto Eliſæo aqua non diuiduntur, eius loquenti.* 4. Reg. 2.

Pallij magiſtri appoſitione ſilens Eliſæus eruauit fluctus fluminis huc illuc recedere, nec conſequutus eſt. *Et dixit, Vbi eſt Deus Eliæ? Percuſſitque aquas, & diuiſæ ſunt.* 4. Reg. 2. Cùm tacet, cùm mutus obiicitur imperator, aquæ non diuiduntur: loquitur mutus, & recedunt. Theodoretus quæſt. 10. (Theod.) *Pelle ouinâ percuſſit aquam, nihil dicens. Poſtquam autem non obedit natura aquarum, vocauit Deum Magiſtri ſui, & diuiſæ ſunt aquæ.* Dum mutus es, dum nihil dicis, fluctus tumentes non recedunt, impoſſibile tibi ad ripam vlteriorem tranſmeare: dic & protinus recedent incommoda.

20. *Loquente Iob, recedit diabolus.* Iob. 1.

Quod ſi diabolus vincendus ſit, potiori iure mutus eſt loquuturus vt abſterreri poſſit. Iob à dæmone inpugnatur poſt tot ſtrages victoriam reportaturus. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit.* Cap. 1. Vbi Origenes (Orig.) Lib. 1. *Proſtrauit ſe in terram, & orauit ad Dominum.* Illicò loquente muto, diabolus ablegatus eſt. *Quem cùm proſtratum videret diabolus gauiſus eſt; cùm autem orantem audiuit, obſtupuit, atque expauit.*

21. *Apoſtolis linguæ dantur ab Spiritu sancto, vt loquuti, precibus effuſis, diabolū valeant ſuperare.* Actor. 2. Cyrillus.

Ideo Pentecoſtes ſolemni vt Apoſtoli contra diabolum armarentur, illuſtriſſimaſque victorias reportarent, linguas igneas recipiunt, queis tela ignita Tartari comminuerent. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, & repleti ſunt Spiritu ſancto, & cœperunt loqui.* Actor. 2. Loqui cœperunt? Ergo diaboli potentia comminuitur, iam victoribus coronæ præparantur, Tartaro ſuperato. Cyrillus Ieroſ. Cat. 17. *In ſpecie linguarum ignearum ſedit ſuprà ſingulos Paracletus, vt noua corona ſpiritualis per linguas igneas imponantur capiti illorum.* Sic Iob loquutus diabolum ſuperauit. Origenes citat. (Orig.) *Iob in primâ tentatione, quam per peculium, & filios victoriam de aduerſario acquiſiuit ad orationem ſe proſtrauit; vt perfectas tolerantiæ ſuæ à Deo acciperet coronas.* Paracletus itaque Apoſtolis cum diabolo vbique terrarum conflictaturis validiſſima arma prouidit, dum eos linguis donat ad proferenda precum modulamina, queis Dauidicum carmen à Saule Satanam ablegauit.

***

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba:

Et illud erat mutum.

Diabolus fecerat hominem obmuteſcere, tyrannide linguam vſurpans, vt in miſeri exitium inflammaret.

Vbi oſtendo linguam iniquam Vniuerſitatem eſſe iniquitatis, cuius Diabolus Rector.

22. VOCATVM mutum dæmonem vidimus, quia hominem effecerat obmuteſcere. Linguam vſurpauit dæmonium, vt inflammaret in gehenna, & poſſet exitij exiſtere occaſio. Vis oſtendam, qualis à diabolo poſſeſſa lingua poſtmodum exeratur?

23. *Lingua nequam eſt vniuerſitas iniquitatis, cuius diabolus Rector.*

Iacobus oſtendit, *Lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis.* cap. 3. Syria. *Mundus peccati.* Si lingua vniuerſitas eſt iniquitatis, quid mirum ſibi diabolum hominis illius linguam arripuiſſe adeo vt & mutus eſſet ipſe, & loqueretur, ſi diabolus *Rector tenebrarum* Vniuerſitatem huiuſmodi moderatur: *Et illud erat mutum.*

24. *Baptizatur lingua, vt diabolus pellatur illius Rector.*

Siue ergò mutus ſis ad confeſſionem, ac laudis hymnodiam, ſiue iniquè in proximum conuitia iactes, diabolus & mutus, & loquax eſt. Diſcipulis Dominus, *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne.* Mat. 3. Vbi D. Hieronymus, *Quia ignis eſt Spiritus ſanctus, quo deſcendente, ſedit quaſi ignis ſuper linguas credentium.* Lauacro ignis linguæ abluuntur, baptizantur. Quare? Vt ab eis diabolus Rector vniuerſitatis poſſit ablegari, quemadmodum ab animo Baptiſmatis ſacramento pellitur. Cunctis fidelibus Baptiſma.

25. *Vna in lingua totus ignis tartareus, quia ibi vniuerſitas iniquitatis.*

Clamabat Epulo, *Mitte Lazarum, ô Pater Abraham, vt intinctat digitum in aquam, & refrigeret linguam meam.* Luc. 16. Chryſologus ſer. 66. *Quaſi reliquum corporis ab incendio haberet immune.* En tibi in vnicâ linguâ quaſi vniuerſa incendij flamma commorabatur. Cur ita? An non quia cùm in lingua iniquitatis adſit Vniuerſitas, inibi diabolus Rector illius aſſiſtit cogens totum Tartari incendium quodammodo ad vnius iniquæ linguæ domicilium? Sanè.

26. *Lingua hominis mendax diabolo accommodata.* Baſil.

Curans diabolus Mundum perdere, ſerpentem iniit, quem fecit humanæ linguæ exprimere modulos. Orbis perit, Dei Filius ſuffigendus exoritur. Baſilius Seleu. orat. 2. *Serpens linguam diabolo accommodauit.* Quonammodo dæmoni accommodauit linguam? Porrò hominis vocem referendo mendacis, hæc diaboli vox, & linguæ eſt: *Linguam diabolo accommodauit.*

Observatio V.

Ad illa verba:

Et illud erat mutum.

Dum dæmoniacus tacet, ſignum euidens obiicit, ſe dæmonium habere.

Illud enim ipſum, te obticere delicta, idem eſt, ac præconis voce euulgare, quæ operis confitendo.

Diſſimulatio adeò delicta exaggerat, vt tacentem non hominem dæmoniacum, ſed ipſum dæmonium reputemus. Tertull.

26. INNVITVR è Patrum ſententia peccator mutus, qui obticere curat, ne peccata valeant manifeſtari. At ideo euulgantur, quia conatur operire. Vnde cùm mutus erat homo, Euangeliſta ait: *Et illud dæmonium erat mutum.* Vt conſtaret dæmonium miſero in animo commorari, quando homo nitebatur crimina ſilentij velamine operiri. Tertullianus aiebat: *Tantum releuat confeſſio delictum, quantum diſſimulatio exaggerat.* Si non diſſimularet homo ille ægritudinem, omnes dæmoniacum eum hominem appellarent. At diſſimulante, obmuteſcente, non eum hominem dæmoniacum, ſed ipſum dæmonium reputamus, *& illud erat mutum*; diſſimulatio enim delictum exaggerat.

Caini tacentis publicatur delictum, Dauidis loquentis operitur.

27. Dum Cain obticet, eius delictum vociferabatur, Domino affirmante, *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Geneſ. 4. Quid exaggeratius? Fratris ſanguis innoxius delictum manifeſtat. Dauid proclamat, *Peccaui Domino*, cui Propheta, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Ab oculis auertit, ne aſpiceretur, ad ſuum authorem diabolum remiſit iniquitatem tuam. Cur Caini delictum præſentatur, Dauidis operitur, aut transfertur iniquitas? Mutus erat Cain, Dauid autem profeſſus eſt, *Loquutus eſt mutus.*

Phariſæi operientis delicta manifeſtantur, Publicani aperientis operiuntur. Luc. 18. Auguſtin.

28. Iniquiſſimus Phariſæus aiebat, *Non ſum ſicut cæteri hominum*, iniquitatem cordis diſſimulare curans: dum Publicanus iniquitatem decantare ſatagebat: *Domine, propitius eſto mihi peccatori.* Luc. 18. Quàm contrarius euentus! Aſcendit hic iuſtificatus ab illo. Vbi Auguſtinus, *Sana Phariſæus membra oſtendebat, vulnera tegebat.* Publicanus è contrà tegebat ſanitatem, (ſi fortè aliquod bonum opus morale foueret) vulnera proferebat. At qui vulnus detegit ab illo loco aſcendit ad ſuperos; Phariſæus autem deſcendit ad Tartara. Locum commutauerunt, qui crimina operire curauit, aperuit, qui peccata aperire ſtuduit, operuit omninò, haud apud illum crimen, tota iuſtitia eſt: *Aſcendit iuſtificatus.*

David tacet: clamat, clamando, tacet. Pſal. Auguſt.

29. Ad hæc Dauid, *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Pſal.... Auguſtinus requirit, *Quid eſt hoc, quòd acclamando ſic tacet? Inueterauerunt oſſa acclamando tota die.* Clamando tacet, tacendo clamat. Quia dum curat peccator delicta obticendo operire, præconis voce manifeſtat. At ſatagens declamare, ac manifeſtari, eo ipſo videtur obticere: Clamando tacet, tacendo clamat.

Dum manifeſtas medico vulnera alligantur, ne aperiantur. Pſal. 31. Greg.

30. Alibi Vates, *Beati, quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Pſal. 31. Quonammodo peccata teguntur? An obticendo? Prorſus manifeſtantur, *Dum clamarem totâ die.* Certè tunc peccata teguntur, cùm medico proferuntur medicamine afficienda. Ipſe enim alligat, ne ab hominibus aſpiciantur. D. Gregorius. *Tegit medicus vulnus ſanando medicamine. Tegit Deus peccatum. Si quis peccata ſua tecta eſſe deſiderat, Deo per vocem confeſſionis oſtendat.* Samaritano medico cæleſti vulnera aperire, alligari eſt: operire autem oſſa eſt computreſcere, vnde contagium neceſſariò peruulgetur.

Confeſſio peccati ala eſt corporis operiſ defectus. Ezech. 1. Damia.

31. Sex alas Cherubini expandebant, quarum *duæ tegebant corpora eorum.* Ezech. 1. Vbi D. Petrus Dami. Ser. de Michae. *Prima hominis ala reuertentis ad Deum amaritudo cordis eſt. Sed quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem, ſequitur ſecunda penna, Confeſſio videlicet oris. Iſta ſiquidem virtutes ſunt, quæ multiplicem cumulum ſce erum noſtrorum antè Dei oculos abſcondunt.* Confeſſio igitur ſignatur in ala. Quare? Quia corpora fœda contegit, dum confeſſio denudat. Illud enim ipſum manifeſtare crimina, tegere eſt: *Duo tegebant corpora.*

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et cùm eieciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus.

Non loquitur mutus, donec Diabolus egrediatur.

Niſi enim priùs è pectore tuo delinquendi occaſio ablegetur, haud confeſſioni ſalutari operam dabis.

SANANDVS miſer ille dum ad proferenda crimina ſalutarem vocem emitteret, 32.
quod quidem præſtare non poterat, niſi priùs è pectore diabolum ablegaret. Dum domo recluditur dæmon mutus eſt homo; nec enim dignè confitetur, qui occaſionem delinquendi fouere curat. Pellitur è domo criminis illectamentum, mox mutus loquitur, ac ſalubriter confitetur.

Myſticus peccatot Lazarus apud ſepulchrum, Tartarum vtique (ex Chryſologi ſen- 33.
tentiâ) cum diabolo ſimul morabatur. Vt autem dignè peccata manifeſtaturus loqueretur, Chriſtus clamat, *Lazare, veni foras. Et prodijt, qui fuerat mortuus*, &c. Ioa. 11. An non potuiſſet in ſepulchro, ſiue Tartarea domo profiteri delicta? Reſpondet Dauid. *In inferno quis confitebitur tibi?* Pſal. 6. Neceſſariò diuidendi, aut pellatur è domo diabolus, aut homo

Lazarus à diabolo diuiditur poſt, priuſquam abſoluatur, vt dignè confiteretur. Ioa. 11. Pſal. 6.

mo pellatur à diaboli domicilio, vt confiteri poſſit. D. Gregorius lib. 22. Mor. cap. 13. *Mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reuiuiſce: ſed, veni foras. Signatur, qualiter nos reſuſcitamur in corde.* Nec enim licet ore confiteamur, corde ad reſurrectionem conſurgimus, & ſoluimur, (*ſoluite eum*) dum occaſio delinquendi vna nobiſcum commoratur.

Greg.

34 Pergebant Hebræi à captiuitate liberi, è tyranni domo abſtracti, vt confeſſioni criminum & ſacrificio Agni referentis Eucharistiam operam impenderent. *Cùmque appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſrael oculos timuerunt valde.* Exod. 14. Vbi Rabanus, *Iuxtà alterem ſenſum filij Iſrael viderunt Pharaonem & Ægyptios poſt ſe, quando auditores Euangelij iam illuminatos oculos cordis habentes reſpiciunt præteritos errores, in quibus fuerunt. Timuerunt valde.* Ingenti enim timore corripitur qui dignam confeſſionem gerere curat ad Agnum Euchariſticum recipiendum, cùm præteritæ captiuitatis vel vmbram aſpicit. Nec enim in vna ſede morari poſſunt digna cõfeſſio, & tyrannus cui miſerè ſeruiebas.

Nec vmbra aſpi ... ſimo del ... præterit, ſi recta cumo confeſſionem ſ... dium expendere.
Exod. 14.
Rabanus.

35 Eſdras ad hæc, *Nos præuaricati ſumus in Deum noſtrum, & duximus vxores alienigenas de populis terræ. Et nunc, (ſi eſt pœnitentia in Iſrael) ſuper hoc percutiamus fœdus cum Domino Deo noſtro, vt proijciamus vniuerſas vxores.* 1. Eſdr. 10. Preme illam clauſulam: *Si eſt pœnitentia in Iſrael, percutiamus fœdus, vt proyciamus vxores.* Nec enim vera poteſt adeſſe pœnitudo niſi priùs exitiales alienæ vxores è domo pellantur. Diabolus tibi aliena vxor eſt? Eijciatur diabolus, vt mutus loqui poſſit, *ſi eſt pœnitentia in Iſrael,* ſi gerenda delictorum digna confeſſio. Strabus, *ſi populum hunc peccati perfectè pœnitet, primùm conuerſi ad Dominum pœnitentiam promittamus. Deinde ad nos reuerſi omnem peccati radicem extirpemus, & fruticem, eiectis ſcilicet vxoribus cum omni ſobole.* Proximam particulam preme: *Cum omni ſobole.* Sunt qui pœnitudine ducti è domo diabolum pellunt fœminam eiiciunt, ſed ſobolem curant retinere. Haud veræ exhibet pœnitudinis documentum (ſpeciatim Sacerdotes admoneo) qui non ſeſe omninò exuuiis criminis expediuit. Filij, ait, ſunt. Non te ex huiuſmodi ſobolis retentione grauiter reum eſſe affirmo, ſed vicem tuam doleo, qui verè poteris inclamare: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* Pſal. 50.

Expellatur vxor aliena, ſi eſt pœnitentia digne gerenda.
Eſdr. 10.
Strab.
Non ſolum è domo fœmina exturbanda, ſed & ſoboles.

36 Chriſtus Dominus Petri ſocrum donauit valetudine, vt menſæ miniſtraret. *Surgens Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis; Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & imperauit febri, & dimiſit illam, & continuò ſurgens miniſtrabat illis.* Luc. 4. Beda fœminæ huiuſce ſanitatem peccatoris conuerſionis eſſe aſſeruit imaginem. Surgit illa vt munda à crimine Euchariſticæ menſæ miniſtraret. Quando? Poſtquam ab illa Dominus febrim ſeu diabolum expulit: *Imperauit febri, & dimiſit illam.* Nec enim diabolo apud præcordia permanente poſſet vera pœnitudine ad Euchariſticum cibum præparari.

Chriſtus è ſocru Petri prius febrem pellit, quàm menſæ illa miniſtret.
Luc. 4.
Beda.

37 Rachel olim parentis idola furata eſt, vt de idololatriâ triumphum ageret. Cùm autem

Iacob ſtudens

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

Iacob ſtuderet purificationi, ac conſcientiæ expiationi, dixit: *Abijcite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra.* Geneſ. 35. Vbi Chryſoſtomus apud Lipom. *Significans Deos Laban, quos Rachel ſubſtraxerat, dixit hoc: Auferte, ſi qua ſunt in vobis idola, vt purificemini.* Expiatio conſcientiæ, quò Rachel, & idolorum in domo retentio non benè conueniunt. Idola, ò ſponſe, minimè adoro, ſed apud me aurum, quod aliis miniſteriis poteſt deſeruire conſeruo. Pelle omninò ſi verè conſcientiæ expiationi ſtudere procuras. Profectò licet pretioſa tibi aut domus gubernationi, aut valetudinis miniſterio fœmina, quæ delictis extitit occaſio, domi non eſt retinenda. Seruituram retineo. An ſcis, ſi ex occaſione rurſum dominabitur? Polybius Hiſt. lib. 9. *Dominatur occaſio in cunctis rebus humanis.* Addidit, *Maximè verò in bellicis.* Aptiùs dixerit, *Maximè verò in amatorijs.*

conſcientiæ expiationi, curas prius è domo idola deturbari.
Gen. 35.
Chryſoſt.
Polyb.

38 Domi retinetur pellex, donec adſit decentis egreſſionis ratio. O quàm miraculosè non te rurſùm voluptatibus implicabis, ſi captiuitatis foues illectamenta! Egreſſus Lazarus è ſepulchro viuus, ſed vincula ſigna captiuitatis præferens. *Prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes inſtitis.* Ioa. 11. D. Gregorius ad illud verbum: *Lazare, veni foras,* ait: *Vt nimirum homo in peccato mortuus qui intra conſcientiam ſuam abſconſus tacet per nequitiam, à ſe ipſo foris exeat per confeſſionem.* Itaque egredi confiteri eſt. Quonammodo igitur funerea vincula cum liberatione copulantur? Expectandum opportunum tempus, vt ſine notâ infamiæ è domo pellatur. O miraculum ſtupendum te poſſe dignè confiteri & pellicem licitè retinere domi, & ſimul cum illa commorari! Ponderat huiuſmodi prodigium Auguſtinus ad Pſal. 101. Conc. 1. fatus: *Chriſtus de ſepulchro voce Lazarum ſuſcitauit. Proceſſit ille vinctus; non ergo pedibus proprijs, ſed virtute producentis fit hoc in corde pœnitentis.* O quàm illuſtre diuinæ potentiæ documentum vel paruo temporis interſtitio hominem viuere vinculis illigatum, ſeu huiuſmodi retinendi pellicem vinculum obligatione! Adnota, quàm exiguâ temporis particulâ viuit alligatus. *Soluite,* inquit, *eum, & ſinite abire.* Ibid. Ad quæ Baſilius Seleuc. orat. 42. *Ne res eiuſmodi putetur eſſe ſpectrum, iubet eum ſolui.* Liceat mihi vulgariter excogitationem expendere. *Hombre que teniendo el diablo en caſa, ſe confieſſa? Penſaran que es phantaſma.* Quam cæcus, qui ſibi perſuadet in vna ſede morari diabolum, & veram confeſſionem.

Miraculum, vel licitè pellicem apud te commorari, & nõ rurſum implicari delictis.
Ioa. 11.
Gregor.
Auguſt.
Exiguo tempore hoc durabit prodigium.
Baſil. Seleuc.

44. *Totum fertur à Domino cõfitenti peccatori.* Iſa 43. Chryſ.

Iſaias docebat, *Narra, ſi quid habes, vt iuſtificeris.* cap. 43. LXX. *Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris.* Proxima hæc particula *iuſtificeris* vberrimam Dei erga pœnitentem munificentiam innuit. Qui enim ritè confitetur vltrà nouam acceptam gratiam priſtinis meritis à Domino donatur. Aptè Chryſoſtomus ad Pſal. 135. *Dic, inquit Deus, & nihil quæro amplius confitere, & totum fero.* Totum, quod abſtuleram; totum, quod apud cæleſtem theſaurum abſcondo tibi traditur confitenti.

45. *Quaſi debitor Deus nunquã ceſſat pœnitentem donis opplere.* Iudic. 10. Theod.

Peccatores ingenuè profitentur, *Peccauimus, ſed redde tu nobis.* Iud. 10. Quid reddendum peccatoribus? Num ſupplicium? Porro beneficia cæleſtia. Quonam titulo præparari intendis? *Peccauimus.* Proh ſtulti! Imo ô prudentiſſimi! Particula illa, *Peccauimus* vox eſt pœnitentis, quemadmodum illa Dauidis: *Peccaui Domino.* Qui peccatum ingenuè profitetur Deum acquirit adeo debitorem cæleſtium munerum, vt illum excitet ad debiti ſolutionem: *Redde tu nobis.* Theodoretus quæſt. 17. *Vbi ſuas iniquitates confeſſi ſunt, beneficia eius per ſenſerunt.* Nec enim expectauit Dominus, vt e igerent, ſed illico eos muneribus cumulauit. Cur ergo proclamant adhuc, *ſed redde tu nobis?* Quia adeo Dominum confitenti munificus oſtenditur, vt poſtquam plura munera exhibuit, (quaſi ex cenſus natura) ad præſtanda maiora præparetur.

46. *Pane, id eſt, omnium bonorum abundantia replebere vera cõfeſſione præmiſſa.*

Panis omnium bonorum exprimit abundantiam, Patribus adnotantibus. Aiebat Propheta, *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es.* Mat. 2. Vbi Bernardus ſerm. 2. de Nat. Mar. *Bethleem domus panis, Iuda ſonat confeſſionem.* Confitere ergo, & Bethleem domus panis efficieris, id eſt, omni oppleberis abundantiâ. *Bethleem factus eſt dignus ſusceptione diuinâ,* (quia ex abundantiâ ditiſſimum Deo domicilium) *ſi tamen confeſſio non defuerit.* An non Dominus confitenti pane Euchariſtico donat? Quid panis ille niſi cunctorum bonorum colligatio?

47. *Chriſtus excipiens prodigum copioſus ad veniam.* Luc. 15. Gillib.

Reuerſo per confeſſionis viam prodigo Pater cæleſtis *ſtolam primam* ſiue merita demortua iam reuiuiſcentia reddi imperat: addit annulum, calceamẽnta, vitulum ſaginatum omnis collegium abundantiæ. Luc. 15. Gillibertus ſer. 2 . in Cant. *Reuolue Euangelium, vbique Ieſum inuenies copioſum ad veniam.* Veniam enim confitenti impendit omnium bonorum copia comitatam. Querulo fratri frugi reſpondet, *Gaudere oportebat quia frater tuus mortuus erat, & reuixit.* Apponitur menſa, cibaria præparantur ornatur inuitatus, ſymphonia inſonat. O Domine, non ſufficeret Prodigum recipi à parente? Profectò cum Deus pœnitentem excipit, neceſſariò quodammodo cuncta in eum congerit beneficia. *Vide* (ait Pater) *profluam Domini Ieſu gratiam.*

48. *Quam munifice cum Ezechia pœnitente Deus!* Iſa. 38.

Poſtulanti Ezechiæ vitam, ſiue myſticè veniam, Propheta ait, *Hæc dicit Dominus. Vidi lacrymas tuas. Ecce ego adijciam ſuper dies tuos quindecim annos, & de manu Regis Aſſyriorum eruam te, & Ciuitatem iſtam, & protegam eam.* Iſa. 38. Solummodo Rex vitã donari petit, ſiue primæ gratiæ reſurgere: at benigniſſimus Dominus quaſi neſcit gratiam largiri quin ſimul cuncta bona homini cumulando impendat. Cyrillus Alex. lib. 5. in Iſai. tract. 4. *Vbi ſemel Deus vitam annuit, & morbum iuſſit tollere, & de manu Regis Aſſyriorum liberari,* & annos addici, &c. Cyril.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

Observatio IX.

Ad illa verba:

Loquutus eſt mutus.

Exitialiter ille mutus erat, ſalubriter ac vitaliter loquutus eſt.

Viuit enim animus, dum lingua crimina profitetur; moritur dum obticere curat. Vnde in linguæ manibus vita, ac mors ſtatuitur.

Q VAM verè ſapiens, *Mors & vita in manibus linguæ.* Prou. 18. Mutus ille diaboli tyrannidi addicebatur: loquutus autem liberatur à Dæmone, vitâ æternâ donatur. 49.

Dum mutus Dauid crimina non profitetur, morti addictus quaſi occiſionis ouis obiicitur: profitetur crimina fatus, *Peccaui*, & ore Prophetico audiuit, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* 2. Reg. 12. Si enim mutus fueras moriturus, loquutus à morte liberalis. D. Auguſtinus hom. 41. *Tantum valent tres ſyllabæ. Tres ſyllabæ ſunt, Pec ca ui: ſed in his tribus ſyllabis flamma ſacrificij coram Domino aſcendit in cælum.* Vita in lingua. 50. *Lingua confitetur ad Dauidis vitam.* 2. Reg. 12. Auguſt.

Vidit Rex *hominem* illum *non veſtitum veſte nuptiali*, & requiſiuit, *Quomodo huc intraſti non veſtitus veſte nuptiali? At ille obmutuit.* O linguam ſagitta præcordia miſeri hominis transfodientem! *Tunc dixit Rex, ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Mat. 22. Galfridus, *Tunc dixit Rex.* Quando? An cùm illum ſine nuptiali aſpexit ſtola? An cùm eius deprehendit audaciam? An cùm verbis defendit, quod operibus deliquit? Minimè, ſed *tunc tunc videlicet, non vbi ille ſine nuptiali veſte introyt, ſed poſtquam admonitus ſiluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.* In lingua mors. 51. *Lingua obmutoſcit ad inuitati ad nuptias exitium.* Matth. 22. Galfri.

Adam peccauit, Cain deliquit. Adamo Dominus, *Adam, vbi es?* Caino autem, *Vbi eſt Abel frater tuus?* Profitetur Adam, *Mulier dedit mihi de ligno & comedi.* Abnegauit Cain, *Numquid ego cuſtos ſum fratris mei?* Gen. 3. & 4. O euentus diſſimiles! Parens viuit beneficio confeſſionis. Domino peccatori propitio: filius moritur delictum operiens. Deus terram ob Adami peccatum maledictione afficit, ipſum Cain non terram maledicit: *Maledicta terra in opere tuo. Maledictus eris ſuper terram.* Tertullianus in Marcio. *Ideo nec maledixit ipſum Adam, nec Euam, vt confeſſione releuatos. Cain verò maledixit & cupidum morte* 52. *Lingua Adamo vitalis, lethalis Caino.* Gen. 3. Gen. 4. Tertull.

luere delictum, mori iterum vetuit. Infelicius cum a morte eripiebatur peccati morte diu corripiendus, & distorquendus tartaro iniquitatis. Quam vere, *Mors, & vita in manibus linguæ.*

52. Admonet Sapiens, *Ne retineas verbum in tempore ſalutis.* Eccli.4. Tigurina, *Salutiferam occaſionem nactus, ne comprimas ſermonem.* Linguæ enim in manu vita, aut mors. Oſeas, *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis.* cap.10. LXX. *Quid reticuiſtis impietatem, & iniquitates meſſuiſtis?* Seminaſtis culpas reticere? Nouam ex ſacrilegio additam flagitiis, quæ operuiſtis, iniquitatem meſſuiſtis. Ad hæc D.Pacianus Paren. de pœnit. *Rogo ergo vos per illum Dominum, quem occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam. Peccator timebit? Peccator erubeſcet? Perpetuam vitam præſenti timore mercabitur? Et offerenti manus Domino vulnera male tecta ſubducet?* De Confeſſione ſæpe alibi.

Saluans confeſſionis vox, abnegatio exitialis eorum.

Eccli.4.
Oſe.10.
Patian.

Observatio X.

Ad illa verba:

Et cùm eieciſſet dæmonium, loquutus eſt mutus.

Mutus verba profert, vt benefactorem encomiis efferret.

Acceptis enim beneficijs laudis actio debetur.

53. Quæsiuit Toletus, quidnam mutus loquutus fuerit? & reſpondet, *Probabile eſt, fuiſſe verba laudis, & encomium illius, qui eum a tanto malo liberauerat.* Beneficij vox laudis comes adiici debet, ne ingratitudinis incuſemur.

Tolet.

54. Debboræ imperio ſtante, *humiliauit Deus in die illo Iabin Regem Chanaan coram filiis Iſrael. Qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin Regem Chanaan, donec delerent eum.* Iudi.4. Mox additur, *Cecineruntque Debbora & Barach in illo die: dicentes:* *Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculum, benedicite Domino.* Cap.5. Quid dicentes, niſi vocem laudis proferent, vt victoriæ authorem collaudarent? Carthuſianus. *Solebant viri ſancti acceptis a Deo beneficijs in laudes prorumpere.* Submergitur Pharao? Cecinit Moſes. Exod.15. Lex promulgatur? Ingeminat hymnum. Deut.32. Filij Iſrael viſo puteo, laudant. Num.21. Samuele nato Anna canit. 1.Reg.2. Trucidato Holopherne Iudith modulatur. cap.16. Dauid, Ezechias, Hebræi Adoleſcentes, Ionas, Zacharias, Simeon, beneficiis acceptis, laudis voces protulere. Chryſoſtomus ad cap.5. Iſai. *Debbora, erecto illo admirabili trophæo, partaque præter omnium opinionem victoria, præexiuit triumphale Canticum, laudem totius viri Deo adſcribens.*

Debbora ſanctique plures laudum carmine, beneficiis acceptis protulerunt.

Iudic 4.
Iudi.5.
Carthuſ.
Exo 15.
Deut. 32.
Num.21.
1.Reg 2.
Iudit.16.
Chryſ.

An non, parta victoria, trophæum erigitur arcu triumphali obiectum? Laudes tuæ locum exerant arcus, vbi Dei gloria triumphet. Id Debbora præſtitit Chryſoſtomo adnotante ad Pſal.95. *D[illegible] proſtratis in bello hoſtibus, pro maximo quoque [illegible] non erexit hymnum victorialem.* Deum en[illegible] in eam gloriam redundare qui [illegible]abit [illegible] trophæum hymnus, quo D[illegible] ipſius c[illegible]atur. 55.

Trophæum triumphi, Dei laudes poſt victoriam præferre.
Chryſoſt.

Aiebat V[illegible]b, *Nephtali ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.* Geneſ.49. Quidam apud Abulenſem aſſerunt laudari hic Barach: Tribu Nephtali, quia, inſtar emiſſi cerui ad bellum contra Siſaram proceſſiſſet, donatus victoria Deo cecinit laudes. Lyranus mauult piſcatores terræ Nephtali fluctus efferri, quibus acceptis Deus [illegible] collaudus. Myſticè interpretor ceruum emiſſum Nephtali miſerum illum hominem cæcum & mutum à dæmone illigatum. A Domino immittitur, dum à vinculis liberatur. Hic loquutus mox dat pulchritudinis verba beneficij extollens authorem. 56.

Laudatur, qui poſt illigationem à vinculis libera[tus] dat verba in liberatoris laudem.
Gen.49.
Abul.
Lyran.

Caue ne mutus rurſum a dæmone torquearis. Ezechias fuerat à Domino egregiis muneribus donatus. Promiſit Deus victoriam, exercitus Sennacherib ab Angelo occiditur. *At ægrotauit Ezechias vſque ad mortem.* 4. Reg. 20. An ex hoſtibus trucidandis ab ægritudine Regem o Domine, reſeruaſti? Ægrotauit planè, quia donatus victoriâ vocem laudis minimè protulit. Hieronymus, *Tradunt Hebræi, ideo ægrotâſſe Ezechiam, quod poſt auditam victoriam Iudæorum non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moſes Pharaone ſubmerſo.* 57.

Ægrotat Ezechias, quia poſt beneficium acceptum [illegible] cum laude effudit.
4 Reg [illegible].
Hieron.

Sectio Secunda.

Reprimit Ieſus hoſtium calumniam.

Textvs.

Vers.15. Qvidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia. 16. Et alij tentantes ſignum de cælo quærebant ab eo. 17. Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. 18. Si autem & Satanas in ſe ipſum diuiſus eſt: quomodo ſtabit Regnum eius; quia dicitis,

citis, in Beelzebub me eiicere dæmonia? 19. Si autem ego in Beelzebub eiicio
dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt. 20. Porrò ſi
in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos Regnum Dei. 21. Cùm
fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. 22. Si autem
fortior eo ſuperueniens vicerit eum vniuerſa arma eius auferet, in quibus con-
fidebat, & ſpolia eius diſtribuet. 23. Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui
non colligit mecum, diſpergit. 24. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine,
ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens dicit, Reuertar
in domum meam, vnde exiui. 25. Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis munda-
tam. 26. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & in-
greſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. 27. Fa-
ctum eſt autem, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, di-
xit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti. 28. At ille dixit,
Quin imo, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Iudæorum circa miraculum iudicia.

1. *Iudæorum judicantium temeraria improbitas.*

QVIDAM *autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe dæmoniorum eycit dæmonia.* Qui inuidiâ, & odio Ieſum proſequebantur, tanto viſo miraculo, non in ſuſpicionem, aut diſceptationem; ân eſſet Meſſias, inducti ſunt; ſed Chriſtum vi Beelzebub dæmonis cuiuſdam ſuperioris dæmonia pellere affirmarunt. *Principe dæmoniorum.* Sunt enim dæmonia ſuperiora, & inferiora, vno alterum ſuperante. Athanaſius peiores in hoc Iudæos Magis Pharaonis adnotat; nam Magi ſigna Moyſi videntes, dixerunt: Digitus Dei eſt hîc: At Phariſæi maiora Chriſti opera experti fantur. *In Beelzebub eycit dæmonia.*

2. *Quinam Beelzebub Princeps?* 4. Reg. 1.

Quinam Dæmoniorum Princeps Beelzebub? Nomen fuit idoli Acharon, quę eſt Ciuitas Paleſtinæ. 4. Reg. 1. Dicebatur Baal, ſeu Beel: at Hebræi, vt teſtatur Hieronymus Mat. 9. nomine ſpurciſſimo, illud nominabant, id eſt idolum, ſeu Deum muſcarum: *muſca enim ſpurcum eſt animal*, vt ait Hieronymus, *quæ exterminat olei ſuauitatem.* Porro Iudæi exiſtimabant dæmonia Paleſtinæ ſ[illegible]riora iis quæ in Iudæâ diuagabantur: ideo Principem dæmoniorum Beel appellabant.

3. *An quiſquam poſſit in Dæmoniorum Principe dæmonia pellere.* Orig.

Origenes Hom. 13. in Num. requirit, an quiſquam poſſit in dæmoniorum Principe dæmonia pellere? & affirmatiuè reſpondet; quia *ſicut inter homines vnus alio potentior eſt, maioribus, quæ viribus præditus poteſt ab aliquo loco alterum expellere, id etiam dæmones inter ſe valent efficere.* Porrò poteſt vnus alterum expellere, aut vi, quia potentior eſt: aut pacto aliquo, quia vt homines delinquere faciant, ac perdant, conueniunt inter ſe, vt ad imperium vnius alter abſcedat. De priori modo Iudæos ferè fuiſſe locutos, idcirco Principi dæmoniorum potentiori aliis adſcripſerunt.

4. *Taxantur*

Et alij tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo. Calumniati non ſunt miraculum, ſed quaſi id non ſufficeret, auguſtiora miracula exegerunt, nempe de cælo, aut deſcendente igne, aut conſiſtente Sole. Id autem petunt Chriſtum tentantes, eius curantes confuſionem, non fidei anſam expetentes. *petentes ſignum de cælo.* Sic Euthymius, Aptius puto Euthym. ideo tentâſſe dictos eſſe, quia eius virtutem volebant experiri, nondum certi, an id facere poſſet: ſiue ob fidem, ſiue ob curioſitatem gererent. At arguendi, & taxandi inquit Hieronymus Hieron. Mat. 12.) Quia ſic petunt noua ſigna, quaſi facta priùs ſigna non fuiſſent. Chryſoſtomus Chryſoſt. hom. 44. in Mat. *Petunt ſigna quaſi nulla facta fuiſſent.*

5. *Quodnam de cælo ſignum requirebant.* Euthym. Hieron. Beda.

De cælo. Vberius expono. Euthymius cælum interpretatur ipſos cæleſtes orbes ac ſi ſignum circa cæleſtia peterent luminaria. At Hieronymus & Beda aerem explicant, qui in Scriptura ſæpe cælum vocitatur. *Petebant de cælo* (ait ille) *ſigna, ſiue quia in morem Eliæ ignem de ſublimi venire cupiebant, vel in ſimilitudinem Samuelis tempore æſtiuo contra naturam loci mugire tonitrua, coruſcare fulgura, ruere imbres.* Vtrumque complector, quia vtraque miracula per Prophetas tam de aëre, quàm de Orbe cæleſti legerant excitata. Ioſuë enim Solem ſtare fecit, & Elias ex aëris ſuperiori regione ignem ad hoſtium ſupplicia traxerat.

§. II.

Chriſtus confundit calumniatores probans ſe diaboli vi minimè vſum ad dæmonij deturbationem.

6. *Cur dicitur ad cogitationes reſpondiſſe, ſi [illegible] prolatas*

IPſe *autem vt vidit cogitationes eorum.* Significat Euangeliſta Iudæos hoſce non tantum cogitatione, ſed & ſermone protuliſſe calumniam; verbum enim *Dixerunt*, loquelam indicat exteriorem. Cur igitur Dominus ad illorum cogitationem dicitur reſpondiſſe? Chryſoſtomus hom. 24. in Mat. aſſerit hos ſubmiſſâ inter ſe voce protuliſſe adeò, vt putarent à Chriſto exaudiri non poſſe. Huiuſmodi autem cogitationem vt vidit Dominus reſpondit. *Arcana cordium ipſorum, quæque inter eos ſecreto agitabant, proferens*

Quonam principio hæc conſequentia nitatur? Chryſ.

mine conſtat. Quonam, ais, principio nitatur hæc conſequentia: *Si in digito Dei eiicio dæmonia, peruenit in vos Regnum Dei.* Nonne ante aduentum Chriſti dæmonia ab exorciſtis eiiciebantur? Reſpondeo cum Chryſoſtomo hom. 41. in Matth. ideirco dixiſſe, quia prædictum fuit per Prophetas hæc futura aduentus Chriſti tempore, ideo rectè deduci, ſi eiiciebantur dæmonia, Regnum Dei, id eſt Chriſtum aduenisſe.

Tolet.

Non tamen Toleto quadrat ſolutio, & meritò, quia hoc ſignum Dominici aduentus expreſſè haud legimus in Prophetis. ſic ipſe: *Chriſtus dæmonia eiecit, ſicut & alia ſigna faciebat, nimirum in ſuæ prædicationis veritatem, & teſtimonium, quo ſe miſſum à Patre probabat, ſeque eſſe Meſſiam oſtendebat. Si autem id ita non eſſet, non vtique in digito Dei dæmonia expuliſſet; non enim miracula virtute diuinâ ſiunt in falſitatis teſtimonium.*

17. *Quare Spiritus ſanctus digitus appelletur?* Hieron. Ambroſ. Chryſoſt. Auguſtin.

Apud Matthæ. legitur, *ſi in Spiritu Dei eiicio dæmonia.* Lucas noſter, *ſi in digito.* Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, & alij, *Idem digitus, ac Spiritus ſanctus.* Cur autem Spiritus ſanctus Dei digitus appelletur: Reſpondet Auguſtinus lib. 2. qq. Euang. cap. 17. *Propter partitionem donorum, quæ in eo dantur, vnicuique propria ſiue hominum, ſiue Angelorum; in nullis enim membris noſtris magis apparet partitio, quàm in digitis.*

Authoris expoſitio.

Porrò ſicut Spiritum ſanctum Scriptura digitum, ſic Filium brachium appellat: Brachium Domini, cui reuelatum eſt. Iſa 53. ſicut ergo brachium à corpore, digitus autem ex brachio, & corpore: ita filius à Patre, & Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedunt. Vnde infert Hieronymus, ſicut corpus, brachium, & digitus vna ſunt ſubſtantia, ita etiam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Nec attendenda inæqualitas membrorum, quia omnes perſonæ æquales ſunt, ſed vnitas potius corporis, & ſubſtantiæ.

§. III.

Idem argumentum confirmat ſimilitudine.

18. *Cur Princeps dæmoniorum cum forti armato comparetur?* Chryſ. Auguſt.

CVM *fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet, ſi autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.* Tertio argumento calumniam refellit. In cuius expoſitione in primis requiro, cur dæmoniorum Princeps cum forti armato comparetur. Chryſoſtomus enim hom. 41. in Matth. Auguſtinus lib. 1. qq. Euang. cap 4. ex ipſoque met contextu liquet Beelzebub dæmoniorum Principem eſſe eum qui forti armato atrium ſuum cuſtodienti comparatur: Reſpondeo igitur ex Irenæo lib. 3. cap. 8. fortem dici diabolum reſpectu noſtri, quia fortior eſt nobis iuxta illud:

Iren.

Redemit Dominus Iacob, & eripuit eum de manu fortiorum eius. Iere. 31 Quænam hæc fortitudo?

Iere 31.

Auguſt.

Auguſtinus citat. Quia tenebat homines in peccato, ne ſe ab illo poſſent viribus ſuis eripere; gratiâ autem per Chriſtum facti ſumus illo fortiores, & vt à peccato liberemur, & vt tentationibus illius reſiſtamus. Porrò armatus dicitur appoſitè, habet enim arma offenſiua, quibus nocet, & quibus ſe defendit, ne à nobis lædatur. Proponit delectabilia, (vt cum Baſilio loquor) vtilia, & apparentia huius ſeculi bona, vt ad verè malum ſcilicet peccatum alliciat: aut deterrendo ſub ſpecie apparentium malorum, vt à vero bono retrahat. Teſtor diabolum Chriſto panes offerentem, & Mundi gloriam oſtentantem. Vnde Sapiens, *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Cap. 14.

Cap 14.

19. *Quænam domus fortis?* Hier. Irenæ.

Deinde inquiram, quænam ſit domus fortis, de qua Matthæus, & Marcus: Hieronymus, *Mundus iſte ſenſibilis.* Irenæus, *Homines, qui erant in apoſtaſia.* Reſpondeo domum Principis & Mundum ſenſibilem eſſe, in quo ſuis cum miniſtris verſabatur, & homines etiam, in quibus modo particulari per peccatum inhabitat.

20. *Quodnam atrium?* Tolet.

Quodnam fortis atrium: Eſt atrium locus apertus, & vacuus ante ædes ipſas expoſitus, vbi cuſtodiæ ante ipſam portam domus aſſolent apponi. *Atrium dæmonis* (vt aſſerit Toletus.) *ignorantia, & tenebræ, quibus totus fere Mundus inuoluebatur, notitia veri Dei, & eorum, quæ ad ſalutem neceſſaria erant, excluſa.* Hoc atrium conabatur diabolus cuſtodire, & conſeruare, ne cœleſtis lux intrare valeret. De tenebratum atrio dictum: *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos.* Iſa. 60.

Iſai. 60.

21. *Quænam vaſa?* Iren. Chryſ. Augu. Euthym. Druth.

Quænam dæmonis vaſa. Irenæus, *Homines.* Chryſoſtomus hom. 41. in Matth. *Dæmones inferiores, vel mali homines.* Auguſtinus lib. 1. qq. cap. 5. *Infideles.* Euthymius. *Arma.* Chriſtianus Druthm. *Homines à diabolo vexati.* Arbitror vaſa dæmonis non dici quoſcumque malos, ſed quoſdam per quos tamquam per inſtrumenta ſuum principatum conſeruabat, & promouebat: eos nimirum, qui alios decipiebant, ac falſam eius religionem tuebantur, puta Philoſophos Gentium, qui pernitioſos ſeminarunt errores: & Principes terrenos, qui idololatriam tuebantur. Vaſa hic profectò iniquitatis, queis congruit illud Geneſeos: *Simeon, & Leui vaſa iniquitatis.* Cap. 49 Quia ſcilicet multa in Sichem homicidia commiſerant aliis nocentia.

22. *Quænam ſpolia dæmonis?*

Quæ ſint dæmonis ſpolia: Quæ priùs ſub dæmonis erant poteſtate, & poſtea ſunt ab eo per Chriſtum ablata. Patres nempe in limbo olim illigati: homines mali, infideles, idololatræ conuerſi ad fidem ſpolia dæmonis: loca, Templa, Prouinciæ, in quibus diabolus colebatur, ab eo iam erepta vocantur ſpolia.

23. *Vis argumenti exeritur.*

Iam locum expendo, vim exerens argumenti, quo oſtendit Dominus, ſe non in Beelzebub, ſed in digito, ac virtute Dei dæmonia pellere: Ego Beelzebub alligo, eius arma, in quibus confidebat, aufero, ſpolia diſtribuo: Ergo ego fortior ſum. Probat hanc conſequentiam ſimilitudine, Quia cùm fortis armatus cuſtodit atrium, defendit, conſeruatque quæ habet. At ſi fortior eum inuadit, & vicit, eius arma auſert, ſpolia diſtribuit: nec ea efficeret, niſi eo fortior eſſet. Igitur in virtute, ac in digito Dei eiicio dæmonia, non humanâ, quæ inferior eſt virtute dæmonis: nec in eius virtute, quia ipſe vincitur, ligatur, & ſpoliatur; vnde conſequitur Meſſiæ Regnum aduentaſſe. Fortior Diabolo Chriſtus, qui inuadens eum, & vincens abſtulit arma; Agnus enim eſt, qui abſtulit peccata Mundi, in quibus dæmon confidebat, ſe victoriam conſe-

qui

qui contra hominem : ſpolia eius diſtribuit, magnam enim hominum partem, quæ illius vincta tenebatur imperio, liberauit, eos qui in limbo detinebantur educendo, & plurimos, qui in terrâ illius partem ſequebantur, ad ſe conuertendo, & variis gratiæ, ac Spiritus ſancti donis amplendo munificè, ſequutus Toletum, Maldonatum, Barradium, Cornelium, Ianſenium, & alios ſic locum expoſui.

Tolet. Maldon. & alij.

§. IV.

Quartum argumentum, quo confutat calumniatores.

23. *Quartum argumentum idem probans intentum.* Chryſ.

CHryſoſtomus hom. 42. in Matth. exiſtimat hanc ſententiam: *Qui non eſt mecum, contra me eſt; qui non colligit mecum, diſpergit*, quartum eſſe argumentum, quo Dominus vſus contra calumniatores. Quid ego quæro, aut quid volo, Dominus inquit? Vniuerſos ad Deum reducere, vera ipſis virtutum tradere documenta, Regnum cœlorum cunctis annunciare. Quid autem dæmones quærunt? Quippe, quæ eis oppoſita ſunt. Quomodo igitur qui mecum non colligit, neque mecum omnino eſt, ſuâ me operatione iuuat? Cur non iouaie ipſum dixi ſolum, qui etiam ſpargere, atque diſſipare mea deſiderat? Quoniam qui non iungit ſolum, ſed etiam cuncta mea diſpergit, quomodo mihi adeo aſſentiret, vt mecum vellet dæmonia eiicere? Conteſtatur Hieronymus. His hæreo ſic argumenti vim expediens: Quorum opera ſunt contraria, non ſunt concordes: at opera mea, & opera Beelzebub contraria ſunt valde: ergo non poteſt eſſe mihi cum illo concordia. Qui non eſt mecum, ſeu qui meis operibus diſſentit, & aduerſatur, contra me eſt, nec vllam mecum habet concordiam. At Princeps dæmoniorum cum ſuis meis operibus aduerſatur; quomodo ergo poſſum cum illo concordia colligari?

Hieron.
24. *Authoris expoſitio.*

§. V.

Parabola Chriſtus poſt argumenta Iudæos vulnerat.

25. *Punire Iudæos Dominus prædicit.*

CVm immundus ſpiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, vndè exiui.* Poſt argumenta expoſita, calumniatorum, reliquorúmque infidelium punitionem prædicit. Cùm ego dæmonia a vobis expellam ingratis adeò, vt me in virtute Beelzebub pellere calumniemini, prædico vobis euenturum, vt à dæmonibus pluribus agitemini peioribus quàm ante: nec erit qui vos ab eorum tyrannide eripiat. Huius argumenti prius ponit exemplum hominis à dæmonio vexari, qui cùm ab eo eſſet liberatus, nec diligentiam vllam adhibuerit; ſed otio vacauerit, peios eſt à dæmonio vexatus, quàm ante. Lucas prætermiſit applicationem, Matthæo adnotante.

26. *Quid loca arida?*

Per loca inaquoſa. Matthæus, *arida.* Quænam illa? Hieronymus, *Gentium populos.* Gregorius lib. 33. Mor. cap. 3. *Corda iuſtorum, quæ per diſciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiſcentiæ humore ſiccantur.* Spiritualia] hæc. Accedens ad literam Origenes hom. 9. in Leu. Infeſtum ipſum, in quod dæmonium ab homine eiectum detruditur, loca arida interpretatur. Aptiò puto loca inaquoſa eſſe loca ſolitaria, & deſerta, à communione hominum abſtracta. Hieronymus, *ſolitudines*, ad quas ſolent ij, qui virtute diuinâ dæmonia expellunt, ea abigere, vt neque hominibus, nec eorum rebus nocere valeant. Angelus dæmonium in Ægypti deſerto illigauit. Tob. 8. In his locis dæmon requiem non inuenit, quia deſiderium eius hominibus nocere: vbi autem non inuenit, cui noceat, requiem non habet: non quòd dæmonia vera requie fruantur, ſed requies eorum eſt maioris faſtidij, & tormenti priuatio: ſicut inuidos in proximi incommodo requiem habere dicitur, quando bono illius non grauius diſtorquetur. Cum igitur requiem non habeat, vbi non nocet, premátúrq; vehementi nocendi appetitu, tentat reuerti ad hominem quem prius diuexabat: *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Non quod liberum ſit illi reuerti, ſed quòd tentat, & conatur, & Domino permittente id præſtat. Cur non tentat in aliam diuertere domum? Quia expertus eſt iam, ſe in eum præualuiſſe: & ſperat denuo poſſe, quod priùs iam potuerat. Contemplare *ſtudium dæmonis* (cum Toleto loquor) *ad nocendum hominibus, & quantùm ſibi promittat in eos, quos ſemel ſubiecit.*

Gregor. Hieron. Orig.

Tob.

Tolet.

Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam. Venit dæmon ad hominem illum, à quo eiectus erat, ac non ſtatim ingredi audet, ſed ſtatum eius conſiderat, inuenit autem eum quaſi domum ſcopis mundatam, id eſt, præparatam ſuæ habitationi, nempe virtutibus, ac donis Spiritus ſancti carentem, vitiiſque incumbentem abſque vllâ vitæ emendatione. *Nota* (inquit Toletus) *non prius dæmonium tentare ingredi in hominem, niſi negligentem, ac vitiis incumbentem viderit. Hæc ſunt, quæ præparant diabolo ingreſſum, & ipſum animoſum faciunt ad introeundum.*

27. *In negligentem dæmon intrat.*

Tolet.

Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Præmitto tripliciter aliquem poſſe à dæmone poſſideri. Primò, ſpiritualiter ob crimen lethale. Secundò, corporaliter tantùm, vt in energumenis, ſeu exercitatis; queis vexatio data in exercitium, aut probationem: quia (vt adnotat Auguſtinus lib. 21. ciu. cap. 14.) non ſemper qui à dæmoniis vexantur in peccato ſunt, ſi nonnulli baptizati infantes huiuſmodi ſubiere vexationem. Tertiò, corporaliter & ſpiritualiter ſimul, quando homo in peccato eſt, & propter ipſum corporaliter dæmoni traditus. Fornicarium Paulus tradidit ſatanæ corporaliter vexandum, vt ſpiritus ſaluus fieret. 1. Cor. 5. Præmitto deinde cum Orige. hom. 8. in Exod. dæmones mutuò ſe iuuare ad nocendum hominibus: imo pluribus dæmoniis ſimul hominé poſſideri Lucas teſtatur, aſſerens à Maria ſeptem dæmonia eiecta, & legimus, à quodam integram legionem expulſam. Denique adnoto huius hominis grauiorem fuiſſe culpam, quam erat priùs, cùm poſt liberationis beneficiũ adhuc crimini incubuerit.

28. *Tria ad loci expoſitionem præmiſſa.*

1. Cor. 5.

Quibus præmiſſis ſententiam expono conclusionem parabolæ. Videns dæmonium priùs eiectum

29. *Locus expenditur.*

eiectum diſpoſitionem hominis, à quo fuerat pulſus prauam, accommodatamque ſibi, alia dæmonia ſeptem ſe nequiora ſecum inuitat, vt ſecum in illum hominem ingrediantur: ne ita facilè rurſum eiiciatur, ſicut priùs fuerat eiectum. Quæ dæmonia ad nocendum paratiſſima conſentiunt, veniúntque cum illo, &, Deo permittente, in hominem ſimul ingrediuntur. Vnde fit, vt multò peius ſe habeat miſer ille, quàm priùs ante liberationem ſe habebat. Nam qui ab vno dæmonio poſſidebatur, & torquebatur, nunc ab octo, iiſque ſeptem nequioribus poſſidetur, & diſtorquetur. Profectò dæmonia ideo nequiora dicuntur, non ſolùm quia ſceleratiora, ſed etiam quia fortiora, & promptiora erant ad nocendum, ad torquendum, ac ad peccata prouocandum; vt homo ille grauius nocumentum & animo, & corpore pateretur.

§. VI.

De fœmina vterum, ac vbera Deiparæ commendante.

30. *Mulier laudans.*

FActum eſt autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: De mediâ plebe in Phariſæorum calumniantium damnationem ſimplex fœmina commendatrix exſurgit. Hæc enim clarâ voce non erubuit, ac timuit inter primores Iudæorum verba proferre, & Christum extollere, & quem dæmoniacum illi prædicabant, hæc non ſolùm beatum, ſed & vterum quo fuerat deportatus, vberaque quæ ſuxerat, beata profiteri. At Dominus. *Quin imo, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

Auguſtinus aſſerit non vnius mulieris, ſed multorum vocem extitiſſe. *Cum Dominus* (ait tract. 10. in Ioan.) *in turba admirabilis videretur, faciens ſigna, & prodigia, & oſtendens, quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt, Fœlix venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.* 31. *An vnius fuerit laudatoria ſententia* August.

An Dominus hiſce verbis, *Quin imo, &c.* negarit Matrem ſuam beatam ex qua parte eum genuit, & lactauit? Aſſero non eſſe verba negatiua, ſed comparatiua. Beata quidem Mater mea eſt. Sed ſi hoc tantùm conſideratur, quod Mater eſt, maior eſt beatitudo, & beatiores ſunt, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. *Qui audiunt verbum.* Auguſtinus, id eſt, ipſum Dei Filium, de quo dictum, Et Verbum caro factum eſt. Violentam reputo expoſitionem; nam de Chriſti doctrinâ ſermonem eſſe minime dubitarim. Denique illi dicuntur audite, qui credunt: illi autem cuſtodiunt, qui quod credunt, opere complent. Plura tom. 4. de ſanct. in Dedic. ad Niues. 32. *Quid aſſeruerit Dominus?* Auguſt.

IN IESVM SENSVVM REFORMATOREM.

PANEGYRICVS SECVNDVS MORALIS CIRCA LITERAM.

EX CALVMNIATORVM IVDICII REPRESSIONE.

Observatio I.

Ad illa verba.

Omne Regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.

Edocet Dominus, ex ciuium diſcordia Regna, ac domos corruere, omninóque deperire.

Aſſolet enim fidelium charitas, ciuiúmque pax mœnia eſſe Reſpublicæ.

33. VT probet Dominus ſe in virtute dæmonis dæmonem minimè pepuliſſe, aſſerit omne Regnum in ſe ipſum diuiſum neceſſariò corruere. Muro cingente Ciuitas ſpoliatur: Corruat neceſſe eſt. Profectò ciuium concordia murus eſt vrbi appoſitus, cuius expugnatione vrbem neceſſum corruere, & deleri.

Antiſtenes (authore Laertio lib. 6. c. 1.) *fratrum inter ſe concordiam dixit quouis muro firmius munimentum. Id dictum, ait, & ad ciuium concordiam accommodari poteſt.* Iſæus ſophiſta *Lacedæmonÿ cùm periclitarentur,* (ait Philoſtratus in ſophiſ.) *ac de Ciuitate mœnibus cingenda conſultarent, Homericum carmen recitauit.* 34. *Concordia Ciuium vrbis mœnia, ſine quibus corruet.* Laert. Philoſt.

Scutum haſit ſcuto, galea galea, atque viro vir. Et adiecit, ſic mihi ſtate Lacedæmonÿ, & muris cincti ſumus. Bellè Plutarchus in Lac. apoph. *Ageſilaus à quodam percontatus, quam ob cauſam Spartha mœnibus non cingeretur? oſtendit ciues vnanimes. Hi, inquit, ſunt Sparthæ Ciuitatis mœnia, ſignificans Reſpublicas nullo munimento tutiores eſſe, quàm virtute ciuium conſentientium.* Plutar.

Salomon appoſitè, *Frater, qui adiuuatur à fratre quaſi Ciuitas firma.* Prou. 18. Hoc enim cincta muro nunquam non verticem attollet auguſtum. *Filÿ Salma corona domus Ioab, & dimidium requietionis Sarai.* 1. Patal. 2. Et cur Salma filÿ domus Ioab coronæ vocitatur? Hieronymus 35. *Fratres duo concordes domus paternæ murus.* Prou. 18. 1. Par. 2.

pro *corona muri* apponendum duxit. Vndenã ergo Bethleh, & Nethophati muri domus Ioab? Credo, quia concordiâ illigarentur. *Propter ſocietatem* (ait Pater) *quâ mutuo in prælios vtebantur, corona, ſeu muri dicuntur. Frater enim, qui adiuuatur a fratre quaſi ciuitas firma.*

36\. *Apoſtoli vituli, aut agni ſeſe vt muri cuſtodiunt à Leonis incurſu, dum concordia illigantur.* Ioa. 15. Theodor.

Immiſſurus Dominus Diſcipulos *ſicut oues in medio luporum*, eos circundari priùs muro curauit, ſiue ipſos gerere murum diſpoſuit. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ioan. 15. Oues cùm ſitis, proculdubio a lupo diripiemini, ſi muro non cuſtodiamini. Concordia veſtra murus eſt. Theodoretus a Maldonato citatus, *ſi vultis Mundo reſiſtere; qui odio vos habiturus eſt, hæc mando vobis, vt mutuam habeatis charitatem.* Mundus, lupus, leo, vos oues, agnos, vitulos habiturus eſt. Si frater non recedat à fratre quaſi muro cuſtodiemini. Etenim vel vituli, aut agni minimè à concordia abſtracti muri exerunt locum. Liceat fabellâ à Ioachimo Camer. lib. Fab. expreſſa mentem expendere. *Paſcebantur,* inquit, *vna tres boues opimi in maximâ concordiâ, itaque facilè ab omni incurſione ferarum tuti erant: ac ne leones quidem aggredi illos audebant. Tandem diſſidio inter illos nato, & ſolutâ amicitiâ, ſinguli validioribus beſtiis direptioni, & prædæ fuere.* Adiicit Author, *Fabula docet tantum ineſſe mali in diſſenſione, quantum boni in concordiâ reperiatur.* O vituli duodecim mare æneum humeris comportantes: ſimul agni inermes, oues lupo expoſitæ! veſtra concordiâ diabolo leoni rapaci murus eſt, paſcamini vnà, facilè ab omni incurſione ferarum tuti eritis.

Camer.

37\. *Diuiſus ab Abram vitulo vitulus Loth direptus fuit à lupo Regibus: qui cum vnà paſcerentur, vitus commorabatur* Gen. 13. Gen. 14.

Abramus & Lothus vnà velut vituli, paſcebantur, domo eadem vnanimiter commorantes, manſuetiſſimi quidem naturam ouilem imitati. Diuiſus eſt Loth ab Abraham, nam *elegit ſibi Loth regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente, diuiſique ſunt alterutrum à fratre ſuo.* Gen. 13. Quid plura? Quatuor *Reges tulerunt omnem ſubſtantiam Sodomorum, & Gomorrhæorum: nec non & Loth, & ſubſtantiam eius filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.* c. 14. Ponderanda particula proxima: *Qui habitabat in Sodomis*, ſcilicet à fratris domo abſtractus, vbi cùm *vna* paſcerentur, à nullo hoſtium incurſu diſturbantur: cùm autem paſtores ad diuerſa gramina deferuntur, vitulus perit. Chryſoſtomus pulchre. *Quantò melius erat, cum Patriarcha viuere, & omnia ferre, vt nec concordia ſolueretur: quam ſeparatum in tanta repentè pericula incidere.* Omnia ſufferenda, vt concordiæ murus ſtabilis perſeueret, nec excidente ipſo domus ſupra domum cadat.

Chryſoſt.

Observatio II.

Ad illa verba:

Omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.

Diuiſionem Regni eiuſdem deſolatio ſequitur.

Excidium enim fatale ibi, vbi animorum diuiſio reperitur.

38\. Particula, *In ſeipſum diuiſum*, ponderanda. Ipſum planè Regnum diſſidens à ſe corruit, & domus à ſe abſtracta ſupra ſe excidere cogitur. Id hominibus, quos vnicam eſſentiam charitas effecit, ſolet accidere. In ſe ipſam diuiſa vnanimitate, eius imperium deſolabitur. Excidium etenim fatale inibi graſſatur, vbi animorum diuiſio reperitur.

39\. *Ruben Tribus in ſeipſâ Diuiſa de deſolatione expoſita.* Iud. 5. Abul.

Olim *Duces Iſſachar fuere cum Debora; diuiſo contra ſe Ruben magnanimorum reperta eſt contentio.* Iud. 5. Vbi Lyranus, *Erant enim in illâ Tribu diſſenſiones inteſtinæ.* Illam particulam preme: *Diuiſo contra ſe Ruben.* Id eſt, *Ruben in ſe ipſum diuiſo*, Tribus pereundi periculo expoſita, tam obnoxia deſolationi. Abulenſis ex Hebræo legit, *In partibus Ruben magni inquiſitores corde, id eſt, viri nimis inquirentes iurgia, quia erant duri corde.* Cor vnum, & anima vna in ſe ipſam diuiſa eſt? proculdubio interitui ſubiacebunt. Vbi enim diuiſio, inibi neceſſum reperiri excidium.

40\. *Illico poſt diuiſionem cordis, corruet exædificatio.* Oſe. 10. Hieron.

Oſeas profatur, *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Cap. 10. τὸ *Nunc* expende: Nunc, illicò poſt diuiſionem cordis ciues miſeri corruent, domus ſupra domum excidet. Hieronymus exponit, *Cor eorum, id eſt, Regis, & populi* (vno populi in ſe ipſum) *diuiſum eſt, & nulla excuſatione remanente, nunc interibunt, & tradentur æternæ captiuitati, ſtatim enim vt populus diſſerſit à Rege, venit interitus.*

41\. *Si vir irruit in virum, ſi in ſe ipſum populus diuidatur, diſſoluitur: vix ſtare poterat vno ac coniuge diſſidente.* Iſai. 3. Ioſeph. Plutarch.

Conteſtatur Iſaias, *Irruet populus vir ad virum, & vnuſquiſque ad proximum ſuum.* Cap. 3. Tradit Ioſephus, cum Iudæi à Romanis expugnarentur, fuiſſe Ieroſolymam in tres partes diuiſam, & tunc captam, cum diuiſam aſſeritur. *Leo Byzantius ſophiſta venit Athenas*: (loquor cum Plutarcho in præc. polit.) *populo diſſidiis tumultuanti concordiam ſuaſurus. Vbi prodijt in ſuggeſtum corpore admodum puſillo, omnium riſus obortus eſt. Ille fortuitam occaſionem vertens in procemium: Quid, inquit, ô viri Athenienſes, ſi conſpiceretis vxorem meam? quæ tam puſilla eſt, vt vix pertingat ad genua mea. Ad hanc vocem cùm maior etiam populi riſus ſublatus eſſet, ſubiecit: At nos tam puſillos ſi quando diſſidemus, vix ciuitas Byzantinorum ſtare poteſt* an ex vnius coniugij diſſidio totæ ruina ciuitati? Ita planè.

42\. *Diſſidio vrbs via ſtare poteſt*

Core, Datham, & Ahiron ab vniuerſo pene innumerabili populo diſſidentes diuiſi ſunt. Et

aperiens

aperiens terra os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſâ ſubſtantiâ eorum. Deſcenderúntque viui in infernum opertis humo, & perierunt de medio multitudinis. At verò omnis Iſrael, qui ſtabat per gyrum fugit à clamore pereuntium, dicens, Ne fortè & nos terra deglutiat. Sed & ignis egreſſus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum. Num. 16. Mirabaris ex duorum diſſidio Ciuitatem vnam vix dandam deſolationi? En trium diſſidentium iniquitate vix vniuerſum Iſraëlis populum interitui addicendum: *Omnis Iſrael, qui ſtabat per gyrum, fugit, dicens, Ne fortè, & nos terra degluttiat.* Sacrilegis Niniuitis minitatus fuerat Dominus, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Ion.3. Optatus Mileui. lib.1. comparans Schiſma Core, Datham, & Abiron cum Niniuitarum ſacrilegio, ait: *Quod in ſacrilegos non fecerat Deus, in Schiſmaticos fecit.* Quomodo fecit, ſi dixerat, Ciuitatem Niniuem eſſe delendam, Iſraëliticus autem populus, pereuntibus ſeditionis authoribus, non periit? Profectò qui vix poſt trium diſſidium ſtetit, ideo periiſſe Doctor affirmauit.

Ion.3.
Optatus.

Observatio III.

Ad illa verba:

Ieſus autem vt vidit cogitationes eorum dixit: Omne Regnum, &c.

Reſpondet Dominus potiùs ad cogitationem calumniatorum, quàm ad verba.

Quia in prauis, aut rectis geſtis intentio, & affectus præcipuè à Domino aſpectatur.

43. Diximus Phariſæos, & cogitatione, & opere deliquiſſe, námque cogitabant iniquè, impudenter inuicem murmurantes proferebant. Cur autem Dominus non ad verba iniqua, ſed ad prauum reſpondit affectum? Syriaca lectio, *Ieſus qui ſciebat cogitationes eorum.* Opus fuit planè ad cogitationes recurrere calumniatorum; quia non planè cognoſcitur, penditúrque flagitium, niſi priùs dignoſcatur delinquentis affectus. Sæpe enim verba ex optimo affectu procedentia ſpeciem præferunt iniuſtitiæ, quæ à Domino vidente cogitationes commendantur. Secus taxantur opera, aut verba ſpeciem virtutis proferentia, quia ex iniqua intentione viſa à Domino exoriri.

44. Maria Magdalena caput Domini inunxit morituri. *Videntes autem Diſcipuli, indignati ſunt dicentes: Vt quid perditio hæc? Potuit enim iſtud venundari multo & dari pauperibus.* Matth.26. Porrò Ioannes, *Dixit vnus ex Diſcipulis eius Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum, non venijt treecentis denarijs, & datum eſt egenis? Dixit* (addit Euangeliſta) *autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat,* &c. cap.12. Cur ergo cunctis Diſcipulis conclamantibus, ſolus Iudas criminis arguitur? An quia Iudas dux criminationis aliorum extiterit? Alibi id aſſeram. In præſenti autem exiſtimo excuſatis Diſcipulis reliquis Iudam ſolummodo condemnari, quòd illi bono animo ex pauperum amore; hic verò ex furandi ſtudio factum criminaretur. Vnde Euangeliſta cogitationi magis, quàm verbis reſpondere videtur. Paſchaſius, *Apoſtoli verè neſcientes adhuc ſacramenta Dei, propter pauperes indignati ſunt, Iudas autem ſolummodò propter lucra. Vnde muſitatio eius ab Euangeliſta cum crimine ponitur, quòd non curam pauperum habuerit: ſed quia fur erat, & latro.*

Solum Iudas taxabiliter aſſeritur in Magdalenam loquutus, quia ſolus praua intentione loquutus eſt.

Eſcob.& Mend.in Euang.de Temp.T.I.

Matth.27. *Ioa.17.* *Paſch.*

45. Acceptâ filij promiſſione à Deo, Abraham riſit. *Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit in corde ſuo dicens: Putas-ne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Gen.17. Porrò cum Angeli rurſum profarentur. *Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara riſit poſt oſtium tabernaculi. Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare riſit Sara vxor tua dicens: Num verè paritura ſum anus?* Gen.18. Quare ridentem Saram, & non ridentem Abrahamum Dominus reprehendit? Profectò quemadmodum ad intentionem Phariſæorum calumniantium Chriſtus, non ad verba reſpondet, tunc Dominus non ad ſenſibilem ſonitum riſus, ſed ad intentionem, ſeu affectum reſpondebat. Nam Abrahamus fideliter, Sara autem dubitans riſum excitauit. Auguſtinus quæſt. 36. in Geneſ. *Quæritur, quare iſtam redarguit Dominus, cùm & Abraham riſerit: niſi quia illius riſus admirationis, & lætitiæ fuit; Sara autem dubitationis? Et ab illo diiudicari potuit, qui corda hominum nouit.*

Deus reſpondit ad mentem Abrahæ, & Saræ, non ad riſum externum.
Gen.17.
Gen.18.
Auguſt.

46. Apud Lacedæmonios (Athenæo authore) ex præſcripto Lycurgi ſolummodo exigui pretij munera poterant ſacrificio addici. Quare? Ne hominis in Deum obſequium ex victimæ præſtantiâ, ſed ex intentione, & animo ponderaretur. An non videtur è ſacris deſumpſiſſe? *Hæc ſunt,* (Dominus ait) *quæ accipere debetis, aurum & argentum, &, hyacyntum & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, & pelles arietum.* Exod. 25. Quonammodo aurum, & argentum cum pilis, id eſt, auguſtiſſima munera cum minutiſſimis copulantur? Profectò vt oſtendatur, Dominum acceptaturum non aurum, & purpuram, ſi iniquâ intentione offerantur: ſed caprarum pilos viliſſimos, ſi recto ſtudio præſententur. Nazianzenus Orat. ad Iulian. *Illud pulcherrimum, humaniſſimúmque cenſendum eſt, quod Deus munificentiam non oblata rei pretio, & dignitate, ſed offerentis affectu metitur.* Semper enim Deus non externæ operæ, ſed intentioni reſpondet: *Vt vidit cogitationes eorum, dixit.*

Aſpicit affectum, nō munera.
Athen.
Exod.25.
Nazian.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Cùm immundus ſpiritus exierit, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inuenit.

Corda fidelium explorat diabolus, ſi greſsûs figendi locum inueniat.

At viri prudentes nullam paruulæ imperfectiones dæmoni rimulam relinquunt, quâ poſſit intrare.

47. *De peccatis venialibus fugiendis.* Raban. Bernard. *Sic fugiam minora vitia vt maiora.*

MYSTICE Rabanus, *Corda fidelium à mollicie fluxa cogitationis expugnata callidus inſidiator explorat, ſi quos greſſus ibi figere poſſit.* Quàm prudenter ſancti ſic obturare aditum curant, vt nec per leuem tranſgreſſionem, rimula pateat ingreſſuro! Bernardus tract. de ord. vitæ, *Mens Deo dicata ſic caueat minora vitia vt maiora; quia à minimis incipiunt, qui in maxima corruunt.* O mens inaquoſa, vbi dæmon haud poteſt requiem reperire. *Qui in maxima corruunt*, incipiunt à minimis. Vnde idem eſt quodammodo minora peccata committere, ac maiora crimina perpetrare. Quare rimam inuenire ad ingreſſionem idem eſt ac re-

48. quiem inuenire, quod eſt grauis delicti conſummatio.

Si nulla adſit humectatio aut ſtilla non erit diabolo ingrediendi locus. Iſai 11. Bernard.

De aridis hiſce locis Iſaias fatur, *Et replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Cap. 11. ſi locus omnis ſiccitate donatus, ſi nullam iniquitatis admittat ſtillam, non aderit locus dæmonis ingreſſioni. Pulchre Bernardus ſerm. 54. in Cant. *Qui ſic timet, nihil negligit. Vnde namque negligentia intret in plenitudinem? Alioquin quod capere adhuc aliquid poteſt, plenum non eſt.*

49. *Qualis erat Iſrael, quam mutatus populus, quia ſtillâ aqua admiſſa, totus periturus ſiccitate.* Iſai. 16.

De electo populo ſanctiſſimo Dominus, *Et veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hiacinthino, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & ornaui te ornamento: & decora facta es vehementer, & creuiſti in Regnum.* Sed paulo poſt oſtendit Populi caſum ab illo ſtatu feliciſſimo, *Fornicata es in nomine tuo, & expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti, vt eius fieres.* Iſai 16. O Populi miſeriam!

Chryſoſt.

Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo! Et vndenam tam ſubita mutatio, ſi nemo repentè fit ſummus? Chryſoſtomus hom. 87. tom. 7. *Nemo repentè ad extremam improbitatem inſiliit.*

Oſe. 4. *Venialia ad lethalia diſpoſuerunt.*

Rimulam diabolo requiem quærenti exhibuere leuis maculæ rei: vndè quodammodo idem fuit, ac grauiſſimis delictis illigari. Audi Oſeam. *Audite, ait, verbum Domini filij Iſrael, quia iudicium Domini cum habitatoribus terræ. Maledictum, & mendacium, & homicidium & furtum inundauerunt.* Cap. 4. Siccitate fruens Iſrael nullam aquæ ſtillam admittebat, vnde requiem diabolo offerret. ſed cum leuia delicta admiſiſſet, nempe *maledictum & mendacium* veniale, quodammodo ſimul homicidij & furti diluuium inundauit, tota facta aquoſa, vt diabolo requiem ſtabiliret.

50. *Totus populus madefactus aqua iniquitatis madnit, quia ſtillam admiſit.* Oſe 5. Gregor.

Alibi Vates, *Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum: ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.* Cap. 5. Rimula ingreſſuro diabolo datur, dum in morem eorum, qui contra ius alienos terminos transferunt, vt paruulam terræ alienæ propriæ hæreditati addicant portionem: totus electus populus olim inaquoſus, fit aqueâ plenus iniquitate: *ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.* Tunc enim ſingulariter irâ Deus ſuccenditur, cùm permittit nos graui crimine inquinari. Quis crederet ex paruis commiſſis paulatim animum depravandum? Gregorius 3. p. Paſtor. Admon. 34. *Qui enim minima peccata deuitare negligit, à ſtatu iuſtitiæ partibus totus cadit.*

51. *Dauid totus aquoſus effectus, quia ſtillam admiſit, iam exiguam vndam bibere non vult, ne ſiccitate ſpoliari privetur.* Chryſ.

Inaquoſus Dauid aquæ ex fœminâ lauante aſpectatâ iniquam admiſit ſtillam. Nec enim repentè adulterium & homicidium inundauerunt. Diabolus ad locum inaquoſum accedens quærens requiem inuenit ex rimulâ, totuſque aquoſus efficitur qui aridus omnino Domino præparauerat habitaculum. Fit ex pœnitudine rurſum inaquoſus. Cùm autem hauriendi aquam Bethleemeticæ ciſternæ deſiderio flagraſſet, adlatam à Ducibus fortiſſimis *noluit bibere.* 2. Reg. 23. Vbi Chryſoſtomus, *Vides, quomodo caſtigatus de priori concupiſcentiâ poſtmodum cautior eſt factus, & qui corpus adamauerat, & ruerat, aquam deſideratam, & ſitiens bibere noluit victor ſui factus. Timuit latentes inſidias, horruit appetitum etiam habitu, & ſpecie vera neceſſitatis, ne incurreret in deceptionem.* Totus aridus perſeuerat, ne ſtila vltra neceſſitatem è ſiti diffuſa rimulam ambulanti per loca arida diabolo offerret, quâ ad præcordia ingreſſus totum aquoſum redderet hominem.

52. *Iuſtus non dat introitum aquæ iniquitatis, nec ſtillæ eiuſdem permittit, vt inaquoſus perſeueret.* Eccli 25. Del-Rio.

Monebat Eccleſiaſt. *Ne des aquæ tuæ exitum.* Cap. 25. Dixerim. *Ne des aquæ iniquæ ingreſſum.* Nam aperta rimulâ, qua guttula animum fertur ad ſiccum, bibis miſer ſicut aquam iniquitatem. Del-Rio noſter, *Monemur, nequitiæ omnes rimas obſtruere, ſicut aquæ nulla rima permittenda.* Tota incolumitas nauis apud pelagus, nullam rimulam peruadentibus vndis exhibere, ſit inaquoſa, ſicca, deſpiciet fluctus: aquæ ingreſſuræ oſtiolum aperiat, profundo recludetur abyſſi. Sæpe alibi ſermo recurrit.

Obser.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.

Mulier laudans Phariſæos confundit, Chriſto ex fœminâ Matre commendato.

Vt per infirma fortia quæque confundere Dominus oſtendatur.

53\. CONTRA Phariſæos calumniatores Deus non Angelos armat, non Philiſtinorum, (vt olim) & Romanorum (vt poſtea) exercitum ducit; ſed inermem fœminam aſſumit laudatricem alterius fœminæ, nempe Deiparæ vterum, & vbera commendantem. Quàm adſtatum Deo per infirma fortia quæque confundere?

54\. *Dum colo & fuſo fœmina triumphat; conſtat Deū pugnare. Prou. 31.*

Conſtat profectò Dei eſſe victoriam, cùm infirmo milite fortiſſimi hoſtis potentia frangitur. De forti Muliere Dominus, *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.* Prou. 31. Quid cum manu quæ ex colo fila ducit, vt fuſo innectantur, horribile bellum? An ad fortia debellanda aſſumetur fœmina nens? Certè Deus vt fortia confundat mulierculæ imbellis vtitur miniſterio. Aliter legitur, *Digiti eius apprehenderunt fuſum, & manus eius ſuſtentauerunt colum.* Vt manus ipſa colum ſuſtentans, quaſi haſtam aduerſùs fortia quæque teneat. Strabus, *Manum tam miſit ad fortia, opera ſcilicet perfecta, quæ exercet Eccleſia.* Certiſſimum ſane documentum eſt, Deum in fœmina infirmâ pugnare, dum colo & fuſo victoria perficitur. Eccleſia pugnat Deo duce. *Strab.*

55\. *Siſara ligneo clauo à fœmina vulneratus à Domino plane victus oſtenditur, Iudi. 4. Saluia.*

Aduersùs Siſaram olim, ſi non fuſo, ligneo clauo interemit, (vt exponunt Origenes & Auguſtinus) fœmina inermis. *Tulit itaque Iahel clauum Tabernaculi, aſſumens pariter & malleum*, admouénſque tempori Siſaræ dormientis mallei impetu addito terræ affixit Iudi. 4. Saluianus ponderat Dominum pugnauiſſe, quando tam debili milite tanta exeritur victoria. *Quando euidenter* (ait de Gubern. cap. 7.) *intelligi Deus voluit, magna opera à ſe patrari, aut per paucos, aut per infirmos acta res eſt, ne opus cæleſtis dexteræ virtuti aſſignaretur humanæ. Ideo quidem Dux Siſara, quem Hebræus timebat exercitus, à muliere proſtratus eſt.* Cum videris caput Ducis clauo ligneo vulneratum à fœminâ Deum pugnatorem recognoſce: Cùm autem contempleris Phariſæorum iudicia fœminæ voce vulnerata, Dominum exercituum pugnam inſtituiſſe crede.

56\. *Cum muliere pugnante fortes viri vincuntur, Deum ipſum exercitū duxiſſe conſtat. Pſal. 82.*

Cecinit Dauid huiuſmodi trophæa Dei potentiam mirificè explicantia. *Fac illis ſicut Madiam & Siſara, ſicut Iabin in torrente Ciſſon.* Pſal. 82. Precatur Dauid hoſtes Domini potentiſſimâ dexterâ ſuperari glorioſiſſimè, & ideo poſtulat mulierculàrum colo & fuſo addictatum perfici impugnationem. *Fac illis ſicut Madiam*, &c. Cur non *Fiat illis*, ſed *Fac?* Quia dum tam fragili pugnatore tam illuſtris victoria exeritur, manifeſtè Dei elucet operatio. Hieronymus, *Quoniam ſuperbia ipſorum vſque ad te eleuata eſt, propterea te deprecor, vt ad ignominiam ſuam non à viro vincantur, ſed à muliere.* Ad te eleuata eſt ſuperbia, à te Domine, comprimatur, vulneretur: tunc autem conſtabit à te hoſtes fuiſſe expugnatos cùm ab inermibus fœminis fuerint vulnerati. *Hieron.*

57\. *Deus ipſe hoſtes ſubuertere apparet cū miniſterio fœminarum comminuit. Iudi. 5. Carthuſ. Damia.*

Noua bella (ait textus) *elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit.* Iudi. 5. Quænam illa noua bella? Carthuſianus, quia per fœminam triumphauit. Hæc bella inuſitata, & mirabilia. Petrus Damianus. *Quamquam mirabilis ſit Deus in viris, mirabilius tamen, & glorioſius triumphat in fœminis.* Vnde ſi viri triumphum gerant, Deo non ſemper immediatè pugnanti ſolet attribui: at fœminâ vincente, immediatæ Dei fortitudini pugnanti datur victoria. Ideo addit poſt *noua electa bella, & portas hoſtium ipſe ſubuertit.*

58\. *Maria confundit Phariſæos, ſiue Chriſtus in ipſa.*

Quòd ſi fœmina pia vocem extollens, vt Saluatorem laudans Phariſæos confunderet. Mariæ vterum, ac vberà commendat, vt ex memoriâ Deiparæ hoſtes comminuerentur: Maria inermis vincit, ſiue potiùs Dominus in ipſa triumphat. Iam inde à principio Dominus ſerpenti, *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum.* Gen. 3. Vbi Abulenſis, *Hæc magna pœna diabolo, quia ſuperbus eſt. Superbi autem valde dolent, quando aggrediuntur, & vincuntur maximè à ſexu fragili.* Loco illius particulæ: *Ipſa conteret caput tuum*, alij legunt, *Ipſe*, vt ad fœminæ ſemen, Chriſtum ſcilicet referatur. Ieſus igitur in Maria triumphat, dum ſemen diaboli ſuperbi, Phariſæorum ſcilicet capita, ſeu iudicia confundit, cuſtodiendo ſcilicet verbum auditum, quod Phariſæi minimè gerebant. Bernardus hom. ſup. Miſſus. *Cui hæc ſeruata victoria eſt, niſi Mariæ? Vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipſam.* Vnde apertè conſtaret Domini manum feciſſe virtutem. Dum te inermem, imbellem aſpexeris, noli deſperare de triumpho, aderit Dominus exercituum in te infirmitate laborante glorioſius victurus. *Gen. 3. Abul. Bernard.*

PARS ALTERA.

SVRDVS, ET MVTVS.

Paraphraſis, Commentariúſque literalis ad Caput ſeptimum Marci.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum ſenſuum reformatorem.

PROLVSIO.

SISTITVR Domino iuxta Galilææ pelagus homo miſer, qui lingua illigatâ, & obturatis auribus nec ſua dare, nec aliena poterat excipere verba. At Dominus manus miniſterio aures aperuit, vt vox Ieſu ingreſſa per auditum, per linguam reformatam egrederetur. *Dixit, vnáque cum verbo* (aiebat Victor Antioch.) *miraculum in opus abijt. Statim namque apertæ ſunt aures eius, & locutus eſt rectè. Quomodo ergo non rectè loqueretur, rectéque audiret, cùm naturæ Opifex id expleret, quod naturæ deerat?* Addiderim: & cùm apud Sydonicum pelagus moraretur, quod quidem (authore Richardo Laurent.) Deiparæ maris in miſeros exundantis referebat imaginem. An hominis ſine Mariæ reſpectu ſenſus Dominus reformaret, qui ſine ipsâ noluit totius hominis reformationi operam expendere?

MARCI Cap. VII.

VERS. 31. ET iterum exiens IESVS de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei ſurdum, &

PARAPHRASIS.

31. EVANGELII *ſemine ſeu furtim iacto apud Tyrios, Sidonios, & Chananæos, Dominus relegit iter rursùs ad lacum Galilææ per Sidonem, & itinere facto præter regionem Decapoleos, vbi priùs ſanarat dæmoniacum.*

32. *Huc vbi veniſſet, illi miſerabile ſpectaculum adducunt, hominem videlicet, & ſur*

mutum: & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.

& ſurdum, & mutum. Mutus enim ſit oportet, qui ſurdus naturâ eſt. Interpellant baiuli Ieſu clementiam, vt illi dignetur imponere manum. O clementia! Pietas aliena peccatoribus opitulatur?

33. Et apprehendens eum de turbâ ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expuens tetigit linguam eius.

33. Apprehenſum hominem ſeducit à turbâ, ſaluus eſt quemcumque Dominus apprehenderit, quem ab huius Mundi tumultu ſemouerit. Miſit digitos in auriculas eius, ſaliuáque ſuâ linguam illius inunxit. In proximo eſt ſalus, vbi Ieſus virtute ſui ſpiritus, qui digitus eſt Dei, mentis contigit aures: ſaliua cæleſtis ſapientiæ animi linguam dignatur attingere.

34. Et ſuſpiciens in cælum, ingemuit: & ait illi, Ephpheta, quod eſt, adaperire.

34. Oculos præterea in cælum Ieſus ſuſtulit, & ingemuit; non diffidens quidem, ſed humanam deplorans calamitatem. Ait autem Ieſus Ephpheta, quod Hebræis ſonat, adaperire.

35. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius: & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.

35. Vocem illicò ſecuta vis eſt. Mox enim apertæ ſunt aures eius, & vinculum linguæ eius ſolutum, & expeditè loquebatur. Omnes nouerant ſurdum, & mutum. Nunc audiebat, & loquebatur Ieſu prædicans beneficium.

36. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.

36. Hæc facta ſunt ſeorſum à turba, non enim oportet profanam multitudinē Euangelicæ fieri teſtem inuitationis. Ieſus itaque præcipiebat, ne cui dicerent. Sed quod Ieſus interdixit eis, ne cui dicerent, hoc ipſum magis prouocauit, vt apud omnes prædicarent.

37. Et eo ampliùs admirabantur, dicentes, Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

37. Atque hoc vehementiùs Ieſu magnitudinem ſuſpiciebant, qui cùm talia poſſet, ac præſtaret, nec gloriolæ præmium exigebat. Bene, inclamitant, omnia fecit, & ſurdis auditum, & mutis vocem reddidit.

SECTIO TERTIA.

Surdo ac muto Ieſus adhibet medicamen.

TEXTVS.

VERS. 31. ET iterum exiens IESVS de finibus Tyri, venit per Sidonem
ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos: 32. Et ad-
ducunt ei ſurdum, & mutum: & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.
33. Et apprehendens eum de turbâ ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius:
& expuens tetigit linguam eius. 34. Et ſuſpiciens in cælum ingemuit: & ait illi,
Ephpheta, quod eſt, adaperire.

COMMENTARIVS · LITERALIS.

§. I.

De itinere à Domino iterum profecto in Galilææ mare.

1. *Lectionis diuerſitas.* ET *iterum exiens* Ieſus *de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ.* Poſtquam à Chananææ filiâ Dominus dæmonem exturbauit, haud diu eſt in illa moratus regione: ſed per Sidonem ad mare Tyberiadis ſeu Galilææ reuerſus eſt. Syriaci codices, & *Ianſen.* Græci plures ſic habent: *Iterum exiens è finibus Tyri, & Sidonis.* Ianſeniuſque miratur Latinos codices tranſtuliſſe, *Exiens de finibus Tyri venit per Sidonem.* Attamen veriorem hanc reputo lectionem in Bibliis iuſſu Pontificis ſummi correctis probatam, Græcis nonnullis codicibus conſentientibus. Chriſtus igitur venit ex finibus Tyri per Sidonem ad mare Galilææ.

2. *Obiectioni ſit ſatis. Ianſen.* Obiicis cum Ianſenio, quonammodo Chriſtus per Sidonem viam duxiſſet, qui Apoſtolis ingredi Gentilium Ciuitates prohibuerat? præcipuè cùm volenti è finibus Tyri ad mare Galilææ pergere, haud ſit iter ducendum per Sidonem: ſed contra potiùs per fines Tyri è Sidone in Galilææ pelagus pergendum erat. Reſpondeo Chriſtum per Sidonem ſolummodò tranſitum egiſſe, nec in Ciuitate illâ concionatum eſſe: vel potiùs per Sidonem veniſſe, id eſt, per loca propinqua Sidoni, neq; ingreſſum ipſam Ciuitatē. Quid ſi ingreſſus fuiſſet? Potuit Apoſtolorum Dominus, ſciens vtique quid facto opus eſſet. Fateor Sidonem magis ſeptentrionalē eſſe, quàm Tyrus, ſed tamen occaſione aliquâ ab Euangeliſta prætermiſsâ, voluiſſe Dominum per Sidonem in Galilææ mare iter facere affirmo.

3. *De Decapoleos regione.* *Inter medios fines Decapoleos.* Græcè ἀνὰ μέσον ὁρίων Δεκαπόλεως, id eſt, *Per medium finium Decapoleos.* Ac ſi diceret, Venit per Sidonem, & venit inter medios, ſeu per medios fines regionis Decapoleos ad mare Galilææ. Decapolis regio à numero decem Ciuitatum, hoc eſt appellata nomine. Δέκα, enim *decem* ſignificat, πόλις, verò vrbem; de illâ Brochardus pag. 1. cap. 6. §. 6. *Brochar.* *Scias, ait, ad vrbem Tiberiadem terminari regionem dictam Decapolim. Nam Dominus Iacobus de Vitriaco Ieroſolymitanus Patriarcha & Romanæ Sedis Legatus in libro, quem de conqueſtu Terræ ſanctæ edidit, ſic dicit: Regionis Decapoleos fines ſunt mare Galilææ ab Oriente; & Sidon magna ab Occidente, & hæc eſt latitudo eius. In longitudine verò protenditur à Tyberiade, & toto littore Aquilonari maris Galilææ vſque ad Damaſcum. Dicta autem eſt Decapolis quaſi decem Vrbium regio, quæ & præcipuè in ea continentur. Sunt autem Tyberias, Sephet, Cedes, Nephtalim, Aſer, Cæſarea Philippi, Capharnaum, Bethſaida, Corozaim, & Bethſan, quæ & Scythopolis dicta eſt: ſunt in ea plures aliæ, ſed hæ ſunt celebriores Vrbes.* *Vitriac.* Hieronymus lib. de loc. Hebr. Decapolim trans-Iordanem collocat. *Eſt Decapolis regio decem Vrbium trans Iordanem circa Hippum, & Pellem, & Gadaram.* *Hieron.* Beda, & Haymon conteſtantur. Ioſeph. lib. 3. de Bel. c. 16. maximam Decapoleos Ciuitatem ait eſſe Scythopolim, & Tyberiadi vicinam.

Inter medios fines. Beda docet Chriſtum Decapoleos fines non intràſſe, ſed potiùs ad mare vſque veniſſe, atque ad ipſum perueniſſe locum, qui medios fines Decapoleos trans-mare vltra Iordanem poſitos reſpiciebat. Attamen aſſero per ipſoſmet fines tranſiſſe, ipſoſque intràſſe, vt Euangeliſtæ verba manifeſtant. 4. *Num tetigerit fines. Beda.*

§. II.

Surdum mutum ad ſe adductum ſanitate donaturus Dominus, ei applicat ſaliuæ, verbi, ac digitorum medicamina.

ET *adducunt ei ſurdum & mutum.* Græcè μογιλάλον, id eſt, *Vix loquens.* Vnde exiſtimo 5. *Non erat omnino mutus.*
mutum

mutum ſumi pro homine pène muto, vixque verba proferente. Poſt miraculum perfectum ait Marcus. *Et loquebatur rectè.* Si omnino mutus, haud opus fuiſſet ſurdum adnotare, quia huiuſmodi ægrori vtroque ſenſu ſimul orbantur. Aſſerit ergo ſurdum vt non omnino mutum manifeſtet, ſed alio ex capite ſurditie laborare. Mecum Caietanus.

6. *Ex morbo mutus.* An ſurdus & mutus ex morbo, vel ex dæmone. Theophylactus ex dæmone putat morbum profectum. Ego ex morbo ortam ſurditiem, ac linguæ titubantis impedimentum, non ex dæmone, credo, cùm nullam mentionem Euangeliſta fecerit diaboli, quod non aſſolet prætterire, quemadmodum priore parte vidimus in Diabolo mutum faciente. Omnino mutum dæmon reddidiſſet.

7. *Quinam deprecant?* *Et deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* Illi qui ægrum ad Dominum adduxerunt, precabantur, vt ſanitatem illi tactu manus conferret. Multis hunc ceremoniis adhibitis Chriſtus reſtituit ſanitati.

8. *Cur hominem abſtrahit?* Euthym. Theoph. *Et apprehendens eum de turbâ ſeorſum.* Puto Dominum, qui ſolo verbo ſanare potuiſſet, vſum tot ceremoniis, vt Eccleſiæ ſuæ ceremonias commendaret. A turbâ in primis illum ſemouit. Quare? Reſpondet Euthymius, *Ne miracula videretur populo exponere.* Et Theophylactus, *Ideo factum, quòd Chriſtus non erat arrogantiæ ſectator.* Atqui video à Domino miraculum in omnium conſpectu perfectum, exiſtimo potiùs a turba ſeorſum hominem apprehendiſſe, ne à turbâ premeretur, & expeditior eſſet.

9. *De digitorum in auriculas immiſſione.* Caiet. *Miſit digitos ſuos in auriculas eius.* Digitum dexteræ manus in vnam intulit aurem, digitum verò ſiniſtræ in alteram: illâ vtique ceremoniâ oſtendens obturatas aures ſe quaſi digitis perforare. Caietanus, *In Græcè habetur ſic: Miſit digitos ſuos expuens in aures eius.* Non admitto lectionem; nam Euangeliſta ſpecialiter adnotans linguam ſaliuâ inunctam, idem de auriculis adſeruiſſet.

10. *De ſaliua linguæ adhibita.* Theop. *Et expuens tetigit linguam eius.* Indicans ſanè ſputum illud diuinum, præſentiſſimum eſſe medicamentum. Theophylactus, *Cum expuiſſet, tetigit Chriſtus linguam, vt oſtenderet, omnes partes carnis ſuæ ſanctas, ac diuinas eſſe adeo, vt ſputum ſolueret linguæ vinculum, tametſi ſuperfluitas ſit omne ſputum. Sed in Domino admirabilia erant, & diuina omnia.* Auribus aperiendis accommodata ceremonia, digitos in illas immittere; linguæ vero maximè congruit ſaliua, quâ lingua aſſolet humectari, vt ad loquendum expeditior reddatur.

11. *Cur in cælũ ſuſpexit?* Beda. *Et ſuſpiciens in cælum.* Indicat cœlum munerum fontem, medicaminum pharmacopolium. Addo in cælum oculos eleuâſſe, vt Patrem exoraret. Beda, *ſuſpexit in cælum, vt inde mutis loquelam, ſurdis auditum, cunctis infirmitatibus medelam doceret precibus eſſe quærendam.*

12. *Cur ingemuit?* Theoph. *Ingemuit.* Orationem cum gemitu extitiſſe illam in cælum oculorum eleuationem ſic affirmat Theophylactus: *Vt ſuſpexit in cælum Chriſtus, ingemuit, fortaſſis orans Patrem, quò miſericordiâ dignaretur hominem,* &c. At Euthymius ingemuiſſe adnotat hominis commotum afflictionibus. *Ingemuit hominis motus afflictionibus, ac humanæ miſeritus naturæ, quæ tum à dæmonibus, tum ab infirmitatibus adeo impetitur propter peccati tranſgreſſionem.* Gemere à Domino edocèamur. Gregorius hom. 10. in Ezech. *Suſpiciens in cælum Chriſtus ingemuit, non quòd ipſe neceſſarium gemitum haberet, qui dabat, quod poſtulabat: ſed nos ad eum gemere, qui cælo præſidet, docuit: vt & aures noſtræ per donum Spiritus Sancti aperiri, & lingua per ſaliuam oris, id eſt, per ſcientiam diuinæ loquutionis ſolui debeat ad verba prædicationis.* Bernardus autem ſerm. 38. in Cant. de miſeriis fletu proſequendis ſic: *Donec in carne eſt anima, inter ſpinas profectò verſatur, & neceſſe eſt, vt patiatur inquietudines tentationum, tribulationúmque aculeos.* Edocemur denique Patriam edito gemitu aſpectare, eodem Abbate auctore ſerm. de obedi. *Concupiſcamus in atria Domini, crebrò ſuſpiremus illuc. Patria noſtra ipſa eſt, adoremus ſaltem; & à longè ſalutemus eam.* — Euthym. / Gregor. / Bernard.

13. *Quid Ephphetha?* *Et ait illi, Ephphetha quod eſt, Adaperire.* Chaldaicus, & Syriacus imperatiuus eſt. Græcè legitur ἐφφαθά. In Syriaco Euangelio אתפתח, *ethpattach.* Eundem ferè in modum Chaldaicè, חפתח, *ephpatah.* Sed vt obſeruat Guido Fabricius amouetur ח diciturque אפתח *epathach.* Fortè hic imperatiuus eſt in Niphal, ſed mutatis punctis. Non enim Galilæi adeò puncta grammatica obſeruabant. Aſpiratio in fine à Græcis non ſcribitur. Quemadmodum igitur leproſo dixit, *Mundâre*, hoc eſt, mundus eſto: ſic ſurdo ait, *Adaperîre*, hoc eſt, apertus eſto, audi, & loquere. Adaperire, inquam, tum auribus, tum lingua, & ore. Lingua enim aperiri etiam dicitur, *Tunc aures ſurdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum.* Iſa. 35. Et de Ioannis Bapt. parente, *Apertum eſt illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur.* Luc. 1. Caietanus ad hæc. *Inter ſpeciales modos, quibus quandoque vſus eſt Ieſus ad curandum, admiratione dignus eſt iſte, cum tot circunſtantiis nullâ neceſſitate, ſed ſola voluntate adhibitis. Nam ducit illum ſeorſum, tangit loca ægritudinum, vtitur ſputo, in vtriſque adhibet gemitum, eleuat oculos in cælum, ad ſupplendum, quæ deerant ex parte aliorum, ad efficaciam ordinariæ poteſtatis.* — Iſai. 35. / Luc. 1. *Cur ceremoniis vſus Dominus?* Caiet.

***

IN IESVM SENSVVM reformatorem

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS CIRCA LITERAM.

EX MEDICAMINE ADHIBITO ÆGROTO.

Observatio I.

Ad illa verba.

Adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.

Non precantur, vt ſanet ægrotum, ſed vt ei manum dignetur imponere.

Nam apud Dominicas manus tota adeſt miſerationum colligatio.

14. *Manus Domini munificentiſſima commendantur.* Caiet. CAIETANVS hominum adducentium ad Chriſtum ſurdum illum de fidei defectu taxat, *Nihil de huius ſurdi fide, aut deuotione apparet. Offerentium autem illum minor fides ſignificatur, cum deſcribuntur precantes, vt imponat illi manus. Vndique ergo deficientes fide ſupplet Ieſus gemitu, ſuſpectione in cælum, & applicatione propria carnis, & ſputi, tanquam ſancta inſtrumenta adhibendo: nam ſancta erant omnia, quæ Ieſu erant.* Profectò ſi fideliùs, ex mente Cardinalis, illi cum Centurione clamitarent, *ſed tantùm dic verbo:* non arbitror infidéliter, ſed piè manuum petiiſſe actionem, cùm quia videret Dominum manuum impoſitione ægritudines ablegâſſe, tum quia ſurdi auditum, muti ſolutionẽ, & ex ſententia Theophylacti, dæmones petentes vbertimam manuum (Theoph.) Domini munificentiam requirebant. Dei enim manus erga homines munificentiſſimæ obiiciuntur.

15. *Aperta Dei manus cũctos benedictionẽ replet.* Dauid expertus concinit, *Oculi omnium in te ſperant, Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Pſal. 144. Manum Dei ſequitur abundantia. Interlinealis, aperis manum tuam & imples omne, quia omnia in tua poteſtate. Baſilius, *Manuum operationem, & virtutem ſuppeditandi dicit. Non ſimpliciter cibum, ſed vnicuique proprium commodum vtile largitur: nec largitur modò, ſed ita cumulat, vt nulla ſit penuria.* Manum enim Dei aperiri, idem eſt, ac nos omnibus bonis cumulari.

Pſalm. 144. Baſil.

Præſtantiſſimum Dominicæ manûs munus 16.
cuncta alia complectens, hominis eſt iuſtificatio, humanique generis ad ſponſum conuerſio. Pulſauerat Chriſtus, ſponſa repellente: *Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illa* &c. *Miſit* ille *manum ſuam per foramen.* Cant. 5. Vbi Lyranus exiſtimat illam manus Domini immiſſionem idem eſſe, ac hominem non aperientem fuiſſe horribiliter ſupplicio affectum, Vnde manum immiſit, vt baculo vulneraret. Aptius Strabus aſſerit fuiſſe donum conuerſionis. Mox enim aſſurgit è lectulo ſponſa, Dominum requirit, eique poſt toleratos labores feliciter hæreſcit. Nunquam enim manus Dei aperitur, niſi ad auguſti muneris elargitionem. Theodulus epiſt. ad Rom. cap. 4. aiebat. *Vbi Dei manus donat, omnia magna donat.*

Immiſſa manus Ieſu Eccleſia iuſtificatur. Cant. 5. Lyran. Strab. Theodu.

Magi olim videntes beneficia, quîs Hebræi fuerant affecti, hoſtibus vulneratis, aiunt: 17.
Digitus Dei eſt hic. At cum manus Domini extenditur auguſtiſſimis muneribus donamur. Quandonam Chriſti manus extenſa eſt, niſi cùm manus cruci illigantur? Tunc extenſionis huiuſmodi fructus Spiritus ſancti largitio fuit. *Qui credit in me* (ait Dominus) *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Non enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Ioa. 17. Id eſt, non acceperat Eccleſia Spiritum ſanctum munus auguſtiſſimum, quia Chriſtus illigandas Cruci manus non extenderat. Auguſtinus tract. 52., *Non ſine Spiritu ſancto futura prænunciauere Prophetæ, Simeon, Anna, Elizabeth, qui tanta per Spiritum ſanctum prædixerunt. Sed Spiritus nondum erat datus (id eſt, illa abundantia) ſpiritualis.* Munus autem hoc abundantis Spiritus accepti e Dominicis manibus extenſis accepimus; ſaluteque ac redemptione dilectiſſima donatur Eccleſia.

Cum Ieſu manus in cruce extenditur, Spiritu ſancto nos donauit. Ioa. 17. Auguſt.

Ideo Dauid in Dei manus incidere cupiuit, 18.
putans medicæ munerum fonte ſibi miſericordiæ ſtillas pro fluxuram. *Melius mihi eſt, vt incidam*

Dauid in Dei vel irati manus, velut incidere, quia fons miſericordiæ.

2.Par.21. Ambroſ.

incidam in manus Domini, quia multæ ſunt miſerationes eius. 2.Par.21. Ambroſius ad Pſal.37. *Elegit non quòd à flagello eſſet immune, ſed quod moderatius iudicauit, vt Dei lenitati magis, qui nôſſet ignoſcere, quàm hominum ſe committere poteſtati. Miſeretur itaque qui neſcit errare.* Aptiùs argumento dixerim, manus Dei elegiſſe, quia extenſam Dei manum omnino hominibus futuram ſalutarem credidit, quippe quæ neſciat ad ſupplicium inferendum aperiri. *Hoc* quidem non minus malum *mihi*, ſed abſolutè *melius*.

19. *Manus Domini vel irati ligare neſciunt.* Math.22.

Id oſtendo in ſupplicio illo homini ſacrilego illato, qui Regias nuptias ſordido deturpauit amictu. *Ligate*, inquit, *illius pedes & manus, & mittite in tenebras exteriores.* Matth.22. Et cur non ab ipſo Domino irato illigatus in tenebras immittitur? An Regis vel irati, manus extendenda ad illigandum hominem, & non potiùs ad ſoluendum: Chryſoſtomus hom. 43. in Act. *Vide illic ſeruos, qui miniſtrant*, vbi illigatur miſer. *Quando beneficijs opus eſt, ipſa manus Domini benedicit, Venite benedicti Patris mei. Quando loquendum cum Abraham, ipſe adeſt. Quando in Sodomam, ſeruos mittit. Et iterum: Euge ſerue bone, ſuprà multa te, manu extenſa, conſtituam. Et hunc quidem ipſe benedicit, illum autem malum non ipſe, ſed ſerui ligant.* Nec enim deceret manum Domini extendi niſi ad beneficiorum elargitionem. Ideo igitur Dauid in Dei manus curauit incidere.

Chryſ.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et adducunt ei ſurdum, & mutum, & deprecabantur ei, vt imponat illi manum.

Commendabiles illi, qui miſerum hominem adduxerunt ad Chriſtum, & pro illo deprecati ſunt; quidquid enim in illis fuit, pro ſalute proximi geſſerunt.

Edocentur Præſules, Patres familias, Concionatores, Magiſtri, eorum munus eſſe ſolum dirigere, & precari, ad Deum autem vim directioni addicere pertinere, ad directi reductionem.

20. *Præſulum ac Concionatorũ munus eſt curare, non ſanare.* Seru.

Merito laudentur ij, qui ſurdum ad Dominum adduxere. Nam *eum qui pro ſe Dominum orare non poterat* (verbis vtor noſtri Seruij de la Haye in Quadri.) *fideles, pro illius ſalute ſollicitꝭ, & illius calamitatem miſerati, ad Dominum ducunt, ac pro illo deprecantur.* Porrò miniſterio ſuo fecere ſatis ſurdum adducendo, qui quidem haud poterat aures audiendi habere, niſi dante Domino. Ad te Præſulem, Concionatorem, Patrem-familias ſolummodò ſpectat adducere ſubditum, inclamare, ſurdum vocibus excitare. Quòd ſi non audierit, precibus effuſis, à Domino efflagita, vt miſertus ſurdi, aures aperiat. O medice, tuum eſt inungere ægrotum, Dei autem ſanitati reſtituere, dum proficit adhibitum medicamen, ipſo largitore.

21. *Ieremias Babylonem curatam ab egregijs medicis aſſerit, non tamē ſanatam.* Iere.51.

Quàm aptè medicus Ieremias poſt ægrotantem Babylonem medicamine affectam, ait: *Subitò cecidit Babylon, & contrita eſt, vlulate ſuper eam, tollite reſinam ad dolorem eius, ſi fortè ſanetur. Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam.* cap.51. Cur non adiicis ô Præſul, ô Concionator, ô medice, vlulemus ſuper nos, quia ſanata non eſt Babylon? Profectò quia poſtquàm reſinam vulneri adhibemus, miniſterium noſtrum impleuimus. *Argue, obſecra, increpa, miniſterium tuum imple:* Paulus aiebat. Nam perfecto argumento ſermonis, & adhibitis precibus, aut obſecrationibus, vti Deus aures aperiat, noſtrum expleuimus miniſterium. Non culpâ Medici, ſed ægroti vulnus inſanatum obiicitur. Chryſoſtomus hom.1. in Gen. *Sicut qui corporali morbo laborant, quamuis ſexcenties Medicus remedia afferat, & valetudinarius curam reſpuit: & medicus imponens pharmacum, infirmus impatiens doloris illud reijciat, nullâ inde vtilitate ſuſceptâ. Ita nihil poteſt efficere Eccleſiaſtes, niſi obtemperent auditores.* Vnde poſt pharmaci impoſitionem, accidentale eſt Medico, quod valeat, aut non valeat ægrotus. Imponens enim medicamina ſuum explenit miniſterium. Ex hom.13. *Nemo prudens arguerit medicum, qui ſuum egit officium. Ita concionator medicamentum ex ſpirituali doctrinâ confectum imponit: auditorum poſthac erit, curam adhibere, vt emendentur.* A Domino vtique auriculis reformatis, & audiendi effectis.

Si arguis & obſecras, id eſt, adducis ſurdum, & deprecaris pro illo miniſterium impleuiſti. Chryſ.

22. *Præſul, & concionator ſolùmmodò inungunt, non ſuſcitant.* Mat.16. Bernard.

Piæ illæ fœminæ ad cadauer Domini properaturæ aromata acquirere curarunt. *Emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum.* Mat.16. Vbi Bernardus Præſules, Concionatores contemplatur, dum reſurgendò ſubdito operam impenduut? An illæ corpus exanime excitârunt? Minimè, ſed ſolummodo inungere curârunt. *Ecce igitur* (ait ſerm. 2. de Reſur.) *Chriſtus in ſepulchro, fides mortua eſt in animo. Quid faciemus ei? Quid fecerunt ſanctæ mulieres, quæ ſolæ ex omnibus ſuis ampliori tenebantur affectu. Emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Numquid vt ſuſcitarent? Et nos ſciamus fratres, quia ſuſcitare noſtrum non eſt, ſed vngere nobis incumbit.* Dei eſt ſanare.

23. *Curam gerimus ægroti, Deus ſanat.* Luc 10. Bernard.

Ad parabolam ægroti illius, qui in manus latronum inciderat recurre. Poſtquam Samaritanus Chriſtus vinum, & oleum infudit, tradidit ægrum ſtabulario. *Curam*, inquit, *illius habe.* Luc.10. An dixit Dominus, *ſana illum?* Minimè, ſed curam age, me ſcilicet imitatus, qui curaui quidem medicamina adhibens, & alligans vulnera; agens enim Præſulem & concionatorem hominum video ad me ſolummodo curationem pertinere, ad Patrem æternum ſanationem. Bernardus lib.4.de Conſid. *Noli diffidere, curam præſtare exigeris, non curationem.*

Denique

Denique audiſti, curam illius habe: & non: Cura & ſana illum. An medici opprobrium non ſanare? Abſit, quia ſalutem haud manu gerit, ſed artem curationis. Chryſoſtomus ad 7. Matth. *Si medico opprobrium non eſt, qui nec alterius habet ſanitatem in manu, nec ſuam ſi velit alios curare, & debilis ſit, ſiue non poſſit ſanitati reſtituere. Quomodo Doctori ſit opprobrium alios velle eruere à peccato,* & non poſſe ille ſolummodo habet in manu ſanitatem cuius ab adducentibus ſurdum mutum manus requirebatur: *Et deprecabantur ei, vt imponat illi manum.*

Chryſoſt.

Observatio III.

Ad illa verba:

Apprehendens eum de turbâ ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuens, &c.

Vt ſurdi auriculas aperiret, mutique linguam ad loquendum exereret Dominus, nullam non operam impendit.

Solius enim Ieſu laboribus acti facinus eſt, ſurdum peccatorem ad confeſſionem criminum excitare.

24.
Vt mutus peccator confiteatur tota Christi Paſſio medicamen adhibetur.

ADDVCITVR ad Dominum ſurdus & mutus, ſeu peccator audire negligens Dei verbum, & ideo mutus ad confeſſionem. Hoc Dei opus, hic labor eſt. Apprehendit de turbâ ſeorſum, mittit digitos in auriculas eius, puto linguam inungit, in cœlum ſuſpicit, & clamat. En Dominum manus ad crucem extendentem, ad Patrem inclamantem, electos è damnatorum turbâ ſeorſum apprehendentem, inungentem ſanguine. An tanto Dei labore digna hominis ſalus? Profectò vt ſurdus verba Dei non percipiens, audiat vt loquatur, ſeu vt crimina aperiat, neceſſum fuit tot, tantiſque laboribus Dominum fatigari.

25.
Vt ſurdus & mutus Adam peccata confiteatur, à Domino apprehenditur ſeorſum ad crucem.
Gen. 3.
Ambr.

Audiuit Adam poſt tranſgreſſionem *vocem Domini ambulantis in Paradiſo.* At auribus non audiendi percipiens accentum, ſurdus ad latibula properauit. Surditiem ſequitur illigatio linguæ, dum curat mutus peccata operiri, nec fideli ſermone manifeſtari. *Cúmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus.* Gen. 3. Vbi Ambroſius lib. de Para. cap. 3. *Velamen peccator intexit, vt pudenda ſua contegat. Iacit enim ſupra ſe folia, qui culpam velare deſiderat.* Chriſtus igitur, vt ſurdum & mutum ſanaret, ad arborem poſt meridiem properat, ſiue ligno illigandus oſtenditur. Manus admouet, dum illigatur cruci, vt apprehenſi, ſeorſum ſurdi auriculas aperiat, & ſoluta lingua ſanguinis inunctione peccata ille, quæ operiri curauerat, manifeſtet. Et quidem ligno illo, ad quod Adamus ſe ſe recepit, crucis agere ſimulacrum, aſſerit Rupertus mox dandus.

26.
Profert homo quantas habeat iniquitates tam non ſurdus, nec mutus, quia Chriſtus cruci illigatus eſt.
Iob. 13.
Rupert.

Clamat Iob, *Voca me, & ego reſpondebo ſibi.* Surdus etenim tuam vocem non audio, nec linguà potens peccata profiteor. *Et tu reſponde mihi: Quantas habeo iniquitates, & peccata.* cap. 13. Ad quæ Rupertus, *Dixit Iob, voca me, & ego reſpondebo tibi, & continuò bonam propoſitionem ſapientiſſimè in melius corrigens: Aut certe, inquit, loquar, & tu reſponde mihi, quantas habeo iniquitates, & peccata. Cæterùm præoccupare faciem Dei, & vltroneà confeſſione loqui, ſapiens conſilium, quo nullus homo melius peccator reperire poſſit.* Et vndenam, precor, tanto munere affectus peccator, vt audiens (apertis auriculis, & linguà ſolutà) loqueretur ad peccatorum congruam manifeſtationem? Profectò Dominus manus extendit, expuit, clamauit, ſiue crucis patibulo addictus eſt. Bellè Abbas adiecit, *Ecce per Chriſtum, qui longè ab eo diſſimilis qui abſconditus, etiam cum vocaretur, mutus quidquam non reſpondit,* & ſurdus. *Aſtitit palam in medio ligni crucis, & vltrò cauſam noſtram perorauit. Ecce, inquam, per illum edocti locuti ſumus, quantas habemus iniquitates, & peccata, & reſpondet Deus, ecce iam nulla.* Venia enim confeſſionem ſequitur delictorum.

27.
Paſſio Chriſti ſoluit labia muta Eccleſia, vt peccata aperiret.
Cant. 4.
Ioſ. 2.
Theod.
Dam.

Sponſæ Dominus, *ſicut vitta coccinea labia tua.* Cant. 4. In cuius expoſitionem menti redde Rahab meretricis ſalutem ex funiculo obiecto. *Innoxij erimus* (aiunt exploratores) *à iuramento hoc, quo adiuraſti nos, ſi ingredientibus nobis terram ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaueris eum in feneſtrâ.* Ioſ. 2. Vbi Theodoretus ad Cant. 4. *Per funiculum coccineum ſponſa redigit in memoriam Rahab meretricem, quæ figuram eius gerebat in veteri Teſtamento. Habuit illa ſalutis ſignum funiculum coccineum: ſignum hoc ſponſus in ore ſponſæ tanquam in feneſtrà collocatum intuetur.* Quare igitur funiculus coccineus ſanguinis ſalutaris labiis ſponſæ illigatur? Profectò, quæ vnica vitta labia clauſa habebat, minimè poſſet verba proferre, niſi virtus ſanguinis Chriſti ſuffixi adhiberetur. Muta loquitur vi ſanguinis ſalutaris. Petrus Dami. ſer. 57. *Sola domus Rahab meretricis euaſit, quam funiculus coccineus in feneſtrà diſcreuit. Domus autem illa vnam figurabat Eccleſiam, quæ purificata eſt a turpitudine fornicationis in ſanguine remiſſionis per feneſtram confeſſionis.* O ſurdi peccatoris ad conuerſionem difficultas! Quaſi ſoli tibi, vt confitearis tota Chriſti Domini paſſio præparatur.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Et ſuſpiciens in cælum ingemuit.

Aſpiciens Dominus miſeri hominis calamitates, condolens ingemiſcit.

Quid enim mirum, gemitum edi ab eo, qui cum ægrotante patiebatur: illius laborantis ſocius?

GEMITVM dolorem indicare aſſerebat Euthymius. Et cur dolebat Dominus? Condolebat planè de ægritudine ſurdi & muti. 28.
Euthym.

O pietas Saluatoris, qui dum homines patiuntur, quaſi eiſdem laboribus affici dignatur.

29. *In Abele ac Zacharia Dominus paſſus eſt.* Mat. 23.

Phariſæis & ſcribis Dominus inquit, *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de Ciuitate in Ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ.* Mat. 23. Et cur à Iudæis illis omnis ſanguis effuſus erat exigendus, qui ſolummodo inclamant: *ſanguis eius ſuper nos?* Profectò paſſionis, & necis Domini Iudæi procul dubio rei reputantur. Vnde quoties Dominus ſanguinem profudit recolitur. Exigetur à vobis Chriſti interfectoribus, ac eius ſanguinis profuſoribus ſanguis Abel, & ſanguis Zachariæ, & ſanguis omnium iuſtorum, qui profuſus eſt; quia patientibus hominibus Chriſtus vtique compatitur. D. Hilarius, *Idcirco ſanguis Abel, & Zachariæ in hanc eorum poſteritatem venturus oſtenditur; quia iam in his habitans Chriſtus, erat paſſus.*

Hilar.

30. *Scit Dominus noſtrum dolorem, quia expertus eſt.* Exo. 3. Iſa. 53. Oleaſt.

Moſi oues paſcenti Deus, *ſciens dolorem eius, deſcendi vt liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Exod. 3. Vndenam Dominus tribulationem Hebræorum cognouerit? An quia *Anima afflicta Deo victima eſt*: vt Petrus inquit? Certè quia quaſi expertus loquebatur, *ſciens dolorem eius.* Sic apud Iſaiam, *Et ſcientem infirmitatem.* cap. 53. Oleaſter. *Gaudet Dominus ſeſe iis, qui patiuntur mala, immiſcere, vt latiora faciat.* Siue vt condolens, compaſſus, citius eos eruat à cruciatu.

31. *Retribuit Dominus mala, quæ in hominibus patientibus accipit.* Deut. 32. Anſel. Act. 9.

Mihi (ait Dominus) *vindicta, & ego retribuam.* Deut. 32. Ac ſi diceret, Retribuam vindicando, quod tribuitis. Iniuriis enim eiſdem me afficitis, quas homines à vobis accepere. Anſelmus ad hæc verba à Paulo citata Rom. 12. *Ideſt, omnia mala, quæ vobis irrogantur, mihi fiunt, licet ſim impaſſibilis.* Ideo Saulo ipſi Chriſticolarum perſequutori è cœlo Dominus, *Cur me perſequeris?* Act. 9.

32. *Quaſi extra nos Deus, nobis laborantibus laborat, & ideo cum tribus pueris numeratur.* Dan. 3.

An quia iuſtus ad Chriſti Eccleſiæ capitis corpus pertinet? An quia per identitatem patitur, cum iuſti patiuntur? Profectò non ſolùm nobis patientibus patitur ob identitatem illam, quæ ex dilectione coaleſcit: ſed quodammodo extra nos laborat, cùm laboramus, & numerum laborantium conſtituit. Cùm pueri tres Hebræi ad ignem fornacis immiſſi fuere, viſi ſunt à Rege ſoluti, & quatuor. *Et ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Dan. 3. Rogas quinam quartus? Reſpondeo Dominum cum hominibus laborantibus laborantem. Cur autem cum tribus non penetratur vt ſit Deus cum ſingulis, ſed numerum, addito indiuiduo, auxit? Credo, quia non ſolùm pati dicitur, quia identificatus eſt cum hominibus præcipue cum iuſtis: ſed vt oſtendat quaſi in ſe ipſo licet impaſſibili pati cum homines patiuntur. Chryſoſtomus de trib. Puer. *Patitur ſe Deus cum tribus pueris in ſupplicio numerari.*

Chryſ.

33. Non ſolùm vna eſt cum hominibus eſſentia Deus, qui eſſendi fons, ſed eorum eſt ſocius; conſtituunt enim numerum Deus & Chriſticolæ laborantes. De Domino cum Ioſepho deſcendente

Sapient. 10. in carcerem Sapiens inquit, *Deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum* c. 10. Non dixit in illo ſed cum illo, vt oſtendatur Deum non ſolùm identificatum cum illo, (*quia in ipſo viuimus &c.*) ſed ſocium illius & quaſi extra ipſum in carcerem eſſe detruſum, vt ſimul pateretur. Nazianzenus, *Probris quis impetetur? Et Chriſti quoque afflictionis ſocietate ornabitur.* Nazia.

Dicturus aliquando Dominus. *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione Mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere.* Rogantibus autem quando eum eſurientem aut ſitientem pauiſſent, aut potaſſent, reſpondet, *Quod vni ex minimis meis feciſtis, & mihi feciſtis.* Matth. 25. In ſuis enim accepit refectionem. At non videtur in ſuis pati, ſed cum ſuis, vt innuatur extra illos ſpecialiter quodammodo pati. Pulchram audi Saluiani lib. 4. de Eccleſ. ſententiam. *Nullus ſeruorum ſuorum exulat, nullus frigore, ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat, ſolus cum eſurientibus eſurit; ſolus cum ſitientibus ſitit, ſolus tantum modò Chriſtus eſt qui in omnium pauperum vniuerſitate mendicat.* Illas particulas preme. *Cum,* & *In.* Cum hominibus alget, eſurit, ſitit: in hominibus autem pauperibus mendicat. Quare non dixit, cum pauperum vniuerſitate mendicat, ſicut dixerat, *Cum quo ille non algeat, &c.* Quia cum refectio mendicanti accipienda eſt ab eis quibus dicendum, *dediſtis mihi manducare, dediſtis mihi bibere,* Deus in hominibus accipit, quia in illis adeſſe neceſſum conditori. At cum hominibus laborantibus, algentibus vtique, eſurientibus, & ſitientibus patitur, quia ſpecialiſſimâ tortura quaſi abſtractus ab illis, numerúmque augens afficitur.

34. *In ſuis accipit ſubſidia, ſed cum ſuis patitur.* Matth. 23. Salu.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et ſuſpiciens in cælum ingemuit.

Ingemiſcit Dominus, dum videt hominem cœleſtis patriæ filium tot in terra ærumnis diſturbari.

Hominis enim dies mali adeò, vt ſint omnium miſeriarum colligatio.

APPOSITE Dominus (Euthymio authore) gemitibus æthera complet postquam viſo homine ſurdo & muto cælum aſpicit: dolens vtique vicem noſtram, qui nati cæleſti patriæ, apud terræ exilium tot ærumnis affligimur, præcipuè ſi ad prædeſtinatorum numerum referamur. Exiſtimet prædeſtinatus rem ſibi cum omnium laborum colligatione futuram, vt ad cæleſtem obtinendam patriam poſſit auolare. Vnde in cælum ſuſpiciens ingemit Saluator. O (ac ſi diceret) quot mihi, vobis labores ſubeundi vt glorioſo throno potiamini! 35.

Prædeſtinatorum decent ærumnarum turbines, dies mali, ſiue moles interminabiles. Euthym.

Prædeſtinatorum dies turbidi omninò, ſi Sol felicitatis ſecularis appareat, haud dies electorum, qui tempore omninò nubilo fruuntur. Exeuntibus de Ægypto Hebræis. Dominus, 36.

Dum prædeſtinati inſtituunt gemitum, diem

Menſis

natalem inſtituunt. Exod. 12. *Menſis iſte vobis principiũ menſium.* Ex. 12. Quare tot præteriti anni Iſraelitis non computantur: ſed quaſi eorum tempus tunc accepit exordium? Quia exeuntes ex Ægypti ſeculari labore, inſtituentes prædeſtinatorum vitam, gemitus decebat, & luctus. Peccatoribus dies varij illuceſcunt, iam ridendi, iam plorandi inſtantia: & voluptatis occaſio, & mœroris articulus orbe rotantur. Aſt prædeſtinatorum dies nubili, nimborum rabie perturbati. Gaud. D. Gaudentius in Exod. ſerm. 1. *Non ſunt imputati Iſraelitis dies illi, quos conſumpſerunt in Ægypto: ſed quando ingemuerunt ad Dominum conuerſi ab operibus duris, tunc audiuerunt, Menſis hic vobis initium menſium, primus iſte vobis in menſibus anni.* Hodie viuere incipitis cùm prolatis gemitibus, horribilia vulnera ſuſtinetis.

37. *Vita prædeſtinati tota nox.* Cant. 3.

Porrò primi huius diei aſpectum totius anni dies irritabuntur. Diem appellaui, quem interminabilem noctem vocitare potuiſſem, audiens electam ad æthereum thalamum Sponſam. *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* Cant. 3. Scio me tabernaculo cælesti addicendam eſſe, vnde pro meæ futuræ felicitatis conditione ſcio interminabili nocte ploraturam, non diebus, noctibus numeratis. Gillib. Gillibertus Abbas ſer. 1. *Quare per ſingulas noctes dilectum tuum. Quid dico, per ſingulas noctes? totas noctes in hoc opus continua.* Qui audiret particulam *ſingulas noctes*, proculdubio putaret ſuccedente luce tenebras interſecari. At verò tota eſt continuata nox, tenebræ hîc interminabiles, vt ad interminabilem diem præparemur.

38. *Dies Iob vera nox.* Iob. 3.

An non Iob inclamauit? *Pereat dies, in qua natus ſum.* Cap. 32. Si dies Iobo Dei amico illuceſcunt, vbinam nox ſegni greſſu procedens? Profectò dies mentis errore vocitantur, nox verius nominandi. Olimpiodorus, *Quod quemquam delectat, id diem putat ſuum: ita errore animi decipitur. Quare hanc diem iuſtus cupit deleri, vt quæ ſolo nomine vicinitatem lucis imitetur.* Si quidem omnino à delectamentis abſtrahor, & ærumnis implicor, dies mei ad noctium catalogum iudico pertinere. Nec enim communi diſturbor errore, delectationis tempus diem appellans, ſi, de prædeſtinati conditione, interminabilibus tenebris implicer.

37. *Prædeſtinati lætantur in noctibus, ex cœleſtis patriæ reſpectu.* Pſal. 39.

Enim verò *ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Diei etenim, filij vocantur, qui longâ hac lætantur in nocte. *Exultauimus, & delectati ſumus in omnibus diebus noſtris.* Pſal. 89. In omnibus diebus veſtris? Ergo non eſt interminabilis nox. Certè nox ipſa ærumnarum omnium colligatio ex prædeſtinationis memoriâ dies eſt. *Lætati ſumus in diebus, quibus nos humiliaſti, annis, quibus vidimus mala.* Vndenam lætitia, *ſi dies mali ſunt?* Edocet Dominus ab ærumnis oculos in cælum eleuare, vt ex obiectu throni dulcis laborum ſuſtinentia reddatur. *Suſpiciens in cælum.* Chryſ. D. Chryſoſtomus hom. 24. de diuer. *Quòd ſi nautis minaces illi pelagi fluctus; ſi tempeſtates, atque hyemes agricolis; ſi vulnera, cædeſque militibus; ſi grauiſſimi illi ictus, plagæque pugilibus leues videntur, atque tolerabiles propter ſpem temporalium, ac pereuntium commodorum: Multo magis, cum cælum proponatur in præmium, & ineffabilia illa bona, atque perpetua, nihil ex præſentibus his aduerſitatibus ſentietur.* Sic Pater.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Miſit digitos ſuos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius. Et ait illi: Ephpheta, quod eſt, adaperire.

Vt mutus loqueretur rectè, non ſolum Dominus linguæ frænum ſuſtulit, ſed & ſpecialiſſimè oris ſui reliquiis inunxit.

Tota enim adnata linguæ iniquitas eſt.

40. *Linguæ iniquitas quam difficile ſanatur.*

ALIQVANDO probabam illam ſententiam Caietani ſanctis, *Inter ſpeciales modos, quibus vſus eſt Ieſus ad curandum, admiratione dignus eſt iſte. Cum nulla neceſſitate tangit loca ægritudinum, ſputo vtitur, &c.* Sed linguæ perpendens malitiam, medici ſollicitudinem quodammodo neceſſariam recognoſco. Non ſolùm vinculum abſtrahatur, ſed & ſputo diuino oris inungatur Domini, vt rectè loquatur. Valer. D. Valerianus hom. 5. *Non difficile eſt medico vlcera quamuis tumentia in oculis poſita herbarum beneficio caſtigata mollire. Habet & vis veneni remedium ſuum, quod antequam in vltimâ viſcerum ſede dominetur, ſalutaris tamen poculi vnda perquiritur. Lingua verò inſanabilis plaga eſt.* Non ergo otioſa ſaliuæ ſalutaris inunctio.

41. *Lingua tartarus in quo damnati cadunt, vel cum quo, aut in quo labuntur: eis ſecum gehennam ferans.* Eccli. 14. Peluſ.

Vnde aiebat Sapiens, *Beatus vir, qui non eſt lapſus in linguâ ſua* Eccli. 14. Quonam modo vir in lingua labitur? Iſidorus Peluſi. lib. 1. Epiſt. 459. *Optabilior eſt enim è pauimento lapſus, quam à linguâ. Multi quippe cum cecidiſſent, ſurrexerunt: ob prolatum autem ſermonem interierunt.* Rectè quidem, ſed particula (in) altiorem adhuc vim exiſtimo prætendere Non dixit, *qui non eſt lapſus à lingua*, ſed *in linguâ*. Cadere enim hominem à linguâ iniquâ emiſſum, impetu lethaliter ruere eſt: at in linguâ cadere horribilius omnino; quia qui cadit à linguâ abſtractus ab illâ & ſine illa comminuitur ab illa vtique vulneratus; ſed qui cadit in linguâ, quaſi viuus decidit in Infernum. Quid aliud, *Deſcendant in Infernum viuentes*; ſi lingua iniqua Iacobo teſtante *inflammata à gehennâ*? Vnde ſicut beatus eſt, qui non cadit in linguâ; quaſi damnatus eſt, qui in lingua cadit, quia in inferno collocatur.

42. *Epulo in lingua quaſi in gehenna patiebatur.* Luc. 16.

Id apertè oſtendam, ſi memor parabolæ Epulonis verba illa exaudieris: *Pater Abraham, mitte Lazarum, qui intingat extremum digiti ſui in aqua, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ.* Luc. 16. In quâ flammâ ô miſer diſcruciaris? *In hâc*, ad cuius extinctionem poſtulo refrigerium. In linguâ crucior, quia lingua iniqua (Chryſoſtomus author) tota mihi gehenna eſt: Chryſoſt. ſi ergo Epulo, vel ante extremam damnationem (vt contemplatur Chryſologus) quaſi Chryſol.

Tartaro

quaſi Tartaro addicitur, quia in linguâ commoratur velut in gehennâ, *beatus, qui non eſt lapſus in lingua ſuâ:* cadere enim *in lingua*, in gehenna cadere eſt: *Quia crucior in hac flamma.* Beatus, ne qui non eſt lapſus in flammâ? *Beatus, qui non eſt lapſus in linguâ.*

43. *Lingua velut biſtrum omnium malorum colligatio, ubi omnes iniqui.* Eccl. 10. Chald. & alij. Hieron.

Quid gehenna? Exiſtimo omnium eſſe malorum colligationem. Profectò lingua iniqua cunctorum malorum copulatio eſt. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Eccleſ. 10. Detractor ſerpens. Parum dixit, audi lectionum varietatem. Pro detractore Chaldæus, *Nihil eo minus fraudulentus.* Syriacus, *Maleficus*, Biblia Veneta, *Linguoſus.* Tigurina, *Maledicus.* Vatablus, *Blatero.* Campenſis, *Delator.* Alij, *Abſens lingua, Conuitiator.* At Hieronymus ex Hebræo transfert, *Nihil eo minus habens linguam.* Eo ipſo quòd linguam iniquam habeas apud te quidem omnium malorum epilogationem habere exiſtima, fraudulenti, linguoſi, malefici, maledici, blaterones, delatores, conuitiatores, damnatorum quidem turba tecum torquendi, ceu faſciculi, colligantur. Nec ſerpens Tartareus abeſt à linguâ, ſiquidem ipſa mordens eſt ſerpens: *Si mordeat ſerpens in ſilentio.* Phariſæus aiebat, *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, adulteri.* Luc. 18. Vbi Zeno ad Pſal. 130. *Lingua caret nunquam veneno ſerpentis.*

Nec abeſt diabolus ab inferno linguæ. Luc. 18. Zeno.

44. *Lingua eſt diabolus curans cunctos homines præcipitare in tartarum.* Eccleſ. 10.

Diabolus quidnam aliud curat niſi homines cunctos præcipitare in Tartarum? Eccleſiaſtes id muneris linguæ iniquæ eſſe manifeſtat. *Labia inſipientis præcipitabunt eum.* cap. 10. Non ſolùm curat præcipitare cunctos, ſed præcipitat. Biblia Complut. ex Chaldæo. *Labia viri ſtulti plena ſunt increpationibus; propterea conſumitur omne ſeculum.* Coſtus autem ex eodem Chaldæo. *Labia inſipientis hominis increpationem inuehunt, atque adeo uniuerſo Orbi interitum.* Æternum ne? Epulo linguæ traditur immortali interitui nunquam non apud linguæ gehennam cremandus. Si ex mente Chryſologi, *non erat illud æternum, quod illum expectabat incendium*, quonammodo æternum interitum vocitas? Bruſonius lib. 3. *Marcus Cato dicere ſolebat eum nequaquam quieſcere poſſe, quem ſemel morbus loquendi teneret.* Plura ſæpe.

45. *Æternitas gehenna linguæ.* Luc. 16. Chryſ. Bruſon.

SECTIO QVARTA.

Surdus & mutus audit, & loquitur.

TEXTVS.

VERS. 35. ET ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. 36. Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant. 37. Et eo ampliùs admirabantur dicentes: Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Sanatur ægrotus.

1. *Ægroti ſanitas, obediente natura.* Caiet.

ET *ſtatim aperta ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius.* Dixerat Dominus, *Adaperire*, dirigendo *ſermonem* (ait Caietanus) *non ad aures*, aut linguam, *ſed ad hominem, cui dicitur, Fiat apertus.* Obediente naturâ, vincula comminuuntur, ſurdus audit, mutus loquitur.

2. *Qui ... loquitur prius ...* Gregor.

Myſticè D. Gregorius hom. 10. in Ezech. adnotat eum ad loquendum vt doceat linguâ donari, cui aures priùs ad obediendum diuinis mandatis aperiuntur, *Cui aures cordis, ad audiendum apertæ fuerint, ex ſubſequenti proculdubio etiam lingua eius vinculum ſoluitur: vt bona, quæ ipſe fecerit, etiam facienda alijs loquatur.*

3. *Nec omnino mutus erat, nec ſurdus à natiuitate.* Caiet.

Et loquebatur rectè. Hinc non eſſe omnino mutum, vt innuimus, confirmatur. Particula enim *Rectè* denotat priùs non rectè loqui. Caietanus, *Hinc confirmatur, quòd non erat mutus. Non enim dixit, & loquebatur: ſed dixit, & loquebatur rectè.* Addit Cardinalis, *Vnde etiam conſequenter habetur, quod non erat ſurdus à natiuitate. Surdi enim à natiuitate neque rectè nec non rectè ſciunt loqui.* Gregorius ſuam confirmans moralitatem adiicit, *Vbi bene additur, Et loquebatur rectè. Ille enim rectè loquitur, qui priùs obediendo fecerit, quæ loquendo admonet eſſe facienda.* Gregor.

§. II.

Nemini euulgare miraculum præcipiuntur, qui altius ideo proclamarunt.

4. *Cur præcipit miraculum ſilentio inuolui?* Caiet. Chryſ.

ET *præcepit illis, ne cui dicerent.* Quare prohibet Dominus miraculum proferri? Caietanus: *Humilitatis affectu. Vide* (addit) *quam crebro vtitur Ieſus humilitatis affectu.* Theophylactus, *Docemur, quòd quando benefactori ſumus, ne plauſus, vel celebritates ex beneficijs quæramus.* Oportebat miraculum peruulgari, ſed adeò Dominus humilitatis ſtudioſus, vt modeſtus præualeret affectus. *Quantò autem eis*

5. *præcipiebat, tantò magis plus prædicabant.* Non enim erat ſerium præceptum, quod obligationem induceret vel credentibus, ſed affectus humilitatis. Fugiebat Chriſtus gloriam, ſed illa ſequebatur. Barradius, *ſciebat Chriſtus ſequuturam, ſed vt exemplum nobis præberet, illam fugiebat.* Adnotat Auguſtinus lib. & cap. 4. de Conſ. *Pigris volebat oſtendere Dominus, quantò feruentius eum prædicare debeant, quibus iubet, vt prædicent: quando illi, qui prohibebantur, tacere non poterant.*

Gloria ſequitur fugientē. — Barrad. — Auguſt.

Et eò amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui. Caietanus, *Græca dictio non ſignificat mutos, ſed elingues, & non potentes loqui. Directè enim reſpondet hoc ei, quod in principio dictum eſt, ſurdum impeditæ lingua.* Cùm ſurdum vnum audire fecerit, & mutum vnum loqui, cur numero vtuntur multitudinis? ſumitur numerus pluralis pro ſingulari. Caietanus, *Numerus pluralis pro ſingulari ſæpe vſurpatur.* Idem aſſerit Barradius, & alij. 6.

Græca dictio notatur, & quæſtionē ſo…atis — Caiet. — Barrad.

IN IESVM SENSVVM REFORMATOREM.

PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS CIRCA LITERAM.

EX SVRDO MVTO AVDIENTE ET LOQVENTE.

Observatio I.

Ad illa verba.

Solutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.

Poſt ligatam diù linguam, ipſa ſoluta, Mutus rectè loquitur.

Nec enim rectè loqui ſciet, qui non ſciuit tacere.

7. QVAM appoſitè Euangeliſta adnotat locutum rectè, qui diu obticuiſſe affirmauerat. Qui enim ſciuit tacere, loqui rectè proculdubio ſciet. D. Gregorius, *Ille ſcit rectè dicere, qui & ordinatè nouit tacere.*

Gregor.

8. Arcanum hoc vel Gentilibus reuelatum. Comicus cecinit.

Scit loqui rectè, qui diu tacuit. — Menand.

Satius tacere, quàm loqui, quæ non decet,
Et in loco tacere, & in loco loqui.
Hoc eſt, prius tacere, & loqui poſtea.

Vt ſcilicet poſt ſilentij tempus locus opportunus recto ſermoni exhibeatur. Seneca in Prou. *Taciturnitas ſtulto homini pro ſapientia eſt: tacere qui neſcit, neſcit loqui.* Et Pittacus, *Loqui rectè ignorabit, qui tacere neſciuit. Ariſtoteles dicere ſolitus eſt:* (apud Stob.) *Qui ſilere non nouit, is neque loqui admodum ſcit.* Et Bruſonius lib. cap. 6. ex Plutarch. *Quum Catoni, qui poſt di…us eſt Vticenſis etiamnum puero vitio daretur taciturnitas* (nec enim cum pueris exercebatur, nec à quoquam audiri volebat.) *ait, Tum demum abrumpam hoc meum ſilentium, quum ea loqui potero quæ ſunt indigna ſilentio.* Quaſi ad loquendum ſilentio non indigna, diuturnum ſilentium neceſſarius fuiſſet ſermonis apparatus.

Senec. — Stob. — Bruſon.

Sic aſſolent egregij præparari ſermones. Ioannes Baptiſta vox ipſius Verbi vocitatur a Patribus, Euangelij tuba. *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine.* Ioan. 1. Quonammodo fuerit tam præcelſa præparata vox contemplere. Zacharias tacet, Angelo indicente. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui.* Luc. 1. Vbi acute Chryſologus ſer. 92. *Pater tacet ex pœna. O quanto ſilentio vox naſcitur! O quanta taciturnitate tuba ſæculis vlulatura generatur!* Illud, *Pater tacet ex pœna,* ſic euoluas, precor. Pater tacet ex tam eleuatæ vocis neceſſaria præparatione. 9.

Vox egregia Ioannis in ſilentio pater no præparata eſt. — Ioa. 1. — Luc. 1. — Chryſ.

Eccleſiaſtes aiebat, *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* cap. 3. Cur non dixit, *Tempus loquendi, & tempus tacendi,* poſt laborem enim aſſolet quies præparari? Ideo adiicit, *Tempus belli, & tempus pacis,* quia prius labor præmittendus eſt, vt quies opportunior ſequatur. Profectò neceſſariò præmittitur tempus tacendi, quaſi non poſſit loquendi rectè tempus aduentare, niſi è ſilentio ipſo ſermo accipiatur. Pulchrè Nyſſenus hom. 8. *Priori loco collocatum eſt tempus tacendi, & poſt ſilentium dedit tempus loquendi.* Ipſum ſilentium dedit tempus rectæ loquutionis. 10.

Loquendi tempus à ſilentio datur. — Eccli. 3. — Nyſſen.

Dedit, inquit, non ipſe ſermo quaſi furtiue prodiit, quemadmodum qui ignorātibus cuſtodibus rupto carcere fugit. Vnde Dauid, *Pone, Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Ne declinet cor meum in verba malitia.* Pſ. 140. Vbi Chryſoſt. *Et portam attentionis circa labia mea.* Vt attentio ipſa obſirmans, & cuſtodiens labia det copiam exeundi verbis. *Et poſt ſilentium* (Nyſſenus ait) *dedit tempus loquendi.* 11

Verba … à ſilentio dantur … carcere fugiunt. — Pſ. 140. — Chryſ.

Obser

Observatio II.

Ad illa verba.

Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant.

Curanre Domino, ne miraculum glorioſè proferretur, amplius euulgatur.

Quia honor ſequitur fugientes.

12. Caiet. Theoph. VIDIMVS, ex Caietano, & Theophylacto Dominum humilitatis affectu imperaſſe, ne mirum opus pro[...]f... etur. At videntes plus ex Chriſti humilitate afficiuntur, vt elatioribus vocibus peruulgarent. Barrad. Gloria ſequitur fugientes, vt ex Barradio adnotauimus.

13. *Dauid fugiens honorem ab honore apprehenſus inſequente.* Pſal. 88. Chryſ. Caiet. Dauid in Regem Iſraelis eligitur, quem inuentum à ſe Dominus proclamauit. *Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum.* Pſal. 88. Vbi Chryſoſtomus hom. de Dau. tom. 1. *Cùm enim examinaret cunctos, plurimóſque prauideret, è quorum numero eligeret Regem, Inueni, inquit, Dauid ſeruum meum.* Ego autem aſſero Dauidem à Domino inuentum, poſtquam illum quæſiuit non inter cunctos viros quaſi expectantem electionem, ſed ſingulariter eam fugientem. Ac ſi diceret, *Dauid vbi es?* Caietanus ad 1. Reg. 13. *Deus ad ſimilitudinem quærentis inter tot Iſraelitas elegit Dauidem.* Vbi nam ille, qui fugit honores: qui ſe illatebrat, ne ipſum quærentes inueniant? Denique fugientem honor, & gloria comprehendit, & è latibulo tugurij extraxit. Ambroſius ad Pſal. 118. *Qui à Sacerdote quæſitus, & accerſitus a paſcuis prærogatiuam regiæ vnctionis* merito *accepit.* Debetur gloria fugienti.

14. *Abſconditus thesaurus inuenitur ad Eccleſiæ ornatum, quia honor ſequitur fugientem.* 1 Reg 13. Gregor. Vnde Samuel, *Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum.* 1. Reg. 13. Abſconditur fugiens Dauid, & ab vnctione quæritur. Perſequitur quippe gloria fugientes. Gregorius ad 1. Reg. 16. *Quærat qui ordinare, imo ornare Eccleſiæ caput cupit, occultos theſauros. Chriſti ſponſam ornare geſtit, ſed non poteſt, niſi occultos ſponſi theſauros producat, & non deſiſtat, donec latentes inueniat.* Theſauri abſconditi ſunt temporariæ gloriæ, ſiue honoris contemptores, qui fugiunt Præſulatum. Tunc autem ipſis ab honoribus quæruntur, ad Eccleſiæ ſupremum ornamentum.

15. *Gloria inſeparabilis comes Moyſi fugientis ipſum.* Exod. 32. Caiet. Num. 27. Oleaſt. Fugit Moyſes Præſulatus gloriam cùm ait: *Dele me de libro tuo.* Exod. 32. Caietanus, *Id eſt, de libro Principatus in Mundo. Significans per hoc, quòd nolit eſſe Princeps.* Porrò qui fugit gloriam ſic ab inſequente gloriâ inuentus eſt, ac tenaciter apprehenſus, vt ſit quaſi Principum ſeminarium deiectióque illa æternum gloriæ agglutinetur. Hinc Dominus cùm eligendus eſſet Princeps alter ſocius Imperatoris, ait, *Dabis ei partem gloriæ tuæ.* Num. 27. Quidam apud Oleaſtrum legunt. *Dabis ei de deiectione, vel proiectione tua.* Iam enim illa tua fuga, proiectio, deiectio tam eſt apprehenſa à gloria, vt nunquam dimittatur.

16. *Ieſus à gloria gloriam fugiens apprehenſus eſt.* Matth. 21. Caiet. Fugerat Dominus Regni gloriam, cùm poſt ſatiatas in deſerto turbas perrexit in montem, ne in Regem aſſumeretur. Fugientem gloria ſic perſiſtenter inſequitur, vt vel Diſcipulorum miniſterio vſa Chriſtum demum apprehendat. Vnde *adduxerunt* Apoſtoli *aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Matth. 21. Caietanus ad Luc. 19. *Inter tot honores ſedens ſuper aſinum flet, non extollitur, non magnifacit honores, qui fletum non continet.* Affectat adhuc fugere cum faciunt Diſcipuli eum ſedere; ſed tunc fugientem ſic inſequitur honor, vt cuncti conclament: *Hoſanna Filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ibid.

17. *Neceſſario fugientem gloria ſequitur.* Liu. Eraſm. Aiebat Liuius Dec. 1. lib. 4. *Gratia atque honos opportuniora interdum fugientibus ſunt.* Eraſmus lib. 6. Apoph. ex Plutar. ſcripſit, *Marcus Varro Pauli collega, quoniam ex Cannenſi pugnâ, quæ Romanis fuerat infeliciſſima, ſuperfuit, honores a populo delatos recuſauit, dicens, felicioribus Magiſtratibus opus eſſe Reipublicæ. Quum animum gerens inculpatum fortuna ſua Reipublicæ vltrò pœnas dare voluit, ſed non valuit vir ob hoc ipſum ſummis dignus honoribus.* Neceſſariò etenim gloria ſequitur fugientem: tanta quidem pertinacia, vt infallibiliter apprehendat. Plut. Plutarchum in Apoph. audire. *Cum in Lybiam aduerſus Domitium Pompeius tranſiſſet, cùmque ingenti prælio ſuperaſſet, militibus ipſum Imperatoris titulo conſalutantibus negauit, (fugiens) ſecum honorem admiſſurum, quandiu hoſtium vallum ſtaret erectum. Hoc audito milites, licèt ingens obſtaret pluuia, impetu facto, hoſtium caſtra adorti expugnarunt.* Vides iam illud? Addit opportunè, *Recuſauit honorem.* Ac ſi diceret, Tam pertinaciter honor ſequitur recuſantem, & fugientem, vt ad apprehendendum refugam, mira opera, egregia facinora efficiat excitari.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et loquebatur rectè: Et eò ampliùs admirabantur dicentes: Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

Rectè & mutus, & ſocij loquuntur, dum gratis vocibus efferunt curationem.

Vox enim laudes inſequi debet beneficij acceptationem.

18. RECTE loquutus Surdus mutus ſanitate donatus, rectè ſocij ſermonem profudere, ſi gratiarum carmina concinant. Benè omnia fecit. Ingratum te puta,

dum

dum actionis gratiarum vices non gerit vox commendatrix beneficij mox poſt receptionem.

19. *Lingua non proferens vocem laudis pro beneficiis, præſcindenda.* Ariſtoph.

Celebre Prouerbium illud: *lingua ſeorſum inciditur.* Ac ſi diceres, lingua quæ non ſequitur beneficium, ſed ſeorſum incedit, incidenda eſt. Ariſtophanus interpres admonet alluſum eſſe ad prouerbiale dictum apud Græcos, *Lingua præconi. Quâ rectè videbimur*, ait, *vſuri, cum præmy non nihil ſignificabimus deberi ei, qui in conficiendo negotio pro ſua virili in partem adiumento fuit.* Lingua igitur, quæ in benefactoris decantandas laudes non exercitur præſcindenda eſt.

20. *Voce & actione dic, laudans benefactorem.* Niſſe.

Accipis beneficium? ſequatur oratio laudatoria. Dicit quis rethorico apparatu, non ſolum vocibus vtitur, ſed & vocalibus actionibus ſermonis efficaciam manifeſtat. Gregorius Nyſſen. lib. de opif. hom. *Manus*, inquit, *data ſunt homini, vt melius loqueretur, ſunt enim hominis manus, quæ pro ipſo reſpondent, & rationem de illo cum voce reddunt. Et dura bruta pedibus reſpondent calces impingendo benefactori ſuo, homo extollendo manus in ſancta, Domino voce reſpondet.* Poſt beneficium acceptum efformanda & vocibus & actionibus laudatoria in Dominum Panegyris.

21. *Ingratus canis mutus neſciens latrare. Ediſcamus ex brutis, gratias voce referre.* Ambroſ. Iſai. 56.

Cum canes audio excubias ſollicitas gerentes latratu crebro nocturnum ſilentium violare, gratitudinis imaginem recognoſco. Illi latrant, vt Domini paſcentis iura cuſtodiant. Ambroſius lib. 6. Hexam. cap. 4. *Quid de canibus loquar, quibus inſitum eſt natura, quandam referre gratiam, & ſollicitas excubias pro Dominorum ſalute prætendere?* Iſaias appoſitè, *Canes muti neſcientes latrare.* Cap. 56. Te pudeat canem mutum eſſe poſt acceptum ſolutæ linguæ beneficium. *Ad immemores beneficij* (addit Doctor) *clamat Scriptura, canes muti neſcientes latrare. Quis non erubeſcat gratiam bene de ſe merentibus non referre, cùm videat etiam beſtias refugere nomen ingrati? Et illæ impertitæ alimonia ſeruant memoriam, tu non ſeruas ſalutis acceptæ? Quid nos dignum noſtro referimus Creatori, cuius cibo veſcimur?* Canis cibum latratu compenſat, & nos labiis ſanguine Chriſti rubricatis ſaltem non proferamus beneficij commendationem?

22. *Ingratus malè loquitur, gratus rectè profatur.* Pſal. 10. Nebien. 1. Reg. 25.

Dauid, *Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.* Pſal. 10. Nebienſis legit, *Dixit ingratus.* Hebraicè, *Dixit Nabal*, ſiue ingratus ſtultus, maxima etenim ſtultitia eſt, poſt accepta beneficia non rectè loqui, id eſt, non profundere vocem in muneratoris commendationem. An ſic Nabal? *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſai?* Non ſic grata vxor Abigail memor beneficiorum, quæ ex paſtorum incolumitate acceperant. *Ei dixit, Ne ponat Dominus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal, quoniam ſecundùm nomen ſuum ſtultus eſt.* 1. Reg. 25. Quàm ſtultè loqueris non rectè de benefactore! quàm prudenter vocem commendationi eius, à quo beneficium accepiſti libare ſtudes!

23. *Retribuimus Deo pro omnibus, dum vocem laudis proferimus* Pſal. 102. Pſal. 115.

Alibi Vates, *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.* Pſal. 102. An poſſumus Domino cuncta nobis tribuenti aliquid retribuere? Imò omnes poſſumus quodammodo retributiones in Deum conferre, ſi laudis voces protulerimus. Vnde in Vaticano codice alij tranſtulerunt, *Et noli obliuiſci omnes laudes eius.* Idem enim eſt Dominum laudare, ac ei retribuere. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Quid? *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Pſ. 115. Addit Eccleſia, *laudans inuocabo Dominum.* Si poſt acceptum beneficium, vocem laudis profudiſti, puta te benefactori retribuiſſe acceptum.

A Iudæis fuit Dominus acriter vulneratus, quos tunc diues in miſericordiis Cruci illigatus redimebat. Chryſoſtomus exaggerare ſtudens Iudæorum nequitiam, vulnerum oblitus, ſolummodo memorat eos non rectè loquutos fuiſſe, cum beneficium auguſtiſſimum accipiebant: ſed de ipſo beneficio Crucis verba taxantia excogitârunt qui elogiis decantandis ſtudium impendere debuiſſent. *Conſidera* (inquit hom. 2. de Cruce, & latro. tom. 3.) *vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur vocem paternam. Diabolus dicebat, ſi Filius Dei es, mitte te deorſum; & Iudæi dicunt ſi Filius Dei eſt, deſcendat nunc de Cruce. Dicit Pilatus, Regem veſtrum crucifigam? At illi dicebant, Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Hæccine reddis, *popule ſtulte & inſipiens.* Cum vox laudis deberet crucifixum extollere, & Regem potentiſſimum inclamare, ſi quidem à ligno hominum ſalus: vocibus profuſis Dominum è cruce deturbatis? ſic reddit Domino qui labiis ſanguine Dei rubricatis aut nomen ſacratiſſimum violat, aut aduerſus proximos conuitia iactat. 24. *Iudæorum maledici poſt beneficium loquentium ingrat. iudo.* Chryſ.

Defectio ô Domine, *tenuit me*, pro huiuſmodi peccatoribus derelinquentibus laudes tuas. *Cantabiles enim mihi erant iuſtificationes tuæ.* Pſ. 118. Vbi Bernardus ſerm. 1. in Cant. *Quoties tentatio ſuperatur, aut vitium ſubiugatur, aut imminens periculum declinatur, aut laqueus inſidiantis deprehenditur, aut annoſa, & inueterata quæque animi paſſio ſemel perfectèque ſanatur, aut multùm, diùque cupita, & ſæpius petita virtus tandem aliquando Dei munere obtinetur: toties perſonare debet actio & vox laudis*, (ac ſi voce & actione ſit dicendum.) *Debet ad ſingula beneficia benedici Deus in donis ſuis, alioquin ingratus reputabitur, cùm diſcuſſio venerit, qui non poteſt dicere Deo, cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Dum apud peregrinationis patriam ô Domine, commorabor, tua recolens beneficia non tacebo; &, vt loquar cum prophano, cum ſanctis ſentiam: 25. *Dum non poſſumus in Deum gratitudinis opera digna conferre, ſaltem cantemus beneficia accepta.* Pſal. 118. Bernard.

Semper inoblitâ repetam tua munera mente,
Et mea me tellus audiet eſſe tuum. Ouid. in Ibi.

Opera digna non poſſumus in benefactorem conferre? ſaltem beneficia dulci voce cantemus: *cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ.*

LIBER OCTAVVS.

PANIS MVLTIPLICATIO.

PARS PRIMA.

QVINQVE PANES.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput ſextum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum naturæ Dominum.

PROLVSIO.

EXIGVÆ alimoniæ ſic naturæ Dominus fecit excreſcere quantitatem apud Thebaïdæ deſertum, vt quinque panibus diſtributis totidem virorum millibus epulas præpararet. Poſt ſatiatos tot viros, poſt expletam mulierum ac paruulorum immenſurabilem multitudinem, implendis duodecim cophinis fragmentorum materia ſuperauit. An Deipata miraculo interfuerit, Ioannes non indicat, ſed myſticam eius præſentiam Andreas Cretenſ. affirmauit, dum ſcribit Mariam menſam apud deſertum extitiſſe, vbi ſpirituales nobis epulæ miniſtrantur. *Proponuntur nobis in menſa Mariæ hæ veræ, ac myſticæ epulæ, quarum quia plena eſt menſa, accedamus conuenienter dignitati ſpiritus.* Nec enim ſine reſpectu ad Virginem homines ſatiarentur, nec Chriſtus tam abundantem, tam ſalubrem offerret annonam.

Vitalis ligni Chriſti, Admirabilis, ſiue miracula gerentis, FRVCTVS OCTAVVS.

Andreas Cret.

IOANNIS Cap. VI.

VERS. I. POST hæc abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.

PARAPHRASIS.

1\. *ASimulata religionis opinione, & imperita legis peritia tumidis hominibus ſe ſubducens Dominus, ſeſe ſimplicioribus reddit, denuo proficiſcens in Galilaam illam, quæ eſt vltra lacum Tiberiadis à Tiberio.*

2. Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur.

2. *Huc proficiſcentem ingens hominum ſecuta eſt multitudo, partim allecta miraculorum cupiditate, quia eum viderant virtute inſolitâ morbos hominum depellentem: partim vt ab eo ſanarentur, qui morbis immedicabilibus tenebantur: partim illius inhiantes doctrinæ.*

3. Subiit ergo in montem Ieſus: & ibi ſedebat cum Diſcipulis ſuis.

3. *Ieſus ergo ſe ſe in montem ſubducit vnà cum Diſcipulis. Hi ſoli Dominum comitantur, & cum ipſo ſedent in monte; quòd Epiſcopos à ſordidis temporalium rerum curis vacuos eſſe oporteat.*

4. Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum.

4. *Profectò cum hæc in Galilæa gererentur, proximè Paſcha dies inſtabat Iudæis cum primis religioſus. An magis iam conueniret, illum verſari Ieroſolymis, ſi religionis opinionem ſibi voluiſſet conciliare? Patris præſcriptum ſequitur.*

5. Cùm ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum, Vnde ememus panes, vt manducent hi?

5. *Cùm ergo Ieſus, apertis oculis in populum, vidiſſet numeroſam multitudinem aduentâſſe, ſic præparat Diſcipulorum animos ad certam miraculi fidem, vt primum velit eis notam eſſe ciborum penuriam. Vnde, inquit, mercabimur panes, vt iſtis tam numeroſæ multitudini refectio poſſit exhiberi?*

6. Hoc autem dicebat tentans eum; ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus.

6. *Hoc requirit Dominus, non quòd ipſe neſciret, quantùm panis, aut obſonij: ſed partim vt Apoſtolos redderet attentiores ad miraculum: partim vt omnes diſcerent, quàm non ſolliciti fuerint Diſcipuli Ieſum ſequentes de commeatu; quámque plebeio, vilique cibo contenti eſſent.*

7. Reſpondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.

7. *Philippus autem tametſi viderat in Cana vinum ex aquâ effectum, non expectans miraculum, exiguum pecuniæ ſubſidium cum ingenti hominum multitudine conferens, inquit: Etiam ſi ducentis denarijs emamus panes vix ſuffecerint: non dicam ad ſaturandos iſtos, ſed vel paululum guſtantes ſinguli famis periculum effugiant.*

8. Dicit ei vnus ex Diſcipulis eius Andreas, frater Simonis Petri.

8. *Hæc vbi Philippus dictitâſſet, Andreas frater Simonis Petri aliquantò prudentior, iam vtcumque ad ſpem miraculi animum arrexerat: ſed nondum plenâ fiduciâ, fatur.*

9. Eſt puer vnus hìc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?

9. *Eſt hìc puer quidam, qui habet quinque panes hordeaceos, ac piſces duos. Sed quid tantulum ad tantam multitudinem famelicam? Non omnino diffidit panes poſſe creſcere, ſed ad moderatam portionem: ſic vt ex paucioribus minus, ex pluribus plus accreſceret.*

10. Dicit

10. Dicit ergo Ieſus, Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia.

10. Ieſus autẽ vt vidit illis non ignotam ciborum inopiam, & animaduerſam immenſam multitudinem, mandauit Apoſtolis curare, vt populus in gramine diſcumberet, cuius inibi magna copia. Erant autem ferè quinque millia viri, qui diſcubuerunt.

11. Accepit Ieſus panes: & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus; ſimiliter & ex piſcibus, quantùm volebant.

11. Chriſtus itaque quinque panes hordeaceos acceptos, poſtquam ex ſuo more Patri gratias egiſſet, fregit, tradidítque Diſcipulis, vt diſtribuerent populo: iam tum illos fingens vt imagine corporali paſtores agere conſueſcerent. Quod autem fecerat de quinque panibus, idem de duobus fecit piſcibus; atque inter diſtribuentis manus ipſius arbitratu creſcebat obſonium, quantum ſciebat omnibus ſaturandis ſuffecturum.

12. Vt autem impleti ſunt, dixit Diſcipulis ſuis, Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.

12. Profectò cùm multitudo illa iam eſſet cibo expleta, cæleſtium bonorum expreſſurus redundantiam, Colligite, inquit conuiuij reliquias, ne quid pereat doni cæleſtis. In tantam copiam Ieſu benignitas exilem auxerat paucorum panum commeatum.

13. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque pánibus hordeaceis, & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant.

13. Tantum ergo reliquiarum compertum eſt ſaturis omnibus ſuperfuiſſe, vt ex his impleti ſint cophini duodecim. Obiter edocet Dominus non oportere parcam eſſe in pauperes beneficentiam, quæ tot incrementis donata redit: eum qui paſcendi gregis Dominici curam ſuſcepit, largiter oportere ſuppeditare ex diuite Scripturæ penu quidquid ad erudiendos, conſolandos, animandos pertinet, qui huiuſmodi indigent cibo.

14. Illi ergo homines, cùm vidiſſent, quod fecerat ſignum, dicebant, Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in Mundum.

14. Illi ergo ſatiati homines teſtes oculati mirabilium, cœperunt de Ieſu magnificè prædicare profati: Hic eſt verè Propheta ille, tam diu expectatus, qui venturus erat in Orbem. Hoc plebis ingenium, citiùs ventris, quàm mentis ſentit beneficium. Viderant maiora miracula, nec tamen vnquam tam magnificum illi tribuerunt elogium. Saturitas hanc potuit vocem extorquere.

15. Ieſus ergò cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent: vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.

15. Porro, vt erant rudes adhuc, Meſſiam in hoc expectantes, vt Regnum mundanum ſibi vendicaret: conſultârunt inter ſe ſe, vt Ieſum raperent, ſibíque Regem conſtituerent. At Ieſus, qui longè aliud Regnum ambiebat nempe Crucis, quique in hoc venerat, vt nos doceret gloriam Mundi contemnere, non ignarus, quid agitarent, ſe ſe ſolum ſubduxit in montem, vnde deſcenderet.

SECTIO PRIMA.

Conuiuarum fames.

TEXTVS.

VERS. I. POST hæc abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.
2. Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ
faciebat ſuper his, qui infirmabantur. 3. Subiit ergo in mon-
tem Ieſus, & ibi ſedebat cum Diſcipulis ſuis. 4. Erat autem proximum Paſcha
dies feſtus Iudæorum. 5. Cùm ſubleuâſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet, quia
multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vndè ememus panes, vt
manducent hi? 6. Hoc autem dicebat tentans eum; ipſe enim ſciebat, quid
eſſet facturus. 7. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes
non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. 8. Dicit ei vnus
ex Diſcipulis eius Andreas frater Simonis Petri. 9. Eſt puer vnus hîc, qui habet
quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De ſeceſſu Domini, comitatu, Paſchatis inſtantiâ.

1. *Vndenam mare Tiberiadis appellatum?* ABIIT *Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.* Vberiorem & literalem, & myſticam explanationem mea in Caput 6. Ioannis exhibent Commentaria. Mare hoc Tiberiadis appellatur à Ciuitate Tiberiade lacui vicinâ. Hanc quidem Ciuitatem ex duabus maximis Galilææ fuiſſe, Galilææque Metropolim Ioſephus lib. de vitâ ſua teſtatur. (Ioſeph.) A Tetrarchâ Herode exædificata, dictâque Tiberias in gratiam Tiberij Cæſaris Romanorum Imperatoris, in cuius amicitiam fuerat Herodes receptus, ſi eidem Ioſepho lib. 18. Antiq. Cap. 3. danda fides.

2. *Propè Tiberiadem miraculum accidit.* *Abiyt Ieſus*, &c. Abiiſſe Ieſum trans mare Tiberiadis Ioannes ait, quoniam fortè propè Tiberiadem nauigauit. Et quidem ex Nicephoro colligo locum miraculi propè hanc Vrbem extitiſſe. (Niceph.) *Helena* (ait lib. 8. cap. 30.) *Tiberiadem venit, vbi duodecim thronorum Templum ſtatuit, quo loco Chriſtus quinque hominum millia pauit.* Et Adrichomius in Deſcr. Tribus Nephtal. num. 69. (Adricho.) *Nonnulli miraculum hoc iuxta Tiberiadem Ciuitatem contigiſſe autumant.*

3. *In deſerto Bethſaidæ accidit loco.* Attamen ex Lucâ conſtat in deſerto loco Bethſaidæ miraculum fuiſſe patratum. Quia autem Helenæ illud factum authoritate mouet, aſſero deſertum illum locum Bethſaidæ fuiſſe, id eſt, ad Bethſaidæ poſſeſſiones pertinuiſſe, quamuis Tiberiadi propinquus eſſet. Quod ſi verum eſt, potuit turba illa pedeſtris per pontem Tiberiadis in vlteriorem lacûs ripam tranſire.

Et ſequebatur eum multitudo magna, qui videbant ſigna, & prodigia ſuper his, qui infirmabantur. Miraculum Euangeliſta narraturus, quo magna hominum multitudo quinque panibus fuerit exſatiata, & vnde conuenerit, prætermittit; ne ſi nulla mentio fuerit, vnde hæc tanta multitudo in deſerto comparuerit, aliquis hæſitaret. Simul etiam cauſam adiungit, quæ tantam multitudinem in deſertum locum Chriſtum ſequi permouerit. Ex oppidis ergo circumiacentibus multi ad eum confluebant; pars vt à ſuis infirmitatibus ſanaretur; pars vt infirmos & ægrotos ipſos deferret; pars vt videret mira opera Chriſti. 4. *Quare multitudo illa magna ſecuta ſaluatorem?* *Vtilitate corporis magis* (ait Toletus) *quàm animæ iſta multitudo concurrebat.* (Tolet.)

Subyt ergo in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum Diſcipulis ſuis. Exeuntem ex ſcapha Chriſtum hominum illam multitudinem edocuiſſe, multiſque contuliſſe ſanitatem ex aliis Euangeliſtis competio. 5. *Scandit Ieſus in montem.* Poſtea tandem cum Diſcipulis in montem conſcendit quietis gratia, ibique ad veſpertinum vſque tempus manſit. Veſperi, vt Matthæus adnotat, ſeu, Luca ſcriptore, die declinare incipiente, Diſcipuli turbam vt dimitteret, ſuggeſſerunt, ad eſcas emendas.

Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum. Exiſtimat D. Auguſtinus ſerm. 11. de Epiph. factum miraculum eo die, quo in Nuptiis aqua eſt in vinum conuerſa, alio tamen anno. 6. *Miraculi tempus.* At Nuptiarum miraculum ſextâ Ianuarij die editum longè ante Paſcha fuit: hoc autem propè Paſcha eſt patratum; ergo non eadem die.

§. II.

§. II.

Quærit Dominus, vndenam turbæ refici poſſent.

7. *Chriſti interrogatio.*

CVm ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet, quòd multitudo venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Oculos Chriſtus in multitudinem illam hominum; fœminarúmque coniiciens, Philippum interrogat, vnde emeret panes? Ille iuxta reſponſum ab aliis Diſcipulis redditum, inquit.

8. *Philippi reſponſio.* *An Diſcipuli hanc pecuniæ ſummam habuerint?*

Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Ducenti denarij aureorum viginti ſummã efficiunt. Quæres, num Apoſtoli pecuniæ hanc tunc ſummam habuerint? Si non haberent illi ſummam huiuſmodi, (nonnulli opinantur) cur tum alij, tum Philippus ducentorum tantum denariorum mentionem facerent? Illa Marci verba confirmant: *Euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus illis manducare.* cap. 6. Ac ſi dicerent, ducentos in loculis denarios habemus, his panes turbæ comparabimus. Alias equidem aliam multo maiorem pecuniæ ſummam, qua tot hominibus cibus emi poſſet, protuliſſent: videlicet centum denariorum millia.

9. *Probabile.*

Credibile Apoſtolos habuiſſe tunc temporis ducentos denarios, eóſque, vt turbas paſcerent, in panes impendere voluiſſe. Philippus verò cùm videret, pecuniam ſufficientem non eſſe, reſpondit: Ducentos habemus denarios, ſed ducentis denariis empti panes minimè poſſunt tot hominibus paſcendis ſufficere.

10. *Probabilius non habuiſſe.* Thom. & alij. Cyril.

Credibilius tamen mihi hærenti D. Thomæ, Lyrano, Ianſenio, Carthuſiano, Caietano, Maldonato, Barradio, & aliis Apoſtolos ducentos illos non habuiſſe denarios. Cyrillus, *Vnde ememus panes, dixit Chriſtus, vt paupertatem Diſcipulorum oſtenderet, qui iampridem colligendi æris abiecto ſtudio, vnde emerent, non habebant.* Carebant Diſcipuli pecuniá, exiſtimabántque tantæ hominum multitudini cibum minimè poſſe ſuppeditari. Id exprimunt illa ſententia: *Euntes emamus denariis ducentis panes, & dabimus illis manducare.* Quaſi per ironiam de re, quam impoſſibilem arbitrabantur, dictitáſſent. Maiorem autem argenti ſummam proferre opus non fuit, quoniam ea illis pauperibus magna viſa eſt.

11. *Quænam illa tentatio Philippi.* Auguſt.

Hoc autem dicebat tentans eum; ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Duplex tentandi genus, vnum ad malum, quod dæmonis eſt: alterum ad probandam virtutem, quod eſt Dei. Sic Abrahamum, & Philippum tentauit. Legendus Auguſtinus tract. 41. in Ioan. Oporteret equidem Philippum reſpondere: Domine, haud emptis panibus indiges, potens cibos toti Orbi ſuppeditare. Rogas, vndenam panes habere poſſis? Ex nihilo facere poteris, tibi pecunia anguſtior tua erit omnipotentia. Longè ſecus reſpondit: *Ducentorum denariorum, &c.*

12. *Cur potius Philippus interrogatur.* Cyril. Theoph.

Cur Philippum potiùs, quam ex Apoſtolis alium interrogarit? Reſpondet Cyrillus, *Libenter Philippus diſcebat, quærebátque ſæpius. Sed non erat adeo acutus, vt altiora poſſet intelligere. Quod inde patet, quia magno tempore Saluatorem ſecutus, & varia Deitatis eius ſigna in dies aſpiciens, & tam verbis, quàm rebus ad cognitionem attractus, quaſi nihil adhuc didicerit, in vltimo ferè diſpenſationis tempore dicit ad Ieſum: Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Vt ergo rudiorem ad ſublimiora ingenio conſequenda, & ad fidem vocans, & roborans, rogat.* Et Theophylactus, *Non alium interrogat Chriſtus, quàm Philippum, ipſe enim maiore indigebat eruditione.* Vera hæc.

13. *Auctoris ſententia.*

Exiſtimo tamen, non ideo ſpecialiter Philippum interrogatum, ſed quòd eius Patria Bethſaida eſſet, & loca illa haberet explorata, vnde cibus comparari poſſet: vel quia in cibo comparando erat peritior.

14. *De puero habente panes.* Matth. 14. Pſal. 112. Abul.

Dixit vnus ex Diſcipulis eius Andreas, &c. Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces, &c. Puer in ſacris famulum ſignificat. *Et ait Herodes pueris ſuis.* Id eſt, famulis. Matth. 14. Abulenſis puerum *ſeruum* eſt interpretatus, iuxta illud *Laudate pueri Dominum.* Pſal. 112. Id eſt, ſerui Dei laudate Deum. Ac ſi diceret (inquit Matth. 14. q. 83.) *eſt puer vnus hic, id eſt, ſeruus tuus, videlicet ex Apoſtolis aliquis, qui panes quinque habet, & duos piſces.* Chriſtus planè pueros Apoſtolos appellauit, *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Ioa. 21. Satiùs exiſtimo puerum aliquem in ea turbâ fuiſſe, qui hos panes, & piſces haberet. Ioan. 21.

15. *Num venales panes?*

An panes venales à puero haberentur, vel ex penu Apoſtolorum fuiſſent? Euthymius venales ſentit. Ego autem veroſimilius duco puerum illum alicuius Apoſtoli fuiſſe conſanguineum, & comitem, qui panes illos & piſces in cibum Apoſtolorum ferret. Probo ex illis Marci: *Quot panes habetis? ite, & videte: & cùm cognouiſſent, dicunt: Quinque, & duos piſces.* Et ex illis Matthæi: *Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces.* Manifeſtiùs Lucas, *Non ſunt nobis pluſquam quinque panes, & duo piſces. Niſi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam eſcas.* cap. 9. Habebant ergo Apoſtoli quinque panes iam quos non eſſet opus emere. Andreas igitur nomine reliquorum Apoſtolorum locutus, vt Ioannes ſcribit. Reliqui verò Euangeliſtæ, omiſſo puero, ſcripſere, Apoſtolos reſpondiſſe: *Non habemus niſi quinque panes,* quia id Andreas dixerat nomine aliorum. Luc. 9.

IN IESVM TVRBAS REFICIENTEM.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX CONVIVARVM FAME.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba.

Abijt Ieſus trans mare Galilææ, & ſequebatur eum multitudo magna.

Cupientes turbæ Chriſtum habere, eum ſequebantur.

Ad Chriſtum enim non perueniet, qui non ſequitur ipſum.

16. ABIT Ieſus, relinquit turbas, turbæ autem abeuntem ſequuntur, vt poſſidere valeant. Fugit ſponſus? arripienda via, vt ſequaris; nec enim qui non ſequitur, diuinâ præſentiâ donatur.

17. Clamabat Sponſa, *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea.* Cant. 3. Vbi Gillibertus ſerm. 1. *Noctes eius frequenter interpellantur abſentiâ ſponſi: cùm adeſt, lux eſt; cùm abeſt, nox eſt. Ideo multæ ſunt noctes ſponſæ, quia multi ſunt elapſus ſponſi. Beata planè quæ adhæret ſponſo tota die.* Si multi ſunt ſponſi elapſus, quonammodo ſponſæ tota dies eſt, nihil noctis adeſt? Semper diſcedente ſponſo fruitur, ac ſi minimè diſceſſiſſet, quia nunquam non quærit. *Per noctes quæſiui.* Bellè Abbas, *Adhæret ſponſo totâ die, & quærit illum totis noctibus.* Ac ſi diceret, Ideo ſponſæ totum tempus dies eſt, quo adhæret ſponſo; quia tota nocte quærit: quærere autem idem prorſus ac dulciſſimum ſponſum poſſidere. Qui quærit, ergo poſſidet, ſecus qui minime requirit.

Quærere ſponſum idem eſt, ac ipſum poſſidere. Qui quærit poſſidet, ecus qui non requirit. Cant. 3. Gillib.

18. Alibi pia amatrix. *Trahe me poſt te.* Cant. 1. Et cur non *ante te?* An dulcius aliquid ſponſæ, quàm optatiſſimo amantis amatique potiri conſpectu? Profectò ſciebat illa minime poſſe ſponſum videre, ac poſſidere, niſi poſt illum ſe ſuauiter decurreret: ipſúmque ſequi idem eſſe ac illius conſpectu frui. Bernardus ſerm. 21. *Scio, inquit ſponſa, me nequaquam poſſe peruenire ad te, niſi gradiendo poſt te: ideóque precor, vt trahas me poſt te.* Poſt te quærens trahor: ſed ſimul neceſſariò tuo conſpectu fungi. *Quàm pauci poſt te, ô bone Ieſu, ire volunt, cùm tamen ad te peruenire nemo ſit qui nolit. Non curant quærere, quem tamen deſiderant inuenire.* Credite mihi, non videbitis, ſi non ſequamini, illud enim ſequi quaſi videre eſt.

Trahi poſt Ieſu ſiue illum ſequi, idem eſt, ac eo frui. Cant. 1. Bernard.

19. Cupiebat Moſes Domini faciem beatiſſimam intueri. *Oſtende mihi*, ait, *faciem tuam.* Cui Deus, *Ego oſtendam tibi omne bonum, ponam te in foramine petræ, & cùm pertranſierit gloria, poſteriora mea videbis.* Exod. 33. Faciem, in qua gloriæ fulgores, cupit Moyſes videre, non tergum. Imo quia gloriam faciei conatur aſpicere, ad terga aſpectanda inuitatur. Qui enim Deum ſequitur, qui poſt Deum currit, neceſſariò faciei gloriâ potitur. Nyſſenus hom. 11. in Cant. *Quibus verbis docemur, eum, qui videre Deum cupit, deſiderij compotem fieri ſemper ſequendo.* Preme hoc: *Deſiderij compotem ſemper.* Si ſemper deſiderat videre, quandonam dabitur fruitio, ac conſequutio? An non vides quia illud ipſum ſequi Ieſum, iam eſt ipſo potiri? Ideo addit, *Sequendo.* Quia ſequelæ ipſe optatus aſpectus copulatur.

Sequela ipſi Ieſu optatus aſpectus copulatur. Exod. 33. Nyſſen.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbat ſigna, quæ faciebat.

Chriſtum præeuntem ad deſerta turbæ ſequuntur imitatrices.

Exemplum enim verbo eſt efficacius.

ABEVNTEM Ieſum trans mare turbæ ſequuntur ſuauiſſimâ quidem tractione quia exemplum Ducis, ſeu Præſulis verbo efficacius reperitur. Difficile imperium, pelagus tranare, in deſerto conſtitui, tolerare famis moleſtiam? Præcurrat Præſul, oculis præſentet actiones verbis quouis libet efficaciſſimas. 20

Poſt

21. *Ad ſaluatur Iſrael precedit Iſraelitas, vnde vbi facile occupant vada Iordanis.* Iud c. 3. Bernard.

Poſt occiſum Regem Moabitarum, Aod Iſraelis liberator effugit, & ait Iſraelitis: *ſequimini me, tradidit enim Dominus inimicos noſtros Moabitas in manus noſtras. Deſcenderúntque poſt eum, & occupauerunt vada Iordanis, & non dimiſerunt tranſire quenquam: ſed percuſſerunt Moabitas, &c.* Iudic. 3. Seſe Dux ille imitandum, videndumque propoſuit, vt opere ipſo efficaciùs perſuaderet. D. Bernardus ſerm. de S. Benedicto. *Sermo viuus, & efficax exemplum operis eſt, plurimum faciens ſuaſibile quod dicitur, dum monſtrat factibile, quod ſuadetur.* Ieſus ſi non occupat vada Iordanis, abit trans mare Galilææ, laſſatur itinere, fame fatigatur; quem quidem alacriter turbæ laſſatæ ac fameſcentes ſequerentur. Ac ſi profaretur Dux verus Aod ſaluator: *ſequimini me.*

22. *Pergentem Ieſum in locum deſertũ turbæ requirunt, agnoſcentes Deũ ex eo quod exemplo precedit.* Luc 4. Ambroſ.

Lucam audiamus, *Exibant dæmonia à multis clamantia, & dicentia; Quia tu es Filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui. Facta autem die, egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vſque ad ipſum.* Cap. 4. Vbi quæſierim, cur Dominus dæmones clamantes compreſſerit? Reſpondet Ambroſius ad Pſal. 118. *Dæmonibus confitentibus Dei Filium, imperabat tacere, vt operibus magis, quàm ſermonibus Deus agnoſceretur.* Haud Dominus egebat ſermonibus commendatitiis, vt homines ſequerentur. Ipſe enim præcedens in deſertum, turbas attrahit ſectatrices. *Ibat in deſertum locum, & turbæ requirebant eum.* Vt requirant, vt ad deſertum pergant, efficacior eſt Ieſu præceſſio, quàm quorumlibet verborum exhortatio. Sic turbæ in præſenti vel famis moleſtia preſſæ in deſertum pergunt alacriter, Domino præeunte.

23. *Quam facilè Diſcipuli Dominum præcurrentem ad deſertum ſequuntur.* Mat. 4. Anſel.

Diſcipulos Dominus ad laborioſam admodum expiſcationem inuitat, fatus: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* At illi, *relictis retibus, ſecuti ſunt eum.* Matth. 4. Cuncta ſi quidem ab ſpiritualibus piſcatoribus dimittenda, vt deſertum incommoditatibus redundans ineatur. An fragilitas humana potens tanto ſeſe labori committere? Ita planè, dum Chriſtus præcedit ad deſerta. Non ait, Ite, ſed *venite poſt me.* D. Anſelmus, *Primò ponit ſe nobis in exemplum, & poſtea inuitat ad veniendum poſt ſe. Venientes autem ad ſe vocat, vt reficiat, ne deficiant.* Audiſti Dominum profantem, *Miſereor turbæ, quia ſuſtinet me, & ſi dimiſero eos ieiunos deficient in via.* Eu ſequendi Domini commodum famis ac itineris moleſtia toleratur Chriſto præeunte, & tandem refectione laſſitudo donatur.

24. *Campi labor fac lis mihi dimicatuto, dum video Dominum florem q idē non in ... io, ſed in Campo.* [illegible]

Sponſus proclamat, *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cant. 2. Vos ad campum aduoco, ad deſertum duco. An tunc flos ſum hortorum, lilium paradiſi reconditum, clauſtri requie fruens? Profectò campi flos ſum, conuallium lilium, ad eandem viam laborioſam accingor. Bernardus ſerm. 47. *Ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat. Neque putat quidquam perſuaſibilius fore illi ad ineundum certamen,* (ſeu campi viam terendam) *quàm ſi ſe ipſum certantis,* aut abeuntis in campum, in deſertum exemplum proponat.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Et ſequebatur eum multitudo magna.

Non imperatæ turbæ, non tractæ, ſed voluntariæ & vltroneæ celeriter, & alacriter veniunt ad Chriſtum.

Voluntarios enim Dominus expetit ſectatores.

NVLLO præmiſſo imperio, turbæ Dominum ſequebantur. Ideo ait, *Cùm vidiſſet, quia multitudo magna venit ad eum.* Vnde operam earum fami leuandæ impendere curat; voluntarios enim magni ducit Dominus ſectatores, alacre benigniter excipit obſequium. 25.
Voluntarium obſequium, liberi famulorum perſeuerantius.

Non dubium, quin Dominus Diſcipulorum, quos vocaret ipſe, ſequentium grato animo exciperet obſequium. *Venite ait poſt me.* Illi *autem continuò, relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Mat. 4. Ad quæ Cyrillus, *Celeres erant Diſcipuli, & valde alacriter ad credendum Chriſto proſiluerunt: nam continuò, relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt.* Attamen exiſtimo ſeſe Petrum gratiorem præbuiſſe, dum ad Chriſtum accedit, eúmque ſequitur, nullo imperio præmiſſo. *Inuenit Andreas Fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus, & adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus, &c.* Ioa. 1. Cur Andreas & Petrus Chriſti præceptum non expectant, vt ſequantur? Certè vt reliquis daretur perſeuerantiæ documentum. Chryſoſtomus, *Cùm vltrò ſequi eligerent, firmi, & conſtantes permanent.* Nonne turbæ patientiſſime Chriſtum ſuſtinuerunt? Vltroneæ progreſſæ comperiuntur. 26.
Gratior Ieſu voluntaria ſequela. Matth. 4. Cyrillus. Ioa. 1. Chryſoſt.

Petrus firmiſſimum aduersùs Tartari rabies ſaxum futurum, præfante Domino: *Tu es Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioa. 1. fine, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.* Matth. 16. Petri perſeuerantia laudatur, totiúſque Eccleſiæ perſiſtentia & firmitas innuitur fundata ſcilicet ſuper eum, qui vltrò ſequutus eſt Saluatorem. Bellè Chryſoſtomus ad illud Ioannis 1. *In craſtinum voluit exire in Galilæam. Nam ſi nemine ſuâ ſponte proſequente, ipſe aliquos vocâſſet, de eorum perſeuerantiâ potuiſſet dubitare.* At de Apoſtolorum, Diſcipulorum, totius Eccleſiæ vocatæ ad ſe perſiſtentiâ non dubitat, quia ſuper Petri vltro accedentis, & ſequentis conſtantia ſolidatur? O quam amabilis Deo obſequium vltroneum! 27.
Petrus laudatus excipitur, quia voluntarius ſequitur, firmius inhæſurus, vt ſtabiliret Eccleſiam. Ioa. 1. Chryſoſt.

Expreſſurus Dominus cæleſtis Regni conſtitutionem, ſeu conſtructionem beatitudinum gloria, quaſi fundamentum cunctarum firmiſſimum lapidem ſpiritus paupertatem apponit: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum.* Matth. 5. An laborum tolerantia grauis, moleſtus 28.
Cunctæ ſpiritualis vitæ ponitur ſupra voluntarium obſequium innititur firmius. Mat. 5.

moleſtus lacrymarum fluxus, inediæ laborioſa inſtitutio? ſupra ſpiritus paupertatem innitatur; paupertas enim ſpiritus voluntaria, ac ſpontanea eſt. Chryſoſtomus, *Quoniam multi ſunt humiles non ſpontanei, ſed rerum adſtricti neceſſitate, illos omittens, ex voluntate ſemetipſos humiliantes, & contrahentes primos vocat beatos.* Vt ſupra voluntarij obſequij firmitudinem omnis exædificatio ſpiritualis perſeueret.

Chryſ.

29. An non ſeruitus neceſſaria hominem reddit infelicem? Quid maledictione paternâ horribilius? Maledictum puta eum qui non ſeruit vltroneè. Iniquiſſimus Cham ob irreuerentiam illam patri exhibitam flagellatus eſt filij ſeruitute neceſſariâ. *Ac Maledictus Chanaam, ſeruus ſeruorũ erit.* Gen. 9. Id eſt, neceſſariâ Chami filius ſeruitute premendus eſt, & ideo maledictionis diræ iaculo confixus apparet. Ambroſius ad Pſ. 104. *Quia pulchrius eſt bonum, quod non ex neceſſitate fit, ſed ex voluntate, ideo ei iugum impoſuit neceſſitatis.* Illud expone: *Pulchrius eſt bonum quod non ex neceſſitate fit.* Sic fœdius malum quod ex neceſſitate procedit. Huiuſmodi malo, maledictionis loco, Cham vulneratur: filium habebit tam miſerum, qui ex neceſſitate, non voluntate ſeruiat. Quid moleſtius?

Quam dira homini maledictio ex neceſſitate, non ex voluntate ſeruire. Gen. 9. Ambr.

30. Miſſurus Deus Prophetam ad graue miniſterium, ait: *Quem mittam, & quis ibit?* Cui Iſaias, *Ecce ego mitte me.* Dominus autem, *Vade*, inquit, *& dices populo huic: Audite audientes, &c.* Quare Dominus abſoluto vſus imperio non præcepit Vati, vt pergeret ad obſequium? An vt gratior eſſet oblatio vltronea conditori? Ambroſius ad Pſal. 118. *Seruulo ſuo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, inuenerat: ſed maluit eum ſpontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui vt ipſe ſe offerret præſtolatus eſt. Et quamuis eius ſciret affectum, expectauit tamen vocem, vt cumularet gratiam.* Adde, & vt voluntarius famulus velociùs, & alacrius exhiberet obſequium.

31. Quid plura? Vltronei famuli efficacius, ac fortius implent miniſterium. In Romanâ militiâ Volones commendatione perſpicuâ afficiebantur, quia voluntarij procedebant ad campum. Capto Loth, Abraham aduersùs infinitam barbarorum multitudinem expeditos vernaculos ſuos *trecentos decem & octo* numerauit. Irruit ſuper eos nocte, & percuſſit eos. Gen. 14. An imprudentem Abraham ducem geſſiſſet tam paucos milites tantæ multitudini opponens? Eum D. Chryſoſtomus à notâ liberat aſſerens vernaculos ab Abrahamo aſſumptos, *vt ſponte, & beneuolè vltionem facerent.* Vltronei, ſpontaneique procedunt. Ingens hoſtium multitudo facillimo negotio comminuetur à paucis.

Pauci ſpontanei famuli grauiſſimum ſuſcipiunt onus miniſterij. Geneſ. 14. Chryſ.

Heri, ſeu Domini temporales edificant
quam ſpontaneos oportet ſeruos
procedere, vt opus iniun-
ctum efficaciter
exeratur.

OBSERVATIO IV.

Ad illa verba.

Quia videbant ſigna, & prodigia ſuper his, qui infirmabantur.

Turbæ Dominum ſequebantur non omnino ſpiritu vltroneo, quæ temporaria commoda expetebant.

Rarus enim ille, qui diuinum ſolummodo ſpectet obſequium.

DVm viderẽ turbas minimè ſpiri[illegible] feruentes, nec Chriſtum Deum o[illegible] adorantes, tam alacriter illum per deſerta ſequi, vt contemnerent fam[illegible], mirabar homines adeo perfectos Ieſu ſect[illegible]ores, vt nullam aliam viarum ſuarum vſuram aſpectarent. Profectò dum legerem illa: *Quia videbant ſigna*, cognoui quam verè Gentilis cecinisſet Periander: 32.

Perian.

Nullus graditur ſine lucri ſpe.

33. Prodigus ille ad patris domum regredi cupiens clamabat: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo!* Luc. 15. Quare non dixit. Quot filij apud patris mei domum pane filiorum veſcuntur? Certè de filiis loquebatur; hi enim pane veſcuntur, qui filiis aſſolet præparari: *ſumere panem filiorum, &c.* Attamen mercenarios vocauit appoſitè, quia rarus eſt filius, qui non pro mercede Domino ſeruiat.

Rarus filius, qui non pro mercede Domino ſeruiat. Lucæ 15.

34. Dei filium chariſſimum Iſaiam teſtor, cui Dominus & Pater, *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Reſpondit Propheta: *Ecce ego, mitte me.* cap. 6. Illam particulam: *Nobis* expende. Ac ſi diceret Deus, non ſolùm quærere intendo filium, ſeu ſeruum dilectum, qui vadat, ſed & qui ita vadat affectus in Dominum & parentem, vt omninò ipſi vadat, eius gloriam requirat & non propriis commodis curam impendat. Vates ergo, *Ecce ego*, inquit, *mitte me.* Et quare non addit: *Mitte tibi.* ſi audierat: *Quis ibit nobis*: Veritus ne forte vel qui filius chariſſimus erat ex illo miniſterio ſpirituali quidem aliquid ſibi ipſi, & non Deo ſoli commodi expiſcaretur. Tam difficilè Deum ſolum vel ab ſpiritualibus viris quciſlibet in negotiis quæritari. D. Hieronymus Epiſt. 43. *Notandum, quomodo ad id, quod Dominus dixerat, Quem mittam, & Quis ibit nobis, Propheta ex parte reſpondit: Ecce ego, mitte me. At de ſequentibus,* (nempe *Nobis*) *tacuit. Intelligens vtique nullum hominem dignum eſſe, qui Deo pergeret, & omne iter ſuum eius faceret eſſe, qui mitteret.*

Filius Dei Iſaias non audet ſe Dei ob equeſt omnino ad dictum promittere ſine incõ ſpe. Iſai. 6.

Hieron.

35. Filiis Euangelicis perfectis vtique illa vox: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, &c.* Matth. 5. Cunctiſque filiis ſpecialibus virtutum exercitamentis florentibus ſpecialia præmia à Domino

Filiis Euangelicis perfectis, aliud præmium proponitur, quia rarus ſine

adſcri

premio ſeruiue fideliter. Matth. 5.

adſcribuntur. An non Apoſtoli ſine præmio decertabunt? Credo Paulum, & Petrum, Ioannem, Iacobum, reliquóſque Apoſtolos non propoſitâ mercede dimicaturos fuiſſe. Attamen vel perfecti quique ex Diſcipulis, ſiue alumnis Eccleſiæ haud (mihi credite) ſine præmij ſpe fortiſſimè dimicabunt. Sed non mihi, ſed ſancti Chryſoſtomo credatis hom. 3. in Iob. *Apoſtoli erant præcones terræ, Orbiſque Doctores: ipſis occultari poterat lucrum; ſed res Mundo detrimentum fuiſſet. Potuerat Paulus ſine coronæ promiſſione certare; ſed non vbique Paulus, non vbique Petrus. Multorum animæ infirmæ ſunt.* Ipſis ergo perfectiſſimis Apoſtolis præmia præſcribantur; rariſſimorum enim eſt, ſine propoſitâ mercede diligere. (Chryſ.)

Observatio V.

Ad illa verba:

Cùm ſubleuâſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet, &c.

Adnotat Euangeliſta, Ieſum oculos ſubleuâſſe, innuens lumina pudicè cuſtodienda.

Exitialiter enim oculi hùc illùcque diuagantur.

36. (Beda.) BEDA ad hæc, *Dixit: Cum ſubleuâſſet oculos Ieſus, vt diſceremus, quia oculos non erigebat huc atque illuc, ſed pudicè ſedebat attentus cum Diſcipulis ſuis.* Si in Diſcipulorum conſpectu tam accurata luminum Domini demiſſio, quid ſi adeſt obiectum aliquod, quod poſſet perfecti cuiuslibet oculos abſterrere. Cuſtodienda lumina, ne animi oculi eruantur.

37. (*Samſon oculis priuatur, quia eos non depreſſit.* Iudic. Brixia.) Si Samſon oculos coram iniquâ fœminâ demiſiſſet, nec illicita concupiſceret, nec luminibus priuatus conquereretur. *Eruerunt oculos eius.* Iudic. 16. Ad quæ Brixianus, *Samſon oculis fuit priuatus, quod a concupiſcentia oculorum ſibi non temperaſſet.* Temperaſſet proculdubio ſi non reſpexiſſet, quod nefas eſſet concupiſcere.

38. (*Et Sedecias.* 4. Reg. 25.) Quid memorem Sedeciam? *Apprehenſum ergo Regem duxerunt ad Regem Babylonis. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit.* 4. Reg. 25. Quare oculis Rex orbatur? Textus ait, *Et fecit malum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerat Ioachim.* 4. Reg. 24. Colligit Hieronymus proculdubio abuſum fuiſſe oculis, vt illicita concupiſceret, vnde oculis priuatus adnotatur ſicut Samſon. *Viſu* (inquit ad Ezech. 23.) *quo malè fuerant abuſi Samſon & Sedecias, priuantur.* (Hieron.)

39. (*Oculis perijt vxor Loth.* Baſil. Seleuc.) Si mulier illa ex incendio Sodomitico erepta in ſtatuam ſalis verſa non eſſet, proclamâſſet fortaſſe à ſalute cecidiſſe, quia oculos minimè compreſſiſſet. Ait D. Baſilius Seleu. orat. 2. *Fuge ſpectare, vt ſaluari poſſis.* Potuit certè illa ſaluari oculos comprimendo, ne (affectu forſan iniquo iuxta aliquorum placitum) ſpectaret incendium.

Potuiſſet miſera à clade primæ fœminæ didiciſſe. *Vidit ergo mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum.* Gen. 3. Vt vidit, vt periit. *Vbi legem* (adiicio ex Seleuco citato) *ſcriptam vides, ibi deſiderium coërce, ibi recuſa cibi contactum vt vitæ venenum. Auerte oculos, ne ad tranſgreſſionem traducant.* 40. (*Et Eua.* Gen. 3. Baſil.)

Iniquus Balaam poſt benedictionem ſic Balac iratum placare intendit: *Pergens ad populum meum, dabo conſilium quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Num. 24. Poſitis armis, eorum aduerſùs eos oculis vtimini, obiicientes pulchras Madianitarum fœminas, quas aſpicientes, miſerè deperibunt, Baſilius Seleu. orat. 6. fatur, *Cum Madianitas acie deuiciſſent Iſraelitæ, capti ſunt amore mulierum velut in acie. Cúmque armis vincerent, oculis labebantur.* 41. (*Iſraëlitæ videntes debellantur.* Num. 24. Baſil.)

Verè Demoſthenes, *Oculi ſunt morum indices.* Etenim, quia demiſſi arguunt hominis temperantiam: elati autem animi aſſerunt impudentiam. Vnde aiebat Ficinius in Dion. Areop. *Oculi ad cognitionem hominis neceſſariò pertinent.* Demittuntur? O quàm ille homo modeſtus, ac temperans eſt! Efferuntur? quàm concupiſcentiæ tyrannide preſſus! Idem Author de Reg. lib. 6. cap. 10. *Oculi ſunt animi indices, per quos homines clementiam, miſericordiam, amorem, odium, iram, lætitiam, triſtitiam, & huiuſmodi affectiones oſtendunt.* Si autem demittantur, homo ab hiſce prauis affectibus cunctis immunis iudicabitur. 42. (*Oculorum mala.* Demoſt. Ficin.)

Observatio VI.

Ad illa verba:

Cùm ſubleuâſſet oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo venit ad eum, &c.

Cùm vidiſſet Dominus hominum indigentiam, non potuit non ſuccurrere miſeris.

Oportet Præſules ſubditorum aſpectare tribulationem, vt efficaciùs ſuccurrant.

VLGARI axiomate Hiſpanico liceat mentem expendere: *Ojos que no ven, coraçon que no ſiente.* Miſeri ſubditi innumeris cladibus immerguntur, vſque ad animum vndis permeantibus. Rex, Præſul, paterfamilias non aſpectat. O quam ſine medicamine perit ægrotus! Oculos eleuat Princeps, vt aſpiciat, ſæpe eius viſcera, paterna vtique commouentur. 43.

De Conditore ait Paulus, *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* Cor. 1. Vbi Anſelmus, *Ipſe dico, Pater miſericordiarum, quia ex viſceribus eius proueniunt in nos miſericordiæ eius.* Profectò licèt ex viſceribus miſericordiæ in miſeros profluant, cupiunt Dei amiciſſimi quique Dei aſpectu donari. Moſes, 44. (*Licet Dei viſcera miſericordia plena, attamen iuſti & petunt ab ipſo videri, vt miſereatur.*)

Oſtende mihi faciem tuam. Seu da, oculorum tuorum frui eleuatione. Dauid autem vel ipſius Filij agens perſonam inclamabat, *Reſpice in me, & miſerere mei.* Ac ſi miſericordia ex paternis viſceribus eſſet proditura poſt oculorum eleuationem. Mihi credite, paternus affectus plurimùm ex aſpectatione, & viſione miſeriæ exacuitur.

45. *Pater familias benigniſſimus, dum aſpicit, miſeretur.* Luc. 15. Chryſol.

Teſtor Patrem illum, qui dum filius brutorum ſaginâ paſceretur, non afficitur, dum autem oculis præſentatur adoleſcens miſer, irruit in oſcula. *Cùm autem longè adhuc eſſet, vidit illum Pater ſuus, & miſericordiâ motus eſt, & accurrit, &c.* Luc. 15. Scio ex viſceribus paternis affectum prodiiſſe, faute Chryſologo ſer. 2. *Apud Patrem non intercedit extraneus, intus eſt in Patris pectore, qui intercedit, & exorat affectus. Vrgentur Patris viſcera iterum filium genitura per veniam.* Attamen ille affectus ex oculorum miniſterio impenditur. *Vidit illum, & miſericordia motus eſt.* Euthymius oculis tribuit aſpectantibus patris compaſſionem. *O viſum compatientis acutiſſimum! Hunc ipſe vidit paratus ſemper ad eorum, qui conuertuntur, ſuſceptionem.* Semper paratus adeſt ad veniam, quia non dormitabit Iſraëlis cuſtos, nunquam non ad ſe properantes aſpiciet.

Euthym.

46. *Peccatores à Deo videntur, vt miſereatur?* Gen. 3. Ioa. 1. Rupert.

Recèns natus Adamus ex paternis viſceribus delinquit, ac vniuerſarum miſeriarum pelago immergitur. Accurrit Pater quæſiturus filium, nec tamen ille conuertitur. *Adam* (inquit Dominus) *vbi es?* Denique prodigens filius inuenitur, aſpicitur, & de miſeria reparandâ agitur. Gen. 3. In cuius typum ait Dominus Diſcipulo, *cùm eſſes ſub ficu vidi te.* Ioan. 1. Vbi Rupertus lib. 2. in Ioan. *Vidit non ſolùm Philippum, ſed & omnes electos ſuos, dum eſſent ſub ficu, vidit miſericordiæ ſuæ oculis. Id eſt, cùm primus parens illorum factus mandati tranſgreſſor, conſutis ficus folijs, pudenda contegeret. Iam tum vidit eos, & miſertus eſt; iam diſponebat miſericorditer, quo illos ordine à præuaricationis reatu liberaret.* Illud adnota: *Iam tunc vidit eos, & miſertus eſt.* Non miſeretur, donec videat? Scio in Deo idem videre, & miſereri. Attamen præcedens miſericordiam aſpectus deſcribitur, vt Principes edoceantur oportere, vt ſubditorum aſpectetur miſeria ad efficacem medicinam: nec ſufficere affici paterna viſcera ſi oculi quandoque non eleuentur. Ambroſius Lib. 2. offic. cap. 16. *Non enim ſolas aures præbere debemus audiendis precantium oculis, ſed etiam oculos conſiderandis neceſſitatibus, Plus clamat operatori bono debilitas viſa, quàm vox pauperis: Videndus eſt ille, qui te non videt; requirendus eſt ille, qui erubeſcit videri.* Hinc profatur Iſaias, *Frange eſurienti panem tuum, egenos vagóſque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam non deſpexeris.* cap. 58. Non deſpicitur quidem egenus, ac miſer cùm videtur ab eo, qui ſe naturæ conſortem agnoſcit. *Cùm videris nudum, operi eum.* Multi non operiuntur, quia nudi non aſpectantur. Damaſcenus ex Clemente Rom. lib. 2. Paral. cap. 16. Videns pauperem equidem *maiori diligentiâ* occurrit *et proſpiciens,* quàm audiens.

47. *Plus afficitur in miſerum qui videt, quàm qui audit* Ambroſ. Iſai. 58. Damaſc.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum; ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus.

Sciens Dominus, quid facturus eſſet, adhuc alterius conſilium requirit.

Edocens Principes non ſcientes haud dedignari, alterius ſapientioris conſilio ſubiacere.

MIRARIS Dominum à ſubdito conſiliũ exquirere, cum ſciret, quid facturus eſſet? Plus miraberis ſi ſcias Philippum ad conſilium ferendum minùs aptum. D. Cyrillus, *Philippus non erat adeo acutus, quòd altiora poſſet intelligere.* Itaque ſciens omnia, à minus acuto conſilium exquirit, vt minùs ſapientes doceat à ſapientibus negotiorum ſeriem conſilium capere non dedignentur. 48.

Cyrillus.

49. *Sciens quid facturus ſis, minus ſapientem conſulas, ne habearis inſipiens.* Iſa. 14. Bernard. Dan. 2. Hieron.

Luciferiana eſt equidem arrogantia te ſolum in Teſtamenti monte ſedere. *Sedebo in monte Teſtamenti.* Iſai. 14. Vbi Bernardus ſerm. 5. de verb. Iſa. *Solus ſedere volens tanquam fulgur cecidiſti de cœlo.* Chaldæi illi, qui non conſultis Daniele, & ſociis, ſomni interpretandi cauſa ingreſſi ſunt ad Nabuchodonoſor tanquam inſipientes iubentur interfici. Dan. 2. Hieronymus, *Chaldæi inuidentes ſapientiæ eorum,* (id eſt Danielis & ſociorum) *ingreſſi ſunt ſoli, quaſi ſoli præmia recepturi.* Sapientior ipſe Daniel, qui ad ſolutionem ſomnij indicandam euocatus ſociis conſiliariis indicauit negotium, vt ſciens ſpeciem prætenderet eius, qui conſilium à minùs ſapientibus iniret. Hinc Gloſſa Interlinealis addit. *Ne ſis ſapiens tibi ſoli.* Eo enim ipſo quòd ſciens quid facturus ſis, alterius conſilium non exquiſieris, inſipiens reputaberis.

Interl.

50. *Quia ſapientior erat Petrus fratrum conſilium inire curat.* Act. 1. Chryſ.

Intendens Eccleſiæ vertex alium Apoſtolum pro Iuda præuaricatore aſſignari, fratres adit Apoſtolos fatus. *Oportet ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis: ſtatuerunt autem duos.* Act. 1. Cur Petrus Pontifex ſummus conſilium capit à fratribus? Reſpondet D. Chryſoſtomus hom. 3. *Iam Petrus erat ſe ipſe factus melior. Hoc ad quæſtionem reſponſum eſt.* Melior, inquam, id eſt, ſapientior, aut aptior regimini. Si melior iam, ſi ſapientior, ſecuriùs poſſet ſine conſilio Apoſtolorum eligere. Imo quia ſapientior non ſolum cunctis, ſed & ſe ipſo, viſum ſibi neceſſarium minùs ſapientes adducere in conſiliarios.

Deus

51. *Sapientia ſo... consiliũ. Sapiens quã-... profeſſionale ... conſiliarios adire.*

Deus ipſe profatur, *Ego ſapientia habito in cõſilio, & eruditis interſum cogitationibus.* Prou. 8. Omnia ſciens, qui ſapientibus præeſt, thronum ſeu templum dignũ Deitati elegit *conſilium.* Vt ſcilicet edoceat inſipientes ſapientiores adire. D. Ambroſ. lib. 2. de Offic. *Quid tibi prodeſt habere ſapientiam, ſi conſilium renuas?* Si ſapiens eſt, quare ab aliis conſilium exquiret? Quia quaſi de ſcientiæ veracis eſſentiâ eſt, ea quæ ſcit, ad conſiliarios adducere. Caſſiodorus lib. 6. variar. epiſt. 29. *Omnis prouidens, ſeu ſapiens conſilium quærit.* Cecinit Virgilius 12. Æneid.

Virg. l.

Quantumque ipſe feroci
Virtute exuperas, tanto me impenſius æquum
eſt
Conſulere, atque omnes metuentem expendere caſus.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Vnde ememus panes, vt manducent hi?

Pium Dominus Philippum appoſitè adiit Conſiliarium.

Nec enim impius conſilium ſalutare exhiberet.

52. *Reges cum ... conſiliarium.* Barrad.

Noster Barradius ait tom. 2. lib. 10. cap. 1. *Mirum, cur Iudam Dominus non interrogauerit, qui habebat loculos, ad eum namque hæc interrogatio pertinere videretur.* Imo mirarer, ſi Dominus Iudam conſuluiſſet; (illius veniâ dixerim) nec enim impius ſalutare turbis conſilium exhiberet. Interrogatur aptè Philippus pius admodum, qui ſalubre conſilium meditetur: *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt,* &c. Putat emendas eſcas impenſis Præſulis; ſi ad Collegium Apoſtolicum illa (vt vidimus probabiliter) pecuniarum ſumma pertinebat. Impius Iudas de iniuriâ communi communitati prouidendum proculdubio iudicaret.

53. *Conſiliary ſanctitas ne... de... ſ...* Ambr.

D. Ambroſius lib. 2. Offic. cap. 22. illuſtrat argumentum. *Quomodo* (ait) *eum potes iudicare conſilio ſuperiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet eſſe, cui me committere paro. An verò idoneam eum putabo, qui mihi det conſilium, quod non dat ſibi? & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacat? cuius animum voluptates occupent, libido deuincat, auaritia ſubiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus. Quomodo hic conſilij locus, vbi nullus quies?* Item. *Talis eſſe debet qui conſilium dat, vt ſe ipſum formam alijs ad exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in grauitate; vt ſit ſermo eius ſalubris, & irreprehenſibilis, conſilium vtile, vita honeſta, ſententia decora.* Quam aptè τὸ *Conſilium vtile, ſententia decora* illam particulam circum-

ſcribunt: *Vita honeſta.* Probitas enim cor eſt, è quo vndique profluere iuſta conſilia conſueuere. Plato ad Perſeam canit, Plat.

Res eſt profectò ſacra conſultatio.
Conſilium improbi in extremum incidit malum.
Inanium inania conſilia.
Fatuus fatua loquitur.

Terentius autem in Haut. ſic improbum conſiliarium carpit: Terent.

Tenè iſthuc loqui?
Non-ne flagitium eſt te alijs conſilium dare,
Foris ſapere, tibi non poſſe auxiliarier?

Eccleſiaſticus admonet, *A conſiliario ſerua animam tuam.* cap. 37. Cur ſeruare animam à conſiliario docet, qui nos ad conſilium capiendum immittit? Exponit Hugo Card. *A malo conſiliario.* Quare autem non apertè Magiſter cæleſtis admonuit: *A malo conſiliario ſerua animam tuam?* Quia tam rarus apud mundiales bonus eſt conſiliarius, vt ab omni conſiliario nobis ſit fugiendum ipſo ſante: *Conſiliarius vnus è mille.* cap. 6. Id eſt, *Bonus conſiliarius.* Vnde abſolutè *à Conſiliario ſerua animam tuam,* quia quicumque apud terricolas conſilium exhibet, debet tibi eſſe ſuſpectus. 54. *Quicunq; Conſiliarius debet eſſe ſuſpectus, quia pauci ſalutare exhibent conſilium.* Eccli. 37. Hugo. Eccli. 6.

Philippus igitur probus admodum conſilium exhibuit ab omni auaritiâ immunè, quod Iudas non proferret. Oportet Principes, ad quos attinet milites apud deſerta paſcere, conſiliarios bonos, & pios adire, ne iniuria militum ipſorum, aut pauperum agricolarum ſubſidia belli meditentur. Manducent hi, ſed ab ipſis pecunia nõ erit exigenda. Rurſum Eccleſiaſtici locum expendo. *A conſiliario ſerua animam tuam. Prius ſcito quæ ſit illius neceſſitas; & ipſe enim animo ſuo cogitabit, ne mittat ſudorem in terram.* Eccli. 37. Pende illud: *Ne mittat ſudorem in terram.* Id eſt, ne ſudorem pauperum in terram velut ſemen emittat, ad proprium commodum procurandum; dum ſcilicet ſuo lato conſilio à paupere exigitur, quod pauper eſt manducaturus. Hugo Card. *Ideo primò conſidera, qualis eſt conſiliarius, quam ei conſentias. Ne fortè ſit terrenum eius conſilium, & ee per cupiditatem figat in terram, & ſuum conſilium confirmet pro terreno commodo.* 55. *Philippus conſilium dedit ab auaritia immune, quod non Iudas præſtaret.* Eccli. 37. Hugo.

Probus conſiliarius nullum ex auaritiâ conſilium expediet. Sibi videtur Paulus conſiliarij munus arrogare. *Conſilium in hoc do.* 2. Cor. 8. Et ſæpe alias. Quare? Appoſitè conſiliarij munus ſuſcipit ille, qui omnino ab auaritiâ alienus nullum exitiale pauperibus conſilium exhibebit. De ſe ipſe dicebat. *Ego autem didici in quibus ſum ſufficiens eſſe.* Phil. 4. Quod exponit Ambroſius lib. 2. Offic. cap. 17. *Ideo vir boni conſilij dicit: ego didici,* &c. *Sciebat enim omnium malorum radicem eſſe auaritiam, & ideo ſuo contentus erat, alienum non requirebat. Satis mihi eſt, inquit, quod habeo. Siue parum, ſiue plurimum eſt.* Quàm aptè *vir conſilij boni* Paulus appellatur; nam qui ab auaritia immunis eſt, conſilium exhibebit egenis ſalutare. Haud ſic Iudas auaritiâ preſſus. Vndè mirum fuiſſet, ſi ab ipſo Dominus conſilium exquiſiiſſet. 56. *Paulus Conſiliary ſibi munus arrogat, qui ſine auaritia cõſilia tulit.* 2. Cor. 8. Phil. 4. Ambr.

OBSERVATIO XI.

Ad illa verba:

Vnde ememus panes, vt manducent hi?

Non conſulit Chriſtus Rex, an pecunia à paupere ſit exquirenda, ſed vndenam ex proprio penu poſſint emi panes in ſubditorum ſubſidium.

Commendabilis Princeps ille, qui expenſis proprijs ſubditos alit laborantes, ſeu dimicantes.

57. *Contra militaris annonæ Miniſtros, qui Regias pecunias ſibi retinent, pauperibus militibus percuntibus.*

NON dixit, Vnde exquiram pecunias, vt panes emantur, ſed *vnde panes ememus?* Ideo Philippus voluntatis Ieſu conſcius ad pecunias Apoſtolicæ ditionis (ex ſententiâ probabili) accurrit, ſuorum ducentorum denariorum ſummam exponens. Quàm laudabilis Rex, qui è proprio penu, aut alibi ſine iniuriâ ſubditorum quærit, vnde ſubditi reficiantur.

58. *Rex Ieſus pro communitate ſoluit non ex pecunia communitatis, ſed aliunde quærit.* Matt. 17. Orig.

A Rege Iudæorum Cæſari tributum exquiritur. Qui cum poſſet pecuniam à communi loculo ſumere, vt pro ſubditis impertiretur: Rex noſter, ne communitati graue eſſet ſoluere, quod Præſul pro ſe & ſuis impenderet, Petro inquit, *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, illud ſumens, da eis pro me, & te.* Mat. 17. Ad quæ Origenes homil. 3. *Docet, vbi valeas reperiri imago, quæ quæritur.* (id eſt numiſma) *Vade ad mare, & mitte hamum, &c. Et cum inueneris ſtaterem, dabis pro me, & te.* Facilius ô Domine apud loculos Iudæ ex communi penu inuenitur. Aliunde exquirenda pecunia, ne vel pro ſubditis cum ipſorum incommodo ſoluatur.

59. *Taxantur Reges, qui de ſanguine pauperum vel muros Vrbium reficiunt.* Mich. 3. Theop.

Regum illius temporis Propheta taxat ingenium, qui de ſanguine pauperum muros Sion extruere non verebantur. *Audite hæc Principes domus Iacob. Quid ædificatis Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate.* Mich. 3. Theophylactus. *Ædificatis Ieruſalem in iniuſtitijs.* Dauid expetebat muros Ieroſolymæ ædificari: *Vt ædificentur muri Ieruſalem.* Pſal. 50. Nónne pium è ſubditorum impenſis dare operam exædificationi? Pium ſanè, ſi iuſtè & cum debito moderamine fiat. At impium vtique, ſi pauperum iniuriis, pecuniæ conquirantur. An pium oratorem ad bella procedere, humi iacere, inedia affligi, vt cum hoſtibus valeat decertare, & ab ipſo panem Ducum iniuria, ac vi ſurripi, pecuniam extorqueri, vnde ducibus inſcio Rege, exercitus ſolummodo cibi comparentur, ſtipendia ſoluantur? *Propter hoc (addidit Propheta) cauſa veſtri Sion arabitur.* Vt aratio Sion iniuria affectos vindicet aratores.

60. *Propter oratorum iniurias Regnum aratur, deſtruitur.* Mich. 3.

61. Cùm Ægyptus bello famis horribili premeretur, quonamodo laborantibus agricolis Rex Pharao prouidit? An Prorex Ioſephus pecuniam à ciuibus exegit, vt eiſdem compararet alimonias? Minimè, ſed eius induſtriâ ſumptibus Regiis præparantur cibaria, colliguntur annonæ. Ambroſius lib. 2. Offic. cap. 15. *Quanto vtilius Regem Pharaonem ſanctus Ioſeph conſilio prouidentiæ iuuit, quam ſi conſuluiſſet pecuniam. Pecunia enim vnius Ciuitatis non redemit vbertatem, proſpicientia totius Ægypti per ſeptennium famem repulit. Facilè autem pecunia conſumitur, conſilia exhauriri neſciunt.* Si proſpicientia conſiliariis Regiis adeſt, ſine pecuniæ ſubditorum iniuſtâ collectione, poterunt facilè cibaria in belli, aut famis tempus præparari. Plura mitto.

Pro Rex Ægyptianis, & ab agricolis ... ſumptibus Regiis ... Ambr.

62. *Non ſolebant inſtruere conſilium, agricolam & militare, & impenſas exhibere diuitiantes, & minimè contribuere.* Saluian.

An piè Regi diceret egenti Conſiliarius? *Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces.* Pauperum puſillorum panes exigantur, vt eiſdem pauperibus militantibus detur alimonia. Saluianus lib. 4. de Gubern. *Remedia pridem nonnullis Vrbibus data, quid aliud egerunt, quàm vt diuites cunctos immunes redderent, miſerorum tributa cumularent.* An non æquius diuites non dimicantes, pecunias ad belli ſubſidia tribuere, dum pauperes agricolæ Samgar imitatores pergunt ad campum? Militent hi, validiſſima brachia exerant vel aratro vtentes pro gladio, aut bellico tormento victuri: quia validè ac feliciter dimicat innocentia; ſed interim illi impendant annonas.

63. *Iniquè annona militaris miniſtri ſibi retinent, quæ à Rege militibus diſtribuenda mittuntur.*

Prouident Reges ex propriis redditibus militum ſubſidio, ſed belli adminiſtratores non ſemel, iniuſtè adſeruatis Regiis ſumptibus, cogunt agricolam ad campum procedere, aratro relicto, & ſimul exigunt ab ipſo militaria ſubſidia, ac ſi adhuc aratri fructu viueret. Vidi pauperes nudos ad bella procedentes. Neceſſaria quidem expeditio ad Regni defenſionem, ac patriæ tutamen. At aſpexi apud campum aliquando de temporario conqueri abnegato ſubſidio, dum Regem abundantiſſimè prouidiſſe conſtat. Accurrunt vndique fœminæ formicarum in morem, panibus oneratæ ad maritos, ad patres plorantes quidem, imprecantes dira diuitibus. Quonam pergitis miſeræ? Ne pereant inedia viri, aut patres, cibaria ex ipſorum ſubſtantiâ deportamus. O praui, belli iuſti, adminiſtratores! Non-ne Catholici pij, iuſti Regis iura læduntur, dum ab aliquo iniquo Duce abſtracta pecunia, quam ex proprio penu Rex remiſit ad campum militibus tribuendam, coguntur milites infimi aut inediâ perire, aut propriis viuere & militare expenſis, vt vxores, & liberi in pace depereant. Serpentes plane huiuſmodi miniſtri, homines minimè, de quibus Dauid, *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis.* Pſal. 57. Vbi Petrus Dam. epiſt. 15. *In quo nimirum nobilior eſt ſerpentina virulentia, quam humana crudelitas: ſerpens enim fugit hominem nudum: aggreditur cum morſibus, quem cernit indutum.* Praui autem belli adminiſtratores indutum fugiunt diuitem qui nunquam tormenti bellici gemitum exaudiuit, à quo nec iure, nec iniuria audent ſubſidia extorquere: & morſibus nudum agricolam, pauperem militem aggrediuntur.

Hi ſerpentibus ſimiles nudos crudeles. Pſal. 57. Dam.

64. *Leone horribiles imitantur.*

Siuè direptores leones imitantur Proceres militum inferiorum rectores, dum circuunt quærentes quem pauperem agricolam deuorare poſſint.

ſint. *Oculi eius in pauperem reſpiciunt, rapere pauperem.* Pſal. 10. Theodoretus in Cat. Græca. *In conſeſſibus ſedens inſidias quaſdam, & artes in pauperes parat. Quemadmodum leo hùc & illuc oculos conuertens prædam quærit.* Principes igitur belli ſumptui ex proprio penu prouideant: egentes autem à diuitibus exquirant: eoſque belli adminiſtrationi miniſtros prouideant, qui non vt ſibi retineant ſubſidia Regum, cogant milites inopes deperire.

Pſal. 10. Theodor.

SECTIO SECVNDA.

Conuiuij Inſtitutio.

TEXTVS.

VERS. 10. DICIT ergo Ieſus, Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri quaſi quinque millia. 11. Accepit ergo Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantùm volebant.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Conuiuarum excubatione.

1. *Præludia miraculi.* FACITE *homines diſcumbere.* Poſtquam rogauit Chriſtus, vnde emerent panes? & quot panes haberent? perſpectúmque iam eſſet, non poſſe apud ſolitudinem illam reperiri, tot hominibus reficiendis cibaria: tunc iuſſit conuiuas diſcumbere.

2. *Apoſtoli homines accumbere efficiunt.* *Erat autem fœnum multum in loco.* Humi in viridi herbâ diſcubuiſſe notatur. Marcus, *Præcipit illis* (id eſt Apoſtolis Dominus) *vt accumbere facerent omnes ſecundum contubernia ſuper viride fœnum.* Apoſtoli enim in partes, ſeu contubernia, ſiue conuiuia quinque hominum millia diuiſere. *Contubernium* nomen eſt Caſtrenſe ſignificans decem milites ſub vno degentes papilione, quibus Decurio præerat. Vnde pro conuictu ſumitur, ſeu pluribus hominibus conueſcentibus accommodatur.

3. *Per contubernia accumbunt.* Addo ex Marco, *Diſcubuerunt in partes per centenos & quinquagenos.* Græcè pro *Diſcubuerunt*, πρασιαὶ, πρασιαὶ, hoc eſt, *areolæ, areolæ*, Diſcubuerunt per areas, ſiue areolas diſpoſiti, quaſi areolatim (ſumptâ ex hortis metaphorâ. In quibuſdam partibus centum homines aderant, in aliis quinquaginta. Ipſi Apoſtoli cum illos in varia contubernia diſtribuerunt, quinque millia, exceptis paruulis, ac fœminis, numerarunt. *Quaſi quinque millia.*

§. II.

De Panis multiplicatione.

4. *Panes accepit Dominus, & gratias agit.* ACcepit ergo Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Acceptis quinque panibus, ac duobus piſcibus, in cœlum Dominus oculos extollit, (vt Matthæus adnotat) oſtendens à Deo bonorum omnium fonte cibum hominum emanare: efflagitans etiam à Patre, vt cibum illum multiplicaret. Gratias item agit pro beneficio, etſi nondum collato, ſtatim tamen conferendo. Præterea (vt addit Lucas) panibus benedixit, multiplicationem imprecando, & imperando.

Diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant. Poſtquam Ieſus gratias egit, panibus benedixit, & piſcibus, panes illico fregit, piſces diuiſit, Apoſtolis tradidit (authore Matthæo,) Apoſtoli turbæ diſtribuerunt. Ita verò tum panes, tum piſces multiplicati ſunt, vt cophinos duodecim fragmentorum duodecim Apoſtoli poſt turbam ſaturatam collegerint. 5. *Diſtribuit cibaria.*

Quomodo, ais, panes, ac piſces fuerint multiplicati? Vel per creationem ex nihilo, multis panibus, piſcibúſque nullâ ex materiâ creatis. Vel per conuerſionem aëris, aut terræ in panes, & piſces. Hoc ſecundo modo putat multiplicatos fuiſſe Abulenſis quæſt. 103. Factam autem multiplicationem in manibus Chriſti, & Apoſtolorum diſtribuentium, in ipſis quoque cophinis, quibus panes ferebant Doctores affirmant. Ego inter diſtribuendum Apoſtolis, vt ipſi turbis apponerent, cibaria multiplicata reor. Inferius mentem expono. 6. *Quonammodo panes, ac piſces multiplicati?*

Haud ſilentio prætermittam id, quod piè Cornelius noſter, Chriſtum ſcilicet hac in re Dominicum, & Franciſcum imitatos. Cùm enim hic in Capitulo Minorum comperiſſet nihil edulij ſubeſſe, plenus fide dixit: *Eamus, & omnipotentem deprecemur Deum, qui quinque millia hominum, præter mulieres & pueros, in deſerto ſatiauit: neque enim nunc minoris eſt potentiæ, aut miſericordiæ, vt de eius deſperemus bonitate.* Hora prandij iuſſit D. Franciſcus, fratres in refectorio diſcumbere, quod dum faciunt, vident in triclinium viginti egregios ingredi adoleſcentes, expeditos ad miniſtrandum, qui panem, vi- 7. *D. Franciſcus ac D. Dominicus Ieſu multiplicantis panem imitatores.*

Ecob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

expeditos ad miniſtrandum, qui panem, vinum, & omne genus neceſſarium obſonij appoſuere diſcumbentibus numero quingentis, ſi non quinque millibus. Ita annales Mino. Lucæ Vvadingi anno Chriſti 1219. num. 11. Idem Romæ D. Dominico accidiſſe eius fatur Hiſtoria lib. 5. cap. 4.

8. *Sapidiſſimi illi panes.* Ioa. 2.

De panum illorum ſapore diſſeramus. An hordei inſulſum ſaporem referrent? Certè ſapidiſſimos fuiſſe, magnàque vi nutriendi, roborandi, exhilarandique præditos, liquet ex eo quòd erant panes diuini à Chriſto per miraculum producti. Dei enim perfecta ſunt opera. Sic vinum ex aqua in Cana Galilææ conuerſum optimum fuiſſe Architriclinus teſtatur. *Optimum vinum ſeruaſti, &c.* Ioa. 2.

9. *De panum multiplicatione quid Patres?* Auguſtin.

De panum multiplicatione quid Patres? Auguſtinus tract. 24. in Ioan. *Vnde multiplicat de paucis granis ſegetes, inde in manibus ſuis multiplicauit panes; poteſtas enim erat in manibus Chriſti. Panes enim illi quinque quaſi ſemina erant non quidem terra mandata, ſed ab eo, qui terram fecit, multiplicata.* Chryſoſtomus, *Multiplicabantur in Diſcipulorum manibus quinque illi panes, ac fontis in morem, ſcaturiebant.* Hilarius, *Fragmentis fragmenta ſuccedunt, & fallunt ſemper perfracta frangentes. Frangente enim Domino, ſeminarium fit ciborum,* ait Hieronymus. *Vidiſſes* (inquit Ambroſius) *incomprehenſibili quodam rigatu inter diuidentium manus, quas non fregerant, multiplicari particulas, & intacta frangentium digitis ſponte ſua fragmenta ſubrepere: quemadmodum videmus liquidis fontibus continuos fluere ſucceſſus, & quidquid de illis auferas vſurario quodam reparari meatu.* Plura mitto. Chriſtus ergo benedictione præmiſſa virtutem aliquam non phyſicam, ſed moralem panibus indidit, ſcilicet deputationem ſuam, & ordinationem ad miraculoſam multiplicationem, per quam manum, id eſt, virtutem ſuam diuinam quaſi panibus appoſuit, vt illicò ipsâ multiplicarentur, nimirum aërem vicinum, vel aliam materiam ſenſim inter diſtribuendum, ſed inſenſibiliter, & continuè in panes conuertendo. Deus enim nihil de nouo creat ex nihilo, ſed ex materiâ initio Mundi creatâ omnia producit, & transformat. Sic farinam, & oleum Sareptanæ viduæ multiplicauit ob merita Eliæ 4. Reg. 4.

Hilar. Hieron. Ambroſ. *Auctarium exhibitio medadatur.*

IN IESVM TVRBAS REFICIENTEM.

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX CONVIVII INSTITVTIONE.

Observatio I.

Ad illa verba.

Facite homines diſcumbere.

Chriſtus eſuriens, Apoſtolíque fame preſſi non diſcumbunt, vt reficiantur, ſed ſolummmodo turbæ.

Præſules enim non ſuæ, ſed ſubditorum commoditati inſeruiunt.

10. SI panes illi ac piſces (vt exiſtimauit D. Chryſoſtomus,) portio erat Ieſu, & Apoſtolorum, cur Ieſus & Diſcipuli æquè ex itinere fatigati, faméque preſſi non ſimul cum turbis diſcubuere? Cur qui cum Publicanis & peccatoribus ſolebat accumbere, cum piis hominibus ſe per deſerta ſequentibus ſimul prandere non dignatur? Dominus profectò Eccleſiæ Principes edocebat, quorum munus non ſuis, ſed ſubditorum commodis inſeruire.

11. *Qui ſubditis dat requiem, nõ habet, vbi caput ſuum reclinet.* Luc. 9. Theod.

Fatus ipſe apud Lucam: *Filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* cap. 9. Facite ô Præſules, homines diſcumbere, ipſi fœno requieſcant, epulis reficiantur: nos autem, quibus datum imperare, miniſtremus quidem, ſed minimè commodis propriis ſtudeamus. Ambroſius ad Luc. 23. aſſerit, & confirmat Theodoretus, dum ait Ioſue laudator, *Imitatus eſt modeſtiam Saluatoris, qui extremam expertus eſt inopiam, ita vt nec domum quidem haberet. Filius hominis, inquit, non habet, vbi caput ſuum reclinet.*

12. *Ieſus Ieſu imitator, diuiſor ſolummodo commoditati [illegible] vidit.* Theodo.

Quid Ioſue, quem Theodoretus memorauit? Porrò terrarum diſtributor, ſibi nullam portionem adſcripſit, ſed ſubditorum commoditati ſolummodò operam impendit. Theodoretus idem in Ioſ. quæſ. 17. ait, *Partem ſibi non impertiuit, ſed eam, quæ oblata eſt, accepit: docens eos, qui in aliquo magiſtratu ſunt conſtituti, non ſuis commodis, ſed vtilitati ſubditorum inſeruire.* Sic Ieſus Naue veri Ieſu imitator

tatot exiſtit. *Imitatus eſt modeſtiam Domini.*

13. *Qui calcat propria commoda ſubditorum, ... in ... , verè Princeps.* Cant. 7. Pſal. 59.

Ille Principem ſe verum probat, qui miniſterio incumbit ſubditorum, cunctas commoditates calcat. *Quam pulchri ſunt* (ait Dominus) *greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Cant. 7. Calceamentum quidem Dominatum, poſſeſſionéſque ſignificat iuxta illud: *In Idumæam extendam calceamentum meum. Mihi alienigenæ ſubditi ſunt.* Pſal. 59. An poſſeſſio diues pulchros Principum pedes effecit? Minimè, ſed ſollicitum ad ſubditorum commoditatem miniſterium. Accurro ad ſubditos, vt eis opem laborantibus ferre queam, cunctas ſimul proprias commoditates proculcans. *O filia Principis, quàm pulchri greſſus tui!*

14. *Felix ille Princeps, qui totum ſe dat commodis ſubditorum.* Eccli. 10. Auguſtin.

Ait ſapiens, *Væ terræ cuius Rex puer eſt, & cuius Principes manè comedunt.* Eccli. 10. Illi Principes taxantur, qui puerorum in morem, proprio commodo tempora præſcribunt. Manè comedunt dum ſubditus fortaſſe ieiunat. O felix terra, cuius Principes propriis concupiſcentiis non agitantur, ſed modeſtè ſe gerunt! D. Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. cap. 24. Principem felicem, è quo Regnum felix exurgit, deſcribit. *Neque nos Chriſtianos Imperatores ideo felices dicimus, quia diutiùs imperarunt, vel imperantes filios morte placidâ reliquerunt, vel inimicos ciues contra ſe inſurgentes & cauere, & opprimere potuerunt.* Id enim ad Principum ipſorum ſolummodo pertinet commoditatem, vnde nullus Princeps felix effertur. *Sed felices eos dicimus, ſi iuſtè imperant, ſi non extolluntur, ſi ſe cum ſubditis homines ſe eſſe meminerint, ſi tardiùs vindicant, ſi facilè ignoſcunt, ſi poteſtatem pro tuendâ Republicâ exercent.*

15. *Quaſi Principis tota eſſentia, currere ad ſubditis ſuccurrendum.* Greg.

Nihil probo Principi magis infixum, quam vt ſubditis impendat miniſterium. D. Gregorius in Paſtor. aiebat, *Caput ſubiectorum ſunt cuncti, qui præſunt.* Quid caput huiuſmodi, id eſt Princeps excogitabit, cuinam addicetur muneri? Addit, *Vt recta pedes valeant itinera carpere, hîc proculdubiò caput ex alto prouidet.* Cuiuſnam pedes hi? An Principis, vel ſubditorum? Principis quidem eſſe Doctor teſtatur. Et cur Princeps ſolummodò pedum curſui regendo det operam? Quia Principis ſingulare munus ad ſubditos leuandos accurrere: Liceat pulchro Senecæ Trag. 2. carmine confirmare. Senec.

Regem non faciunt opes;
Non veſtis Tyriæ color;
Non frontis nota Regia;
Non auro nitidæ trabes,
Rex eſt qui poſuit metus
Et diri mala pectoris,
Qui tuto poſitus loco
Infra ſe videt omnia
Occurritque ſuis libens.

Occurrere Principem libentem ſuis laborantibus, eis miniſterium velox impendere tota quodammodo Principis eſſentia eſt.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Et cùm gratias egiſſet.

Se Chriſtus verum Regem oſtendit, in laude Dei primus.

Primi enim in dignitate, primi in Numinis laude debent oſtendi.

SE Dominus turbarum Principem oſtentat, dum miſeris prouidet, dum commoda ſubditorum quærit. Nec immeritò ideò turbæ intenderunt illum in Regem abripere. Attamen licèt cuncta hæc Principatûs Ieſu documenta extiterint, non dubium mihi ex eo præcipuè Principem innotuiſſe, quòd primum ſe ſe in laude Dei exhibuerit. 16.

17. *Reges primùm ad Deũ laudandum inuitantur, quia ex primatu primi debent laudare.* Pſal. 48. Iudi. 5. Hugo.

Cecinit Dauid, *Audite omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis Orbem. Quique terrigenæ, & filij hominum ſimul in vnum diues & pauper.* Pſal. 48. Simul in vnum diuites ſeu Principes terricolæ ad Deum laudandum cum pauperibus inuitantur, Profectò Debbora primùm Reges ac Principes aptiùs ad Deum laudãdum inuitauit: *Audite Reges auribus percipite Principes.* Iudic. 5. Reges omnes & Principes, vbi eſſent, hîc ad proclamandas Dei laudes inuitantur. Quare verò potiùs ac priùs Reges, ac Principes aduocauit? Reſpondeo ex Hugone Card. *Vocat Reges, & Principes ad laudes Dei, quia primi in dignitate, primi debent eſſe in laudibus Dei.*

18. *Sol prior in luce, ſtellarũ Rex primum laudaturus Deum aduocatur.* Pſal. 148. Hieron.

Poſtquam Vates Angelos ad Dei laudes proferendas excitauit: curans cæleſtia luminaria ad Angelorum chorum adducere fatut, *Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ, & lumen.* Pſal. 148. Cur non alias ſtellas Empyreo cælo proximiores inuitauit priùs, ſed Solem quarto degentem domicilio? Crediderim, quia Sol Aſtrorum agit Principem, vt prior in dignitate prior Deo laudando incumberet, vtpote maiori beneficio affectus. D. Hieronymus, *Quod maius in lumine eſt, priùs laudat.*

19. *Princeps beſtiarum homo eas ducit, Reges hominum eos ad Deum laudandum adducunt.* Pſal. 148. Hieron.

Recenſet idem Dauid exercitum Dei laudatorum, *Beſtiæ, & vniuerſa pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ, Reges terræ, & omnes populi, Principes & omnes Iudices terræ.* Pſal. 148. Cur poſt creaturas ratione carentes Reges, ac Principes ad Deum collaudandum inuitat? An quia creaturæ irrationales Deum faciliùs, ac libentiùs laudant, quam homines? Profectò Reges terræ, cunctarum creaturarum irrationalium Principes id eſt homines poſt ſubditos ducum gerentes munus adducuntur, poſt omnes verò populos, ſeu rationales ſubditos Principes, ac Iudices ducentes aduocantur; vt ſcilicet qui prior eſt in dignitate, primus Dei proferendis laudibus expendat ſtudium. Hieronymus, *Poſt dracones, poſt ſerpentes, poſt beſtias, & vniuerſa pecora ô homo, de te dicitur, & non de ſimplici homine, ſed de hominibus, qui inter homines maiores ſunt.* Ad hos etenim ſpecialiter attinet Dei laudes proferre.

20. *Ad nihilum vltra valere Regem Dauid putat, ſi laudando Deo non profirit.* Pſal. 29. Caiet.

Hinc Rex ſapientiſſimus Principes quaſi ad nihilum redigi exiſtimabat, ſi contra eſſentiæ eorum ius ſtuderent Dei laudibus profetendis. *Quæ vtilitas* (clamat) *in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem. Numquid confitebitur tibi puluis?* Pſal. 29. Ac ſi diceret, ſi te ô Conditor, non laudo, ſi tuam munificentiam non profero, quaſi ad nihilum me exiſtimo redactum. Cadit enim à Regis eſſentiâ ille, qui vberiori munere affectus à Deo, ei ſeſe oſtendit ingratum. Apprime Caietanus, *Vt hinc conſpicias ſpiritualem affectum Dauidis, nullam æſtimantis vtilitatem niſi vel ad Dei laudem, vel ad manifeſtandum, quæ Dei ſunt.* Haud eſt primus in laude? Proculdubio à Regiæ dignitatis exceſſit eſſentiâ.

Observatio III.

Ad illa verba:

Diſtribuit diſcumbentibus, quantùm volebant.

Pauci panes, ac piſces vſque ad ſatietatem quinque hominum millibus cedunt.

Bona enim increſcunt, dum egentibus impenduntur.

21. QVIS crederet paucos panes & piſces ſic tot hominum accommodandos appetitui, vt quantùm vellent, acciperent, & adhuc ſuperfluens ſuperaret annona? Ea eſt profectò panis conditio, cùm egenis diſtribuitur vt creſcat. Ideo Cornelius aſſerit in ipſâ diſtributione panes multiplicatos fuiſſe. Id proculdubio increſcit, quod egenis erogatur. D. Baſilius, *Benefactorum gratia in dantes reuertuntur. Dediſti eſurienti, tibi conſuluiſti; quod dediſti, ad te cum auctuario reuertitur.* Nam cùm in Apoſtolorum diuidentium manibus pabula augerentur, illud ipſum Apoſtolos fameſcentibus dare, erat accipere.

Baſil.

22. *Diuidentes propria egenis ditiores fiunt.* Prou. 11. Ambr.

Inquit Sapiens. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt.* Prou. 11. Quia ipſum diuidere, & diſtribuere pauperibus accipere eſt cum auctuario, vnde diteſcant. D. Ambroſius ſerm. 67. *Eleemoſyna erogatio lucrum tribuit eroganti; ditior enim ſit vir miſericors poſtquam minus habere incipit, pauperibus largiendo.* Apoſtoli quinque ſolummodo panes habebant, minùs habere incipiunt, dum turbis apponunt; ſed tunc ditiores fiunt, & panibus multiplicatis, & duodecim fragmentorum cophinis ſuperantibus.

23. *Qui dat egenos ſeris, quod illico colligas.* Pſal. 111. Leo. Ambr.

Diſperſit, (ait Dauid) *dedit pauperibus.* Pſ. 111. An diſpergens, frumento fraudatur? Profectò in morem grani terræ traditi cum auctuatio incredibili aſcendit. D. Leo *Da, quod accipias: ſere, quod metas.* Eleemoſyna etenim ſemen eſt, quod fructus parturit diſpergenti. Ambroſius lib. de Naboth. cap. 7. *Bonorum fructus munerum in ipſos, qui contulerunt, reuertuntur.* Et in Pſal. 37. *Vilis eſt pecunia, cùm conditur: pretioſa, cùm diſpergitur.*

24. *Non te erat eleemoſyna eam qui non perdit.* Prou.

Hinc Salomon, *Eleemoſynæ non te deſerant.* Prou. 3. Ac ſi diceret, Da pauperibus. Si dat diuitias, deſerent illum eleemoſynæ, quia quod diſpergitur, non poſſidetur. Imo ſi dat eleemoſynam, proculdubio ab ipſa minimè deſeretur; quia eo ipſo, quòd dat, accipit cumulatius, retinet, quod diſpergit, iuxta illud fœmine munificentiſſimæ: *Plena erat eleemoſynis, quas faciebat.* D. Chryſoſtomus hom. 1. Epiſt. ad Philippum. *Nec verò dixit, ipſas ne deſeras, ſed ipſæ te non deſerant, oſtendens nos eſſe, qui ipſarum egeamus.* Quàm pulchrè: *Nos eſſe, qui ipſarum egeamus.* Cum das pauperi, exiſtima te ipſum egere, non alium, & te ipſum accipere, quod alij tradis; vndè non te poteſt deſerere, quod ipſe accepiſti, dum pauperi tradebas.

Chryſoſt.

25. *Facis ſæpe bonum ei, qui largitur, dum dimiſſa dat a cumulo auctam.* Iudic. 6. Abul.

Gedeon locutus Angelo ac ſi viro inopi loqueretur, ex Caietani mente offerens ei cibos, ait: *Si inueni gratiam coram te da mihi ſignum, &c. Nec recedas hinc, donec reuertar ad te, portans ſacrificium.* Iudic. 6. Caietanus; *Id eſt prandium.* Quare Dux illum exiſtimans peregrinum inopem, ei ita loquitur vt gratiam ſe inueniſſe dicat? Abulenſis, *ſi mihi vis facere bonum.* Potiùs ô Gedeon dicere debuiſſes, ſi vis vt tibi bonum faciam, ſi quidem ad eum prandium afferre promittebas. O eleemoſynæ munificentia mirabilis! Qui facit bonum, verè accipere aſſerit ob ineffabilia eleemoſynæ incrementa.

26. *Agit quidem pauperi accipienti gratias, qui ab illo recipit plus quam da[t].* Pſal. 1[33]. Hiero.

Id innuit Dominus, dum gratias agit, panem collaturus egenis. Gerit-ne gratias Patri cunctorum bonorum collatori? Non dubito. At crediderim ſimul turbis ſatiandis potuiſſe gratias referre, ex eo quòd ſibi mirabilia incrementa ex panis diſpertione obuenirent. Sic expendendum illud Pſalmiſtæ, *Extollite manus veſtras.* Pſ. 133. Vbi Hieronymus, Obiiciens menti homines extendentes manus ad offerendum panem egenis, aſſerit ſimul extendere ad actionem gratiarum. Gratias quippe agunt ipſi pauperi, à quo cumulatiſſimam ipſam eleemoſynam, aut panis portionem accipiunt. *Da pauperibus eleemoſynam. Magis tu gratias agito, quando dederis, quàm frater, qui à te accipit tibi agat gratias. Grande nobis beneficium præſtant pauperes.*

27. *Licet ſola data diuitia permanerent, danda eſſet: quid ſi non ſola manent, ſed cumulantur.* Stob. Martial.

Ait Stobæus, *Democritus dicebat, Beneficium pauperis exile, ingens redditur tibi.* Certè licet non redderetur cumulata portio exhibita egeno, ſed ſolummodo conſeruaretur integra, debuiſſes pauperibus impertiri. Cecinit Martialis lib. 5.

Callidus effracta nummos fur auferet arca,
Proſternet patrios impia flamma lares.
Debitor vſuram pariter, ſortèmque negabit,
Non reddet ſterilis ſemina iacta ſeges.
Diſpenſatorem fallax ſpoliabit amica,
Mercibus extructas obruet vnda rates.
Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis,
Quas dederis ſolas ſemper habebis opes.

Porrò licèt ſolæ habendæ ſemper fuiſſent opes datæ pauperi amico, agenda eſſet eleemoſyna. Quid ſi non ſolæ habendæ, ſed mirum in modum cumulatæ conſeruandæ:

Observatio IV.

Ad illa verba.

Diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.

Chriſti epulum humanæ voluntatis appetitum exſatiat.

Sola etenim cæleſtia dona perfectæ ſatisfactioni parent.

28. CVM audio Dominum ex cibo præſtito turbis, quantum ipſi vellent impendiſſe, video datum eſſe optimum à Patre luminum deſcendens. Nec enim terrena ſolent animum ſatiare pro voluntate recipientis.

29. *Voluptas mūdialis voluntatem non imp[...]*. Hieron. Plaut.

Teſtor mundiales voluptates, de quibus D. Hieronymus epiſt. ad Damaſum. *Semper voluptas famem ſui habet, & tranſacta non ſatiat.* Ambroſius autem ad cap. 6. Lucæ. *Nihil prodi- prodiga ſatis eſt voluptati, ſemper famem patitur ſui, quæ alimentis perpetuis neſcit impleri.* Plautus agnouit prophanus in Amphi.

Parua res eſt voluptatum in vita.

Quia nulli voluptas iuxta voluntatem patet.

30. *Voluntatem explicat [...] ad volendum apud cæleſtes voluptates, quas imperiis [...].* Cellenſ.

O bona cæleſtia, quæ hominum voluntati poſſint accommodari! An non Chriſti panis manna ſumentium explens appetitum, voluntatem exſatians? Abbas Cellenſis lib. 3. de Panib. cap. 4. fatur, *O Ieſu conuiuatoribus tuis quis ſapor in faucibus? Quis odor in naribus? Quis ſplendor præ oculis? Quæ auditus modulatio? Quæ cordis iubilatio? Nil infrà votum, ſuprà omnia abundant gaudia. Explicat ſe voluntas ad volendum, vel etiam ad volandum, & non ſufficit: ſupercurrit oleum, quia vaſa deficiunt.* An ſufficiet quinque millium hominum voluntati replendæ? *Hic dantis manus largior, & accipientis varior. Sola hæc miniſtrorum indignatio, quia pauci ſunt, quibus fiat ferculorum diſtributio.* Non iam queritur Philippus, *Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, vt modicum quis accipiat.* Nec Andreas obiicit, *ſed hi quid ſunt inter tantos?* Sola miniſtrorum indignatio, quod hominum quinque millia non ſufficiunt, vt ex pane cæleſti modicum quis manducet. *Explicet* igitur *ſe voluntas ad volendum, vel etiam ad volandum.* Accipiebant illi *quantum volebant.*

31. *Verus Salomon Regina Eccleſia præſtat quantum ipſa poſtulat.* 3. Reg. 10.

Salomon Reginam Sabba regiis muneribus auxit. De quo Textus, *Dedit Regina Sabba omnia, quæ voluit & petiit ab eo, exceptis quæ vltro obtulerat ei munere regio.* 3. Reg. 10. Quonammodo excipiuntur ea, quæ vltro obtulerat ei Rex regio munere? Certè, quia cæleſtia munera hominum ſuperant voluntatem; accipiunt namque cuncta, quæ volunt, & appetunt, & innumerabilia bona, quæ hominum captum voluntatis excedunt. Rabanus ad hæc, *Et pacificus noſter Eccleſiæ ſuæ omnia quæ petit, dabit*

Raban.

Non ſolùm quod petimus, imo etiam quæ humana fragilitas aut neſcit, aut non præſumit petere gratuito munere largitur.

Preme illud: *Munere regio.* Vbi cæleſtis Regis manus extenditur, hominis voluntas ſatiatur. Replent aliquando terreſtria bona hominis appetitum, aut voluntatem? ſignum euidens, Dei manum inibi extendi ad largitionem. Rex Babylonis Eſdræ largitus munera voluntati accommodata accipientis. *Et dedit ei Rex ſecundum manum Domini Dei eius ſuper eum omnes petitiones eius.* 1. Eſd. 7. Si omnes petitiones Prophetæ implentur, ſi eius voluntas exſatiatur, ibi proculdubio Domini Dei eius manus extenditur. Nec enim mundialis munificentia hominis valet replere voluntatem. Et quænam Domini Dei mei manus? Ambroſius ad Pſal. 43. reſpondet, *Manus Chriſti plenitudo bonitatis eſt.* Quid mirum ſolas Ieſu manus ad voluntatis noſtræ exſatiandum appetitum expandi?

32. *Vbi voluntati parent bona, Dei manus largientis agnitur.* 1. Eſd. 7. Ambroſ.

Observatio V.

Ad illa verba:

Similiter ex piſcibus, quantùm volebant.

Apoſtoli ex Chriſto panem & piſces accipientes, imperriuntur turbis, quidquid vellent.

Vndè laudantur miniſtri, qui ſubditos non fraudant muneribus, quæ impenduntur à Regibus.

SÆPE Principes manibus miniſtrorum munera apponunt militantibus, aut ſeruientibus ſubditis conferenda, quæ quidem ſibi reſeruantes, minimè accipientium appetitum explent. Commendaotur Apoſtoli, qui accipientes à Domino panes diſtribuendus, munera diuidenda ſibi oon retinent, ſed ſubditis quantùm volebant, impertiebantur. 33.

34. *Non audet prudens miniſter à tribus ſubditis Hebræis detrahere quid, quam ex iis, quæ ad diuidendum à Rege acceperat.* Dan. 1. Theodor.

Tres pueri Hebræi ſanctiſſimi à miniſtro ſibi deputatu enixè efflagitârunt, vt daret ſibi veniam, ſeu copiam à cibis regiis abſtinere, quos ad eorum refectionem œconomus acceperat. Queis ille, *Timeo ego Dominum meum Regem, qui conſtituit vobis cibum, & potum; qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus, condemnabitis caput meum Regi.* Dan. 1. Conſtituit Rex cibum & potum vobis impertiendum; ſi macilentiores obiicimini Regi, non exiſtimabit me à vobis cibos ſuſtuliſſe, vt propriis commodis deputarem? Quàm prudenter! Theodoretus, *Veritus eſt, ne cùm hi parcè alerentur, & continenter victitarent, extremum ſubire ſupplicium à Rege qui contraria iuſſerat,* (regios cibos tradendo) *cogeretur.*

35. *Miniſtrorum Regis Ageſilai exemplū.*

De Rege Ageſilao ſic Xenophon: *Quoniam magnæ opes captæ fuerant ſectoribus miniſtris mandabat quantùm ſubditi ſui vellent, conſignarent,*

ſimilque

ſimulque res acceptas ipſis traderent. Quo factum eſt, vt ingentes facultates omnes conſequerentur. Nec vllus ſubditus dono regio fraudatur, & ipſi miniſtri diuidentes nihil de militum portione detrahentes ſuam accipiunt ſine periculo amittendi, (quod in iniuſte acceptis rebus ſolet accidere) ipſi portionem. Plura alibi.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Diſtribuit diſcumbentibus; ſimiliter ex piſcibus quantum volebant.

Diuiditur cibus, vt turbæ ſatientur.

Panis enim ſeu doctrina integra audientibus oblata non proficit. Contra Concionatorum ambages, & inuolucra.

36. *Diuidenda doctrina alimonia, vt proficiat.* Hieron.

PRo *Diſtribuit*, alij Euangeliſtæ apponunt, *Fregit, & dedit.* Ad quæ D. Hieronymus in cap. 14. Mat. *Frangente Domino, ſeminarium fit ciborum; ſi enim fuiſſent integri, & non in fruſta diſcerpti, nec diuiſi in multiplicem ſegetem, turbas, & pueros, & fœminas, & tantam multitudinem alere non poterant. Frangitur ergo lex, cum Prophetis, & in fruſta diſcerpitur, & eius in medium myſteria proferuntur. Vt quod integrum non alebat, diuiſum in partes alat gentium multitudinem.* Haud à Concionatoribus panis doctrinæ integer, & infractus auditoribus porrigendus, dum ambages & inuolucra proponunt, non clarè & diſtinctè ſalutaria monita obiiciunt. Accipienda igitur à manu Domini cibaria diuiſa, vt auditoribus miniſtrare vtiliter valeamus.

37. *Concionator ſit thuribulũ diuidens, & liquans incenſum, vt ab auditoribus fragrantia excipiatur.* 2. Cor. 2. Oecum.

Paulus aiebat, *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* 2. Cor. 2. Vbi Oecumenius aſſerit Apoſtolum oſtendere, quonammodo erga doctrinam à Domino acceptam, vt diſtribuat auditoribus, *ſum*, ait, *bonus odor Ieſu*, id eſt odoris accepti thuribulum. *Nam velut thuribulum ſumus huius cæleſtis incenſi, ipſius odorem vbique circumferentes.* Quàm pulchrè Thuribulum accipit incenſum integrum, quod igne diuiſum in fumũ liquatur vt cũctis valeat ſenſui accõmodari. Non liquetur thus, aut diuidatur: quis eius fragrantiam excipiet? Haud aliter concionatores doctrinæ panem à Domino diuidendum auditoribus accipiunt, vt proficiat.

38. *Legati in morem diuiſam à Domino doctrinam, quam accepit, tradat auditoribus.* 2. Cor. 5. Plat.

Alia Paulus id metaphora expendit. *Pro Chriſto legatione fungimur.* 2. Cor. 5. Cum e ſuggeſtu hortamur, Chriſti perſonam gerimus. Plato lib. 12. de legib. *Si legatus falſò quæ ſibi commiſſa ſunt nunciauerit, dicendáue tacuerit, quaſi Mercurij, Iouiſque mandata, legationeſque contra legem contempſerit, in iudicium deferatur.* Quonammodo Chriſtus dogmata tradit Diſcipulis diuiſuris? *Fregit, & dedit.* Ergo legatus dare debet fractum panem, non rurſum ad integritatem reducere; ne tanquam contemptor legis puniatur.

39. *Depoſitarius bonum gerens reddat doctrinam acceptam promittus.*

Adhuc Apoſtolus argumentum confirmat. *O Timothee, depoſitum cuſtodi.* 1. Timo. vlt. Vbi Irenæus lib. 3. cap. 3. ſententiam de doctrina populis fameſcentibus miniſtranda exponit. Quænam lex depoſiti? Reſpondet D. Chryſoſtomus, *Lex depoſiti non patitur, vt aliquid pereat ſine culpà apud depoſitarium.* Accipio è Chriſti manu panes diuiſos? Debeo ius depoſiti ſeruare, eóſque ſic diuiſos populo apponere abſumendos. An integrum reddam, quod accepi diuiſum? Perit meà culpà depoſitum. *Fregit* Dominus, *& dedit* Diſcipulis panes diuidendos turbis? Diuiſos panes reddam.

40. *Quam inhumana parſulum concionatorum, accipere à Domino fractum panem, & integrum miniſtrare fameſcenti.* Ezec. 3. Gr. g.

Ezechieli & thuribulo, & legato, & depoſitatio Dominus, *Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt auertatur à via ſua impia, & viuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* Cap. 3. Do tibi panem fractum: *Morte morieris*: & integrum ita peccatori tradis, vt ipſe non percipiat ſaporis amaritudinem; quia inuolucrorum, & dulcium phraſium ſaccato condiiſti. Fame ille perit, & tu de homicidio pœnas lues. Gregorius, *Nos ergo Sacerdotes hîc commonemur, qui tot occidimus. Valde nobis timendum* (pauló ſuperiùs) *de noſtro ſilentio.* Quid ſi loquantur concionatores? Adhuc illis timendum, qui enim affectantes ſtipem ambagibus redundantem vociferantur, quaſi taciturni puniendi; neque enim ſermo appellari poteſt, qui ab auditoribus non percipitur. O piaculum! Dominus panem frangit, dum inquit: *Morte morieris*, & tu integrari rurſum procuras, vt non proficiat auditoribus fameſcentibus: vnde illi pereant fame, & tu de ſilentio reus mortis exurgas?

41. *Concionator debet ... tra inuere vul... mone... ria ... accept...* Th... 2.

Ieroſolymæ Dominus, *Magna eſt velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Et vndenam tam deſperata ſalus? *Propheta tui non aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Thren. 2. Pro illo: *Non aperiebant iniquitatem*, Tigurina ſcribit, *Non traducebant iniquitatem.* Traductoris lex, vt quonam modo ſententiam accipit à Domino, populo vulgari lingua traducat. Ait Dominus impio: *Morte morieris.* Traducat concionator, *Morirás con muerte temporal, y eterna.* Culpà ergo traductoris turbæ non perceperunt doctrinam Saluatoris, alia enim, aut aliter ac acceperint conuiuis appoſuere. Paſchaſius, *Nec dubium, quod culpa Sacerdotum, & eorum, qui in lege verſantur, ruina ſit populi, qui iniquitatem ſuam populo ſollicitè non annunciant, vt ad pœnitentiam prouocent.* Annunciat quidem, qui nuncij in morem, quæcunque à cæleſti Rege euulganda accepit, populo traducit. Quàm hinc taxantur Concionatores verborum vtentes ambagibus, & inuolucris ad ſacra dogmata proferenda, quibus prolatis fameſcentes adhuc paruuli petunt panem, Paſch.

quia non erat qui frangeret eis. Frangatur ergo lex, (vt aiebat Hieronymus) *& eius in medium myſteria proferantur.*

Observatio VII.

Ad illa verba.

Diſtribuit diſcumbentibus.

Ipſe Dominus panes diſtribuit turbis, licèt Apoſtolorum manibus vtebatur.

Aſſero hinc, hominem dantem pauperi ſubſidium, Deum habere ſecum: eum autem qui negat, longè à Deo commorari.

42. *Eleemoſynā gerens ſe Deo plenum eſſe manifeſtat.* Hieron.

DISTRIBVISSE ipſum Dominum panes aſſerit Ioannes, cùm expreſſè Matthæus affirmet diſcipulorū manibus vſum ad diſtributionem: *Dedit Diſcipulis panes; Diſcipuli autem turbis.* Vbi Hieronymus, *Turba à Domino per Apoſtolos alimenta ſuſcipiunt.* Vnde colligo eum qui eleemoſynæ ſubſidia impendit egeno, Dei gerens perſonam proferre actionem. Quicumque ergo panem porrigit pauperi, ſe Deum corde geſtare probat: ille autem qui pauperem à ſe efflagitantem ſubſidia, ad alium hominem remittit fatus vulgariter: *Dios os provea*, ſe vacuum eſſe Deo manifeſtè aſſerit, & ideo inopem remittit ad alium, in quo Deus habitans, eius manu ſubſidium impendat.

43. *Qui remittit inopem ad alium hominem, vt ſuccurrat, manifeſtat, ſine Deo eſſe.* Auguſt.

Confirmo ex D. Auguſtino ſer. 231. de Temp. profante. *Sed qui tales ſunt, pauperi eleemoſynam petenti dicunt: Vade, vade in antè, & dabit tibi Deus: & vtique dum ambulauerit, homo ei daturus eſt. Quid eſt ergo, quod dicit, Vade in antè, & dabit tibi Deus? Niſi vade ad illum hominem, qui habet Deum? quia daturus eſt Deus. At ore ſuo ipſe confitetur, apud ſe Deum non eſſe, quo inſpirante, poſſit erogare pauperibus.* Manifeſtat igitur ſe ſine Deo eſſe, qui inopem remittit ad alium, vt in eo à Deo accipiat alimoniam.

44. *Deturbatur à Deo, qui dicens inopi: Vade in ante, iactat ſe longè Deum à ſe remouere.* Matth. 25.

Chriſtus huiuſmodi hominibus dicturus nouiſſimâ die, *Diſcedite à me maledicti*, quia *eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.* Matth. 25. Vbi illum iniquorum receſſum à Deo pondero: *Diſcedite maledicti.* Se Dominus omninò ab his alienum oſtendit. Quare? Certè quia dicentes inopi, *Vade in antè*, ore ſuo confitebantur apud ſe Deum non eſſe, nec velle recipi in paupere. Vnde iuſtè qui Deum à ſe omnino ablegauit, à Deo accedens deturbatur. Si Deus non aderat apud illum hominem, certum eſt ineſſe malitiam. Paſchaſius, *Quaſi in radice, tota damnatur iniquitas, cùm ſola culpatur inhumanitas, & rerum benignitas fratribus denegata condemnatur.* Qui enim iactat ſe a Deo alienum eſſe, innuit apud ſe vniuerſam iniquitatem commorari. Paſch.

45. *Torquetur lingua, qua inopi dictum: Vade in ante. Reuocareque curat diues ad ſe pauperem, vt Deus aduocetur.* Luc. 16. Chryſ.

Diues ille conflagrans Abrahamo clamitabat: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam.* Luc. 16. Et Lazarum immitti ad ſe, & linguam ſpecialiter refrigerio donari poſtulat. Quare ſpecialiter lingua torquetur? Chryſologus ſer. 122. *Magis lingua vritur, ardet, æſtuat, qua miſericordiam denegauit.* Dum ſcilicet profitetur, *Vade in ante, & dabit tibi Deus. Ore ſuo ille confeſſus eſt apud ſe Deum non eſſe.* Profectò qui confeſſus fuerat apud ſe Deum minimè commorari, dum inopem Lazarum à ſe deturbauit: iam ſatagit Lazarum ad ſe reuerti, ſi fortè cum ipſo Dominus reuertatur: *Mitte Lazarum.* At miſer, chaos inter te & Dominum intercedit, vnde miſerè æternùm cruciaberis.

46. *Apud Zachæum Deus habitat, quia non eum in ante mittebat, ſed excipiebat in paupere.* Luc. 19. Chryſ.

Vidiſti Dominum ad domum diuitis Zachæi properantem, & dicentem: *Hodie ſalus huic domui facta eſt.* Luc 19. Cur ô Domine diuitis defraudatoris non fugis domicilium? Quia ipſe inopem accedentem ad domum *in ante* non miſit, ſed excepit, probans apud ſe Deum commorari. Vnde ad meum accedo domicilium, nunquam felici receſſurus à domo. Chryſoſtomus hom. 84. *Dimidium, ait, bonorum meorum do pauperibus. Sic & nos domus veſtras exornemus, vt Deum ſuſcipere mereamur.* Dans enim inopi ſubſidia Chriſtum obtinet incolam. Nec enim pauperem *in ante* ad alium hominem mittens aſſerit ſe Deo vacuum remanere.

47. *Pauperem in ante mittens à ſe Deum exturbat.* 1. Thes. 5. Chryſ.

Theſſalonicenſibus ideo Paulus aiebat, *Spiritum nolite extinguere.* 1. cap. 5. Id eſt, nolite Deum à cordibus veſtris pauperes ablegando, deturbare. Chryſoſtomus hom. 11. *Ne ergo eum extinguamus. Quando eleemoſynam non facimus extinguitur Spiritus.* (Oleo vtique deficiente flammâ perit.) *Etenim ad te venit à Deo eleemoſyna, & miſericordia. Deinde videt apud te non eſſe hunc fructum, & non manet apud te immiſericordem. Extincto autem Spiritu, reliqua ſcitis qui ambulatis in nocte, &c.* Non te pudet, Chriſticola, iactare te alienum à Deo, dum ad alium hominem pauperem mittis, quaſi fatearis Deum qui neceſſariò munus eſt pauperi largiturus, minimè apud te commorari.

SECTIO TERTIA.

Conuiuij Reliquiæ.

TEXTVS.

Vers. 12. VT autem impleti ſunt, dixit Diſcipulis ſuis. Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. 13. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant.

cauerant. 14. Illi ergo homines cùm vidiſſent, quòd fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in Mundum. 15. Ieſus ergo cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De fragmentis.

1. *Reliquiæ panium.*

COLLIGITE, *quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.* Putant nonnulli, mulieres, & paruulos numerum virorùm exæquaſſe. Sed hoc difficile creditu, quia deſertum hoc longè aberat ab Vrbibus, & vicis frequentioribus: itérque agere infirmioribus erat difficile. Porrò hominibus quinque millibus, & quàm plurimis fœminis ac paruulis refectis, plus retulerunt panis, quàm ad Chriſtum initio attulerant. Obtulerant quinque? Duodecim cophini ſiue corbes non quinque, ſed triginta & plures panes continebant.

2. *Maldonati ac Cornely ſententia probatur, circa cophinos fragmentorum.* Cornel.

Noto ex Cornelio veroſimile Chriſtum primò quinque panes manibus ſuis fregiſſe, & frangendo multiplicâſſe: ac eos hos in cophinos diſtribuiſſe, qui deinde eius iuſſu, dum ab Apoſtolis per contubernia in turbas diſtribuerentur, ſenſim magis ac magis multiplicabantur: quare tot cophinos fragmentorum ad Chriſtum retulerunt, quot cophinos panum primo ab eo acceperant. Ex Maldonato accepit.

3. *De Cophinis Iudæorum.* Iuuen.

Duodecim cophinos. Cophini Iudæis ab olim familiares, vnde Iuuenalis inquit,

Iudæs, quorum cophinus, fœnumque ſupellex.

Vnde liquet cophinum tantæ capacitatis eſſe, vt capiat tantum, quantum manus, vel brachium viri, v. g. Iudæi portare poteſt. Cedre. Cedrenus in Comp. narrat duodecim hos cophinos religiosè repoſitos fuiſſe in Duodecim Apoſtolorum Delubro, quod Conſtantinopoli Conſtantinus Magnus ædificauit.

4. *Etiam piſcium fragmenta reliqua.*

Fragmentorum. An ſolius panis fragmenta ſuperſunt? Licèt de piſcibus Ioannes tacuerit, multa ex his ſuperfuere fragmenta. Etenim par erat in piſcibus, & panibus ratio. Colligo ex Marco ſante: *Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piſcibus.*

5. *An exhibitus potus?*

Quæſierim an Dominus conuiuis potum exhibuerit? Vinum certè non præbuit, quoniam neceſſarium non eſt: neque aquam miraculosè voluit efficere, quia propinquus erat lacus, ſiue mare Galilææ, aquæ quidem potabilis. Placet Dionyſij Carth. ſententia. Carthuſ. *Certum*, inquit, *videtur, quòd ſi non habuerunt aliundè potum, quòd Chriſtus dedit iſtis cibis virtutem agendi, quod efficis potus; ita quod ſitim perpeſſi non ſunt. Opera nempe Chriſti perfecta fuerunt. Quos ergo refecit, perfectè refecit.*

§. II.

De Saluatoris Fugâ.

ILli ergo homines cum vidiſſent, quod fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in Mundum. Dignouit turba, quinque tantum panes, duóſque piſces Chriſto traditos in illam copiam exuberaſſe. Admirabili igitur opere conſpecto, Prophetam eſſe illius patratorem profeſſa eſt: Prophetam, inquam, illum, qui in Mundum erat venturus, nempe Meſſiam, de quo Moſes, *Prophetam de gente tuâ, & de fratribus tuis, ſicuti me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus.* Deut. 18. — 6. *Propheta Dominus promiſſus dignoſcitur.* Deut. 18.

Ieſus autem cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. Regem præterea creare illum decernunt, qui facilè poſſet Regnum cibi copiâ complere: quod præcipuè turbis regale. At Ieſus id cognoſcens, Regnum effugit temporarium: in montémque ſolus, id eſt, ſine Diſcipulis properauit. — 7. *Regem creare Ieſum turba intendunt.*

An fugerit turbâ inſalutatâ? Minimè Matthæus enim ſcribit, *Dimiſſa turbâ, aſcendit in montem ſolus orare.* Et Marcus, *Coegit Diſcipulos ſuos aſcendere nauim, vt præcederent eum transfretum ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum.* Aſcendit autem ſolus in montis locum remotum, in quo non poſſet inueniri. Id quod fugere Euangeliſta vocauit. — 8. *Non fugit turba inſalutata.*

Fugit iterum. Num Ieſus alio iam tempore in montem fugerat? Sic locum expono: *Fugit in montem iterum*, id eſt, iterum aſcendit in montem, à quo aſcenderat ad reficiendam, ac dimittendam turbam. Non-ne aſſerit Ioannes ſemel Chriſtum montem ſcandiſſe? *Subijt ergo in montem Ieſus.* Inde deſcendit, & dimiſsâ turbâ aſcendit iterum. Auguſtinus tractat. 25. ait, *Quomodo fieri poteſt, vt rurſus illuc fugeret, niſi ante de monte deſcenderet?* Eſt qui exiſtimet Dominum hâc in fugâ ſeſe inuiſibilem reddidiſſe ne à Diſcipulis, & turba raperetur. Sed cùm Diſcipulos abire compulerit, turbamque dimiſerit, non opus huiuſmodi vti diſparitione. — 9. *Quid iterum fugeret.* Auguſt.

***

IN

IN IESVM TVRBAS REFICIENTEM

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS CIRCA LITERAM.

EX CONVIVII RELIQVIIS.

Observatio I.

Ad illa verba:

Vt autem impleti ſunt, dixit: Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta.

Plus Apoſtoli Domino & panis, & piſcium reddidere poſt ſatietatem, quam ex ipſo turbæ acceperant.

Qui enim opera eleemoſynæ gerit, non exhauritur, ſed nimiùm diteſcit.

10. PANES quinque in cophinis duodecim, & duos piſces diuiſos à Domino Diſcipulos accepiſſe vidimus, plenos autem poſt ſatietatem turbarum cophinos eidem Domino redditos. An non plus accepit, quàm porrexit? Hoc fructus eleemoſynæ, vt qui gerit non euacuetur, ſed diteſcat. Ambroſius lib.6. in Luc. *Iam illud diuinum eſt, quòd ſicut inges ſunt fontes aquarum, ita ingis erat fluminis particularum panis.* Parum eſſet, miſericordem erogationem ſcaturire fluuiorum inſtar, ſi non & ſupereffluereret alueúmque ſuperaret diuiſi panis abundantia. — Ambroſ.

11. *Arca aſpectus efficit aquas Iordanis alueum ſuperare: ſic eleemoſyna redditur plus quã pauper accipit.* Laurent. Nouar.

Memor Arcæ profectionis non-ne vidiſti Iordanis aquas ad conſpectum Arcæ creſcentibus fluctibus ſe ſe in cælum extuliſſe? D. Laurentius Nouar. hom. de Eleem. *Haberent* diuites *coniunctos ſibi indigentes, velut flumen Iordanis, in quo tinctus eſt Dominus.* Cur pauperes alueo Iordanis comparantur? An quia quemadmodum olim fluctibus aſcendentibus alueum aquæ ſuperârunt, vt ſuperfluerent: ſic quod inopi ſubſidium offertur, non modò æquat ſed mirum in morem ſuperat quod impenſum eſt? Ita planè.

12. *Pauxillum aquæ ab Abrahamo oblatum alueum fluminis ſuperauit, ad ſtellas aſcendentibus fluctibus.*

Pauxillum aquæ, ac panis buccellam Abraham peregrinis obtulit, quæ alueum creſcentibus vndis ſuperaret. Ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam pauxillum aquæ, ponámque buccellam panis. Profectò alueum Saræ cæleſtis munificentia adeò repleuit, vt exuberantiâ incredibili vndæ ſtellas contingerent. Gen. 18. O pauxillum aquæ cælos vſque pertingens, alueum Iordanis mirabiliter ſuperans! *Verè enim* (inquit Chryſoſtomus) *huiuſmodi hoſpitalitas eſt, quæ magis accipit, quàm dat, qui illam promptè, & alacriter exercet.* Gen. 18. Chryſ.

13. *Abraham dans terram meliorẽ Loth, plus accipit à Domino, quã dediſſet.*

Vius Abraham beneficentiâ, ad Loth ait: *Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro. Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo.* Gen. 13. Elegit Loth vberiorem ſibi regionem. An Abraham qui dedit optionem, vacuus remanſit? Profectò plus accepit, quam impendit, fante Domino, *poſtquam diuiſus eſt ab eo Loth: Leua oculos tuos, & vide a loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, omnem terram, quam conſpicis tibi dabo.* Gen. 13. Vbi D. Chryſoſtomus hom. 34. *Vidiſti, quomodo certat Deus beneficijs? Vidiſti dignam diuinâ bonitate munificentiam? Vidiſti quantis ceſſit, & quanta eſt aſſecutus? Hic erudiamur, vt magnâ in dandis eleemoſynis largitate vtamur: quo datis paruis, adipiſcamur magna.* Plura ſect. 2. & ſæpe alibi. — Gen. 3. Chryſ.

Observatio II.

Ad illa verba:

Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.

Poſt acceptum beneficium docet Dominus reliquias colligere.

Id eſt, nec minima obliuiſci beneficia.

DIVVS Bernardus menti obiiciens fragmentorum collectionem, Domino imperante, inquit, *Iubemur colligere fragmenta, id eſt, nec minima beneficia obliuiſci.* Inchoatum enim conuiuium præmiſsâ gratiarum actione, debuit, accreſcente munere, actione gratiarum terminari: Portetur in humeris, vt ex perpetua beneficij memoria Deum colere, eique obedire ſtudeant. 14. Bernard.

Hebræis Deus inculcabat beneficia, vt ad gratitudinem excitet. Indic. 2. Prado.

15. Hebræis Deus beneficia præſtita inde iam à terrâ Ægypti vſque ad promiſſæ telluris ingreſſum ſtrictim commemorat: *Eduxi vos de Ægypto, & induxi in terram, pro qua iuraui patribus veſtris.* Iudic. 2. Seneca, *Qui beneficium dedit, non debet meminiſſe.* Cur ergo Deus crebrius exprobrat beneficia, ſi proprium magnificentiæ ſit, quæ donauerit, obliuiſci? Reſpondeo ex Prado noſtro in cap. 16. Ezech. *Vt noſtra conſulat vtilitati, nomini ſuo parcit: atque æquius fert, ſe iudicari exactorem, quàm nos eſſe immemores, & ingratos: tantique intereſſe noſtram vilem conditionem, Dei in nos beneficentiam perpetuò recordari, vt eam memoriam nobis omnino neceſſariam, vel cum ſuæ æſtimationis diſcrimine exigat, & expoſtulet.* Beneficia itaque ſua in nos Deus aſſolet commemorare, vt nunquam nos à gratiarum actione ceſſemus, non audentes delinquere.

Ex populi ingratitudine Deo inuiſa Moſes renuebat legationem ferre; ne diriori ſupplicio afficeretur. Exod. 4. Nazian.

16. Nec mirum ſæpè Dominum Hebræis beneficia accepta inculcare, ſi populus ille adeò erat ingratitudini addictus, Numini quidem admodum inuiſæ, vt Moyſes ideo renuerit ad Pharaonem properare. *Non credent mihi,* (ait) *nec audient vocem meam.* Exod. 4. An ô Moyſes à ſerpente aliquo deterreris? Nondum è virgâ excitatus. Profectò Moſes agnoſcens populi ingratitudinem, nolebat ferre legationem; ne multiplicatâ populi ingratitudine vberiori ſupplicio afficeretur. Nazianzenus orat. 2. in Paſc. *Periculum fecerat Iudæorum ingratitudinis, quippe qui beneficio quoque affecti, ipſum fugâ Ægyptum relinquere coegiſſent.* Cur ô Domine in tam ingratum populum congeras beneficia, niſi vt diriori flagello vulnerari mereantur?

Hominem pudore debet, quod poſt beneficium acceptū & vita & ciborum omnium, deliquiſſet. Gen. 3. Abul.

17. Non te pudet, popule ſtulte, & inſipiens, poſt beneficium acceptum non ſolum gratias non referre, verum præcepta benefactoris frangere? Vel primus ex hominibus delinquens obcæcatâ mente ſapientiorem ſe oſtendit. Poſt crimen enim patratum cum Numinis accedentis vocem audiſſet, *abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini.* Gen. 3. Quare à Domini facie receſſerunt? Abulenſis, *Abſconderunt ſe ex verecundia ingratitudinis, quia contra Deum benefacientem eis peccauerant.* Reliquias profectò accepti panis Protoplaſti humeris ſuſtinebant: quod quidem onus Hebræi ex humeris deturbârant, ſiue nunquam humeris appoſuerant, qui poſt tot beneficia non ſolùm gratias non reddunt, ſed peccata audent multiplicare.

Queritur Deus se ingratum, poſt acceptam in fame alimoniam. Mich. 6. Ambr.

18. Profectò cophinos fragmentorum deportantes ſi non tollerent gratiarum actionis excitamenta, teſtes Dei ad vindictam inclamantes adferrent. Populo ſuo Deus, *Popule meus, quid feci tibi, quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo ſeruientium liberaui te?* Mich. 6. Poſt beneficiorum panes expoſitos, iubet reliquiarum, ſeu memoriæ pondus humeris ſuſtinere. Quare? Vt ſi ex beneficiorum recordatione non gratos ſe exhibuere: ab ipſis beneficiis capite damnentur: Ambroſius ad Pſal. 50. *Singula in conſpectu ſuo locat beneficia ſua, vt tanquam de his iudices, quæ ſeruare debueras, quò magis reus fias, qui diuinis non potueris ſtare beneficijs.* Illuſtrem autem huius argumenti confirmationem accipe ex D. Bernardo ſer. 16. in Cant. *Inſtaurat aduerſum me teſtes (vt alia innumera taceam) huius corporis victum.* Accepiſſe panem quo refectus, in viâ non deficerem, ingens beneficium fuit, cuius memoriam, ſeu reliquias Dominus me iubet deportare, vt victus corporis aduerſùm me teſtis inſurgat ingratum. Bernard.

19. Pergit Bernardus, *Pudet ingratitudinis.* Quid mirum, pudeat hominem ingratum poſt panes exiſtere, ſi vel animantia rationis expertia reliquias panum nôrunt reportare, vt gratiam quodammodo valeant referre? *Filios enutriui, (ait Dominus) & exaltaui; ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognouit.* Iſa. 1. Vbi Zeno ſer. 5. de Iſa. *Exaltatos appellat, vt ingratos oſtendat, poſt nutritionem. Bouem illis, aſinumque præponit,* domini vtique præſepe cognoſcentem. Væ tibi poſt panes ingrato. *Quo enim quis (inquit Chryſoſtomus) maioribus fuerit beneficijs affectus, eò ſe grauiori ſupplicio facit obnoxium, ſi ingratus exiſtat.* Vereor, ne Græci Menandri Epig. 1. Deus profari poſſet.

Pudeat te poſt cibum eſſe ingratum, dum à brutis vinceris. Iſa. 1. Zeno. Chryſ. Menan.

Lupum ex proprijs mammis nutrio inuitus;
Sed me cogit paſtoris ſtultitia
Auctus enim à me, contra me rurſus fera erit;
Beneficium panis mutare non potuit.

O ferinum ingenium! Te tot lactis, & panis beneficia mutare minimè potuere?

Observatio III.

Ad illa verba.

Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.

Panes, quos mundiales puer vnus afferebat, cæleſtes duodecim validiſſimi Apoſtoli vix valent ſuſtinere.

Sic cæleſtia dona exorbitare aſſolent.

20. PVER vnus erat, qui quinque panes hordeaceos, & duos piſces faciliter ſuſtinebat. At fragmenta cæleſtis conuiuij duodecim cophinis repoſita vix poſſunt à duodecim robuſtiſſimis viris deportari. Cæleſtia munera non communis ponderis ſunt, ſed quod indigeat plurium humerorum ſuſtentaculo. Teſtor D. Franciſcum Xauier meum Parentem, qui à Domino munerum cæleſtium reliquias humeris apponens, ſub onere inclamabat: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.*

Franciſci Xauerij capacitatem miram pondo ad cæleſtia munera excipienda.

Abrahæ

21. *Vel terrena poſſeſſio pluribus exigua poſſeſſoribus, quid cæleſtis?* Gen. 13. Chryſ. Abrahæ Dominus, *Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo.* Gen. 13. An non ſoli Abrahæ terra immediato poſſeſſori adiceretur ſine hæredum memoriâ? Quid neceſſum fuit, etiam hæredibus mox adiudicari? Reſpondet Chryſoſtomus hom. 34. *Magna diuina promiſſionis magnitudo, magna noſtri omnium Domini (vt beneficijs vincat) liberalitas; magna mercedis præſtantia, quam dat miſericors, & clementiſſimus Dominus beato illi, & ex illo naſcituro Semini.* Ac ſi diceret, Tantæ promiſſionis pondus non ſolius Abrahæ, ſed totius progeniei humeris debuit ſuſtineri, nec aliter poſſet deportari. Tanta-ne magnitudo terrenæ promiſſionis? Quid cœleſtium bonorum exuberaret abundantia? Gemit ſub onere Xauerius, quia voluptatum cæleſtium, quæ Deus aſſolet pluribus impertiri, gloria cor vnum, licet capaciſſimum, occupabat.

22. *Vellus in omni terrâ ſtillat caleſtis roris abundantiam vt recipi poſſit.* Pſal. 71. Philo. Dauid ad hæc, *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Pſal. 71. An non ſufficeret, Cæleſtis fons vbertatis quæ in vellus Ieſum deſcendr? neceſſum fuit, in omnem terram recipi, vt exciperet tot bonorum abundantiam. Philo lib. de Temul. *Nec donorum quidem largitatis quiſquam ſolus capax eſt, ac fortaſſè nec Mundus hic quidem; ſed quaſi parua lacuna influente magno gratiarum Dei fonte celerrimè repleta ſuperaffluit.* O Franciſce, pelagus magnum tot fluctuum an capax, quos vellus Ieſus mittit in omnes?

23. *An vnus adeo Ieſu imitator, vt recipiat virtutes, quibus omnes ſunt pleni?* Pſalm 71. Chryſ. Alij Deus linguarum genera dedit, alij ſanitatum gratiam donauit, &c. Vni Xauerio meo totam gratiarum impendit plenitudinem. Ad illa verba: *Deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* D. Chryſoſtomus, *Et ſicut guttæ ſtillantes ſuper terram.* Et addit, *Guttæ iſtæ virtutes ſunt, quibus idem Dominus noſter Ieſus dignatus eſt terram vehementer implere. Gutta fuit, quando leproſum mundauit, puerum Centurionis à mortis periculo ſanauit, paralyticum curauit, cæcum illuminauit, mortuos ſuſcitauit.* Gutta igitur vnica virtus medica, quâ cunctis ægritudinibus remedia adhibentur, ægérque ipſe à morte ad vitam reuocatur. Aliæ quidem guttæ virtutes ſunt reliquæ, quibus repleuit Dominus imitatores Diuos. An aliquis, inſtar velleris, totam guttarum plenitudinem epotauit? Certè vnus Xauerius totam illam virtutum plenitudinem (quæ in cunctis reſperſa erat, vt poſſet recipi,) ita corde excepit, vt perfectus velleris ipſius, id eſt, Domini imitator euaderet. Vnde ſe incapacem tot fluctuum agnoſcens inclamat: *Satis eſt Domine, ſatis eſt.*

Observatio IV.

Ad illa verba.

Collegerunt, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum de quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

Accipientes turbæ ab Apoſtolis quinque panes, reddunt duodecim cophinos fragmentorum.

Nec enim ſine lucro, ac commodo ſpirituali quidem proximorum ſaluti incumbes?

24. *Dat ſacer miniſter proximo Sacramenta accepta à Ieſu velut panes: & recipit ab illo miſericordiarum Dei abundantiam.* Bernard. BERNARDVS ſer. 2. de ſeptem panibus, reliquias panum multiplicem Dei miſericordiam interpretatur. *Prima miſericordia eſt, quòd te à multis peccatis præſeruauit in quæ alioquin incidiſſes. Secunda, quòd peccantem, & peccata diſſimulauit. Tertia, quòd ad pœnitentiam vberiorem excitauit. Quarta, quòd dederit gratiam continendi, ne in peccata laberetis. Quinta, quòd dederit munus bene conuerſandi.* Si autem requiras queiſnam panibus miniſter ſacer proximum fameſcentem exſatiabit? *Primus* (reſpondet ſer. 1.) *eſt verbum Dei, in quo vita hominis eſt: ſecundus obedientia: tertius lacryma: quartus pœnitentiæ labor: quintus Euchariſtia.* Igitur his panibus Apoſtolicus vir proximum reficit, & illos proximus ſuo reddit magiſtro: Qui quidem quinque huiuſmodi diuinæ miſericordiæ documentis donatur, dum ſaluti proximi ex quinque panum exhibitione incumbit. Vt ſcias nunquam ſine lucro, ac commodo ſpirituali laborare, qui proximorum ſaluti ſtudium expedierit.

25. *Dat nobis Ieſus ſeptem Sacramenta, accipit ſeptem donorum abũdantiam.* Luc. 3. Ex Patrum ſententiâ Dominus hominibus ſeptem Eccleſiæ Sacramenta prælibauit, dum Iordanis aquis ablui dignatus eſt: Baptiſmo etenim reliquorum oſtio myſteriorum reliqua abluentia quidem ſacra flumina innuebat. Tunc quidem *Deſcendit* ſuper Ieſum *Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba.* Luc. 3. Quare Spiritus ſanctus, qui animo Domini incola à Propheta aſſeritur (iuxta illud: *Et replebit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus: ſpiritu ſcientiæ, & pietatis: ſpiritu conſilij, & fortitudinis: & ſpiritu timoris Domini.* Iſai. 9.) rurſum ad ipſum dicitur deſcendiſſe? Iſai. 9. Profectò, qui ſeptem dederat Eccleſiæ Sacramenta, ſeptem Spiritus ſancti dona quaſi de nouo accepit. Vt innuatur nunquam ſacrum miniſtrum proximum donare Sacramentorum panibus, quin à proximo reliquiarum loco recipiat miſericordiæ cæleſtis abundantiam.

26. *Qui ſe proximus pereuntibus dat columbam refert miſericordia diuinæ oliuam.* Gen. 9. Dionyſ. Alexand. Dum Orbis vitiorum exitialium vndis obrueretur, immiſit Noë, id eſt, Dominus columbam, ſiue (vt cum Dionyſio Alexand. contemplemur) Eccleſiæ miniſtrum gemitu hominęs horraturum, vt ad arcam properaret. Panem quidem Sacramenti pœnitudinis miniſtrauit egentibus. At ipſa ramum oliuæ retulit ad domum: Portauit *ramum oliuæ virentibus folijs.* Gen. 9. Qui pro ſalute proximi miniſterium impendit, non amittit: ſed cum vberrimâ recipiet vſurâ; oliuam enim Dei miſericordiæ pro oblatis panibus reportabit.

27. *Pro bucella data proximo meſſem gratiæ accepies.* Buccellam panis proximo appoſuiſti? meſſem recipies æternitatis. Iſaias ad hæc, *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen lon-*

gaium. Cap. 53. Leo à Caſtro, videbit *meſſem longinquam dierum.* Meſſem enim æternitatis ſeu vitæ minimè terminandæ recipies, ſi buccellam panis, ſiue animi ſtudium pro ſalute proximi expenderis.

Iſai. 53. Leo. Caſtr.

27. Imo non huiuſmodi dona poſt miniſterium impenſum recipies: ſed priùs reliquiis redonaberis, quàm panes apponas. Sic D. Damaſcenus ſer. de defunct. *Quemadmodum enim, qui ægrotantem vnguento, vel alio pretioſo oleo vult inungere, prior ipſe vngendo particeps eſt vnctionis, & ſic poſtea inungit laborantem morbo: ita qui pro ſalute proximi aliquid facit, primò ſibi, deinde proximo prodeſt.* Si ergo vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus, ſeu ante participes tuos; quare ad proximorum non curris miniſteria?

Prius accipis miſericordiam, quàm proximo impendas panē miniſterij. Damaſc.

Observatio V.

Ad illa verba:

Ieſus ergò cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit.

Fugit Dominus, quia turbæ curabant eum Principem ſibi eligere, qui temporaria lucra eis conferebat.

Amat enim Dominus ditiſſimus propter ſe ipſum ſolummodò requiri.

28. Miror hodie Regem acclamari à turbis, qui heri dignus morte proferebatur. Vnde putarim huiuſmodi mentis metamorphoſim cibum, quo refecti fuerant, tam egregio miraculo excitato, fuiſſe operatum. Innuit diuus Chryſoſtomus hom. 41. in Ioan. *Maiora his miracula & quidem innumera operatus eſt, neque confeſſi ſunt. Proh quanta gula, lucrinè vis! Iam non ampliùs legem vlciſcuntur, nec ſabbati tranſgreſſionem curant, neque Dei zelo mouentur: omnes has curas pleno ventre abiecerunt.* Iam Rex inclamatur, qui adiudicabatur dignus qui lapidibus obrueretur. Et cur ò Domine, tam pios fugis acclamatores? Quia Deus amat propter ſe ipſum requiri, hi autem propter ſola commoda exquirebant.

Chryſoſt.

29. Mariæ Angelus, *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Luc. 1. Quæritur, cur non in domo Dauid, qui regnum obtinuit Iſrael, vel in domo Abrahæ, cui facta promiſſio, regnaturus Dominus annunciatur? An non præcipuè Dauidis, & Abrahæ filius pronunciatur? *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham.* Matth. 1. Quid ergò ſpeciale in domo Iacob? Crediderim, quia in animo, ſeu ingenio Iacob, quædam documenta gratiſſima quidem Numini præluxere. Renunciatur parenti, Ioſephum filium, quem credebat extinctum, apud Ægyptum dominari. Tunc Iacob quaſi è ſomno euigilans proclamat: *Sufficit mihi, ſi Ioſeph filius meus viuit; vadam, & videbo illum antè quàm moriar.* Gen. 45. Dic mihi ô Patriarcha, curas-ne vadere, Ioſephumque tuum requirere eo quòd Ægypto dominetur: vnde tibi commoda accreſcant refectionis, quando fames Orbi toti dominatur? Minimè verò, ſed ad Ioſephum meum nodum commodis vado, eum ſolum mihi requiro. Eo quidem affectu quem innuit Guarricus Abbas ſerm. 1. de Reſurr. *O vocem fidelem, & planè amicis Ieſu dignam! O caſtiſſimum affectum, qui ſic loquitur: ſufficit mihi, ſi Ieſus viuat, cùm ipſe ſit ſufficientia mea.* Iacob igitur Ioſephum (ſeu Ieſum) quærit non ob panis abundantiam, ſed quia ille nudus commodis ſua erat ſufficientia. Hoc affectu amat Ieſus requiri. Ideo ſe in domo Iacob regnaturum promittit, vt ab iis ſubditis requiratur, ab iis domeſticis miniſtretur, qui Regem ſuum nouerint requirere ſine commodi temporalis reſpectu. *Deſint* (addit Abbas) *omnia alia, nihil intereſt mea, dummodo Ieſus inueniatur. Ipſe ergo ſi placeat ei, deſim mihi: ſufficit mihi, dummodo viuat, (ſeu regnet) ipſe vel ſibi.*

Deus ſe in domo Iacob regnaturum promittit, quia ipſe novis in Ioſepho Ieſum quærere non propter temporaria commoda, ſed propter ipſū. Luc. 1.

Mat. 1. Gen 45. Guar.

Pugnare videtur illud Dauidis: *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* Pſal. 86. Quomodo ergo tenuit Dominus apud Iacob tabernacula reſidere, vt Regno potiatur, ſi ſe in domo Iacob regnaturum promiſit? Profectò Dauid reſpicit Iacobum imperfectum, quando Deum verum Ioſeph ſuum, non ob ipſum, ſed propter benedictionem, ſeu bonorum abundantiam requirebat. *Non dimittam te* (ait) *niſi benedixeris mihi.* Gen. 32. Ac ſi diceret Textus, voluit eum rapere, vt faceret eum Regem ob abundantiæ ſpem. Rapere intendis, ſeu vim inferre, (dum non dimittis) vt Rex tuus Dominus aſſurgat, te benedictionibus donaturus? Dum huiuſmodi affectum Deus aſpicit plus diligit Sion veſtibula, quàm Iacob tabernacula. Et cur Sion? Eſt quidem Sion Eccleſia humillima, quæ dicebat, *Inueni, quem diligit anima mea: tenui eum, neque dimittam.* Cant. 3. Non dimittes? Quare? An ſicut Iacob, niſi benedixerit tibi? Abſit. Requiſiui eum, vt facerem mihi Regem non ob benedictionis commoda; ſed propter ipſum. Bellè Bernardus ſer. 79. *Iſta non vult eum dimittere, & fortè magis quam Patriarcha id non vult: quia nec pro benedictione quidem. Ille enim benedictione acceptâ dimiſit: hæc autem non ſic: Nolo, inquit, benedictionem tuam, ſed te.* Tunc igitur cum imperfectione laborat Iacob, fugit Dominus ne regnet ſuper eum: ſed Sion ſubditam ſibi expetit. Poſtquam autem talis Iacob exſurgat, vt Ioſephum, ſeu Ieſum Orbis Saluatorem, cunctos ſubditos reficientem, non quærat ob commoda, ſed propter ipſum: non vadat ad panem, ſed ad Regem: meritò Deus in domo Iacob ſe regnaturum inclamat: *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

30. *Ipſius Iacob tabernacula alibi præponit portas Sion ſeu Eccleſiæ, ſi quæretur ſine commodi reſpectu. Non ſic aliquando Iacob.* Pſal. 86. Gen. 32. Cant. 3. Bernard.

31. Eſt qui acutè exiſtimarit, ideo Dominum in montem aufugiſſe, ne in Regem eligeretur: quia verus Rex non eſſet, qui aliunde Regnum accipiebat: ſed qui natus Rex inclamabatur: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex?* Matthæ. 2. Qui ergo verus Rex natus erat, aliundè minimè Regnum

Quaſi ſubditus verus ab eſt, qui Ieſum quærit ob cōmoda. Mat. 2.

Regnum erat accepturus. Quemadmodum igitur legitimè Rex non eſt, qui aliunde Regnum accipit: ſic contemplatus fuerim verè & legitimè ſubditum Dei Regis non eſſe, qui Deo adhæret ob temporaria commoda, & non propter ipſum. Nicolaus Græcus libr. 4. de vita in Chriſ. apprimè fatur. *Sic rexit, quorum principatum obtinuit: non timori cedens, non mercede ſe capi patiens, ſed ipſemet ſibi potentiâ Regni ſui, & ſolus ipſe ſibi ſubditos obſtringens; timore enim, aut mercede acceptâ regnare, profectò non eſt ipſum regnare: ſed ſpes, & mina de exactâ obedientiâ accuſanda ſunt. Quemadmodum* (attende) *non legitimè regnat, cui regnare eſt aliunde: ſic nec verè Deo ſeruimus, ſi aliquo dictorum modorum ſubditi ſumus.* Quàm pulchrè!

Observatio VI.

Ad illa verba.

Fugit in montem ipſe ſolus.

Meritò Dominus fugit, cùm ad temporarij Regni adminiſtrationem requiritur.

Gubernandi enim munus difficultatibus, ac incommodis redundans cordatus quilibet fugere ſatagit.

32. CVR Iudæorum Rex toties promiſſus à Prophetis, à Patriarchis adeo deſideratus fugit in ſolitudinem non inueniendus ab eis, qui curant eum ad Regnum adſumere? An fugit quia terrenus offertur Principatus, quippe innumeris redundat incommodis? Ita planè, vt nos edoceat à terrenâ gubernatione properanter recedere.

33. *Cordatu ſpõſu ſeu Eccleſiæ prudentes viri rogati ſæpe accedũt ad regimen, quod ignoſcunt incommodis innumeris redũdare.* Cant. 4. Gillib.

Sponſam cæleſtis iteratis ſæpe vocibus euocauit Amator: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni.* Cant. 4. Cur obedientiſſima non illico, in morem Samuelis, primæ voci reſpondet: *Adſum*, ſiue, *Ecce ego*? An quia è contemplationis requie abſtrahitur? Sic Gillibert. ſer. 29. *Vide, ſi non moroſè egrediatur de Libano, quæ toties vocatur. Mora autem hæc non eſt contumacia, ſed cautela. Quis enim à contemplationis candore libens diſcedit?* Profectò dum ſponſus requiritur, eius facies minimè auertitur: vnde quilibet locus tantæ Chriſti amatrici Libanus candidiſſimus exiſteret. Alio igitur affectu motas arbitror meditatam fuiſſe. Audi vlteriùs, quæſo, ſponſi ſermonem. *Veni*, ait, *coronaberis*. Eam proculdubio coronæ, aut regiminis incommoda deterruere. *De montibus pardorum, de cubilibus leonum.* Diſcerpenda vocor, non coronanda. *Optanda quidem* (addit Abbas) *lucra, ſed metuendus eſt lapſus. ſuſpecta mihi ſunt lucra, quorum incertus eſt prouentus, vicinum propriæ periculum ſalutis. Quid mirum, ſi moretur venire, ſi metuendum ſit, ad montes illos barbaros, & beſtiales accedere?*

An non ad ora beſtiarum obturanda diuina exigitur virtus in Principe? *Virgam* (ait Dauid) *virtutis ſuæ emittet Dominus ex Sion; dominare in medio inimicorum.* Rex & immittitur à Deo è ſuperis, & ferreus effingitur, & diuinâ virtute ac fortitudine decoratur, vt in medio inimicorum, ſiue brutalium hominum dominari poſſit. Virga illa non feſtinat ad Regnum, ſed emittitur: nos autem quando cordata renuit ſponſa, vltronei ad rapiendum regimen feſtinamus? Audiendus Gilbertus pulchrè adiiciens: *Et fortè ſponſa mora feſtinationem noſtram ſuggillat, & arguit, qui nimis prompti, & parum prouidi vires noſtras minùs penſantes, feſtinamus ingredi in labores prælationis, in ſollicitudinum moleſtias, & materiam lapſus: nec expectantes vel ſemel vocari, vltrò nobis ipſi honorem ſumimus, vocationem vel præuenientes, vel arte procurantes.* 34.

Immittendi, imo cogendi, qui aliis præponendi ſunt. Arguitur, & taxatur noſter vltroneus ad Prælaturam acceſſus. Gillib.

Vulgari teſtimonio confirmo, ſpeciali pondere illuſtrato. Diſcipulos Dominus ad Regnum ſeu regimen Epiſcopatus aduocans, inquit: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum.* Luc. 12. An à Regni timore reuocantur? Quid in Regno incommodi, quod poſſit Eccleſiæ deterrere potentiſſimos? D. Chryſologus ſer. 23. Deberet timore affici, quia cùm Puſillus grex eſſent, ad Principatum vocabantur. *Promiſſionem Regni ſine timore ſeruilis ſtatus audire non ſufficit; quia qui libertate vix dignus eſt, cupere non valet inſidas Principatus.* Rectè quidem, ſed nos argumento accommodatiùs ipſam Chryſologi clauſulam ponderemus. Qui ſeruili ſtatu laborabant, prudentes cum eſſent, timent, Principatûs audire vocabulum: quia nulla ſeruitus adeò eſt dura, quæ cum Regni, ſeu Regiminis ſtatu comparata, felicior non ſit: imo felix ſimpliciter, Principatus incommodis ſpectatis. Bellè Græcus, *Seruit verè qui regnat, & ſeruit multis.* O Diſcipuli Patri veſtro placuit vos à facili ſeruitute in difficillimam ſeruitutem reuocare. *Nolite timere*: nec enim vos deſinet deperire, oneri ſuccumbentes, qui ad laborioſa munera vocitauit. 35.

Timet prudẽs ſeruus dominari, quia ſeruitus dura eſt. Luc. 12. Chryſol.

Si aſſumptis ad regimen ſecuritas promittitur, quid Apoſtolis timoris obiicitur? Timeant, qui ad Præfecturam vltronei properarunt. Certè ipſa Præfectura vel rectè acquiſita valde eſt formidabilis In cuius typum Dominum diabolus, *in ſanctam Ciuitatem aſſumpſit, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum Templi.* Matthæus 4. Vbi Paſchaſius. *Sedes Doctorum ſuper pinnam Templi erigebatur, vt exinde quaſi in eminentiori poſitus loco Doctor ad populum loqueretur.* Meditatur Pater huiuſmodi eleuatione ſignari aſſumptionem cuiuslibet Prælati ad munus regiminis obeundum: nec quidem iniquam, ſed rectam. Chriſtus itaque rectè Prælatus aſſeritur ad regimen aſſumptus. An immineant rectè Prælato incommoda? Certè ipſa imminet ruina, inſtigante diabolo: *Mitte te deorſum.* Bellè adiicit Abbas, *Hinc quoque ducit eum ad altiora, & vſque ſuper faſtigium Templi, vt ex hoc daretur indicium, ad quid eleuat vnum quemque, quem deorſum præcipitare deſiderat*: Eleuatum iniquè, non rectè præpoſitum deturbabit. *Nonnullos quidem in ſuâ inflationis aura etiam eleuat ad honores indebitos.* 36.

Præfectura rectè acquiſita adhuc horribilis prudenti ob ſubnatum caſum: quid nõ recta prælatio? Math. 4. Paſch.

Non nullos verò rectè Prælatos, vt corruant, & ſe vitiis immittant indefeſſus hortatur Si rectè prępoſitus à periculo non eripitur, quid inique prælatus? Seneca Tragicus dictitabat in Thyeſ.

Nec abnuendum, ſi dat imperium Deus.

Nec appetendum Frater, vt regnes, rogat.

Licèt à cunctis mortalibus rogareris, deberes abnuere cum imperium minimè appetendum ſit ob labores innumeros: niſi ab ipſo Domino aduocatus accedas.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem.

Vidit Dominus ſe rapiendum ad ciuilem necem cùm ſe eligendum Principem populi illius ſpectauit.

Ipſâ namque morte horribilius Imperium.

37. CVR particulam illam: *Vt raperent eum*, Euangeliſta appoſuit? (An raptus eſt Imperij inauguratio? Ad necem hominem rapi audiui ſæpe: ad Regnum autem quonam modo poteſt homo rapi, ſi Imperium cum libertate coniunctum vltronei homines innumeri quæſiuere? O Regni ſeductio! Exiſtima proculdubio ad necem rapi, qui ad Imperium aſſumitur.

38.
Ieſus ſponte ad Crucem properans, fugit cum ad Regnum requiritur.
Mat. 6.
Ioa. 6.
Gregor.

Profectò raptus hic dirior, quam ſi ad necem horribilem rapereris. Vidiſti Dominum ad Crucem ſponte properantem? *Surgite eamus*, Aſt aſſumendus ad Imperium Diſcipulorum amator eos dimittens, *fugit iterum in montem ipſe ſolus*. Num Regnum tibi ô Domine ſit Crucis morte horribilius? Tanta-ne Imperij exitialis incommoda? D. Gregorius 2. p. Paſt. cap. 3. *Quis principari hominibus tam ſine culpa potuiſſet; quam is, qui hos nimirum regeret, quos ipſe crearat? Sed quia idcirco in carne apparuit, vt non ſolum nos per paſſionem redimeret, verum etiam per conuerſationem doceret, exemplum ſeſe ſequentibus præbens, Rex fieri noluit: ad crucis vero patibulum ſponte peruenit; oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probroſæ mortis appetiit: vt membra eius diſcerent.* Iam didici ex te ô Magiſter optime, morte acerbiſſimâ horribilius Imperium.

39.
Spontaneus quiſque ad mortem curreret fugiens à Regno, quia hoc tam dirũ, vt facilius ſit morte diuturna perimi, quam breui imperio

Certè non tam horribiliter quis ad mortem, quàm ad Regnum ſeu dominatum præripitur. Quæritur Dominus, nec inuenitur, cum ad Regnum expetitur: non abnuens, ſed ſpontaneus quærentibus ad necem offertur. *Ambulauit* Enoch *cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Gen. 5. 2 x x. *Et non inueniebatur, quia tranſtulit eum Deus.* Non inuentus dicitur, quia quæſitus fuerat. Et ad quodnam munus requirebatur dilectus Deo, & hominibus? Reſpondet Genebrardus lib. 1. Chronol. *Non apparuit vtique tanquam requiſitus ad ſupremum officium.* Cupiebant homines Enochum rapere ad Principatum, & quia placuit Deo, eum liberauit à Regno rapiens è viuentibus. Enoch quidem mortuus non eſt, ſed expectaturus nouiſſimam ſeculi huius inſtantiam, *vt det gentibus pœnitentiam*, vita eius morte dirior, cuius incolatus tam diu prolongatus eſt. Qui ergo raptus eſt ad longiſſimum incolatum, maximo à Deo eſt beneficio affectus; quia raptus ad Principatum ad diriorem mortem proculdubio raperetur. Meruit itaque ob fidem, ob virtutes egregias Principatum, ad quem eligi debebat, in longiſſimum incolatum, diuturnam vitam, ſiue potiùs mortem diuturnam commutari. Ad illud Pauli, *Tranſtulit illum Deus.* Enoch ſcilicet. Hebr. 11. Syriaca habet *eſtanni*, id eſt, Cornelio expoſitore, *in meliorem ſortem mutari.* Quænam hæc melior ſors? Ex communi Patrum conſenſu reſeruatur Enoch, vt ab Antichriſto immaniter trucidetur. Sicut ouis occiſionis Enoch expectat gladio horribili vulnerari. An hæc ſors melior? Ita planè; ſiquidem imperare malum eſt, quod poſſit vniuerſas calamitates facilè ſuperare.

diuexari.
Gen. 5.
Geneb.

Melior ſors Enocho ab Antichriſto trucidari, quam Regno addici.
Hebr. 11.

40.
Petit Saul trucidari, vt à corona ſoluatur.
2. Reg. 1.
Tigur.

Gladio vulneratus Saul iam iam moriturus Amalecitæ inclamat, *ſta ſuper me, & interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ, & adhuc tota anima mea intra me eſt.* 2. Reg. 1. ſic ipſe Amalecites retulit Dauidi. Tigurina quidem legit, *Inſiſte mihi quæſo, & trucida me; apprehendit enim me corona.* Profectò à corona, à Regno apprehendi, aut rapi, immanius malum reputabat, quàm exitiali denique vulnere affici. O quàm ſe à regimine vulneratum cognoſcebat, qui vt à vinculis Regni ſolueretur, expetit crudeliſſimo lethali vulnere comminui.

41.
Expertus Moſes maluit vincula ſeruitutis quam Regni alligari.
Hebr. 11.
Nazian.

De Moſe prudentiſſimo Paulus, *Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei.* Hebr. 11. Non igitur voluit ſubditis præfici, maluitque cum Ægyptiorum mancipiis computari. Non ſic Aaron, de quo Nazianzenus in Apolog. *Illi quippe miniſterij magnitudinem extimuerunt, hi contra vocantis ope confiſi paruerunt. Aaron promptus erat, Moyſes autem repugnabat.* Quare? quia apud aulam educatus dignouerat coronam vinculum quidem eſſe, quo homo ad mortem trahitur, quod quidem Aaron inexpertus non agnouerat.

42.
Imperator omnium ſubditorum mala ſubit morte diriora.
Senec.

Aiebat Anaxagoras Principatum eſſe *cunctorum malorum epilogationem.* Meritò quidem, nam qui Princeps eligitur, muneri raptus illigatur, vt omnium ſubditorum mala ſubeat. Vnde ſcitè Seneca lib. 7. de Benef. cap. 9. de Demetrio reſpondente illi, qui Imperium ipſi tradere conaretur, ſic ſcripſit: *Ego vero*, Demetrius inquit, *ad iſtud inextricabile pondus non alligo, nec in altam facem rerum hunc expeditum hominem demitto. Quid ad me defers populorum omnium mala?* Quid vinculis cum Regno? An non *purpura Regis vincta* dicitur *canalibus.* Cant. 7. ſiue (vt alij) *Rex ligatus in tranſcurſibus.* Cant. 7.

PARS

PARS SECVNDA.

SEPTEM PANES.

Paraphraſis, & Commentarij literales ad Caput octauum Marci.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum natura Dominum.

PROLVSIO.

ITERVM init Dominus deſertum à turbis comitatus, vt iterum eſurientibus, inſtaurato conuiuio, pabula præparentur. Alterum deſertum carnibus volucrum exitialibus redundauit, ſalutari Manna: hoc autem ſalutaribus piſcibus abundat, & pane. Ambroſius lib. 6. in Luc. *Gratiæ cœleſtis impartitur alimentum.* Ita-ne? Panis hic gratia eſt? Quam appoſitè illi Patres, qui rom.4.lib.3. aſſerebant Deiparam nunquam non greſſuum Domini ſectatricem. Cum deficit tot panis inuitatis, adeſt Virgo opem latura, quæ deficiente vino, ſuccurrit egentibus. Ambroſ.

MARCVS Cap.VIII.

VERS. 1. CVM turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberent, quod manducarent; conuocatis Diſcipulis, ait illis:

2. Miſereor ſuper turbam; quia ecce iam triduò ſuſtinent me, nec habent, quod manducent.

3. Et ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in viâ: quidam enim ex eis de longè venerunt.

PARAPHRASIS.

1. ACCIDIT *quodam tempore, vt in locum deſertum ingens hominum ad Ieſum multitudo conflueret, deferens ſecum multos varys malis obnoxios. Dùmque intenti eſſent aut regno Dei, aut proximorum valetudini, de commeatu minimè proſpiciebant. At Ieſus vocatis Diſcipulis, ait:*

2. *Miſeret me huius multitudinis. Nam ecce iam triduum eſt, quòd adhæret mihi, nec habent, quod edant.*

3. *Quòd ſi dimiſero eos, vt ſunt ieiunos, periculum eſt, ne deficiant in viâ, priùs quàm domum perueniant; Nam quidam venerunt è longinquo. Hâc oratione Ieſus ſuos ad proximum miraculum excitauit.*

4. Et

4. Et reſponderunt ei Diſcipuli ſui, Vndè illos quis poterit hìc ſaturare panibus in ſolitudine?

4. *Diſcipuli verò rurſus obliti quemodmodum antè numeroſam multitudinem quinque panibus, duobúſque piſcibus pauiſſet, Vnde, aiunt, poſſit aliquis tam immenſam biduano ieiunio famelicam hic in ſolitudine panibus explere?*

5. Et interrogauit eos. Quot panes habetis? Qui dixerunt, ſeptem.

5. *Rurſum Ieſus, Quot panes habetis? Illi, inſpecto commeatu reſponderunt, ſeptem. Cùm verò annona non videretur ſuffectura multitudini tanta, adhibentur manus Ieſu, vnde proflueret abundantia.*

6. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit: & dabat Diſcipulis ſuis, vt apponeret, & appoſuerunt turbæ.

6. *Iuſſit ille homines ſuper terram diſcumbere. Accepit ſeptem panes, & vt oſtenderet à Deo proficiſci, quidquid ad ſalutem hominis conducit, ſuſtulit in cælum oculos; nam ibi Pater habitat, vnde iuſſit quotidie hunc repeti panem: & gratias egit, fregit, tradidit Diſcipulis; vt ſicut acceperant, turbis apponerent. Non eſt efficax hominis ſermo, niſi priùs Chriſti manibus contrectatus.*

7. Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit, & iuſſit apponi.

7. *Ex benignitate Conuiuatoris pauci adduntur piſciculi. Hos Ieſus conſecrauit benedictione, & iuſſit apponi, ne panarium eſſet conuiuium.*

8. Et manducauerunt, & ſaturati ſunt: & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas.

8. *Factum eſt autem, vt non ſolum ſaturati ſint omnes, verùm etiam ſeptem ſporta ſint fragmentis reliquiarum impleta: qua ſaturis ſuperfuerant.*

9. Erant autem, qui manducauerant, quaſi quatuor millia: & dimiſit eos.

9. *Quóque magis demireris, qui comederant vſque ad ſatietatem, erant fermè quatuor hominum millia. Ita paſtos Ieſus dimiſit. A quo dimittũtur qui poſt Sinaxim gratias agunt, qui ipſius recondunt in animo beneficio, & concoquunt, quod acceperunt.*

SECTIO QVARTA.

Super turbam Domini Miſeratio.

TEXTVS.

VERS. 1. CVM turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberet, quod manducarent, conuocatis Diſcipulis, ait illis. 2. Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduò ſuſtinent me, nec habent, quod manducent. Et ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in viâ; quidam enim ex eis de longè venerunt. 4. Et reſponderunt ei Diſcipuli ſui: Vnde illos quis hìc poterit ſaturare panibus in ſolitudine? 5. Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt, ſeptem.

COMMEN

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De rerum à Chriſto geſtarum ordine.

1. *Iterum duorum miraculorum diſcrepantia.* MIROR aliquos voluiſſe hoc miraculum ſeptem panū cum quinque panum ſigno confundere, cum Marcus noſter & Matthæus diſtinctè ſcripſerint vtrumque: ipſáque differentia miraculorum contrarium aſſerat. Hanc quidem adnotauit D. Hieronymus fatus: *Supra legimus, Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum Diſcipuli dicentes: Deſertus eſt locus, &c. hic Diſcipulis conuocatis ipſe Dominus loquitur: Miſereor turbæ; quia triduò iam perſeuerant mecum. Ibi quinque panes erant, & duo piſces: hic ſeptem panes, & pauci piſciculi. Ibi ſuper fœnum diſcubuerunt: hic ſuper terram. Ibi, qui comedunt quinque millia ſunt iuxta panum numerum, quos comedunt: hic quatuor millia. Ibi duodecim cophini replentur de reliquijs fragmentorum: hîc ſeptem ſporta.* (Hieron.)

2. *Plura Ieſu miracula patrata tribus diebus.* *In diebus illis iterum cùm multa turba eſſet.* Ex finibus Tyri, vbi Cananææ filiam ſanitate donauerat, egreſſus Dominus per medios fines Decapoleos, in mare, ſeu lacum Galilææ venit, montémque lacui propinquum ſcandit. Acceſſere ad eum turbæ multæ (fante Matthæo) habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, alióſque plurimos ægrotantes, quos ad pedes Domini proiecerunt, cæleſti à medico mirabiliter reſtitutos ſanitati. Vnde certum, multa ſimul miracula hîc Dominum edidiſſe, quæ Euangeliſta ſigillatim non enarrauit.

§. II.

De reficiendi homines impoſſibilitate humana, ipſorúmque ſuſtinentiâ.

3. *Paſcit quos curauit.* CVm multa turba eſſet, nec haberent, quod manducarent, conuocatis Diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam. Non ſolùm ægris Dominus contulit ſanitatem, verùm turbas pane, piſcibúſque pauit in ſolitudine. Hieronymus, *Vult Chriſtus paſcere, quos curauit. Prius aufert debilitates, vt poſtea ſanis offerat cibos.* (Hieron.) Profectò tot munificentiæ fluuij ex miſericordiæ abyſſo profluxere: *Miſereor ſuper turbam.*

4. *Triduo ſuſtinentia.* *Quia iam triduò ſuſtinent me.* Græcè προσμένουσί μοι, id eſt, *permanent mihi*, vel *mecum.* Matthæus, *Perſeuerant mecum.* Per tres dies cum Chriſto turba perſeuerarat, nec domum repetierat, doctrina, miraculis, conſpectúque tracta Saluatoris. An potuit perſeuerantia, & ſuſtinentia cæleſti munere priuari?

5. *Num tribus diebus alimonia caruerint?* *Nec habent, quòd manducent.* An tribus illis diebus turba cibo caruerit? Ex Chryſoſtomo, & aliis, quos Maldonatus refert, & ſequitur, dici cibos turbarum conſumptos, vt gloria miraculi ampliùs innoteſceret. Vndè colligo cibos à turbâ allatos, ſed tertia die iam fuiſſe abſumptos. Theophylactus, *Miraculum operatur Chriſtus, ſumpta occaſione iuſtâ: nempe quòd tres dies manſerat turba, & abſumpta erant omnium viatica.* (Theoph.) Et Chryſoſtomus ad Mat. 15. (Chryſ.) *Ne reſpondere poſſent Diſcipuli, quia ſecum viatica portauerunt, triduò iam mecum ſunt, ait Chriſtus: ita etiamſi quidquam ſecum habuerunt, conſumptum eſſe debet.*

6. *Cur Ieſum turbæ ſequerentur?* An ob cibos exhibendos Chriſtum turbæ ſequerentur? Minime, ſed propter verbum, & miracula: rarò enim fameſcentibus contulit alimoniam. Theophylactus, (Theoph.) *Non ſemper facit Chriſtus miraculum in alimentis, vt ne putent, quod propter cibum populus illum ſequatur.* Ideo non primâ, aut alterâ die, ſed tertiâ, cum panis turbæ defecerat, miraculum excitauit, fante Chryſoſtomo, (Chryſ.) *Non in primâ die, neque in ſecundâ miraculum fecit; ſed expectauit, vt omnibus conſumptis, indigentiâ coacti, maiori admiratione factum proſequerentur.* Et Theophylactus, *Nunc niſi periculum ex cibi penuria fuiſſet, neutiquam miraculum feciſſet Dominus.*

7. *Indigebant turba refectione, vt ad propria remearent?* *Et ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via; quidam enim ex eis de longè venerunt.* Chriſti fama ex locis remotis homines adducebat. Vt autem ad propria remearent, refectione indigebant.

8. *Cur cum Diſcipulis egit de turbarum refectione?* *Et reſponderunt ei Diſcipuli ſui: Vnde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Cur Dominus Diſcipulos aduocauit cum eis de turbis acturus reficiendis? Reſpondet Hieronymus, (Hieron.) *Conuocat Diſcipulos, & quod facturus eſt, loquitur, vt vel magiſtris exemplum tribuat, cum minoribus, atque diſcipulis communicanda eſſe conſilia. Vel vt ex confabulatione intelligant ſigni magnitudinem, reſpondentes, ſe panes in eremo non habere.*

9. *An aptè Diſcipuli reſpõderint?* Num aptè Diſcipuli reſpondiſſent? Negatiuè reſpondeo. Miſericordiam enim ſuam Dominus Diſcipulis aperuerat: *Miſereor ſuper turbam.* Et voluntatem: Matthæus, *Dimittere eos ieiunos nolo.* Et neceſſitatem refectionis: *Si dimiſero eos ieiunos, deficient in viâ.* Et dignam eſſe turbam, quæ paſceretur: *Quia iam triduò, ſuſtinent me.* Debuerant igitur Diſcipuli reſpondere: Iam ſemel, ô Domine, maiorem turbam trans mare Galilææ apud montana in conſpectu eorundem Diſcipulorum quinque panibus, duobúſque piſcibus ſatiaſti. An non eadem dexteritate paſcere poteris & minorem? in ſuam penuriam, non in Domini potentiam Apoſtoli oculos dirigebant, ideo impoſſibile eis videbatur tot hominum millia ſaturare. Nec veſtræ menti occurrit carmen Dauidicum? (Pſal.144.) *Oculi omnium in te ſperant, Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Pſal.144.

10. *Cur rogarit, quos panes haberent?* *Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.* Sciebat Dominus quot Diſcipuli panes haberent. Cur ergo rogitauit?

Porrò

Porrò vt miraculum fieret manifeſtum. Sic apud Ioannem voluit ab Andreà panum quinque penuriam exponi, vt ampliùs gloria miraculi, tot hominibus ſatiatis, fragmentiſque reliquis, innoteſceret, profitente Apoſtolo: *Sed hæc quid ſunt inter tantos?* Expreſſà itaque annonæ penuriâ ſe iam Dominus diuinâ induit fortitudine. *Indutus eſt Dominus fortitudinem, & accinxit ſe*, vt turbis miniſtraret.

IN IESVM TVRBAS REFICIENTEM.

PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS CIRCA LITERAM.

EX MISERATIONE DOMINI ſuper turbas.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me.

Turbarum aſpectata à Domino ſuſtinentia, eis conuiuium præparauit.

Hominum enim tribulatio, ac patientia eſſe diuinæ miſericordiæ aſſolet excitatrix.

11. VT conuiuis apud Cana nuptiali epulo merum impenderet, à Matre Dominus excitatur. Vt autem turbas reficeret eſurientes, ipſa à nullo excitata miſeratio exſurgit. Quare? Conuiuæ nuptiales paſſi non ſunt ex vini penuriâ; nam *deficiente vino*, Deipara occurrit, *vinum non habent*. At turbæ apud deſertum alimonia defecerat, quam viaticum attulerat: ipſaque triduo Dominum ſuſtinuerat. Miſeriæ equidem adnata miſeratio, munificentia patientiæ.

12. *Cananæa haud adiit mediatorem, tribulatione mediatricem agente.* Matth. 15.

Ad Ieſum Cananæa ingreſſa fatur: *Domine miſerere mei, filia mea malè à dæmonio torquetur.* Matth. 15. O alienigena, cur Diſcipulum aliquem velut illi ex Gentilitate accedentes, non adiiſti? Cur non aduocas aliquem, cuius vtaris patrocinio? Audiſti fratres Domini Iacobum & Ioannem dilectiſſimos vtique matris vſos precibus? *Dic, vt ſedeant* (ait illa) *hi duo filij mei, vnus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram in Regno tuo.* Matth. 20. Accurre ergo ad Matrem Saluatoris benignitate plenam, quæ tuam cauſam ſuſcipere dignabitur. Saltem accede ad aliquem ex Apoſtolis. Neceſſarium minimè ei, quæ ægrotantis filiæ tribulatione afficitur: ipſo vtique labore deprecante. Origenes fatur, *Non rogauit Ioannem, non acceſſit ad Petrum; ſed ſuſcepit in ſe laborum patrocinium, & ſola excurrit ad Dominum.* Pulchrè. Orig.

Matt. 20.

13. *Ioannes mittens Diſcipulos, ipſe pro ſe loquutur, vinculis illigatus.* Matt. 11.

Vinculis Ioannes illigatur, Herode tyranno. *Cùm autem eſſet in vinculis, miſit duos ex Diſcipulis ſuis, & ait Ieſu: Tu es qui venturus eſt, &c.* Matth. 11. Si Diſcipuli immiſſi à Ioanne profati ſunt, cur non dixit: *Et aiunt illi?* An ipſe Ioannes *ait*? Ita planè. Ille enim qui patitur, haud nunciis eget, non indiget mediatore. Licet vinculis illigatur, vt pro ſe deprecetur, ſolutus accurrit.

14. *Latro non adiit mediatricem, quia laboribus aſſiciebatur.* Lucæ 23. Auguſtin.

Cruci ſuffixus latro dexter veniâ & Regno donatur. An vſus mediatrice Deiparâ? Aſſerit Drogo Virginem adfuiſſe *ex parte latronis*. Exiſtimarim, Mariam piiſſimam ex officio, & adnatâ ſibi munificentiâ interceſſionis preces effudiſſe: latronem autem ſolummodo vſum laboris, quo premebatur, patrocinio. D. Auguſtinus ad Pſal. 88. *Hoc fecit ille latro fortior in Cruce.* Virgo ſuccurrit miſeris, iuuat puſillanimes: latro autem nec miſer, nec puſillanimis erat in Cruce; fortis quidem immediatè Dominum allocutus eſt: *Memento mei, Domine, cùm veneris in Regnum tuum.* Luc. 23. Qui enim premebatur anguſtiâ, non egebat interceſſore.

15. *Magdalena non rogat Angelos, vt ſint mediatores; nec enim egebat patrocinio ad Chriſtum, quæ plorabat.* Ioa. 20. Orig.

Apud ſepulchrum Domini Magdalena conqueritur, Angeli adſtant conſolatores, an lacrymarum excitatores? *Mulier*, aiunt, *quid ploras?* Reſpondet, *quia extulerunt Dominum meum.* Ioan. 20. Et cur non ipſos cælicolas rogas, vti mediatorum munus exerant apud Dominum? Profectò quæ lacrymas profundit, non eget mediatore, ipsâ tribulatione patrocinante. *Cùm ergo fleret*, Chriſtus apparere dignatur. Origenes ad hæc: *Maria doloribus confecta ad nullum tendit. Ego, ait, quæro Creatorem; nolo cum Angelis manere.* Labores enim patienter tolerati me ad Domini conſpectum adducent.

20. *Samuel plo.*

Samuel Dominus, *Vſquequò tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum? Veni, vt mittam te ad Iſai.*

rans vera cō-ſolatione af-ficitur, quam non poſtula-bat.
1. Reg. 16.

Iſai. 1. Reg. 16. Tu ô Samuel tribulatione affi-ceris ob Saulis labores. Te ſolatio donare inten-do immittens ad Dauidem eligendum. Et cur ô Domine, Saul tribulatione etiam affectus non accipiet ſolatium? Quia verè ille non plorat; vnde reprobato Saule, vt te verè tribulatione attritum alleuem, Dauidem Regni ſucceſſorem aſſigno. *Mittam te ad Iſai*. Rupertus lib. 4. de glor. Filij hom. *Samuel lugendo, talem conſolationem conſecutus eſt, vt miſſus a Domino, vngeret Dauidem Regem, ſalutis æternæ fontem, id eſt, Patrem Saluatoris*. Quàm abſtractus à Dauidis memoriâ, qui Saulem lugebat. At Dominus verè lugentem, tribulatione luctûs affectum ſine aliûs patrocinij munimentó donat conſolatione.

Rupert.

Observatio II.

Ad illa verba:

Nec habent, quod manducent.

Vt vidit Ieſus turbas adeo propriis deſtitutas, vt nihil haberent, ſolo in Deo ſpem collocantes, eis ſuccurrit.

In ſe enim ſperantes Deus eripit à cruciatu.

17. QVAM verè ex ore Dauidis Dominus! *Quia in me ſperauit, liberabo eum*. Vidit turbas eſurientes, ac laborantes adeo, vt nullum eis ex propriis bonis ſubſidium ſuppeteret. Tunc ſuccurrit egentibus: ſperantes enim in Domino abundantia ſequitur, bonorum excipit vbertas.

Enos ſperans in Domino incrementis ineffabilibus donatur.
Gen. 4.
Philo.

18. Enos Adami filius *cœpit inuocare nomen Domini*. Gen. 4. Philo lib. quod deter. potiori inſid. ait *Enos*, idem eſſe ac ſpes: ita vt inuocare nomen Domini, non ſit tam petere à Domino, quàm in ipſo ſperare. Aptè quidem; nam qui in Domino ſperat, bonorum vbertate donatur, quaſi enixè preces profudiſſet. Subdit Textus, poſtquam ſcripſit, *Iſte cœpit inuocare nomen Domini: Hic eſt liber generationis Adam*. LXX. *Hic ſperauit inuocare nomen Domini. Hic eſt liber generationis hominum*. An Enos adſcribuntur hominum incrementa? Ita planè, ſperantem enim in Domino cuncta bona ſequuntur. Philo, *Hic primus ſperauit. Rectè; vero enim homini quid magis poteſt eſſe proprium; quàm ſpes, & expectatio bonorum accipiendorum*. Quonam modo Doctor ſpem & expectationem bonorum accipiendorum copulauit, ſi Enos ſolummodo *ſperauit inuocare nomē Domini*? Quia illud ipſum ſpe eminere, idem erat, ac bonis omnibus à Deo munificentiſſimo accipiendis redundare. *Ideo cum dixiſſet Enos* Moſes, *Hic ſperauit inuocare nomen Domini, diſertè infert. Hic eſt liber generationis hominum*.

19. De iuſto in Domino ſperante fatur Dauid: *Dicet Domino: ſuſceptor meus es tu Deus meus, ſperabo in eum*. In Domino ſpem collocaſti? O quam vberi fructu! *ſcapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis: ſcuto circundabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno*. Pſ. 40. Vndenam tot exortum habuere promiſſiones? Profectò ab ſpe ſolo in Domino collocata. Bernardus ſer. 9. in hunc Pſal. *Qui habitat, Quidquid igitur ait, agendum ſit, quidquid declinandum. Tu es Domine, ſpes mea. Hæc vna mihi omnium promiſſionum cauſa*.

Promiſſiones cæleſtes ſpem veram ſequuntur.
Pſal. 90.
Bernard.

Alibi Vates, *Tibi derelictus eſt pauper*. Pſal. 9.
A cunctis creatis derelictus homo deſcribitur, 20.
& particula, *tibi*, innuit eum omnibus bonis redundare? ſi tibi hæreſcit, quid refert à cunctis creatis derelinqui? Profectò qui Deo derelictus eſt, in ipſo ſolo ſuam ſpem collocat; vnde ſperanti in Domino omnia bona præparantur. Dereliquit te pater, aut mater? *Orphano tu eris adiutor*. Ibid. Auguſtinus, *Ideo enim pauper eſt, id eſt omnia huius Mundi temporaria bona contempſit, vt tu ſis tantùm ſpes eius, Pupillo tu eris adiutor. Id eſt, ei, cui moritur pauper hic Mundus. Talibus pupillis pater ſit Deus*.

Deus viro ſpem in ipſo collocanti, Pater exurgit, omnia conferens.
Pſal. 9.
Auguſt.

Diuitibus huius ſeculi (Paulus inquit) *præcipe,*
non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo. 21.
1. Timo. 8. Qui in diuitiis ſperat, vacuus omnino reperitur: quia *nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis*. Chryſoſtomus,) Quid in eo ſperas, quod repentè transfertur? Id quippe diuitiæ ſunt. Quid in illis ſpem ponis, quibus confidere omninò non potes? (Quid ergo? *Sed in Deo viuo*. Viuo ſcilicet, id eſt ſuis creaturis continuò vitam ſpirante. Sic Antonius Velazquez ſapientiſſimus exponit: Tunc Deus actu viuit, & vitalem ſpiritum (humano loquimur more) trahere ſignatè dicitur, cùm creaturis ſuis vitam ſpirat, & beneficia ſua in homines indeſinenter diſtribuit. Ergo ſi benefaciendo viuit, ſpera in Deo viuo, id eſt in eo qui ſemper viuens, nunquam non in iuſtos congeret beneficia. Bernardus ſerm. 15. in Pſalm. *Qui habitat*, complet argumentum. *Sperent in aliis alij, fortè hic in ſcientiâ literarum, hic in aſtutiâ ſeculi, ille in nobilitate; ille in dignitate; ille in aliâ qualibet vanitate confidat. Speret qui vult in incerto diuitiarum: ego verò ne ipſa quidem niſi abs te victui neceſſaria ſpero: ſi mihi præmia promittuntur, per te obtinenda ſperabo. Si inſurgant aduerſùs me prælia, ſi ſæuiat Mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro aduerſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo*. Hæc Abbas.

Deū viuum acquirit ſibi, qui in Domino ſperat, id eſt Deum, qui benefaciendo viuat, & beneficia conferendo.
1. Tim. 6.
Velazq.
Bernard.
Nullum malum ſperanti in Deo bona cuncta.

Observatio III.

Ad illa verba:

Miſereor ſuper turbam.

Quàm meritò Regno aptus apparuit, qui non ſuper Proceres, ſed ſuper turbas miſeratione afficitur.

Is enim commendabilis Princeps, qui deſpectis ſubditis ſuccurrere geſtit.

22. NON dixit Dominus, ſuper vos ô Principes Eccleſiæ miſericordiâ afficior: ſed de turbis, de ſubditis deſpectis curam gerere ſtudeo. Commendabilis Principis munificentia, quæ non in vnum, aut alterum Procerum diffunditur, ſed in cunctos deſpectos, miſeros quidem, diſpergitur. Ideo turbæ apud Ioannem meritò Dominum curant ad Regni adminiſtrationem quæritare. Caſſiodorus lib. 2. Var. *Sub imperio boni Principis omnium debet fortuna proficere.* Nec enim turbæ miſerioris fortunæ ideò ſunt à Principe obliuioni tradendæ.

Caſſiod.

23. Ioſepho Prorege, *creſcebat quotidie fames in omni terra: aperuitque Ioſeph vniuerſa horrea, & vendebat Ægyptiis.* Gen. 41. Miror Proregem liberaliſſimum maluiſſe Regios vendere theſauros, quam munificentiſſimè erogare. *Vendebat* attamen *Ægyptiis.* Quare? Crediderim, quia quod liberaliter datur reſpicit aut merita, aut fauorem. At cùm merita paucorum ſint, fauor autem diuitum, ac equitum, miſera tunc turba ieiunare cogeretur. Vēdatur itaque cunctis Ægyptiis alimonia vt tam deſpectis turbis, quàm electis Proceribus apponatur. Pulchrè D. Ambroſ. lib. 2. Offic. cap. 15. *Potuit donare Ioſeph totas opes Ægypti, & effundere theſauros Regios: maluit tamen frumenta vendere, quàm donare; quia ſi paucis donaret, pluribus deſpectis defuiſſet: eam liberalitatem probauit, quæ abundauit omnibus.*

Ioſeph frumentum vēdebat, vt pauperibus turbis præpararetur: & nō gratis donaretur Principibus, & equitibus. Gen 41. Ambroſ.

24. Apud Thaboris verticem Eccleſiæ vertex tria tabernacula curat ædificare. *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Matth. 17. Addidit Marcus, *Non enim ſciebat, quid diceret.* Cap. 9. Vndenam taxabilis Petri operatio? An quia procumbens Principum commodis, pauperes ſine tabernaculo terræ addicendos perpetuò reliquit? Paſchaſius lib. 8. *Error in cauſa eſt, quòd tria ſe promittit facere tabernacula, vnum ſcilicet, ac ſi priuatim Ieſu, alterum* ac ſi priuatim *Moyſi, & aliud* ac ſi priuatim *Eliæ. Ac ſi priuatim* quid? Quaſi Moyſes, & Elias priuatim eſſent tabernaculis accommodandi, *quaſi non omnes caperet vnum tabernaculum.* Sedentibus Proceribus, pauperculi Diſcipuli aut ſtabunt, aut terræ addicentur? O Princeps Eccleſiæ, erráſti: de ſubditis deſpectis oportebat te curam geſſiſſe.

Petrus Eccleſiæ Princeps errat, dum curans de proceribus, non curat de turbis. Matt 17. Matth. 9. Paſch.

25. Suæ Deus promiſit Eccleſiæ: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt.* Iam enim vidit Ioannes *Ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo.* Apoc. 21. Vbi Chriſtiani Imperij gloria innuitur ex Auguſtini mente. Quid igitur glorioſum in Chriſtianorum Regno, quod poſſit quodammodo Regno beatitudinis comparari? Singuli beati (ait Pater ad Pſal. 83.) *poſſident Ieruſalem cæleſtem ſine anguſtiâ, ſine preſſurâ, ſine diuerſitate, & diuiſione limitum: omnes habent eam, & ſinguli habent totam.* Quod ſi turbæ incommodis afficiantur, dum Principes, & equites felicitate potiuntur: ſignum euidens Ieroſolymá ad Superos rurſum eleuatam, Regum iniuriâ.

Regna Chriſtianorum glorioſa dicuntur, quia vulgus felicitate donatur, non ſoli Principes. Apoc. 21. Auguſt.

Fatur Sponſus, *Vulneráſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Cant. 4. *In vno*, id eſt in tuorum ſubditorum colligatione, & vnitate. Vnum illud quidnam ſit ſi rogites, reſpondeo eſſe turbarum, ſiue vulgarium, & inopum ſubditorum cœtum. Sic Chaldæus Paraphraſtes: *Infixus eſt in tabulâ cordis mei amor tuus, ſoror mea ſponſa infixa eſt in tabulâ cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum.* Quam iuſtè ô Domine requireris à turbis in Regem, ſi turbarum minimus in tui cordis tabulâ exaratur! Exclamat Auguſtinus lib. 3. Conf. cap. 11. *O tu bene Omnipotens* (id eſt, meritò omnipotentiâ potiris) *qui ſic curas vnumquemque noſtrum, velut ſolum cures: & ſic omnes tanquam ſingulos curares!* 26.

Curat Rex cæleſtis minimos ſubditos: & ideo in Principem à turba requiritur. Cant. 4. Chald. Auguſt.

Vndenam, precor, Hiſpaniæ, ac Galliæ incommoda niſi quia turbarum, ſeu agricolarum, & inopum commoditas non geritur? Audi Saluianum lib. 4. de Prouid. *Vt pauci illuſtrentur, Mundus euertitur. Vnius honor Orbis excidium eſt. Sciunt hoc Hiſpaniæ, quibus ſolum nomen relictum eſt, ſciunt Galliæ deuaſtatæ, ſed non ab omnibus, & ideo in pauciſſimis adhuc angulis vel tenuem ſpiritum agentes, quia eas interdum paucorum integritas aluit, quas multorum rapina vacuauit.* O noſtrorum temporis Propheta! Seneca lib. 1. de Clement. cap. 5. ſic ad Neronem: *Animus Reipublicæ tu es.* An aptè animi gerit munus, qui vt brachia, humeróſque protegat, pedes ſine humore derelinquit? O ſpiritus nequam, qui cuncta vis vni conferri, turbis miſeris derelictis! 27.

Hiſpania, & Gallia incommoda accidere, quia turbarum non geritur commoditas. Saluia. Senec.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via.

Succurrit Dominus turbis eſurientibus non ex bonis communibus, ſed è panibus ex proprio penu emptis.

Edocens Principes, de communibus Vrbium bonis donatores largiſſimos, taxabilem iſtam munificentiam prorſus eſſe.

APVD Matthæum Dominus, *dimittere eos ieiunos nolo.* Nec quæritat, *Vndè ememus panes, vt manducent hi?* Princeps enim prorſus ſciebat inde panes præparandos, 28.

dos, vnde regij prouentus effluerent. Ideo quæſiuit, *Quot panes habetis?* Scio enim, noſtris expenſis ſubditis indigentibus ſuccurrere debere non ex Vrbium contributione.

Chriſtus Rex Saluator appellatur, quia proprijs expenſis communitati ſuccurrit.

29\. Quare Chriſtus Saluator Orbis appellatur ab Angelis? Exiſtimo (inter alias cauſas) quia adeò non ſibi, ſed ſubditis exortus, vt ex propriis diuitiis eorum ſuccurreret egeſtati. De Ioanne Angelus Zachariæ ait: *Vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium.* Luc. 1. Virgini autem, Ecce concipies in vtero, & paries filium. *& vocabitur nomen eius Emanuel.* Ibid. *Emanuel*, id eſt, *Nobiſcum Deus.* Quare paſtoribus Cœlicola: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus eſt vobis hodie Saluator.* Luc. 2. Cur igitur Angelus de Ioanne dixit, *Pariet tibi*; de Ieſu autem, *Natus eſt vobis Saluator.* Chryſologus ſerm. 142. *Quare? Quia ſanctum vocabitur Filius Dei.* Sanctus eſt hominibus ſaluandis, Orbi naſcitur redimendo. An expenſis Mundi? Minimè. Hæc enim Saluatoris lex, vt propriis ſanguinis, ac meritorum expenſis hominibus ſalutaris exiſtat.

Luc. 1.

Chryſ.

Vili pretio vendi curat, ne communitatis ſua ſumptus accreſcerent. Matth. 26.

30\. Oportebat quidem ad communitatem redimendam pretio tradi, venditum ſcilicet à Iuda, Saluatorem. At, ne bonum communitatis ex expenſis intolerabilibus communitatis gereretur, viliſſimo voluit Rex omnium pretio commutari. Omnibus Saluator exiſtit, communitatis redemptioni dat operam: ideo curat communitatem ita expenſas contribuere emptioni, vt minimè grauetur. Quod aduotauit D. Paulinus epiſt. 4. ad Seuer. *Vilis vult æſtimari, vt ab omnibus*, id eſt, à communitate, facilius *ematur.* Ideo Tertullianus lib. adu. Iud. cap. 7. Ieſum obiiciens ſibi communitati ſine ipſius grauatione ſalutem impendiſſe, ait: *Omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus, & Dominus eſt.*

Paulin.

Tertul.

Chriſtus Rex Solis in morem, ſine expenſis communitatis eſt beneficus.

31\. De Regno Chriſti præfatur Dauid, *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Pſal. 18. ſeu imperaturus ſedebit in Sole. Quare? Quia optimus Rex Solis exerit proprietates. Quid Regi cum Sole? An quia vt nimiùm iniuſtus eſſet, qui Solem, ſi poſſet, ſub proprio tecto concluderet: ſic Regni totius querimonias iuſtas excitabit, qui ad ſuas commoditates iura inflecteret? An quia Solis in morem, totum Reipublicæ corpus curare debent; ne dum partem vnam tueantur, reliquas deſerant? Sic Tullius lib. 2. Offic. ex Platone. Certè ideo Soli aſſimilari regium tabernaculum, ſiue gubernationem Chriſti crediderim, quia Sol expenſis propriis communitati ſalutaris, & beneficus exiſtit. Exclamat orat. 3. Nazianzenus, *O Principes, qui quemadmodum cæli pulchritudo & Solis lumen commune, & perenni beneficentiâ* (non exactione) *omnibus patent: Sic imperiorum vſum omnibus liberis propoſuiſtis!* Num liberis omnibus imperia proponuntur, dum Principes imperant agricolarum communitatem ad bella procedere, non liberam quidem, ſed ſeruitute preſſam, cui paleæ non dantur, & numerum eſt laterum propriis expenſis redditura?

Tull.

Nazia.

Arbitriis vſus eſt Rex Dauid, vt ſine ſubditorum ſumptibus poſſet populum deducere. Pſalm. 77.

32\. De ipſo Dauide Rege optimo. *Et in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.* Pſal. 77. Ad beneficia ſubditis conferenda Dauidis manus explicantur. Omnibus beneficus, & munificus extitit. At particula illa: *In intellectibus manuum* expendenda eſt. Quid manibus cum intellectibus? An Rex vt beneficus, & munificus omnibus ſubditis ſit vtitur arbitriis non ſolùm ab vno, ſed à pluribus intellectibus excogitatis? Non abnuerim: quæſierim tamen, Num ea arbitria excogitata à tot intellectibus eò tendant, quonam modo ex Regis diuitiis, aut prouentibus poſſit communitati occurri: vel quomodo exactione ipſorum ſubditorum ſint ab ipſis expenſæ comparandæ? Primum quidem arbitrium munifici Dauidis erat: *In intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.*

Pudeat caput membra reficere ipſorum expenſis.

Senec.

Ambr.

33\. Seneca ad Neronem lib. 1. de Clem. cap. 5. *Reſpublica eſt corpus tuum.* An non capitis pudore membra à ſemetipſis acciperent alimenta, leges ſolum à capite? Tui ſunt ſubditi ô Rex, *Melius eſt*, (cum Ambroſio loquor lib. 1. offic. cap. 30.) *vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt, ab alijs ſumptum depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſitati.* Sic Doctor.

Observatio V.

Ad illa verba.

Miſereor ſuper turbam, quia iam triduò ſuſtinent me.

Suſtinentibus Deum promptiſſima eius adeſt miſericordia.

Labores enim patienter tolerati Numen reddunt pacatiſſimum.

SI miretis Dominum nullo interueniente, aut rogante, vltroneum turbarum egeſtati ſuccurrere: attende, illos Deum ſuſtinuiſſe *triduo* perſeuerando. Iis autem qui Deum ſuſtinent perſeueranter adeo miſerationum Pater propitius eſt, vt illicò ſine morâ ſuccurrat egentibus. 34.

Stephano Deum diu ſuſtinenti velox occurrit Dei miſericordia.

Iudæi immaniſſimi *lapidabant Stephanum innocentem, & dicentem, Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus clamauit voce magnâ dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Act. 7. Vbi D. Auguſtinus ſerm., de Steph. quærit, *Paululum, quæſo, te ſancte Stephane, expone nobis hoc: quare pro te ſtans oràſti, & pro inimicis genuflexiſti?* Reſpondet autem ex Martyris ore: *Pro me ſtans oraui, quia pro me, qui rectè ſeruio, orando, & impetrando non laboraui.* Expende particulam *ſeruio rectè*, eam copulando cum præterito illo imperfecto: *Lapidabant Stephanum.* Diuturnum tempus illud innuit 35.

lapidationis durationem. Seruit Stephanus Deo diu patienter vulnera tolerando ; ſtans orat, quaſi per tranſenam deprecatur ; ſcit enim ſe velociſſimè à Domino, quem ſuſtinebat, exaudiendum.

36. *Sponſa citò Dominum ſibi affabilem inuenit, quia diu labores ſuſtinuerat.* Luc. 15.

Prodigus ille filius, qui ſubſtantiam patris diſſipauerat ante quàm ad domum paternam reuertatur, prolixæ orationis meditatur ſeriem: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cælum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me vnum è mercenarys tuis.* Luc. 15. Profectò Sponſa ſine præmiſſa texendæ orationis meditatione ad præſentiam properans Sponſi, ait: *Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Quonam, precor, euentu? *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt Ciuitatem* (à quibus vulneratam ſcimus ſponſam.) *Paululum, cùm pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea.*

Cant. 3. Cant. 3. Cur filius prolixam præparat orationem ad patrem pacandum. Sponſa autem ſine precibus præmiſſis ſperat ſe optatiſſimo amplexu fruituram, quo quidem donata eſt paululum cùm pertranſiſſet? Credo, quia Sponſa circuens ciuitatem ſæpè fuit vulneribus affecta. Suſtinenti autem diu Domino promptiſſima cæleſtis miſeratio expeditur. Gillibertus

Gillib. ſer. 3. *Ille de flectendo patre ſollicitus erat. Quæ Sponſa eſt certa de gratiâ poſtulat præſentiam tantùm.* Vnde certa de gratiâ præſentiæ? Quia pro Domino circuens ciuitatem, diu Dominum ſuſtinebat.

Aliter clamabat Dilecta, *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea.* Cant. 3. An cito inueneris? *Quæſiui eum, & non inueni.* Et tamen perſeueranter requiſiuit ſurgens, & circuens. Num vnius tenebris noctis? *Per noctes*, ait, *quæſiui.* Mirum profectò quòd non inueniſſes. *Non inueni.* Exiſtimas te non inueniſſe, ſed eius proculdubio frueris conſpectu. An non *triduo* ſuſtinentes Dominum refectione donantur? *Miſereor ſuper turbam, quia iam triduò ſuſtinent me.* Ergo per tot noctes ſuſtinens Sponſum, ipſo potiaris neceſſum eſt, tenebris in diem lucidiſſimam mutatis. Appoſite Gillibertus ſer. 1. *Quære per ſingulas noctes dilectum tuum. Quid dico per ſingulas? totas noctes in hoc opus continua.* Si totas continuo noctes, nunquam inueniam. *Tunc* (addit) *poteris illud Pauli dicere: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Quonammodo appropinquauit dies ſi interminabili nocte premimur? Exiſtimas te nocte obcæcari, at verè diei frueris præſentiâ? quia illud ipſum per plures noctes quærere, Deum vtique ſuſtinendo, idem eſt ac Dominum inuenire. Nec enim poteſt cæleſtis miſeratio inter tenebras non elucescere, præcedente diuturnâ ſuſtinentiâ laborum.

37. *Nox ipſa diuturna ſuſtinentia et erat dies; quia Deus citò laborantibus perſeuerantèr ſuccurrit.* Cant. 3.

Gillib.

SECTIO QVINTA.

Panum Multiplicatio.

TEXTVS.

VERS. 6. ET præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram; & accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit: & dabat Diſcipulis ſuis, vt apponerent: & appoſuerunt turbæ. 7. Et habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & iuſſit apponi. 8. Et manducauerunt, & ſaturati ſunt: & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas. 9. Erant autem, qui manducauerant, quaſi quatuor millia, & dimiſit eos.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Conuiuio turbis appoſito.

1. *Turbæ diſcũbunt.*

ET *præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram.* Iubet Dominus ſuper terram, ad ſumendum cibum, turbam diſcumbere. Ioannes fœnum aſſerit ſtratum aliis præbuiſſe. Terra conculcanda, carnis ſimilis fœno terenda pulchritudo, vt cæleſti alimoniâ replearis. Auguſtinus lib. 9. Conf. capite 1. *Quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum: & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat! Eyciebas enim eas à me vera tu, & ſumma ſuauitas; eyciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* August.

Et

2. *Hilaris Apoſtolorum oblatio panum.* *Et accipiens ſeptem panes.* Prompto animo Apoſtoli panes, quos habebant propriæ refectioni deputatos, Domino obtulere: minimè obiicientes: Si panes turbæ præbemus, quid nos manducabimus? Hilariter offerunt quod erat ex beneficentiâ proculdubio multiplicandum. Pauperi miſerere, ſed in hilaritate, vt Paulus aiebat: *Qui miſeretur, in hilaritate.* Rom. 12. *Non ex triſtitiâ, aut ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9. Vbi Theodoretus, *Oportet animi alacritatem præcedere ſuppeditationem pecuniæ.* Et ad Rom. 12. *Beneficentiæ adiungit Paulus hilaritatem, erogationis, bonorumque communicationis lucrum oſtendens; ſolent enim gaudere, qui lucrantur.* Gaudent Diſcipuli, quia alimonia exigua propriæ refectioni præparata mirum in modum multiplicanda erat. (Rom 12. — 2. Cor 9. — Theodor.)

3. *Diſcipulis datur diſtribuendus panis.* *Gratias agens, fregit, & dabat Diſcipulis ſuis, vt apponerent: & appoſuerunt turbæ.* Acceptos panes, profuſis gratiis, frangit, turbæque apponi præcipit, ſimiliter & piſciculos. Diſcipulis datur panis egentibus diſtribuendus; nec enim debent Eccleſiaſtici viri ſibi ſacros retinere prouentus pauperibus à Domino præparatos.

4. *Turba apud menſam dominicam ſaturatur.* *Et manducauerunt, & ſaturati ſunt.* Satiata ſunt quatuor hominum millia præter pueros, & mulieres ex panibus ſeptem, pauciſque piſciculis. Omnes in conuiuio Domini ſaturantur, ſicut in mundiali conuiuio cuncti fame torquentur. Satiant-ne diuitiæ? Iuuenalis ſat. 14. (Iuuen.)

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

An voluptates exaturare poſſint, aut honores?

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Ne igitur *deſideres de cibis eius* (ait Sapiens) *in quo eſt panis mendacij.* Prou. 23. (Prou. 23.)

5. *Reliquæ conuiuij fragmenta.* *Et ſuſtulerunt, quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas.* Magna ex conuiuio fragmentorum tam panum, quàm piſciculorum copia ſuperfluit; ſeptem enim ſportas fragmenta compleuerunt. In priori ſigno duodecim reliqui fragmentorum cophini iuxta duodecim Apoſtolorum numerum; hîc autem ſeptem ſportæ iuxta numerum ſeptem panum, vt in miraculo eſſet diſſimilitudo, quod Chryſoſtomus obſeruauit. *Ne reliquiarum æqualitas miraculum confunderet, & obliuionem obduceret, hoc diſcrimine, ac differentia vtriuſque ſigni memoriam voluit confirmare.* (Chryſ.)

IN IESVM TVRBAS REFICIENTEM

PANEGYRICVS MORALIS QVINTVS CIRCA LITERAM.

EX SEPTEM PANVM Multiplicatione.

Observatio I.

Ad illa verba:

Et accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit.

Priùs quàm Dominus panis multiplicati beneficium à Patre acciperet, gratias perſoluit.

Difficilis enim bonorum multiplicatio ex actione gratiarum exoritur.

6. *Dei dona exigit ante alia gratitudo.* MECVM, ſi quando quæ ſitârim, cur Dominus gratias perſolueret, priùs quàm multiplicationis panum beneficium acciperet? excogitaui, ideo gratiis profuſis, beneficium accipiendum Dominum præueniſſe, quia difficillimum facinus cùm eſſet ſeptem panibus quatuor millia hominum ſatiare, gratiarum actione facillimum reddebat; gratiarum enim actio mirum in modum bona multiplicat.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

7. *Primogenitū oblatum Deo ex actione gratiarū aperit vuluam ad vberiores fœtus.* Hebræis Dominus, *Cùm introduxerit te Deus in terram Cananæi, ſicut iurauit tibi: ſeparabis omne, quod aperit vuluam Domino.* Exod. 13. Num Dominus bonorum ſuorum eſt auarus repetitor? Certè primogeniti oblatio ex gratitudinis affectu non ſolùm non amittitur, ſed ipſum hoc munus aperit vuluam ad vberiores fœtus. Lipomanus, *Deus exigit primogenita, vt homines hac oblatione teſtentur gratitudinem ſuam. Teſtari autem gratitudinem, opus eſt acceptiſſimum Deo: & inuitat Deum ad maiorem liberalitatem.* Semper enim gratitudinem ſequitur abundantia. Ideo fœminæ illuſtres acceptis fœtibus; gratitudinis ergo, accepta beneficia decantabant, vt vulua nouis filiis aperiretur: *Quod aperit vuluam.* (Exod. 13. — Lipom.)

8. Imo illud ipſum excogitare, quonammodo poſſis te Deo gratum oſtendere, aſſolet eſſe munerum cæleſtium ſcaturigo: quid ipſa actio gratiarum? Cogitabat Dauid, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam.* Pſal. 115. Cùm deberes ô Rex quæſito reſpondere: Hanc aut illam victimam Domino libabo: aſſeris te nouo munere & illo maximo donatum eſſe? *Calicem ſalutaris accipiã.* Loco muneris ad accipienda dona pararis? Profectò illud ipſum te de reddendis gratiis cogitare, téque ad gratitudinis ſacrificium diſponere, idem eſt, ac bonorum cæleſtium nouâ affluentiâ repleri, quæ quidem neceſſariò actionem ſequitur gratiarum. Auguſtinus ſer. 151. de Temp. *Circumſpiciens vndique, quid retribuat, quaſi inuenit. Quid inuenis? Calicem ſalutaris accipere. Retribuere cogitas, & adhuc accipere quærebas* Ita planè; quia id ipſum hominem de gratitudine exhibendâ ſe ſollicitum oſtendere, iam eſt ſe ad vberiora dona infallibiliter recipienda præparare.

Excogitare ſe Deo gratum oſtendere, idem eſt ac beneficia vberiora accipere. Pſal. 115. August.

9. Immiſſus Eliazer ſponſam filio Domini quæſiturus coram virgine potum ſibi, cameliſque propinante, gratias Deo pro beneficio obtulit accipiendo. *Inclinauit ſe homo, & adorauit Dominum dicens, Benedictus Dominus Deus Domini mei Abraham.* Gen. 24. Ante munus à Deo accipiendum, ante acceptam filio Domini ſponſam gratias exhibes largitori? Ita equidem, vt ſic beneficium accipiendum infallibile reddatur, dum gratiarum actio fontem aperit largitionis. Accipit igitur Domini filio ſponſam actionis vtique gratiarum fructum. Quid plura? Dubito, num virgo hæc digna futura ſit, è qua Saluator progrediatur? An hoc expetis? Præmitte rurſum gratiarum actionem, dignámque muneri accipies Iſaaco coniugem. *Quod cùm audiſſet puer Abraham, proſtratus in terra, adorauit Dominum.* Ibid. Hac igitur præueniente gratiarum actione, accepit dignam Deiparentem in domum adducere. Theodoretus pulchrè. *Ante gratiarum actionem deſponſationis ſymbola non dedit.* Egit gratias, & accepit vxorem filio Domini ſui. *Poſtquam autem plura, quàm poſtulauerat, accepit, beneficij Authori gratias retulit, & diuinis promiſſionibus veritatis teſtimonium tulit.* Cùm fructum actionis gratiarum vidit, acceptâ virgine Iſaaco vxore: rurſum præmittendo actionem gratitudinis, accepit eam vxorem ad domum adducere, è quâ poſſet Mundi Seruator exoriri, Dei expletis promiſſionibus. Cecinit Sophocles, *Gratiam adfert gratiarum vox, Gratitudo ſemper beneficiam parit.*

Vuluâ quidem ad vbertimos fructus reſeratâ.

Præmiſſione actionis gratiarum Eliazer & virginem aptam Domino inuenit, & Deo dignam parentem adduxit. Gen. 24. Theodor. Soph.

Observatio II.

Ad illa verba:

Dabat Diſcipulis ſuis, vt apponerent: & appoſuerunt turbæ.

Quod à Domino accipiunt Apoſtoli, vt apponant turbis, nimium multiplicatum appoſuere.

Quàm commendabiles Prælati, qui plus dant egentibus, quam accipiunt exhibendum.

ACcipivnt Diſcipuli à Domino ſeptem panes, & piſciculos paucos, egentibus exhibent miram vim alimoniæ. Quàm commendabilis munificentia Præſulis, qui plus egentibus tribuit, quam è manu Domini, ſeu ex Eccleſiæ prouentibus acceperit: vt taxabiles appareant, qui ex his, quæ danda pauperibus accipiunt, ſibi non verentur præcipuam portionem (ne dicam totum munus) retinere. 10.

De eleemoſyna à Prælatis agenda non ſolum è reditibus Eccleſiæ, verum è patrimonio.

Aiebat Theodoricus Rex apud Caſſiodorum lib. 1. Var. epiſt. 36. *Maiora nos decet tribuere, quàm videamur ſeruientibus* (id eſt, agricolis, & egenis) *accepiſſe.* Chriſtus Rex accipit à Patre ſeptem panes ſeruientibus turbis (*Quia ecce iam triduò ſuſtinent me, nec habent quod manducent,*) diuidendos. Diſcipulorum manu mirum in modum multiplicatos exhibuit. Diſcipuli autem acceptos turbis panes ſeruientibus, plus quàm acceperant exhibuerunt, apud manum munificam annonâ creſcente. 11.

Maiora nos decet tribuere egenis, quam eis tribuenda accepimus. Caſſiod.

Diſcipulis aiebat Saluator, *Deſiderio deſideraui, hoc Paſcha manducare vobiſcum.* Luc. 22. An cœnæ illius magnæ ſumptus conuiuis adſcribendi? Minimè, ſed accipiens Ieſus panem à Patre tradendum Diſcipulis plus ex eiuſdem Deitatis ope tradidit, quam accepit, ſiquidem adeò multiplicatum panem exhibuit, vt totus Chriſtus adſit in toto, & totus in qualibet particulâ recipiatur, ſuperantibus quidem fragmentis nunquam ab hominum multitudine abſumendis. Totus ſumptus Dei, nullus conuiuarum. Tertullianus lib. 4. cont. Marc. cap. 40. *Profeſſus eſt, ſe concupiſcentiâ concupiſcere edere Paſcha, vt ſuum. Indignum enim erat, vt quid alienum concupiſceret Deus.* Totum panem dat Dominus quod à Patre acceperat, à te Præſule exigens panis accepti ſolummodo portionem, quam exhibendam inopi ſubdito accepiſti. Deberes munificus plus dare, quàm exhibendum accepiſti; vereor ne detrahas ex aſſignatâ à Deo ſubditi portione. 12.

Plus tradidit Dominus, quam accepit, Præſules edocens ſaltē aſſignatam ſubditis portionem exhibere. Luc. 22. Tertul.

Eccleſiæ ſuæ fatur, *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Cant. 1. Meus eſt conuiuij totius apparatus, altilia occiſa, quia præparatus eſt vitulus ſaginatus. Gillibert. ſer. 3. 13.

Conuiuij Dominici apparatus proprius eſt nulla ſubditorū contributione. Cant. 1. Gillib.

Non

Non metit Dominus niſi ſuum, niſi quod ſeminanit. Eccleſiæ apponit totum, vt ipſa ediſcat è conuiuio materiali ſubditis acceptam portionem adſcribere.

14. *Falſo ſumptibus auarus Præſul curat à Domino excuſationē omnia quidē dante.* Mat. 25. Gillib.

Præſules metunt vbi non ſeminauerunt, & totam vim frumenti proprio ſumptu reſeruant. An exiſtimas te Dei imitatorem? *Scio* (aiebat ſeruuus ille piger) *quia homo durus es, metis, vbi non ſeminaſti.* Matt. 25. Talentum accepit pauperibus diſtribuendum Eccleſiæ miniſter, non ſeminans, meſſuit, & totum retinuit putans Dominum eiuſdem auaritiæ reum. Gillib. *Verè ſeruus ille malus, & piger, qui pigritiæ ſuæ cauſam in Dominum malignâ interpretatione transfudit. Audite, quia non metit, niſi quod ſuum eſt: Meſſui myrrham meam.* Quod ſuum eſt metit ſibi, nec particulà reſeruatâ totas diuitias velut effudit.

15. *Expungitur à catalogo generationis Chriſti Rex, qui non ſolū quod accepit dandum retinet, ſed & furatur, quod retineat.* 3. Reg 21. Ambroſ.

Matthæus Achabum Iſraelis Regem à catalogo progenitorum Domini expunxit. Matth 1. Quare? erat indignus, qui tanto fœtu illuſtraretur. Quid geſſit iniquum? Totam vineam Naboth ſibi addixit, vt faceret ſibi *olerum hortum, vt faciam*, ait, *mihi.* An ſubditis adſcribes portionem? Minimè, ſed non acceptam, ſed direptam vineam mihi vni retinebo. Meritò ille inediâ preſſus ſcribitur. *Auertit faciem ſuam ad parietem, & non comedit panem.* 3. Reg. 21. Vbi Ambroſius lib. de Naboth, cap. 4. *Non manducauit panem ſuum, quoniam quæſiuit alienum.* Ediſcant Præſules Eccleſiæ, qui bona illa quæ ad pauperum ſubſidium acceperant ſibi retinent, (cum deberent munifici non ſolum accepta ad impertiendum Eccleſiaſtica bona, ſed & ſeculares prouentus eidem operi conſecrare) bona huiuſmodi nunquam proficere poſſeſſori. Hi Chriſti meritò expungentur à Regno.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et dabat Diſcipulis ſuis, vt apponerent; & ipſi appoſuerunt turbæ.

Accipientes Diſcipuli à Domino panes, comedunt, & apponunt egentibus.

Ex acceptis enim bonis Eccleſiaſtici viri comedant quidem affatim, ſed quod ſuperat ex proprio ſumptu, pauperi apponant.

16. *De eleemoſyna à Clericis eroganda ex iis quæ ſuperfluunt.*

AN Diſcipuli ſimul comederint? Probabiliter aſſero; illos enim panes, & piſciculos Apoſtolici Collegij refectioni præparatos ex Doctorum ſententiâ crediderim. Accipiūt à Domino normam bonorum Eccleſiæ diſtribuendorum. Recipit à Domino Eccleſiæ

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

Capite Eccleſiaſticus vir annuos prouentus, comedat ipſe, inſumat, quidquid ad ſtatus decentiam pertinere videatur: nec ita parcè, vt auaritiæ notam ſubeat. At poſt propriæ neceſſitatis ſubleuationem, panem turbis apponat, queis quidem ſubleuandis accepit.

17. *Bona Eccleſiæ accipiat Sacerdos, vt illis iuxta ſtatus decentiam vtatur; quæ ſuperant autem debet in pauperum ora immittere, non in arca recondere.* Pſal. 132. Auguſt. Lyr.

Expreſſit Dauid, cum cecinit: *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* Pſal. 132. Vbi Auguſtinus vnguentum aſſerit ſeu Eccleſiæ diuitias à capite Ieſu in barbam, ſeu in Apoſtolos, alióſque miniſtros Eccleſiæ profluere, indéque in oram ſeu ſubditos pauperes deriuari. Strabo enim authore, Veſtis Chriſti Eccleſia ſine macula, ſiue ſubditi Saluatoris, quorum ora attrita, pedibus & puluere conculcata inopes ſunt. Lyranus accommodatiùs, *Hebrai dicunt, Quòd deſcendit in os veſtimentorum eius.* Profluit itaque à capite Eccleſiæ Ieſu vnguentum diuitiarum, traditur barbæ Sacerdotali, quæ ſemel & iterum intingitur: *Barbam, barbam Aaron.* Nam iuxta ſtatus decentiam expetit Dominus clericos comedere, & ornari. Quod autem ex neceſſario ſumpto ſuperat, deſcendat in oram quidem laciniosam, in pauperum (aptius ex Lyrano) ora, aperta præ fame, decurrat. Nec impunè ex barba vnguentum transferetur in phialam, diuitiæ ſcilicet in arcâ recondentur.

18. *Damnatur Sacerdos, quia bona recipit, cum dare tenetur, non ſolum quia rapit.* Lucæ 16. Bernard.

Contemplare Diuitem illum nunquam ſatis probris affectum, cui inclamitanti: *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti in aquam, & refrigeret linguam meam*: Patriarcha reſpondit: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua* Luc. 16. Mihi liber in damnato epulone Sacerdotem Tartaro addictum intueri. Nam præterquam quòd purpura, & byſſo induitur, quod ſacra redolet veſtimenta: ideo damnatus eſt, quia bona recepit, non quia abſtulit. Bernardus, *Non dixit, Abſtuliſti, ſed recepiſti.* Hoc intereſt inter Eccleſiaſticum, & ſecularem, quòd hic non teneatur ex bonis propriis pauperi ſubuenire niſi in extremâ conſtituto neceſſitate; ille autem occurrere inopi ex acceptis Eccleſiæ bonis ſuperfluis ſemper debeat. Damnatur ſecularis, quia rapit inopum bona, aut diuitum. Tartaro addicitur Eccleſiaſticus, quia recipit, ſeu retinet bona Eccleſiæ, quæ diſtribuenda acceperat. Quàm meritò non ſubuenit Patriarcha conflagranti: *Recordare fili, quia recepiſti bona*, quæ debebas, retentâ neceſſaria portione, pauperi miniſtrare. Alibi plura.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et appoſuerunt turbæ.

Bona è Chriſto Rege à Præſulibus accepta vt diſtribuant;non vni danda,ſed cunctis impendenda.

Nam ſicut perſonarum acceptio taxatur in Præſule: ita ille commendatur, qui omnibus ſubditis ſe oſtentat æqualem.

19. ADNOTAT Marcus, Diſcipulos panes à Domino accepiſſe, *vt apponerent*. Cuinam, precor? An Principibus? an Phariſæis? an proximioribus? an propinquis? an vni, aut alteri? Profectò turbis viris, fœminis, paruulis, omnibus: Diſcipuli autem Magiſtri gerentes morem, imperiúmque executioni dantes turbæ appoſuerunt, in cunctos munifici miniſtratores.

20. [*Prælatus, panis in morem, omnibus ſubditis accommodandus eſt, ſeu diuidendus.* 1. Cor. 10. Chryſoſt.] Corinthiis aiebat Apoſtolus, *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Chriſti eſt?* 1. Cor. 10. Ad quæ Chryſoſtomus quæritat, *Quare addit. Quem frangimus? Hoc* (reſpondet) *in Euchariſtia videre licet, in Cruce minimè. Os enim, inquit Deus, non comminuetis ex eo. Sed quod in Cruce paſſus non eſt, in oblatione patitur.* Cur autem in Cruce non frangitur, in Euchariſtiâ autem viſibili ſpecie frangi dignatur? Porrò in Cruce ſubditi agit perſonam pro ſubditis patientem, ſubditus quidem Patri familias. At in Euchariſtiâ ſe Patrem familias oſtendit, qui panis in morem, in cunctos ſubditos eſt diuidendus. An non Dominus in Euchariſtici panis natalitio dixit, Accipite ſeu comedite *ex eo omnes*? Quàm aptè Præſul non vni, aut alteri addicitur, ſed omnibus ac ſingulis accommodatur.

21. [*Iniquum eſt, de vno Rege ſubditum hunc abundare, illum inanem reperiri. Quam alius Deus, omnibus ſcilicet, & ſingulis prouidens!* Caſſiod. Ezech.] *Eſt iniquum* (inquit Rex Theod. apud Caſ. l. 3. Var. c. 29.) *vt de vna ſubſtantia, quibus cõpetit æqua ſucceſſio, alij abundanter affluant, alij paupertatis incommodis ingemiſcant.* Illud expende: *De vnà ſubſtantià*. Sic ad caſum noſtrum allicio: Rege, qui vna ſubſtantiâ eſt, alij ſubditi affluenter, ſine merito præmiſſo, abundant: alij autem, ſine demerito, reperiuntur inanes: cum Rex vnus omnibus & ſingulis debeat munificus exiſtere? *Eſt iniquum.* Ezechiel fatur. *Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Cap. 37. Is Deus Rex creaturarum, vt omnibus, & ſingulis prouidere dignetur. Auguſtinus lib. 3. Conf. cap. 11. aiebat, *O tu bene omnipotens, qui ſic curas vnumquemque noſtrum, velut ſolum cures: & ſic omnes, tanquam ſingulos curares, & diligeres.*

22. [*Omnes ſubditi primogeniti ſunt, quia ſinguli bonis abundant.* Gen. 36.] Chriſtus *Primogenitus in multis fratribus*, appellatur. Quare, ſi deberet vnigenitus vocari, qui vnicus Virginis natus eſt? Propoſitionis illius vim expende: *In multis.* Primogenitus eſt Chriſtus in omnibus hominibus ſubditis, quia omnes primogenitorum morem gerunt. Primogenitus profectò aſſolet totius familiæ diuitias iure hæreditario poſſidere, iunioribus fratribus vacuis relictis. *Frumento, & vino ſtabiliui eum,* (ait Iſaac Eſau) *& tibi fili mei, vltrà quid faciam?* Gen. 32. Mundiales Principes, aut imperfecti Præſules ſic aſſolent bona diſtribuere, vt vnus ſit qui primogeniti iure potiatur, reliquis inopiâ preſſis. Haud ſic Chriſti Imperium. omnes ſunt quaſi primogeniti, æqualiter ſubſtantiam iuxta vnius cuiuſque exigentiam diſtribuit: vnde in fratribus Primogenitus poteſt vocitari, qui verè eſt Vnigenitus parentis vtriuſque.

23. [*In Eccleſia fideles cunctos Paulus Primogenitos appellauit, quia vni non dantur omnia, ſed cunctis diſtribuuntur.* Hebr. 12.] In cuius robur illuſtrem Pauli ſententiam exhibeo. *Acceſſiſtis ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis, cæleſtem Ieruſalem, & Eccleſiam primitiuorum.* Hebr. 12. Græcè, πρωτοτόκων. Id eſt, *Primogenitorum.* Cur cœtus fidelium primogenitorum Eccleſia vocitatur? An poſſumus ſubditi, ſeu filij domus Dei eſſe Primogeniti, ſi Ieſum Primogenitum adoramus? Cuncti ſunt primogeniti. Nam ſi primogenito iure hæreditario tota ſubſtantiæ familia adſcribenda ſit, in domo Dei Regis cuncti ſunt primogeniti, quia omnibus cedunt diuitiæ, nullus apud diuinam prouidentiam ſecundus valet appellari. Vniuerſæ diuitiæ *offeruntur omnibus*, (loquor cum Bernardo ſer. de Purif.) *& nemo illarum expers, niſi qui renuit.* [Bernard.]

24. [*Vt Petrus & Ioannes apud Ieſu familiã ſint Primogeniti.* Ioa. 21.] Apud Domum Ieſu adeſt Petrus, cui Dominus commiſit Eccleſiam. *Paſce oues meas.* Ioa. 21. Adeſt & Ioannes, non ſicut Eſau montium defatigator, ſed in morem Iacob in Magiſtri requieſcens tabernaculo. *Hic autem quid?* Si Petro totius familiæ vt primogenito adſcribantur diuitiæ, quid Ioanni dilectiſſimo reſeruatur? Profectò in domo Ieſu cuncti ſunt Primogeniti; eo enim ipſo, quod impenſiùs amatur, eſt Ioanni loco hæreditatis. Nazianzenus, *Vide quemadmodum ex Chriſti Diſcipulis hic petra vocatur atque Eccleſiæ fundamentum: hic* (Ioannes ſcilicet) *impenſiùs amatur.* [Nazian.]

25. [*Et in domo Iſaac Chriſti imitatoris Iacob & Eſau Primogeniti eſſe videntur.* Gen. 25. Ambr.] An Deum Iſaac Princeps fuerit imitatus? *Iſaac amabat Eſau, eò quòd de venatione illius veſceretur. Et Rebecca diligebat Iacob.* Gen. 25. Ne Iacob minor videretur à parentis curâ excludi, quòd primogenitus non eſſet, amor matris vices gerebat hæreditatis, fante Ambroſio, *Accipite bonum certamen inter parentes. Hic magis honoret, illa plus diligat.* Quid plura? Arte matris Iacob minor natu maioratus hæres conſtituitur: In rore cæli, & in pinguedine terræ benedicitur: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini, eſto Dominus fratrum tuorum.* Ne autem videretur Eſau à primogeniturâ cecidiſſe, eadem illi bona imprecatur. *In pinguedine terræ, & in rore cæli erit benedictio tua.* Gen. 32. In domo enim Dei, *& in familiâ viri, qui Dei* imperium imitatur omnes ſunt Primogeniti, quia nullus à Principis prouidentiâ excluditur.

Observatio V.

Ad illa verba:

Fregit, & dabat Diſcipulis ſuis, vt apponerent, &c.

Dabat Ieſus panem Diſcipulis mox diſtribuendum ſubditis, non aliis miniſtris committebat, ipſe intererat conuiuantibus.

Edocens Præſules, vt circa munera diſtribuenda, & vniuerſam adminiſtrationem, non nimiùm miniſtris fidant; ſed ipſi immediatè ſint munerum largitores; aut adſint, dum aliorum manibus impenduntur.

26\. NON omnes miniſtri Regum, Principum, aut Præſulum Ioſephi fidelitatem imitantur; vnde non nimiùm eorum fidendum miniſterio circa munerum præcipuè diſtributionem. Chriſtus dabat Diſcipulis fideliſſimis panem turbæ apponendum: at dum diſtribuebatur munus Diſcipulorum manu, intererat Dominus. Particula enim illa verbi temporis imperfecti: *Dabat Diſcipulis vt apponerent*, indicat & Dominum tori adfuiſſe conuiuio, & munera iam procedere turbis dedicata.

27\. Moyſi Dominus, *Conſtitui te*, inquit, *Deum Pharaonis.* Exod. 7. Et quo ſenſu potuerit Moſes Deus Pharaonis conſtitui? Reſpondet Philo lib. Quòd deterior. *Dicitur in ſacris libris: Do te Deum Pharaonis, paſſiuo qui datur, non agente. Is autem, qui verè eſt, actiuus neceſſariò, non paſſiuus intelligitur.* Ac ſi diceret, Moyſes tenus nomine Deus conſtituitur, quia datur, quia paſſiuus non actiuus exſurgit, datur quidem, non dat; Deus autem verus agens eſt perſona; ipſe enim immediatè gerit munerum largitionem: *Do te Deum Pharaonis.* Ille Princeps Dei eſt imitator, qui manu propriâ exhibet munera.

Deus eſt, qui agit, qui tribuit ſua dona.
Exo 7.
Philo.

28\. Hæreticus quidam ore blaſphemo auſus eſt ſublatrare, Chriſtum Deum & hominem omnia hominibus munera & ſanguinis, & redemptionis, & virtutum exercitamenti Angeli cuiuſdam manu exhibuiſſe. In quem Tertullianus lib. de Car. Chr. inuectiuus exſurgit. *Cur ergo deſcendit ad id, quod per Angelum erat expediturus? Si per Angelum, quid & ipſe? Si per ſe, quid & Angelus?* An non *totus mihi* Rex *datus* eſt Ieſus, *& totus in meos vſus expoſitus*, vt fatur Bernardus? Ita planè. An non eſſet Deo minus dignum munera tanta Angeli miniſterio diſtribuere? Traiano Plutarchus in Polit. *Tu vero quidius rectiſſimè dabis, ſi non receſſeris à te ipſo.*

Rex Chriſtus per ſe, non per Angelis miniſterium, nobis omnia impendit.
Tertull.

29\. Sapiens appoſitè. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua.* Eccli. 33. Quid? Animi-nè officium debet miniſter exercere, Rex autem corporis iura ſeruare? Miniſtri fortunam feliciorem recognoſcam? Minimè planè. Animus enim ſic corporis miniſteriũ moderatur imperátque actiones, vt corporis eſſe videantur: & abſolutè à corporis membris exeruntur. Animus conſilium præbeat, dirigat, moderetur: corpus executioni immediatè committat. Miniſter Principis maneat, conſiliariíque munere potiatur: Princeps autem, in morem corporis, immediatè munera iuxta ſubditorum merita diſtribuat.

Rex ſit corpus, quod immediate gerat actiones.
Eccli. 33.

Vereor plures miniſtros & corporis & animi ſimul vices gerere. De his D. Bernardus lib. de Conſid. ad Eugen. *Tales miniſtros aut elegiſti, aut admiſiſti (non de omnibus dico.) Nam ſunt, quos non elegiſti, ſed ipſi te. Poteſtatem non habent, niſi quam tu eis tribueris:* attamen ea vtuntur, ad cuncta munera diſtribuenda, ac ſi abſoluti Principes nulli poteſtati ſubiacerent. 30.

Quam taxabiles mundiales miniſtri Regum.
Bernard.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et manducauerunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt, quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas.

Qui eſurientibus panes appoſuere Chriſtus, & Apoſtoli, & retinent, quod dederunt, & mirabilibus donantur incrementis.

Nec enim eleemoſynæ ſubſidia pereunt, ſed mirum in modum exaugentur.

MIRABERIS ſi ſeptem panum reliquâ fragmenta aſpectaueris coronæ anni benignitatis Domini facilè imaginem. Vndenam tanta copia panis in tantæ penuriæ conſpectu? Vidiſti Dominum Diſcipulis panem exhibuiſſe, vt fame correptæ turbæ apponerent? Vidiſti eleemoſynæ ſubſidia pauperibus impenſa? Non mitaberis. Nec enim eleemoſynæ ſubſidia data egenis, conferenti poterunt deperire. 31.

Ipſam manum, quæ dedit munus pauperi, plenam ipſâ eleemoſynâ crementis ineffabilibus auctâ intuearis. Parum eſſet Abrahamo buccellam panis Deo in paupere contuliſſe, ſi non & filium paſcendo Dominum iugulare intenderet. *Poſuit* ille *menſam, immolauit victimas ſuas*, Caietanus, *Iugulauit filium ſuum.* An ex myſtico conuiuio ſine oblato filio receſſit? Quonammodo poterat munus expoſitum Deo paſcendo in Ieſu paupere deperire? Manus offe- 32.

Semper plena manus diuitũs, eo munere, quod Deo exhibet in egenis.
Gen. 22.

tens retinet crementis mirabilibus ornatum. Ex illa enim die *accepit eum in parabolam*. Gen.22. Alij transferunt, *In ſimilitudinem Chriſti*, quem pro ſalute domûs Abrahæ, & Orbis totius recipit immolandum. Chryſoſtomus, *Da mihi vnigenitum*, Deus inquit, *non vt des, & immoles, ſed vt Filium meum Vnigenitum immolem*. (Chryſ.)

33. *Ideo filium ſæpe vocat, quia ſciebat non poſſe perire, quod Deo exhibebatur, ſed donādum filiorum incrementis.* Gen.22.

Cùm ad filium Deo exhibendum Patriarcha pergeret, ſæpe *Filij* vocabulum vſurpauit. *Quid vis, fili? Dominus prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi*, &c. Gen. 22. Et cur ô pater, filium immolaturus toties *filium* tuum appellas: An non diriùs diſcruciaris? Porrò ſpiritu prophetico actus Abraham ſibi promittebat filium à manu offerentis minimè receſſurum, potius innumerabili filiorum progenie retinendum; quod enim Deo datur perire non poterit. D. Ambroſius, *Vocare filium ſuum frequenter non timet, & hoc ſibi in perenne manſurum filium iudicauit, ſi eum immolaret Deo.* (Ambroſ.)

34. *Subſtantia, quæ datur creſcit mirabiliter: quæ retinetur, perit.* Prou.13.

Sapiens profatur, *Subſtantia, quæ paulatim colligitur, multiplicabitur*. Prou. 13. Hebraicè, *Congregans vſque ad manum multiplicabitur*. Ac ſi diceret, Quemadmodum qui ad loculum, ſeu thecam vſque congregat nummos, diminuitur: ſic qui ad manum congregat, vt det egenis, multiplicatione donabitur. Illam nota particulam: *Congregans multiplicabitur*. Non dixit, qui dat panem, ſed *congregans*. Qui dat vnus adeſt Dominus Diſcipulis, vt apponerent turbis eſurientibus: qui congregat multiplicatur; nam cuncti Apoſtoli, ſeu Diſcipuli congregant fragmenta panis: *Et ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis ſeptem ſportas*. Tu ſolus panis particulam confers egenis; multi autem apud domum, ſeu apud manum tuam colligunt, congregant; quia tanta copia ſequitur eleemoſynam, vt ad meſſem grani vnius plures debeant agricolæ congregari.

35. *Manum Domini dant, pane rumpebat.* Baſil. Seleu.

Manum Domini, precor intuearis, cùm panem apponendum egenis exhibebat. D. Baſilius Seleuc. orat. 33. *Panes pariebant panes, panes abſque ruſticano ſudore parti, non de ſpicis erumpebant, ſed de Domini manu eſfloreſcebant*. Panis in manu Chriſti dum datur, eſfloreſcit, vt plures pariat ſpicas, vt manipulis aureis coronetur. Fontis in morem profluentibus vndis, nouæ ſuccedunt. O tempora tot egenis redundantia! Poſſent diuites vel temporariis diuitiarum incrementis donari, dum diſtribui curarent egenis.

36. *Eleemoſyna neceſſaria eſt ad bonorum conſeruationem.*

Mihi, ais, ſuperſunt diuitiæ, & mihi, & filiis panibus abundo. Amice, attende, eleemoſynæ ſubſidia, ſeu munera Deo oblata non ſolùm neceſſariò eſſe ad bonorum multiplicationem, verùm etiam ad acquiſitarum conſeruationem diuitiarum. Cùm præcepiſſet Deus vniuerſa Amalech bona perire, *pepercit populus melioribus ouibus, & armentis*. 1. Reg. 15. (1.Reg.15.) Sic, popule delinquens, Domini imperia mandas executioni? Si præcepit perire vniuerſa bona Amaloch, quare meliores victimas reſeruâſti? An ad ſacrificium? Ioſephus lib.6. Antiq. cap.7. (Ioſeph.) *Quibus oculis putas Deum inſpecturum ſacrificium ex rebus perditioni deſtinatis?* Neceſſarium erat bona illa deperire, quæ populus reſeruare curauit, vt propriorum bonorum loco victimam darent ſacrificio. Sine munere Deo oblato bona non cuſtodiuntur.

LIBER

LIBER NONVS.

HYDROPICVS.

Paraphraſis, Commentariíque literales ad Caput decimum quartum Lucæ.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum morborum Medicum.

PROLVSIO.

SABBATO Dominus ædes cuiuſdam inter Phariſæos magni ingreſſus, vt cibum caperet, ante ſe ſtudio collocatum Hydropicum reſtituit ſanitati, efficaciſſimâ quidem ratione Phariſæorum tacitè reprehenſioni ſatisfaciens. Submurmurant Iudæi, quòd ægros Dominus reformaret in Sabbato. Profectò in Sabbato bos & aſinus Tartareo eruuntur à puteo. Beda, *Bouem, & aſinum vtrumque populum ſignificâſſe ſentimus, eum videlicet, cuius ceruicem iugum legis attriuit; atque eum, quem quilibet ſeductor reperit quaſi brutum animal, & nullâ ratione renitens, quo voluit errore ſubtraxit. Omnes Saluator adueniens Satanæ vinculis adſtrictos, omnes in imo concupiſcentiæ puteo demerſos inuenit. Non eſt enim diſtinctio; omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ, ſiue gratiâ Dei.* Si omnes egent gratiâ, appoſitè è puteo myſtico eruuntur in Sabbato. Maria enim ex omnibus obrutis ſolummodò libera requiei quidem dies laborantium dierum alumnis à Medico Filio impetrat ſanitatem.

Vitalis ligni Chriſti Admirabilis, *ſiue miracula gerentis,* FRVCTVS NONVS. Beda.

LVCAS Cap. XIV.

VERS. 1. CVM introiſſet Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum Sabbato manducare panem, & ipſi obſeruabant eum.

2. Et ecce homo quidam Hydropicus erat ante illum.

PARAPHRASIS.

1. INVITATVS *Dominus ad conuiuium à quodam inter Phariſæos primario, adijt domum illius, vt cibum ſumeret apud eum. Erat autem dies Sabbati. Simul alij Phariſæi accumbebant, qui more ſuo Ieſum obſeruabãt, ſi quid diceret, faceretve, quod in eo calumniarentur.*

2. *En parata occaſio calumniæ. Aderat enim homo quidam hydropi obnoxius malo ferè immedicabili, colore lurido, turgido corpore.*

3. Et

3. Et reſpondens Ieſus, dixit ad Legis peritos, & Phariſæos, dicens: ſi licet Sabbato curare?

3. Ieſus autem non ignarus, quid apud ſe Phariſæi, ac Legis periti cogitarent, rogabat eos, an die Sabbatis liceret perituro homini conferre ſanitatem? Profuit miſero in Ieſu aduenisſe conſpectum, qui cupit omnes fieri ſaluos.

1. 4. At illi tacuerunt. Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit.

4. Illi cùm obticuiſſent, ad ſe Chriſtus accerſit hydropicum, eum ſuo ſanauit contactu, & fecit abire: illicò mutato hominis colore, tumore corporis ſubſidente.

5. Et reſpondens ad illos, dixit: Cuius veſtrûm aſinus, aut bos in puteum cadet: & non continuò extrahet eum in die Sabbati?

5. Illorum autem cogitationibus ſtultis reſpondit: Si cuiuſquam veſtrûm aſinus, aut bos in puteum die Sabbati decidiſſet, vtrum, donec præteryſſet Sabbatum expectaret? an potiùs nihil moratus, ſtatim eodem die iumentum ſuum, ne periret, extraheret. Si tantum apud vos valet bos, aut aſini ſalus, vt non putetis violari Sabbatum: plus eſt operis in iumento extrahendo, quàm in homine ſeruando.

6. Et non poterant ad hæc reſpondere illi.

6. Ad hunc ſermonem obticuere Phariſæi, qui cùm non haberent, quod reſponderent veritati, tamen approbare quod rectè actum viderant, noluerunt.

7. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos.

7. Porrò Dominus, qui contactu ſanârat hydropicum, cupit & Phariſæorum capiti hydrope laboranti mederi parabolæ obiectione, ne primos accubitus ad faſtum, & inanem oſtentationem ambirent. Tanta ſitis ſtultiſſimæ gloriolæ, tantus tumor.

8. Cùm inuitatus fueris ad Nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit inuitatus ab illo:

8. Cùm fueris, inquit, inuitatus ad nuptiale epulum, caue, ne ipſe primum occupes locum. Ne fortè poſtea quàm tu accubueris, alius te honoratior ſuperueniat, iámque veniens is, qui & te, & illum inuitauit, iubeat te ſurgere, & honoratiori cedere locum.

9. Et veniens is, qui te, & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum; & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere.

9. Tunc pro captatâ gloriâ ignominiam lucrifacies, & cum rubore extremum locum tenere cogeris.

10. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouiſſimo loco: vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus.

10. Quin potiùs cùm vocatus fueris ad honorabile conuiuium, locum tibi accubitûs ſume poſtremum; vt cùm venerit conuiuator, dicat tibi, Amice, ad locum aſcende honoratiorem. Tunc modeſtia tua tibi apud conuiuas reliquos cedet in gloriam. Modeſtiam tuam ex eo agnoſcent, quòd tibi poſtremum locum adſcripſeris, ex conuiuatore agnoſcent dignitatem.

11. Quia

11. Quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

11. *Sic eſt in vitâ hominis, quo quiſque ampliùs deycitur, glorioſiùs exaltabitur: ſicut qui magis exaltari geſtit, plus deiectioni adycitur.*

SECTIO PRIMA.

Sanatur Hydropicus.

TEXTVS.

VERS. 1. CVM intraſſet Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum Sabbato manducare panem, & ipſi obſeruabant eum. 2. Et ecce homo quidam Hydropicus erat ante illum. 3. Et reſpondens Ieſus, dixit ad legis peritos, & Phariſæos dicens: Si licet Sabbato curare. 4. At illi tacuerunt. Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De inuitato Domino à Phariſæorum Principe.

1. *Quandonam hæc geſta fuerint?* Irenæ. CVM *intraret Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum.* Locus hic proprius eſt Lucæ, vt Irenæus adnotauit lib. 3. cap. 14. Quonam hæc tempore acciderint? Non aſſignat Euangeliſta, quod ſolet aliàs diligentiſſimè omnium facere. Vnde reor hæc eodem loco, ac tempore accidiſſe, cùm nihil videam repugnare. Scio potuiſſe res diuerſo geſtas tempore propter argumenti ſimilitudinem narrando coniungere, quod ipſe aliquando, & Matthæus ac Marcus ſæpe facere ſolent. Attamen eos id egiſſe crediderim, cùm aliunde apparet, res diuerſo tempore geſtas; quod cum hîc non appareat, haud temerè aſſerendum.

2. *An inuitatus Dominus?* Maldo. *Cùm intraret Ieſus in domum.* An inuitatus? Affirmatiuè reſpondeo; non enim ad Phariſæos homines ſibi tam iniquos non inuitatus adiiſſet. Maldonatus, *Satis magna fuit humanitatis inuitatum ad inimicum ire.* Cur id fecerit Dominus? Venerat quidem *quærere, & ſaluum facere, quod perierat.* Mat. 18. (Mat. 18.) Addo ſcire Dominum, cui Deo nihil latere poterat, quinam in eo conuiuio futuri eſſent, quámque excitandi miraculi in Phariſæorum oculis, ac die Sabbati occaſionem eſſet habiturus. Noluit negligere, verbis, factíſque docendi eos, opportunitatem.

3. *Quonam affectu inuitauit Dominum Phariſæus?* Euth. Quonam, quæris, animo Chriſtum Phariſæorum Princeps inuitauerit? Euthymius non omnino malo, ſed tamen gloriæ cupido id eum feciſſe putat: vt oſtenderet, ſe non ex illis eſſe, qui Chriſto inuidere viderentur. Alij exiſtimāt Dominum inuitâſſe, vt inſidias illi domi poneret, & hamum, quo illum caperet in ipſis eſcis conderet experiens, num Sabbato curaret, aut aliquid aliud efficeret, vnde accuſationis materia poſſet exoriri. Probabilem ſuſpicionem puto illâ particulâ nitens: *Et ipſi obſeruabant eum.* Quaſi ipsâ nimis diligenti obſeruatione innuerint, quonam Chriſtum animo inuitâſſent.

Quare ille Princeps Phariſæorum appellatur? 4. *Cur appellatur Princeps?* Non ſolùm cuncti inter ſe Sacerdotes, ſed ſingulæ etiam Sacerdotum familiæ, ſingulæ Synagogæ, ſingulæ ſectæ, ac ſingulæ penè artes ſuum quendam Principem habuerunt, qui omnibus dignitate, authoritatéque antecelleret. Zachæus *Princeps Publicanorum* vocitatur, Luc. 19. (Luc. 19.) *Principes Synagogæ.* cap. 8. (Luc. 8.) *Princeps Iudaeorum.* Ioa. 3. (Ioa. 3.)

Et ipſi obſeruabant eum. Quinam obſeruarent? 5. *Quid, obſeruare?* Euthymius, Legis periti, & Phariſæi, qui ſimul erant inuitati. An obſeruabant, vt venerarentur? Id verbum *obſeruo* ſignificat, non tamen ideo obſeruabant, ſed vt accuſarent, vt Chriſtus expoſuit.

§. II.

De Hydropici ſanati miraculo.

ET *ecce homo quidam Hydropicus erat antè illum.* 6. *Hydropiſis.* Beda. Ambroſ. Auguſt. Hydropiſis quis morbus ſit, nemo, vt reor, ignorat, & Beda multis verbis declarat. Ambroſius hîc, & Auguſtinus lib. 2. qq. Euang. cap. 29. eius allegoriam deſcripſere. *Erat ante illum.* 7. *Num ſubmiſſus ille à Phariſæis, vt ſanaretur, & calumniandi anſam arriperent?* Caiet. Num à Phariſæis ſubmiſſus, vt Chriſtum ad curandum hominem prouocarent; ac materiámque inde caperent accuſationis? Sunt qui ſuſpicentur. Attamen id Euangeliſta non tacuiſſet, qui Phariſæos intentos fuiſſe, vt Chriſtum obſeruarent, expoſuit. *Erat ille ante Ieſum non audens* (inquit Caietanus) *petere ſanitatem. Timebat fortè offendere Phariſæos, petendo curationē Sabbato. Præſertauit ſe tamen conſpectui Ieſu, petens facto, vt ſe curaret.* Facto quidem, id eſt ante illum adſtando: *Erat ante illum.*

Et

8. *Cuinam Dominus reſponderet? Caiet. Beda.*

Et reſpondens Ieſus, dixit ad legiſperitos, & Phariſæos dicens: Reſpondens. Cuinam Dominus reſponderet? Caietanus, *Non ad verba, ſed ad obſeruationem Phariſæorum.* Beda hoc verbum ad illud refert quod paulo antè dictum eſt, *Et ipſi obſeruabant eum.* Vnde cum Caietano ſentit. Ego autem, noto Hebraiſmo, aſſero reſpondere, idem eſſe, ac loqui exordiri: *Reſpondens* Ieſus, loqui exorſus.

9. *An ſuperfluat dictio illa. dixit dicens?*

Dixit ad Phariſæos dicens. An ſuperfluat dictio illa: *Dicens*? Certè notanter admodum appoſitam à Lucâ reor. Phariſæi obſeruantes cogitatione dicebant, An ſabbato curat ille? Chriſtus vero non cogitans, ſed dicens dixit. Videbat Dominus intimas Phariſæorum cogitationes, ſciebatque ſe ab illis obſeruari, num Sabato curaret; ſed non audere eos palàm id præ ſe ferre. *Dixit* ergo non vt illi cogitantes, ſed *dicens.*

10. *Cur obticuero Phariſæi?* Caiet. Euthym.

Si licet Sabbato curare? Ipſi verò tacuerunt. Cur tacent? Caietanus, *Timentes contra ſe militare vtramque reſponſionis partem. Nam dicendo, quòd licèt, loquerentur contra ſuam obſeruationem: dicendo verò, quòd nō licet, timebāt confundi à Ieſu, vt de facto euenit.* Euthymius aptè aſſerit tacuiſſe, quia nihil poterant reſpondere. *Nec enim lex id fieri prohibebat, & charitas id perſuadebat fieri.* Reſpondeant ergo, proculdubio licere. At contra ſe loquerentur. Cur enim, ſi licebat, Chriſtum obſeruabant? Proclament id minimè licere. At timerent, (Bedâ adnotante) ne ipſis Chriſtus obiiceret: Cur ergo illi bouem, aut aſinum, qui die Sabbati in puteum cecidiſſet, extraherent? ſic Caietani mentem, quam ſequor, expoſui. Beda.

Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit. Quare non priùs exponit, licere ſabbato curari ægrotum, quam actu curaret? Maldonatus appoſitè, *Priùs ſanat, deinde factum defendit, exemplo nos ſuo docens, non eſſe bona opera propter malignorum hominum calumniam, aut ſcandalum relinquenda.* 11. *Cur ſanat priùs quam actionem defendat.*

Cur autem *apprehenſum*, id eſt, tactu ſanauerit, cùm ſolo verbo, vt Paralyticum Centurionis ſeruum ſanare potuiſſet? Caietanus, *Ex induſtriâ Ieſus manibus Hydropicum apprehendendo ſanauit; vt ſtultitiam Phariſæorum ſic confutaret.* Non reſpondet quæſtioni. Aſſero igitur voluiſſe oſtendere, ſe non ſolùm vt Deum, ſed etiam vt hominem vim habere curandi: & humanitatem ſuam inſtrumentum eſſe diuinitatis. Quod alibi admonuiſſe memini. 12. *Cur apprehendit ægrotum?* Caiet.

Et dimiſit eum. Quare dimiſit? Vel vt eius inceſſus reſtitutæ teſtimonium eſſet ſanitatis. Vel quia noluit eum intereſſe, cum Phariſæos coarguerit; vt eo abſente eius cauſam liberius ageret, cùm nulla adulationis poſſet eſſe ſuſpitio. Vel dimiſit, ad ſacra loca Deo gratias redditurum, quod ſæpe geſſiſſe, mihi indubitatum. Sic poſt Lazari ſuſcitationē: *ſoluite eū, & ſinite abire.* De quo li. 10. 13. *Quare ſanatum dimiſit.*

IN IESVM MORBORVM MEDICVM

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM

EX HYDROPICO SANATO.

Obſervatio I.

Ad illa verba:

Hydrops eſt humoris redundantia, aptè laſciuiæ gerens ſimulacrum.

Vbi aſſero, animum, cunctáque membra ex inundatione huiuſmodi liberanda lacrymarum profluuio.

14. *De Hydropi laſciuia, & vi lacrymarum eius medicamine.* beda.

BEDA præmittendus ſic de hydropi ſcribens: *Hydropis morbus ab aquoſo humore vocabulum trahit. Eſt humor ſubcutaneus de vitio veſicæ natus, cum inflatione turgente, & anhelitu fœtido. Proprium que eſt Hydropici, quanto magis abundat humore inordinato, tantò magis ſitire. Et ideo comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggrauat. Gentilis cecinit.*

Hydropi voluptatum tenebantur membra. Aſſolet hydrops ventrem tenere; laſciuia autem cuncta membra corripit. De Nerone Buiſonius lib. 3. cap. 29. *Tanta libidinis conſtat teterrimum illum Imperatorem Neronem fuiſſe, vt puerum Porum etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus ſit. Eundémque cum dote, & flammeo pro ſolemni nuptiarum celeberrimo officio deductum ad ſe pro vxore habuit. Idem ſuam pudicitiam vſque adeo proſtituit, vt omnia eius membra contaminarentur.* An non huius membra voluptatum hydrope tenebantur? 15. *Hydrops laſciuia cuncta membra tenet.* Menan. Buiſon.

An non aqueo humore hydrops exuberans aggrauat? Profectò corpus voluptatibus addictum inundatione obrui neceſſum. Teſtor Magdalenam ad Chriſtum accedentem, dum Phariſæi conuiuio exciperetur, quemadmodum Hydropicus noſter ad Dominum à Phariſæorum 16. *Magdalena inundatione laſciuiæ grauata ne obrueretur, ſoluitur in lacrymas.* Luc. 11.

Principe

Principe inuitatum accurrit. Nil curat illa murmurantium oculos, aut dentes, ſeſe ad Ieſu pedes abiicit, oſculatur, lacrymis lauat, comâ abſtergit, inungit. *Lacrymis cœpit rigare pedes eius.* Luc. 7. Cur tam conſtanter illacrymatur? An vt, nauis in morem, cuncta membra ab exitiali humore liberaret? Equidem inundatio eſt turpitudo omnia membra perfundens. D. Ephren ſerm. de Magd. *Non ianitorẽ, non famulos domeſticos, generoſa mulier timuit, nec duram adſtantium increpationem, vnum hoc ſecum cogitans, dicénſque: Quòd ſi totam meam faciem quaſi ferream, aut aream non reddidero, ſaluari ex turpi inundatione laſciuiæ meæ nõ potero.* Ex quibus illud premo: *Ex turpi inundatione laſciuiæ meæ.* Si hydropis inundatio eſt, quid mirum, cuncta membra obruerentur? Certè periret illa nauis, ſi oculorum humor feliciter conuerſus in lacrymas non profluerer.

17. *Terra noſtra à noxio humore liberatur membris euacuãtis ploratione.* Hyemali humore genus humanum voluptatibus addictum, grauatum laborat. *Iam hyems tranſiit, imber abijt, & receſſit, vox Turturis audita eſt in terrâ noſtrâ, tempus putationis aduenit.* Cant. 2. Ambroſius lib. de Iſaac, cap. 4. particulam illam ponderat: *Noſtra*, fatus: *Benè addidit, Noſtra, quaſi admirans, quòd vbi antea impudicitia, ibi caſtitas.* Mirabile planè, quod redundante humore, quo Mundus hydropi corripiebatur, iam tam liber ipſe oſtentetur, vt vox pudici Turturis audiatur. Porrò *tempus putationis aduenit.* Alij transferunt, *Tempus plorationis.* Noxius humor membra corripiens profluit ex oculis pœnitudinis affectu.

Cant. 2.
Ambroſ.

18. *Laſciui ſitis inextinguibilis.* Quid de ſiti inextinguibili attexam? *Vires Thylaci* laſciui vocabantur, ob voluptatum ſitim. Et *Methyſocottabi.* Cottabus poculi genus ſitim acuens humore noxio. Sal ſitim aſſolet accendere. Eſt qui aſſerat *Salacem*, ſiue hominem voluptatibus addictum à ſale deriuari, quia nunquam non ſiti voluptatum laſciuus corripitur. Alciatus emb. 72.

Alciat.

Eruca capripes redimitus tempora Faunus,
Immodicæ Veneris ſymbola certa refert.
Eſt eruca ſalax, indéxque libidinis hircus,
Et Satyri Nymphas ſemper amare ſolent.

Quid mirum ſemper ament nunquam ſiti libidinis extincta, ſi ſalax ipſa voluptas ſitim acuens ad voluptatem? Alibi ſæpe.

Observatio II.

Ad illa verba:

Et ecce homo quidam Hydropicus erat ante illum.

Hydropem auaritiæ deſcribo.

Inextinguibilis planè auarorum ſitis eſt.

19. Beda. Dixit Beda, *Comparatur hydrops diuiti auaro, qui quantò eſt copioſior diuitijs, quibus non bene vtitur, tantò ardentius talia concupiſcit.* Sitim inextinguibilem diuitum deſcribamus.

Curauit Dominus Hydropicum antè Phariſæi domum, móxque de auaritiæ morbo ex occaſione cum Phariſæis diſputauit. An non quia in Hydropico auaritiæ expreſſam contemplatur imaginem? Gregorius lib. 14. Mor. cap. 5. *Redemptor noſter ante Phariſæi domum Hydropicum curat. Et cùm contra auaritiam diſputaret, ſcriptum eſt: Audiebant autem hæc omnia Phariſæi, qui erant auari, & deridebant illum. Quid eſt ergo, quòd ante Phariſæi domum Hydropicus curatur, niſi quod per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis? Hydropicus quippe, quò amplius biberit ampliùs ſitit: & omnis auarus ex potu ſitim multiplicat; quia cùm ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia ampliùs anhelat. Qui enim adipiſcendo plus appetit, huic ſitis ex potu creſcit.* Rurſum Beda, *Prouidâ diſpenſatione Dominus ante legis peritos, & Phariſæos Hydropicum curat, & mox contra auaritiam diſputat, vt per huius ægritudinem corporis in illis exprimeretur ægritudo cordis. Omnis auarus ſitim multiplicat, qui cùm ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia ampliùs anhelat.* 20. *Videns ſeſus Hydropicum, excitatur, vt de auaritia inſatiabili diſputet, quia ſimilis ægritudo.* Gregor. Beda.

Ait alibi Lucas, *Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager tulit, & cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam, quia non habeo, vbi congregem fructus meos?* Cap. 12. τὸ *Non habeo* expende. Quis non crederet illum tantâ fructuum copiâ refertum à ſiti receſſurum? 21. *Diues auarus ſemper ſitit, ex potu æſtuans.* Luc. 12.

Certè, quemadmodum hydrope correptus ex ſatietate potùs ampliùs ad pocula accenditur: ſic diues ex diuitiarum redundantiâ ampliùs æſtuat. D. Zeno ſer. de dupl. tent. ſpecie. *Parum putat omne, quod naſcitur, cuius abundantia deeſſe aliquid computat.* Imo deeſſe totum arbitratur, quia ſemper plenus, (vt Nazianzenus ait) ſemper vacuus oſtenditur. Zeno.

Sanguiſugæ ſitim nunquam explendam imitatur auarus. *Sanguiſugæ duæ filiæ, quæ ſemper clamant: Affer, affer.* Prou. 30. Quantò ſanguinem epotat animalculum, tantò magis bibere cupit. Sic auarus. Salonius, *Quantò ſibi diues diuitias accumulat, tantò magis eas ſemper augmentare deſiderat.* 22. *Sanguiſugæ in morem, auarus ſitit.* Prou. 30. Salon.

Achab hydrope laborabat, dum plenus mero diuitiarum, adhuc Naboth vineæ ſitiebat ſucco impleri. *Da mihi, ait, vineam tuam.* 3. Reg. 19. Quò plus biberat, eò magis ſitiebat. Ambroſius de Nabut. cap. 2. *Audiamus, quid dicat, Da mihi vineam. Quæ alia vox egentis eſt?* Dixerim, *Quæ alia vox ſitientis eſt? Da mihi vineam.* 23. *Achab ex nimio potu merum Naboth vineæ expetebat.* 1. Reg. 19. Ambr.

Dauid cecinit, *Diuites eſurierunt.* Fari liceat, *Sitierunt.* Pſalm. 33. Vbi Auguſtinus, *Egent diuites pleni; & quod eſt grauius, pane egent.* Quid ſi egeant aquâ? Plenus, *qui induebatur purpurâ, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.* Attamen omnino ſitiens inclamitabat, *Mitte Lazarum, vt intingat digitum in aqua, & refrigeret linguam meam.* Luc. 16. *Sic diues eget,* (addit Pater) *ſeu ſitit, quia plura volebat accipere, quàm tenebat.* 24. *Diuites pleni ſitiunt.* Auguſt.

25. *Medicamen hydropiſis auaritiæ eſt, nec ſtillam diuitiarum expetare.*

Medicamen denique ſi adhibere hydropicus cures, cum moneas, vel à guttulâ diuitiarum abſtinere, donec humor omninò valeat exſiccari. Horatius bellè.

Horat.

Latius regnes auidam domando
Spiritum, quam ſi Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.
Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Vt igitur noxio humore non pergraueris, omnes abiicere diuitias operæ pretium eſt, cum Tibullo lib. 3. Eleg. canens:

Tibul.

Nec me regna iuuant, nec Lydius aurifer amnis.
Nec quas terrarum ſuſtinet Orbis opes.
Hæc alij capiant, liceat mihi paupere cultu
Poſſe frui, &c.

Cyrillus.

Stillam temporalium diuitiarum ſi non deguſtes, exitiali humore liberaberis. Aiebat Cyrillus Alex. ad cap. 5. Iſai. *Inopiam incendium huiuſmodi diuitum ſitis extinguere. Cor immodica cupiditate acquirendi flagrans, & oculum in exhauſtæ auiditatis nullâ arte alia coercere poteris, quam ſi definieris tecum, nihil omnino poſſidere.*

Observatio. III.

Ad illa verba:

Et ecce homo quidam Hydropicus erat ante illum.

Apud conuiuium prophanum, ſeu menſam ſecularem & aſpicitur à Domino Hydropicus, & inſidiæ præparantur iuſtis; & eorum imperfectiones minimè excogitatæ taxantur.

Vbi damno comeſſationes, conuiniorumque ſecularium exceſſus, vitiorum allectamenta, quæ vt fugias, Ieſum inuita.

26. *Commendãtur conuiuia exposita aut propinquis causa charitatis, aut pauperibus.*

AD Phariſæorum menſam prius quàm Saluator ſederet pranſurus contemplari licet. Hydropicum apud menſam ſecularem aſſidentem videt; obſeruatores ſeu inſidiatores Phariſæi Dominum inuitarunt, vt eum apprehenderent in ſermone. Quam exitialia peccatorum conuiuia, vbi effrænatur ebrietas, & proximorum vitæ collocantur inſidiæ.

27. *Apud ſecularem menſam plerumque gula, & ebrietas, exu-ſante Domino.*

Chriſtum igitur inuita. Aiebat Paulus, *Conuenientibus vobis in vnum iam non eſt Dominicam cœnam mandacare. Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum: & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.* 1. Cor. 11. Vbi ebrietas, Dominica menſa non eſt, ſeculare eſt omninò conuiuium: ſiſtebatur Hydropicus antè menſæ veſtibulum, cui debebat Dominus aſſidere. Vereor ne tua ſit Phariſaica menſa, ſi inuitans Dominum (cum charitatis, & dilectionis ergo proximum ad conuiuium adducis) ebrietatis indulges exceſſibus. Chryſoſtomos, *Ne igitur hæc fiant, linguam, labia conſidera, quo pacto veſtibulum Chriſto facta ſunt, vt ingrediatur.* Quonammodo ad tuum conuiuium dilectionis Magiſter ingredietur, ſi ſub veſtibulo aſpexerit hydropicum?

1. Cor. 11.

Chryſ.

28. *Conuiuæ ſeculares moleſti ſunt plerumque iuſtis, eorum actiones obſeruantes, inſidias tendentes.*

Quid ſi obſeruatores, ſeu inſidiatores inueniat. *Poſuiſti* (ait Dauid) *in conſpectu meo menſam aduerſus omnes, qui tribulant me.* Pſal. 22. Chaldæus, *Aduerſùs moleſtatores meos.* Siue aduerſùs eos qui moleſti ſunt Domino menſæ aſſidentes, quemadmodum Magdalenæ obſeruatores ei moleſti erant apud menſam Simonis. De quo Dominus, *Quid moleſti eſtis huic mulieri? Nonne bonum opus operata eſt in me?* Quid mirùm inſidientur Saluatori, ſi apud Phariſæorum menſam diaboli ſcilicet commorantur? Vnde Cyrillus Ieroſ. Cat. 4. aſſerit hanc menſam, qua inſidiæ Domino collocantur, à dæmonibus præparari. *Paraſti myſticam, & ſpiritualem menſam contrariam illi quæ nobis antea parabatur à dæmonibus.* In ſeculari conuiuio, ad quod Dominus non inuitatur, inſidiæ proximo prætenduntur.

Pſalm. 22.

Cyril. Ieroſ.

29. *Deriſio proximi apud ſecularia conuiuia.*

Eccleſiaſtes ait, *Melius eſt ire in domum luctus, quam in domum conuiuij.* Cap. 7. Quare? Quia luctus linguam cohibet, iudicia deprimit ne proximo collocentur inſidiæ. At conuiuium linguam effrænat, vt irrideat, vt detrahat, vt falſa iudicia proferat: *Vt obſeruent eum.* Chaldaicus, Complutenſ. *Melius eſt viro, ire in domum lugentis, quàm in domum conuiuij, in quâ deridetur*

Eccle. 7.
Chald.

30. *In conuiuio proximi vita præinſidiatur; pocula præparantur.*

Ioſue Moyſi è monte reuertenti, *Vlulatus pugnæ auditur in caſtris. Qui reſpondit, Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, ſed vocem cantantium ego audio.* Exod. 32. Legit Philo, *Clamor iſte, quantùm ego audio, non ad pugnam adhortator eſt, ſed ad pocula.* Ad pocula adhortatur clamor ille, & ideo pugnæ adhortator eſt, quia nunquam non apud ſecularia conuiuia (è quibus exulat charitatis lex, ad quæ Dominus non inuitatur aut in fratribus, aut in pauperibus) proximo inſidiæ præparantur. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Deut. 32. Ambroſius de Elia, cap. 5. hinc oſtendit, quàm ſint exitialia ſecularia conuiuia apud quæ proximis mortiferæ tenduntur inſidiæ.

Exod. 32.
Philo.

Deut. 32.
Ambr.

31. *Vbi conuiuium, ibi conuitium.*

Quàm conueniens argumento noſtro illud Adagium: *Septem conuiuium nouem conuitium.* Interpres admonet, è prouerbio edoceri nos, paucos in conuiuium adducendos eſſe, alioqui fore tumultuoſum & inſuaue. Vnde Marcus Varro aiebat, *Conuiuarum numerum incipere oportere à numero Gratiarum, & progredi ad Muſarum. Sint tres, aut nouem ad ſummum, quia turba plerumque eſt turbulenta.* Alij aptius exponunt ſeptem conuiuium conuitium eſſe nouem; quia apud conuiuia plures conuitiis afficiuntur, quàm epulis ſatiantur.

Varr.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et ipſi obſeruabant eum.

Phariſæi improbi Dominum obſeruabant, an aliquid diceret, faceréтve, vnde aduersùs eum, accuſationis materia ſumeretur.

Vbi aſſero improborum eſſe, proximorum defectum obſeruare, eiſque detrahere.

32. *Detractio improborum eſt.*

VIDIMVS à Phariſæis Dominum inuitatum, vt ei in domo collocarent inſidias, obſeruantes, num Sabbato curaret, aut aliquid aliud diceret, ſeu efficeret, dignum accuſatione. An non improbi Phariſæi? Ergò ad calumniam quærendam inuitârunt. Maldonatus ait, *Opinio eſt hæc Phariſæorum moribus non indigna.* Improborum enim ingenium proximorum defectus inueſtigare addictum eſt.

Maldon.

33. *Obſeruator defectuum legis obſeruator non eſt.* Ambroſ. Iacob. 4.

D. Ambroſius lib. de Noë, cap. 30. *Omnes mores peſſimi erroribus delectantur alie..is, non ſolum erroribus, ſed etiam iis, quæ ipſis videantur mala eſſe, etiamſi non ſint.* Iacobus, *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem, detrahit legi.* Iacob. 4. Nec enim obſeruatores defectuum fratris, legis ſunt obſeruatores, ſed iniquè tranſgrediuntur: *Detrahit legi,* D. Th. *Detrahit legi, id eſt, contemnit legem.* Contemptorum enim legis diuinæ eſt, proximorum defectus obſeruare, carpere.

34. *Odibiles Deo, qui proximi obſeruant errata.* Pſal. 110.

Dauid cecinit, *Detrahentē proximo ſuo, hunc perſequebar.* Pſal. 110. Paulus defectuum obſeruatores, vt calumniam poſſint excitare, *Deo odibiles.* Rom. 1. Alij, *Dei oſores.* Cyprianus epiſt. 68. *Deo abhorrentes.* Quid mirum Deum aduersùm tanta iniquitate preſſos homines exurgere: *Hunc perſequebar?* Bernardus ſer. 24. in Cant. *Omnis huiuſmodi detractor primum quidem ſeipſum prodit vacuum charitate,* vt ſcilicet ſe plenum iniquitate oſtendat.

Bernard.

35. *Quàm iniquè ſedeat, vt inſidiæ proximo collocentur!* Pſal. 49.

Alibi Vates, *Sedens, aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſum filium matris tuæ ponebas ſcandalum.* Pſal. 49. O Phariſæe ſedens, menſæ hærens cum Domino filio matris tuæ Synagogæ, qui ſcandalum apponis, cùm obſeruas, cùm inſidias paras, te iniquiſſimum charitatis oſorem manifeſtas. Auguſtinus, *Quòd dixit, ſedens, oſtendere voluit, quòd non tranſitoriè egerit, nec ei ſurreptum ſit paſſione quadam ſubita; ſed ſedens* (vt Phariſæi Dominum inuitantes) id eſt ex odio, quaſi ad hoc *vacans* (dixerim *vocans*) *vt derogaret proximo ſuo,* ſiue calumniandi rationem exquireret.

Auguſt.

36. *Phariſæi Dominum conuiuantes iniqui.*

Adhuc Regius Propheta, *Appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas* Pſal. 26. Putatis me ab illis Phariſæis inuitatum, vt al-

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

tilium ego carnes præparatas edam? Ipſi nocentes vtique me inuitauerunt, vt occaſione conuiuij, me obſeruantes, valeant meis carnibus ſatiari. Vt dicat cum Iob, ex Gregorij ſententia, *Carnibus meis ſaturamini.*

vt eius carnibus ſaturentur. Pſal. 26. Gregor.

37. *Qui proximo tendunt inſidias, vt capiant, ſunt improbi piſcatores.* Terenti.

Terentius hominum ineſcatores, qui ad conuiuium vocant, vt perdant, improbos piſcatores appellauit. Et quando non iniquus, qui inſidias proximo, præcipuè iuſto, curat prætendi? Eſau iniuſtus Iacobo probo tetendit inſidias. Gen. 24. Dalila Samſoni. Iud. 16. Saul Dauidi. 1. Reg. 18. Iezabel Eliæ. 3. Reg. 15. Impius pio. Pſal. 108. Iudæi Chriſto. Mat. 26. Herodias Ioanni, Mat. 6. Iudæi Paulo. Actor. 9. O improbi admodum piſcatores!

Observatio V.

Ad illa verba:

Si licet Sabbato curare?

Ignorantiam ſimulans Chriſtus edocet Phariſæos Sabbato licere, ægrotanti apponere medicamen.

Sapientum enim eſt Magiſtrorum, ignorantiam aliquando prætendere, vt inſtruant ignorantes.

38. *Præſulos, Regis, Concionatores aſſolent ſcientiæ defectum ſimulare, quo ſubditos ſuauius virtuti addicant.*

CVR Dominus interrogat, quod nouit, quódque non expectans reſponſionem (quia *illi tacuerunt*) opere oſtentauit. Nec enim, quòd non liceret, geſſiſſet? Profectò Iudæos ignorantes, aut ignorantiam affectantes docere curabat, vnde ſimulat ignorantia teneri. Sapientiſſimi namque Magiſtri, ac Præſulis eſt, ignorantiæ prætextu inſipientes inſtruere.

39. *Chriſtus ſimulat ſe ignorare, vt inſtruat ignorantes. Id quod apud paradiſum præmiſſum eſt.* Gen. 3.

Conditoris exemplum exhibeo. Deliquit Adam, Eua præceptum tranſgreſſa eſt, Dominus autem eos ad pœnitudinem adducturus accedit. *Et cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi.* Quid plura? *Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit: Adam, vbi es?* Gen. 3. Cur obiicit Dominus ignorantiam? Reſpondet Tertullianus lib. de Trin. cap. 1. *Quòd requiritur, non ex ignorantia venit, ſed ſpem hominis futura in Chriſto & inuentionis, & ſalutis oſtendit.* Ac ſi diceret, Deus oſtendit futuram per Chriſtum hominis inuentionem. Sapientiſſimus enim Magiſter ignorantiam prætendet (*habitu inuentus vt homo*) quo valeat [illegible] rantes inſtruere. Innuit ſe ignorare, an liceat Sabbato ægrotanti medicamina adhiberi, ad vberiorem ignorantium inſtructionem; aut confuſionem illorum, qui, vt calumniarentur, ignorantiā affectabant.

40. *Præſules ſint piſcinæ referū.*

Suos Dominus ſic commendat Prælatos, & Concionatores: *Oculi tui, ſicut*

tos ſubditorũ ignorantiam aliquando vt corrigant. Cant. 7. Del-Ri.

piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Cant. 7. Chaldæus, *Scribæ tui plens ſunt ſapientiâ.* Del-Rius noſter colligit ex eo quòd pupilla nitida, & pellucida ſit, fideliter imagines adſtantium repræſentare. Scribæ igitur ſeu Prælati, & Concionatores Eccleſiæ, inſtar pupillæ, & piſcinæ clariſſimæ adſtantium actiones repræſentant. Chriſtus videt Phariſæos aut ignorantiâ premi, aut eam affectare: vnde ſeſe ignorantem oſtendit, vt inſtruat. Euangelici id miniſtri imitentur oportet. Referant ſubditorum mentem, vt corrigere valeant. Theodoretus appoſitè, *Oculi tui ſicut piſcinæ cogitationum.* Chriſtus etenim Phariſæorum cogitationes circa ſanitati ægrotos in die Sabbati reſtituendos ſimulata ignorantiâ refert, vt poſſit ſuauius, efficaciuſque inſtruere. (Theod.)

41\. *Chriſtus Samaritanæ retulit legis trãſgreſſioně, vt eam edoceret.* Ioan. 4.

Mulierem Samaritanam Dominus inſtructurus ad legis obſeruationem, ſe exprimit quodammodo tranſgreſſorem legis. Aquam etenim Iudæus à Samaritanâ poſtulauit. Id quod ipſa adnotauit, obiiciens: *Quomodo tu Iudeus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Profectò ô mulier, taxabilis omnino qui legem tranſgreditur. At tu *quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Ioa. 4. Quàm prudenter Dominus, vt fœminam ad veræ legis obſeruationem adduceret, ſimulauit ſe legis tranſgreſſorem! Origenes, *Ex fonte Ieſu Diſciplinæ pateſiunt his, qui nondum humanum geſtant cor.* Dum enim fons pellucidus eſt referens fœminæ actiones, humanam ſimulans ignorantiam, patefit doctrina cæleſtis, ignorantia preſſi, iniquitate ex verâ legis tranſgreſſione, laborantes apprimè inſtruuntur. (Orig.)

42\. *Oſeas ſe ſimulate obycit non pudicum, vt impudicos verò poſſit reprehendere.* Oſe. 1. Hieron.

Oſeæ Dominus, *Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicarios; quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* cap. 1. In cuius expoſitionem prætermitto laudabilem admodum Prophetam ex nuptiis cum meretrice, fauente Hieronymo, *Nec culpandus Propheta, ſi meretricem conuertit ad pudicitiam: ſed potiùs laudandus, quod ex malâ bonam fecerit,* &c. Iam quærimus quare Oſeas meretrici matrimonio colligari iubetur? Textus reſpondet, *Quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* Fornicarios adducturus eſt Propheta ad frugem meliorem? Impudicitiæ obiiciat ſpeciem. Pulchrè Hieronymus, *Propheta iunctus eſt meretrici, quia omnis terra à Domino receſſit.* Vt autem perſuadere poſſit reuerſionem, peruerſionis quidem in ſe oſtendit ſimulacrum. Vt enim aiebat Auſonius, *Faciliùs, clariuſque crimina noſtra in alienis actionibus videmus.* Ideo itaque Dominus ignorantem ſe oſtentat, vt de affectatâ illos ignorantia taxet, ex Caietani mente. Miramini me rogare quod ignoro? Miror vos affectare ignorantiam eorum, de quibus addubitare minimè poteſtis. (Auſon.) (Caiet.)

Observatio VI.

Ad illa verba:

Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, & dimiſit.

Dimittit Dominus ſanatum Hydropicum, ne apud hydropicos Phariſæos commorando, rurſum hydrope corriperetur.

Moneo peccatores ad meliorem mentem conuerſos, obſtare quidem propoſiti perſeuerantiæ iniquorum conſortia.

NON ſolùm Dominus curauit Hydropicum ſanitati reſtitui, ſed & ſtuduit illum à conuiuio recedete: *Et dimiſit.* Quare? Exiſtimo, ne ſanitati animus reſtitutus, euacuato quidem humore, apud hydropicos Phariſæos commoraretur, rurſum ægritudine corripiendus. Obſtant etenim virtutis affectis iniquorum conſortia. 43.

44\. *Iacob fugit conſortium Eſau, incipiens viam ſpiritus, contam.narum.* Gen. 28.

Vix Iacob donatus fuerat cæleſti benedictione, cùm audiuit ab Iſaac parente: *Noli accipere coniugem de genere Chanaam, ſed vade, & proficiſcere in Meſopotamiam Syriæ ad domum Bathuel.* Gen. 28. Cur à ſe ſeriès parentes oculorum lumina ablegarunt. Sanè quia recens ſpiritui inſtituto natus debebat à prauâ ſocietate recedere, ne exitialium motum corriperetur hydrope. Philo lib. de profug. *Genus deſtinatum diuino cultui oblatio quædam eſt Deo conſecrata. Cohabitatio cum malo nocet maximè. Itaque Iacob ab Eſau fugit. Quippe qui meditator cùm ſit, dimicans adhuc in certamine, fugit quidem vitium.* Nam qui ſpiritûs viam inſtituit, omnino debet ab iniquorum conſortio, quo contaminari poteſt, ſemoueri. (Philo.)

45\. *Circumciſio indicitur Abrahæ, & filys; vt incipientes viam ſpiritus, ab impys ſeparentur.* Gen. 17.

Abrahæ Deus, *Hoc eſt pactum meum, quod obſeruabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te: Circuncidetur ex vobis omne maſculinum.* Gen. 17. Quare Dominus Abrahamum, eiúſque ſocios iuſſerit circuncidi? An non Circuncisio oſtium erat ſpiritualis vitæ? Non-ne circumciſionis vulnere affectus viam ſalutarem (ablegatâ ægritudine hydropis communis) inſtituebat? Ita planè. Igitur cùm indicitur noua via vulnus præſcribitur circumciſionis, imò ipſa circumciſio noui itineris inchoatio eſt. Iam conſtat quanam mente Dominus circumciſionem imperârit electis; quia ſcilicet ad

viam

viam ſpiritus inſtituendam neceſſarium erat à prauorum ſocietate ſeparari. At circuncißionem hominem fidelem ab impiis ſeparare quis dubitet? Anaſtaſius quæſt. 23. *Pietati quandam excogitat cuſtodiam, ne cum impiis commixti, corrumperent ſui generis nobilitatem.* Itaque illud ipſum viam cæleſtem inſtituere, ab impiis ſociis fuit ſeparari.

46. *Apud impios habitans exiſtima te nec pedem in via ſpiritus collocaſſe.* Exod.12.

Profectò apud improbos habitans exiſtima, te nec pedem in perfectionis via collocaſſe. Exituris de Ægypto Deus, *Menſis iſte vobis principium Menſium, primus enim in Menſibus anni.* Exod. 12. An non apud Ægyptum commorantes annis Menſibus conſtantibus vtebantur? Quomodo igitur Menſis, quo exeunt de Ægypto, primus dicitur? Exiſtimo, quia veram nouam vitam agere non potuiſſent, dum apud impios habitarent. D. Gaudentius Tract. 1. in Exod. *Non ſunt imputati Iſraelitis illi dies, quos conſumpſerunt in Ægypto. Sed quando ingemuerunt ad Dominum conuerſi ab operibus duris, tunc audierunt, Menſis hic vobis initium Menſium.* Nec vnus dies tibi computabitur veræ vitæ, dum impiis ſociis fueris addictus. Vnde incipienti tibi viam ſalutarem percurrere indicitur à prauis ſociis ſeparatio.

Gaud.

47. *Quam implicatorum ſpiritualis viro proborum conſortium.* Chryſ. Gen.21.

Aiebat Chryſoſtomus in Matth. *Bonus ſic malo connectitur, vt aut pares reddantur, aut citò ab inuicem ſeparentur. Amicitia enim pares aut gerunt, aut faciunt.* Cur exiſtimas Iſmaelem è domo deturbatum? Gen.21. Ne bonus Iſaac ſic malo connecteretur, vt pars reddi poſſet, cito ab inuicem illi ſeparantur. Niſi Dathan à Domino fuiſſet deturbatus in Tartarum, illigatus Iſraelis populum deturpaſſet electum. Num.26. An non Hebræi ob vnius Achan iniquitatem exitialiter percutiuntur? Ioſ.7. Meritò probus Ioſaphat à Prophetâ reprehenditur ob ſocietatem cum Ochozia initam. 2.Par. 30. Cæcus natus veræ natiuitatis non inſtituit tyrocinium, donec à Phariſæorum Synagoga deturbatur. Ioa. 9. Non enim vita ſpiritualis inſtituitur, dum impiorum ſocietate retardamur. Ergo aut pares impiis ſociis vitæ veteri adhuc addicti reddamur, aut operam daturi nouæ vitæ inſtitutioni ab inuicem illico ſeparemur.

Num.26. Ioſ.7. 2 Par.30. Ioan.9.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Ipſe verò apprehenſum ſanauit eum, & dimiſit.

Dimittitur Hydropicus ſanatus ad Templum, vt actionem gereret gratiarum.

Ingratus quippe ille, cui beneficium acceptum non eſt impulſio, vt ad Templum, acturus gratias, proficiſcatur.

48. *Recipiatur Euchariſtia loco gratiarũ actionis pro beneficiis acceptis.*

Dimisit Dominus ſanatum Hydropicum, ad Templum vtique properantem. Ipſa etenim beneficij acceptio impulſio debet eſſe hominem adeo cogens ad gratias referendas, vt dimiſſus quaſi naturali pondere ad Templum properaret: quemadmodum lapis infrænatus in vertice ſine impulſu alieno dimiſſus à tenente manu properat ad centrum. Ingratus equidem ille, cui acceptio beneficij impulſio non eſt ad gratias in domo Domini referendas.

Eſcob.& Mend.in Euang.de Temp. IT.

49. *Abram quaſi vi conſequentia impulſus, ex accepto beneficio dimittitur ad Altare.* Gen.13.

Abram auro & argento, *diues valde reuerſus eſt per iter quo venerat a Meridie in Bethel vſque ad locum, vbi priùs fixerat tabernaculum, in loco altaris, quod fecerat priùs, & ibi inuocauit nomen Domini.* Ge. 13. Diuitiæ enim acceptæ, eum impulere, vt abiret ad Templi imaginem, ſcilicet ad Bethel vbi altare erectum, ad gratias reddendas. Dixit Dominus Abram, *Leua oculos tuos. Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo in ſempiternum.* Quid plura? *Mouens igitur Abram tabernaculum ſuum venit, & habitauit iuxta conuallem Mambre, ædificauitque ibi altare Domino.* Ibid. Ex beneficio accepto quaſi conſequentiæ vi, Abram exurgit ad properandum in locum altaris extruendi, vt apud ipſum vices Templi gerens gratiarum profunderet actionem. Chryſoſtomus hom. 34. in Gen. *Vidiſti, ait, mentem gratam, quia mox vt Tabernaculum fixit, ſtatim pro factâ ſibi promiſſione gratiarum actiones obtulit Domino. In ſingulis locis, vbi tabernaculum fixit, inuenies hoc præ omnibus ei fuiſſe curæ, vt extructo Altari, preces offerret. Vidiſti animam diuino amore ſuccenſam, per omniáq; gratias agentem.* Quam gratus, qui cum non erat Templum ad quod è beneficio accepto dimitteretur, ipſe Templum vbique conſtruebat, ad quod gratias acturus properaret?

Chryſ.

50. *Dauid beneficia accipiẽs, feſtinauit ad Templum Euchariſtiæ reficiendus.* Pſal.115. Chryſ.

Regius Vates ab acceptis beneficiis impulſus acturus gratias properabat ad Templum. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem* (ſibi reſpondet) *ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Pſal.115. Ac ſi diceret, Poſt accepta beneficia ſingula quaſi emittor in Templum Euchariſtiam recepturus, Deo fuſuras preces in actionem gratiarum. Chryſoſtomus hom. 26. in Matth. *Beneficia nos faciunt Deo gratias ſemper exoluere.* τὸ *Faciunt* preme. *Faciunt*, inquam nos de gratiis reddendis curare, & quaſi excitant ad profectionem. Quamnam viam inſtituimus? Profectò Eccleſiæ, vbi Euchariſtiam recipimus in præſtantiſſimam gratiarum actionem. *Optima beneficiorum cuſtos eſt beneficiorum memoria, & perpetua gratiarum actio. Propterea reuerenda, ac ſalutaria illa myſteria quæ in Eccleſia celebramus, Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio nuncupantur.* E beneficiis itaque acceptis impellimur ad Eccleſiam, vbi Euchariſtiæ receptione auguſtiſſimæ gratiarum actioni operam impendamus.

51. *Poſt Manna acceptum, ipſum Manna, id eſt, homo gratus ad Templum emittitur.*

Poſt Mannæ acceptum beneficium Aaroni Dominus, *Sume vas vnum, & mitte ibi Man, & repones coram Domino.* Exod.16. Vbi Auguſtinus quæſt. 61. in Exod. aſſerit Mannæ vas iuſſum reponi in conſpectu Domini in gratiarum actionis ſimulacrum, quaſi ipſe homo fidelis factus Manna, quo ſatiatur, in ipſo vaſe Mannæ figuretur. Igitur poſt acceptum beneficium fidelis vas Mannæ ſit in conſpectu Domini. Iam requiro, Quidnam ſignificet hominem gratum in conſpectu Domini ſtatui? Auguſtinus, *An fortè de futuro dicit, Repones, vt intelligatur, tunc ante Deum poſſe reponi, quando futura erat Arca?*

An potiùs ante Deum dictum eſt, quod ſit ipsâ denotione offerendi, in quocunque loco poneretur; ibi enim Deus eſt? Primam expoſitionem magis probo; quia acceptum beneficium à fideli corde, id ad Templum immittit, vt actioni ibi gratiarum ſtudium impendat.

52. *Iacob acturus gratias pro beneficiis, Templum myſticè extruit; quia ad Templum haud poterat proficiſci.* Moriturus Iacob dexteram manum in ſiniſtram conuertit, eam ſuper Ephraim minorem natu collocaturus: ſiniſtram verò conuertit in dexteram ſuper Manaſſem primo loco natum filium Ioſeph. Gen. 49. Quare? Philo Iud. lib. 2. legis allegor. *Quia dextera ſymbolum eſt reconciliationis, & amicitiæ, quæ prius debetur Ephraim; nomen enim Ephraim memoriam non interruptam ſignificat diuinorum beneficiorum.* Ac ſi actione ipsâ oſtenderet, ſe in ſacrificio gratiarum ictaonis ob ipſum felicem obitum a Deo acceptum, decedere. Cur autem, vt referret pro beneficio gratias manus in Crucis imaginem admouit. Certè qui accepto beneficio, infirmitatis vinculis illigatus, non poterat ad Altare currere, ibi finxit Altare, ibi Templum extruxit, ad quod quidem impellit beneficij receptio. Redibit ſermo lib. proximo ad illud: *Et ſinite abire.* Gen 49. Philo.

SECTIO SECVNDA.

Iudæi confunduntur, & edocentur.

TEXTVS.

VERS. 5. Et reſpondens ad illos dixit: Cuius veſtrûm aſinus, aut bos in puteum cadet: & non continuò extrahet illum in die Sabbati? 6. Et non poterant ad hæc reſpondere illi. 7. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: 8. Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco; nè fortè honoratior te ſit inuitatus ab illo: 9. Et veniens is, qui te, & ipſum vocauit, dicat tibi: Da huic locum; & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere. 10. Sed cùm vocatus fueris, recumbe in nouiſſimo loco; vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi, Amice aſcende ſuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus. 11. Quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Confundit Dominus Phariſæos bouis & aſini in puteum excidentis ſimilitudine.

1. *Reſpondet ad eorum mentalem reſponſionem.* Et *reſpondens ad illos, dixit.* Ac ſi Phariſæi reſpondiſſent ad quæſtionem illam: *Si licet ſabbato curare?* minimè licerè inſtat Dominus ad eorum mentem reſponſionem dirigens, conuincens eos ex ipſorum factis, & ſumpto ſimul à maiori ad minus, & à minori ad maius argumento.

2. *Argumentum à maiori ad minus, & à minori ad maius.* *Cuius veſtrûm aſinus, aut bos &c.* Bos, & aſinus multo minoris, quàm homo erant, & illi in Sabbato bouem, & aſinum liberabant ſi in puteum cecidiſſent: cur ergo ipſe hominem non liberaret? Certè bouem, & aſinum è puteo extrahere multò maioris operis erat, quàm curare hominem eo præſertim modo, quo curabat Chriſtus, aut ſolo verbo, aut ſolo tactu, nullo opere, nullo labore, quæ ſola in Sabbato prohibebantur.

In puteum cadit. Rarò in puteum bos, & aſinus cadunt, vnde exiſtimo puteum pro foſſa poſitum. Græcè φρέαρ. In foſſam quidem boues & aſini animalia minimè habilia ſæpe excidunt. Maldonatus *ciſternam* expoſuit, quarum frequens vſus in Paleſtina. Lex extat, *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, incideritque bos, aut aſinus in eam, reddet Dominus ciſternæ pretium iumentorum* Exod. 21. Ex re igitur vſitatâ aſſumpſit exemplum. 3. *Puteum poſitum pro foſſa.* Exo. 21.

Quare, ais, illo Dominus exemplo potiùs, quàm alio fuerit vſus: Reſpondet Auguſtinus lib. 2. q. 1. Euang. cap. 29. & Beda, bouem, & aſinum, qui in puteum cecidiſſent, & hominem, qui hydrope laboraret, ſimiles eſſe Verùm enim nimio laborabat humore. *Congruenter* (ait Auguſtinus) *hydropicum animali, qui cecidit in puteum, comparauit; humore enim laborabat.* 4. *Cur bouis hoc & aſini Dominus exemplo vtitur?* Auguſtin. Beda.

5. Sentiam cum Maldonato & aliis nullam aliam fuiſſe

Præfata ha-rũ ſententiarũ præferendã ſãmenti Maldonati oſtendo.

Luc. 13.

fuiſſe cauſam, quàm *quod ea duo animalia maximè omnibus communia, & domeſtica eſſent, eorumque maior cura haberetur: Sicut cap. 13. ſimili in cauſa ſimili etiam eſt vſus exemplo. Hypocrita, ait, vnuſquiſque veſtrùm ſabbato non ſoluit bouem ſuum, aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare?* Profectò hoc ipſo ex loco à Maldonato inducto colligo Auguſtini ac Bedæ mihi hærendum ſententiæ quidem probabiliori. Nam loco citato non adduxit Dominus bouis, aut aſini ſimilitudinem, quia communia animantia ſolùm, ſed quia fœminæ ab infirmitate ſolutæ imaginem referebat. *Hanc autem* (aptè addit) *filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo iſto die Sabbati?* Quemadmodum igitur ibi vſus bouis & aſini communi exemplo ſolutionem componens ſolutioni: ſic in præſenti communi vtitur exemplo ex humore plenis excidentibus in puteum animantibus arguens ad humore hydropicum laborantem.

6\. *Taxat Dominus auaritiã Iudæorum.* Beda.

Adnotat Beda Dominum defendentem in Sabbato curationem illam, ſimul Iudæorum auaritiam taxare intendiſſe. *Hic obſeruatores ſuos Phariſæos conuincit ſic, vt eoſdem etiam auaritiæ condemnet. Si vos inquit in Sabbato aſinum, aut bouem, aut aliud quodlibet animal in puteum decidens eripere feſtinatis, non animali, ſed veſtræ auaritiæ conſulentes: quantò magis ego hominem, qui multò melior eſt pecore, debeo liberare?*

---

§. II.

De Parabola ad inuitatos circa primos recubitus.

7\. *Num propriè Parabola?* Maldon.

D*Icebat autem ad inuitatos Parabolam.* An Parabola propriè. Minimè. Sed aut Parabola vocatur, quia exemplo conuiuij, & moderationis in eo ſeruandæ, docet vbique ſeruandam humilitatem: aut (vt Maldonatus arbitratur) aliquam veram Parabolam Chriſtus propoſuit quam Euangeliſta prætermittens, deinde Parabolam ad auditorum vtilitatem accommodauit.

Exiſtimo Parabolam huiuſmodi ſententiam vocauiſſe eo ſenſu, quo Iob aſſumpſit *Parabolam ſuam*, id eſt, talia loquutus eſt. 8. *Cur vocetur Parabola.* Fateor tamen ad modum Parabolæ Dominum expreſſiſſe. Ac ſi diceret ad inuitatos: Homo erat paterfamilias, qui magnum extruxit conuiuium. Quidam ex inuitatis primum locum, quia indignus erat, occupauit; alius autem, qui meliore dignus erat, occupauit vltimum. Porrò qui eos inuitauerat, illum in inferiorem locum deiecit, hunc in ſuperiorem tranſtulit. Sic vobis faciendum, &c.

Intendens quomodo primos accubitus eligerent. 9. *Parabolæ & doctrinæ occaſio.* Igitur cùm Dominus ad menſam acceſſurus videret Phariſæos primos accubitus conuiuij ambire, vt eos edoceret humilitatem, illa ſubiunxit Parabolæ ſtylo documenta. Caietanus, *Occaſio Parabolæ deſcribitur attentio Ieſu ad modum, quo eligebant primos accubitus.* Caiet. Rogas num modus ille eligendi accubitus, quem intendit Ieſus, interior fuerit, an exterior? Reſpondet Cardinalis, *An fuerit interior affectus, an exterior aliquod ſignum, non explicatur.* Arbitror exteriori properatione ad primos accubitus obtinendos internum ſuperbiæ aut vanitatis affectum fuiſſe manifeſtatum. Nam cùm res tota mente geritur, aſſolet Euangeliſta adnotare. *Vt vidit cogitationes eorum,* &c.

Cum inuitatus fueris ad nuptias, &c. Parabola faciiis vtilis. 10. *Cur Chriſtus ad conuiuiũ veniſſet?* Declarat te ipsâ Chriſtus, quamobrem ad conuiuium veniſſet, non tam vt paſceretur, quàm vt doctrina ſalutari paſceret ipſos conuiuas.

Quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur. 11. *Parabolæ ſcopus.* Parabolæ en doctrina. Caietanus, *Ecce quò tendit Parabola, ad pœnam ſuperbiæ, & præmium humilitatis.* Caiet. Superbum deſcribit ex proprio actu: *Qui ſe exaltat.* Obiectum enim ſuperbi non eſt exterior gloria aut honor, aut quæcumque res alia: ſed ipſemet. Et ſimiliter obiectum humilis ipſemet eſt. *Propter quod* (Caietanus addit) *humilitatis virtus & ſuperbiæ vitium latuerunt Philoſophos; Euangelica ſiquidem eſt virtus humilitas: & diabolicum vitium ſuperbia. Quod enim alij laudant (hominem ſcilicet exaltare ſeipſum quantùm poteſt) Euangelica doctrina deteſtatur.*

IN IESVM MORBORVM MEDICVM.

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX IVDÆIS CONFVSIS, & edoctis.

Observatio I.

Ad illa verba:

Cuius veſtrûm aſinus, aut bos in puteum cadet: & non continuò extrahet illum in die Sabbati? & non poterant ad hæc reſpondere illi.

De luxuriei hydrope differens Dominus, aptè bouis ac aſini exemplum attexuit.

Voluptatum etenim amatores brutalitate laborant.

12. Taxatvrvs Dominus hydropem amantium voluptates, apte bouis, ac aſini meminit; nihil enim brutalius vitio illo quod homines commutat in beſtias. Vidimus in Commentario ſect. 1. Hydropicum typum gerere luxurioſi ob inextinguibilem ſitim voluptatum. Huiuſmodi ergò deliciarum amatoribus brutalitate laborantibus brutorum exempla dedicauit. Hi certè reſpondere non poterant, quia ſtultitiâ preſſi iumentorum.

13. Profectò luxuria meritò ſignatur in boue. Ezechielis Cherubini ſpecie ſua infeliciſſimum fingunt reorum ſtatum. Dixit Ioannes, *Omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt; & concupiſcentia oculorum; & ſuperbia vitæ.* 1. epiſt. 2. Luxuria, auaritia, & ſuperbia, iuxta Patrum expoſitionem, exprimuntur. Tria vidit Ezechiel animantia, quibus tria vitia apprimè deſignantur. Sub boue planè laſciuia notatur authore Hieronymo. *Porro libidinem, luxuriam, & omnium voluptatum cupidinem ponunt in pecore, id eſt, in vitulo, qui terræ operibus hæreat.*

Luxuria ſignatur in boue.
Ezech.1.
1.Ioan.2.
Hieron.

Quod vt oſtenderent Prophani, Iouem diuorum Principem ſub bouis ſpecie deſcripſerunt. Vnde ille:

Iupiter in bouem laſciuum declinauit.

Induitur faciem tauri, mixtúſque iuuencis
Mugit, & in teneris formoſus in ambulat herbis.

Cur tam bruto animante Diuorum ſapientiſſimum effinxerunt? Quia Nimpham Europam deperiit, & rapuit. Quando non bos qui carnis amans, fœno paſcitur, vt Propheta inquit, *Omnis caro fœnum.* At laſciuus nunquam non oſtentatur *in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Lycurgi temporibus (vt cum Plutarcho loquamur in Lacon.) tam longè aberant homines ab ea turpitudine, quæ poſtea inualuit, vt incredibile eſſet, adulterij crimen apud Spartanos inueniri. Vetuſtiſſimus hinc Spartanus rogatus ab hoſpite quodam, quid pœnarum darent apud Spartanos adulteri? Neque enim videre ſe quidquam ſuper hac re ſancitum à Lycurgo. *Nullus*, inquit, *ô amice, apud nos adulter eſt.* Cùm ille ſubiecisset, *Quid igitur, ſi exiſtat? Dabit*, inquit, *bouem tantùm.* Ac ſi diceret, Quid refert Lycurgum nullam impudico pœnam præſcripſiſſe, ſi ſufficientiſſimum ſit ſupplicium (licet nec Deus nec homines offenderentur) hominem in brutum commutari?

Ouid.
Plutarch.

14. Impudicæ fœminæ aiebat apud Stob. prudens ille: *Si te perſpicaci, ô pulchra, aſpectu dignoſceres, non mulierem quidem, ſed beſtiam aſpiceres.* Poſt delictum, effrænato parentum appetitu, *aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt ſe eſſe nudos.* Gen. 3. Vbi ex mente Interlinea. dignouerunt ſe nudos humanitate, brutalitate indutos ex appetitûs ad voluptates effrænatione. *Aperti ſunt*, inquit, *oculi eorum ad concupiſcentiam, & cognitionem beſtialis motûs.*

Videns ſe concupiſcentia preſſus, videns ſe brutalitate laborantem.
Stob.
Gen.3.
Interl.

15. Quid Propheta? *Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.* Ioël.1. Quid eſt in ſtercore computreſcere? D.Gregorius ad Pſal.50. *In ſtercore computreſcere eſt, carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire.* Aſinis hiſce Iſaias reſtim apponit, vt illigare valeat. *Et erit pro ſuaui odore fœtor, pro zona funiculus. Quia nimirum* (exponit Doctor) *laſciui praui operis fœtorem emittunt, qui abiecto cingulo caſtitatis, funiculum intexunt luxuriæ. De quibus dicitur per Prophetam, Væ qui trahit peccata ſicut reſtim longam.*

Laſciuus iumentum in ſtercore, reſte illigatum.
Ioël.1.
Gregor.

16. Septem ſe vidiſſe boues pulchras Pharao aſſeruit. *Putabat, ſe ſtare ſuper flumen, de quo aſcendebant ſeptem boues pulchræ.* Gen.41. Vbi D. Ambroſius premens verba illa: *Boues pulchra*

Boues pulchræ laſciuia.
Gen.41.
Ambroſ.

ebra, contemplari, & veſtigare intendit, quanam in re poſſet pulchritudo & bouina brutalitas colligari? & concluſit pulchras boues eſſe laſciuiam. *Et ſi non ego Ioſeph, vaccas tamen illas pingues laſciuiam arbitror figurare. Sicut ſcriptum eſt; Tauri pingues obſederunt me.* Vbi innuuntur vulnera, queis Dominus ex luxuriei brutalis impetu fuerat affectus.

Auaritia ſerpenti aſtuto, ſuperbia lynci perſpicaci ſignatur. At laſciuia ſtolido aſino. Pſ. l. 31. Iſidor. Clar.

17. *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus.* Pſal. 31. Ac ſi diceret, Nolite imperio ſubiici voluptatum. Auarus eſt ſerpens aſtutiſſimus ad diuitias comparandas. Ambitioſus, lyncis in morem, omnia cauet. At voluptatum amator cum ſtolidis boue & aſino computandus eſt. Iſidorus Clar. hom. 105. tom. 2. *Nihil ita obruit animum vt laſciuia carnis. Nam auaritiæ tantùm abeſt, vt obruat animum, quatenus pertinet ad ſolertiam, & malitiam, & prudentiam huius ſæculi, vt etiam faciat aſtutiſſimos. In eundem modum ambitio quid non circumſpicit? Quàm lynceos habet oculos? Quid non cauet? At quiſquis laſciuiis ſe, & vitiis carnis dedit, illud naturæ acumen, quo ſceleſti etiam homines vti conſueuerunt, amittit; vt de eo dici poſſit quod de ſue prouerbio dicitur, datam eſſe illi animam pro ſale. Homines enim huiuſmodi vt bos & aſinus animum depreſſum habent, & inflexum in ventrem, & ea, quæ ſub ventre ſunt.*

Auaritia in aquila oculata, ſuperbia in generoſo Leone exprimitur. At luxuria in boue ſtolido pecude. Ezec. 1. Caten. Græca in Ioan.

18. Ideo Ezechiel vitia tria ſuperbiam, auaritiam, luxuriam ſub diuerſis animantium formis aſpexit. Hominem vidit, aquilam, leonem, & bouem: ſed ita vt vnumquodque animans quatuor facies prætenderet. Cap. 1. Homo igitur leonis, aquilæ, & bouis gerens imaginem ſignificat (ex Patrum Græcorum apud Bernardum Felician. mente) animum omni concupiſcentiæ addictum. *Omne malum*, inquiunt, circa concupiſcentiam verſatur. *Arrogantia* (aut ſuperbia, aut ambitio) *dum ſupra omnes ſtare quiſpiam vult. Cædes partim ob auaritiam. Ac denum omnia, quæ exoſa Deo ſunt ex carnis concupiſcentiâ exiſtere conſueuerunt.* An non ſuperbia Leone exprimitur? Hieronymus lib. 1. cont. Iou. cap. 17. *Fuge cubilia Leonum, fuge ſuperbiam dæmonum.* Num non Aquila rapinæ addicta auaritiæ eſt ſimulacrum? Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. reddens rationem, cur Aquila à ſacrificiis relegata, ait: *Non veſceris Aquilà, accipitre, miluo, & coruo. Non adhærebis, neque aſſimilaberis his omnibus, qui labore, & ſudore neſciunt ſibi parare victum, ſed in rapina viuunt, & iniquitate. Aquila enim rapinam ſignificat.* Et cecinit ille:

Hieron.

Clemens. Alex.

Non aliter quam cum pedibus prædator aduncis
Depoſuit nido leporem Iouis ales.

At laſciuia (vt vidimus) boue ſignatur authore Hieronymo. Vnde in Iſidori Clarij illuſtrationem adnoto Leonem aſtutiſſimum, Aquilam perſpicaciſſimum animans ex ſuperbiæ, ex auaritiæ ſimulacro. O communis viuentium ſecularium lues laſciuia, animi obtundens acumen, hominem rationis participem cum Angelis brutaliſſimum adducens ad pecus!

Obſervatio II.

Ad illa verba:

Et non poterant ad hæc reſpondere illi.

Domino requirenti, an liceret Sabbato curare, Phariſæi iniqui reſpondere non poterant.

Stulta enim, & elinguis iniquitas.

QVID mirum non potuiſſe iniquos Phariſæos Domino requirenti, num licitum die Sabbati curare ægrotum, reſpondere, ſi iniquitas generat ſtultitiam, linguæque frænum apponit? Simile accidit apud Lucam noſtrum cap. 6. vbi Dominus conuincens eos, qui negabant licere Sabbato curare, ab eis reſponſionem minimè accepit. *Ipſi autem pleni ſunt inſipientiâ, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent Ieſu.* Id eſt, nihil omninò illi reſpondere potuerunt. Crimen enim animo ingerit ſtultitiam, linguæ ſilentium. 19. Luc. 6.

Conticet populus iniquus, quia reſpondere peccator non poteſt. Oſe. 4. Chald.

20. Obiicit Dominus populo Hebraico beneficia à ſe collata, vt conuincat errantes. Addit Oraculum. *Conticuit populus meus, quòd non habuit ſcientiam.* Oſe. 4. Chaldæus. *Inſipiens factus eſt populus meus.* Nil reſpondere potuit more ſtulti, & inſipientis, qui neque habet, nec ſcit quod loquatur. L x x. *Quaſi non habens ſcientiam.*

Confuſione perfuſus peccator, non reſpondes. Iere. 12. Theodor.

21. Ieremias præfatus, *Confundemini à fructibus veſtris.* Cap. 12. Id eſt linguæ veſtræ filiorum Adam in morem confundentur, ne poſſitis cauſam apud Dei tribunal defendere. Opera enim bona ſolent vocalia pro hominibus reſpondere. Theodoretus, *Quæ putatis illuſtrare vos, verbi gratia, opes, potentiam* (Phariſæos alloquor auaros) *hæc vos pudore perfundent, dum cauſam agetis apud Deum.* Ne ſcilicet obiicienti poſſitis reſpondere.

Lingua caret, qui caret operibus. Nyſſen.

22. Quomodo loquemini ſine linguâ? Quonammodo ſine operibus bonis vocem emittetis? An non agnoſcitis manus operum hominis eſſe linguam? Nyſſenus lib. de Opific. hom. *Manus datæ ſunt homini, vt meliùs loqueretur. Sunt enim hominis manus, quæ pro ipſo reſpondent, & rationem de illo reddunt.* Qui caret manuum linguâ, quonammodo poterit reſpondere?

Supplicio frænantur peccatorum linguæ, ne vana loquuti, poſſint cæleſtia loqui.

23. Non te pudet diſertum ad loquendum vana, non poſſe Domino reſpondere cæleſtis ſermonis ignarum? Hoc ſupplicium peccatorum, Domino reſpondere non poſſe, cùm tota die clamores effundant. *Venite* (inquit Deus) *deſcendamus, & confundamus linguas eorum.* Gen. 11. Vbi Chryſoſtomus appoſitè, *Vocis diuerſitate caſtigare volo iniquos.* Loquentur illi, vociferabuntur, ſed ſecularia colloquia texent, haud Deo poterunt reſpondere. Supplicium equidem iniquitatis eſt, tuam frænari linguam, ne de cæleſtibus proloquaris.

Obſer

Observatio. III.

Ad illa verba.

Intendens, quomodo primos accubitus eligerent.

Coram iniquiſſimis Phariſæis de ſola ambitione frænanda Dominus appoſite diſſeruit.

Omnium etenim criminum ambitio eſt radix.

24. *Concionator ex textu: crimina, è quibus alia, vt è radice, oriuntur.*

Redidissem coram iniquiſſimis Phariſæis inuidiâ, auaritiâ, reliquiſque vitiis probabiliter vulneratis de fœditate criminis in communi: de ſingulari delictorum malitia diſputaturum. Ambitionis vitium fugiendum Apoſtolis ſanctis doctrina eſt. *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Qui maior veſtrum eſt, fit veſter miniſter.* Cur ergo iniquiſſimis Phariſæis obticens iniquitates grauiſſimas, obiicit ſolummodo ambitionis malitiam? Profecto quia omnium malorum ambitio mater.

25. *Qui honoris cupiditate premitur, cunctis malis ſubiacerit.* 1. Tim. 6. Gregor.

Fatur Apoſtolus, *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* 1. Tim. 6. Ergo cupidus gloriæ, dominatus, & præcedentiæ, cunctis delictis implicabitur. Gregorius lib. 15. Mor. cap. 12. *Cum ſcriptum ſit, Radix omnium malorum cupiditas; cui cupiditas dominij dominatur, ſubiectus proculdubio malis omnibus demonſtratur.* Quodnam malorum radix?

26. *Innumera ambitioſi iniquitates.* Gregor. Leo.

Porrò Doctor egregius lib. 24. Mor. cap. vlt. ſcripſit. *Numerari culpæ nequeunt, quæ habendæ poteſtatis amore perpetrantur.* Numera, ſi potes, non ſtellas cœli, ſed tenebras, ſed culpas omnes, quibus miſerè Chriſticolæ fœdantur. Quis poſſit periuria, falſa teſtimonia, contentiones, detractiones, reliquaque crimina numerare? Omnia hæc ex infecta ambitionis radice germina conſpiciuntur. D. Leo 4. de Nat. *Mala omnia in Eccleſia Dei ambitio introducit tanquam eorum radix.* Cyprianus autem ſpeciatim lib. de zelo, & liuo. ait, *Hinc adulteratur veritas, vnitas ſcinditur; ad hæreſes atque ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis inuidetur, dum quis queritur non ſe potius ordinatum, aut dedignatur alium ferre Præpoſitum.* Quid plura? Orat. de Ieiun. & tentat. Pater adnectit; *Ambitio pernicioſa ſacrilegæ formæ nihil intentatum relinquit, in ſinu Sacerdotum dormit, ibi ſub vmbra recubat, in ſecreto calami ſe fraudulenter occultat.* En ambitioſum omnium malorum colligatio.

Cyprian.

27. *Videns ambitioſum haud temerè cogita contra Deum inſurgere.* Gen. 11. Bernar.

Quid mirum, ſi diabolum ſe effecit omnium criminum patrem? Curantibus Adæ filiis turrim extruere ambitionis dæmoniacæ documentum, Deus inclamat, *Venite deſcendamus, & confundamus linguam eorum.* Gen. 11. An timeat Deus, ne imperio ſpolietur ab homine? Profectò ambitioſi facinus eſſet futurum Deum ſpoliare dominatu, ſi poſſibile vtique eſſet. Vnde Bernardus epiſt. 126. *Quomodo ſtabit pax hominum coram Deo, ſi Deo non poteſt apud homines eſſe tuta ſua gloria?* Hac exaggeratione ambitionis exprimens diabolicum ingenium.

28. *Ambitioſus, ingratus, crudelis, nequiſſimus eſt peccator.* 2. Reg. 1. Abul.

Ambitioſus es? Nullum à te crimen exulabit. De cæſis Saul miles nunciauit Dauidi Saulem, & Ionatham interiiſſe. 2. Reg. 1. Vbi Abulenſis quæſ. 4. quærit, cur iuuenis ille auſus fuiſſet Dauidi nunciare dilectiſſimi Ionathæ necem? Reſpondet. *Ideo iuuenis mortem Ionathæ renunciauit, de aliis filiis nihil curans, quia licet ſuperuiuerent, non poterant Dauid impedire, ne regnaret.* Solus poterat impedire dilectus Ionathas, cui Dauid lubens imperium renunciaret. Salue ô Rex, cui Imperium occiſis Saule, & dilecto Ionathâ, præparatum. Iam requiro, quonammodo non timuit nuncium peſſimum de neco Ionathæ Dauidi renunciare? Certè quia exiſtimans Dauidem ambitioſum Regni, conſequenter eum ingratum, crudelem, ſanguinolentum, denique omnium flagitiorum reum adiudicauit.

29. *Ambitioſus peſtis Reipublicæ.* Plutar.

Pulchra admodum Plutarchi in vita Iulij Cæſar. ſententia: *Cautum erat apud Romanos, vt triumphum ambientes toto ambitionis tempore extra muros fierent.* Timebant enim ambitioſum hominem tanquam communem peſtem, quaſi hoſtem horribilem, qui non de hoſtibus triumphans Rempublicam ornaret: ſed comminuere irruens aggrederetur.

LIBER

LIBER DECIMVS.

MORTVI SVSCITATI.

PARS PRIMA.

LAZARVS.

Paraphraſis, Commentariíque literales ad Caput vndecimum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum defunctorum ſuſcitatorem.

PROLVSIO.

MARTHÆ & Mariæ ſororum nuncio Dominus apud Iudææ fines in quos perſecutionem hoſtium fugiens deceſſerat, accerſitur, vt Lazaro fratri, Bethaniæ morbo languenti opem afferret. Sed conſultò moras nectens Apoſtolis hominem dormire ſignificat, qui iam fato conceſſerat. Præbuit ea mors repetendæ Iudææ occaſionem, etſi cauendam Diſcipuli proclamarent. Venit ergo Bethaniam quarto die, ex quo Lazarus reconditus in monumento fuerat, & deploratum iam ſe reuocaturum ad vitam pollicetur. Poſt fiduciam ſororibus ingeſtam, poſt turbationem & lacrymas in ſe prouocatas à mortuis Lazarum excitauit. Quâ re permoti ex Iudæis complures ſpectatores colla fidei Chriſti ſubdidere. Bernardus tract. de grad. humil. grad. 12. exclamat, *O ſanctæ mulieres Chriſti familiares, ſi fratrem veſtrum amatis, cur eius miſericordiam non flagitatis, de cuius potentiâ, & pietate diffidere non poteſtis? Reſpondent, ſic meliùs tanquam non orantes oramus. Scit ipſe, cui non eſt opus, vt aliquid dicatur, quid deſideremus.* Cur poſtulet Maria ex mente Chryſologi Materni nominis baiula, ſi illud ipſum adſtare, efficaciter deprecari ſit Filio ſpectatori? Canebat Dauid, Adſtitit Regina à dextris tuis. An loquatur preces pro ſuo populo effundens? Imo iubetur populum obliuiſci: *Obliuiſcere populum tuum.* Nec enim opus te proclamare pro defuncto, ſi aſtantem cernens Dominus, quid deſideres intuetur.

Vitalis ligni Chriſti Admirabilis, *ſiue miracula gerentis,* FRVCTVS DECIMVS.

Bernard.

IOANNES Cap. XI.	PARAPHRASIS.
VERS. 1. ERAT qaidam languens Lazarus à Bethania de Caſtello Mariæ & Marthæ ſororum eius.	1. *DVM apud Iordanem Ieſus commoraretur, accidit, vt in Oppido Bethaniâ morbo quidam Lazarus nomine decumberet. Hæc erat patria ſimul & eius, qui morbo tenebatur, & duarũ ſororum Mariæ, & Marthæ.*
2. Maria autem erat, quæ vnxit Dominmn vnguento, & extersit pedes eius capillis ſuis: cuius frater Lazarus infirmabatur.	2. *Porrò Maria erat illa; quæ inſigni amoris erga Dominum teſtimonio, illius in conuiuio decumbentis pretioſo inunxit vnguento pedes, ac pedes alibi lacrymis irrigatos capillis exterſit. Vnde cum hac familia ſingularis amicitia Chriſto Domino intercedebat.*
3. Miſerunt ergo ſorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.	3. *Cùm ergo Lazarus graui morbo periclitaretur, freta familiaritate ſorores ad illum immittunt, qui amici morbum renunciarent: non dubitantes, quin pro ſuâ in omnes humanitate, amico periclitanti ſuccurreret. En quem amans, ægrotat. Satis putant amanti nunciâſſe.*
4. Audiens autem Ieſus dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloriâ Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.	4. *Queis reſpondit Ieſus, Morbus hic capitalis non eſt, ſed ideo permiſſus accidere, vt per eius occaſionem gloria Dei illuſtretur: & huius virtute depulſo malo, mutuâ gloriâ Filius Dei efferatur.*
5. Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum.	5. *Amabat autem Ieſus Martham, ac Mariam, harúmque fratrem Lazarum: & tamen hunc Ieſus paſſus eſt in morbum, & in mortem incidere; ne nobis videretur indignum, ſi quando pietatis cultores à calamitatibus affliguntur.*
6. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.	6. *Poſtquam igitur renunciatum eſt, quod iam ipſe dignouerat, non ſtatim proficiſcitur, ſed eodem in loco biduum adhuc eſt commoratus. An negligens amici periculum? Certè copioſius argumentum edendi miraculi expectans.*
7. Deinde poſt hæc dicit Diſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterum.	7. *Diſcipulis autem metu tacentibus, quod nuper elapſus è manibus Iudæorum in deſerto tutior eſſe videretur, Ieſus inquit, Eamus rurſum in Iudæam.*
8. Dicunt ei Diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?	8. *Nomine Iudeæ exaudito, memores Diſcipuli, quàm eſſet atrox Phariſæorum odium in illum, Domine, inquiunt, num excidit tibi, quòd antè paucos dies illic Iudæi te lapidaturi fuerant, niſi te ſubduxiſſes?*

9. Reſpon

9. Reſpondit Ieſus : Non-ne duodecim ſunt horæ diei ? Si quis ambulauerit in die non offendit : quia lucem huius Mundi videt.

9. Ieſus autem ænigmate eorum formidinem conſolatus eſt, dicens : Non-ne dies habet horas duodecim? Non veniet nox antè tempus ſuum. Interim quiſquis in die ambulauerit, non offendit, ſeu impingit: ſiquidem præſtat illi Sol conſpectus, vt videas, vitétque offendicula.

10. Si autem ambulauerit in nocte, offendit; quia lux non eſt in eo.

10. At quiſquis ſublato Sole, ambulat in nocte, impingit, eo quòd luce careat. Ego ſum lux Mundi, meum ductum vos ſequi par eſt; non luci præire. Nolite metuere ante tempus.

11. Hæc ait: & poſt hæc dicit eis : Lazarus amicus noſter dormit; ſed vado, vt à ſomno excitem eum.

11. Iam cauſam aperit profectionis. Lazarus amicus noſter dormit: vado autem vt à ſomno illum excitare valeam. Diſcipuli metu perturbati, Ieſum non de morte, ſed de ſomno vulgari locutum ſuſpicantur.

12. Dixerunt ergo Diſcipuli eius : Domine, ſi dormit, ſaluus erit.

13. Reſpondent, Domine, ſi dormit, non eſt cur eò te conferas, nam in ægrotis ſomnum ſignum aſſolet eſſe rediture ſanitatis documentum.

13. Dixerat autem Ieſus de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione ſomni diceret.

13. Itaque Diſcipulis non intelligentibus, quòd de ſomno, & expergefactione dixit, vt cognoſcerent, nihil rerum occultarum ipſum latere.

14. Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſtè, Lazarus mortuus eſt.

14. Apertiùs ait, Lazarus mortuus eſt: nec addidit, quod iam dictu magnificentius erat de excitando : id ſignificatum eſſe maluit, quàm explicatũ humilitatis ergo.

15. Et gaudeo propter vos (vt credatis) quoniam non eram ibi; ſed eamus ad eum.

15. Gaudeo, (addit) quòd ibi non adfuerim, dum amicus ægrotat, ac moritur, ídque veſtrâ causâ; vt veſtra fiducia, quam adhuc video imbecillem, euidentiori miraculo confirmetur.

16. Dicit ergo Thomas, qui dicitur Dydimus, ad Condiſcipulos, Eamus & nos, & moriamur cum eo.

16. Sollicitis Diſcipulis, nec audentibus iuſſum Domini detrectare, Thomas, qui Græcis dicitur Didymus, Latinè geminus, cæteris imbecillior-ne, an fortior? ait, Eamus & nos, ſi ita certum eſt, vt moriamur cum illo.

17. Venit itaque Ieſus: & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.

17. Profectus eſt igitur cum Diſcipulis Ieſus in Bethaniam, ac reperit Lazarum quatriduò iam ſepulturæ addictum.

18. (Erat autem Bethania iux-

18. Aberat autem Bethania ab Ieroſolymis ſtadys plus minus quindecim. Hinc

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I. Z Diſci

ta Ieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim.)

Diſcipulis illa formido: hinc occaſio, quæ fecit, vt miraculum plures haberet ſpectatores.

19. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt conſolarentur eas de fratre ſuo.

19. *Si quidem ob loci viciniam complures eò ex Ieroſolymis confluxerant, vt Mariam, & Martham de fratris deceſſu conſolarentur. Quod officij genus diuitibus honoris gratiâ, præcipuè præſtari conſueſcit.*

20. Martha ergo vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat.

20. *Sedula Martha vbi reſciſſet ex quopiam, Ieſum aduentâſſe, illi obuiàm prodijt: Maria autem ſe domi continebat.*

21. Dixit ergo Martha ad Ieſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.

21. *Maria ergò vbi in Ieſu conſpectu apparuit, nonnullâ ſpe de fratre ad vitam reuocando conceptâ, flebili voce dixit: Domine, niſi hinc abſuiſſes, frater meus non eſſet mortuus; nam facilè morbum dicto depuliſſes.*

22. Sed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.

22. *Quamquam nec nunc quidem res omninò extra ſpem. Scio enim quòd quidquid à Deo popoſceris, nihil tibi ſit negaturus, etiamſi ſepulto vitam flagitaueris.*

23. Dixit illi Ieſus: Reſurget frater tuus.

23. *Vt autem Ieſus fœminæ fiduciam confirmaret, ait: Bono animo eſto, frater tuus reuiuiſcet.*

24. Dicit ei Martha, Scio, quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die.

24. *Scio (inquit Martha) quòd frater meus ſit reuicturus; ſed in die nouiſſimâ, cum omnes reſurgemus.*

25. Dicit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio, & vita; qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet.

25. *Marthæ Dominus hunc in modum reſpondit: Ego ſum reſurrectionis, & vitæ fons, qui mihi per fidem adhæreſcit, etiam ſi corpore fuerit mortuus, tamen vitâ fruetur.*

26. Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?

26. *Nec hoc de fratre tuo tantùm dictum accipias: ſed quiſquis mortalium fiduciam in me habuerit, non morietur in æternum. Martha credis-ne quod aſſerui?*

27. Ait illi: vtique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc Mundum veniſti.

27. *Martha iam tota intenta fratri reuicturo, non admodum aptè ad Ieſu ſermonem reſpondit; ſed profeſſa eſt, quàm magnificè de ipſo ſentiret. Ego, ô Domine, credo te eſſe illum Meſſiam Filium Dei viui, qui promiſſus à Prophetis, ac multis iam ſeculis in Mundum veneris expectatus.*

28. Et cùm hæc dixiſſet, abiit, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens: Magiſter adeſt, & vocat te.

28. *Illis dictis, Martha iuſſa domum redire, ac Mariam ſororem accerſere, iam luctu ſedato, ſpe conceptâ alacris, domum properat, ſororem è turbâ circumſedentium clàm ſeuocat, eique clanculum rem latans in aurem inſuſurrat: Magiſter adeſt, & vocat te.*

29. Illa

29. Illa vt audiuit, ſurrexit citò, & venit ad eum.

29. Illa vt cognouit aduenire Ieſum, abſque mora ſurrexit, occurſura priùs, quàm in domum ingrederetur.

30. Nondum enim venerat Ieſus in Caſtellum: ſed erat adhuc in eo loco, vbi occurrerat ei Martha.

30. Nec enim tunc Dominus gratum inierat hoſpitium, ſed adhuc eo loci, vbi occurrerat Martha, (quæ ſedulitate quadam ambulabat) commorabatur.

31. Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exiit, ſequuti ſunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.

31. Expediebat multos Phariſæos adeſſe, qui quanquam officij gratiâ Mariam ob priuatam amicitiam viſiſſent, & Martham: tamen oderant Ieſum. Iudæi itaque qui Mariæ aderant in ædibus conſolantes eam, cùm vidiſſent, quod tanta celeritate ſurrexiſſet, comitati ſunt illam domum exeuntem, ſuſpicantes, quòd vi doloris erumpente, ad monumentum pergeret, vt lacrymis animi mœrorem ſatiaret. Teſtis miraculo præparatur inuidia; ex inimica ſalus.

32. Maria ergo cùm veniſſet, vbi erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei, Domine, ſi fuiſſes hîc, non eſſet mortuus frater meus.

32. Progreſſa Maria reperit Dominum nondum oppidi mœnia ingreſſum. Simulátque eum conſpicata eſt, accidit ad pedes, & lacrymabili voce profatur: Domine, ſi in tempore hûc adfuiſſes, frater meus viueret, & hoc lacrymabili luctu careremus.

33. Ieſus ergò, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum.

33. Ieſus autem videns Mariam totam in luctu eſſe, Iudæos item, qui illam comitabantur, vnà flentes, infremuit ſpiritu, ac ſemetipſum turbauit, humanæ naturæ veritatem præ ſe ferens, mox diuinum indicium prolaturus. Quàm iuſtè patientis lacrymæ exigunt lacrymas compaſſionis.

34. Et dixit, Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei, Domine, veni, & vide.

34. Vbi, inquit, poſuiſtis eum? non quod ignoraret, ſed vt à miraculo omnem ſuſpitionem fuci ſecluderet. Reſpondent cognati, Domine, veni, & vide.

35. Et lacrymatus eſt Ieſus.

35. Ea vox arguebat non procul eſſe monumentum: iámque velut ad ſepulchrum commonſtratum renouato dolore Ieſus eſt lacrymatus.

36. Dixerunt ergo Iudæi: ecce quomodo amabat eum.

36. Credentes Iudæi Ieſum ſic affici ob mortem amici, & non ob hominis miſeriam, En, inquiunt, quàm vnicè dilexerat Lazarum, cum ſic flet mortuum, cùm illi ſanguine iunctus non eſſet.

37. Quidam autem ex ipſis dixerunt, Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur.

37. Aderant autem & qui id verterent in calumniam, fautes: Non-ne hic nuper cæci nati lumina aperuit, quicum nihil erat illi familiaritatis? Cur non effecit, ne tantus moreretur amicus?

38. Ieſus ergo rurſùm fremens in ſemetipſo venit ad monumen-

38. Iam ergo Dominus monumento vicinus, quo planè doceret, horrendum eſſe hominis ſtatum peccatis inueterati, rurſus infre-

tum. Erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei.

muit, atque ſcipſum turbauit. Ventum ad monumentum. Erat ſpelunca, cuius os ſaxo impoſito erat occluſum.

39. Ait Ieſus, Tollite lapidem. Dixit ei Martha ſoror eius, qui mortuus fuerat, Domine, iam fœtet, quatriduanus eſt enim.

39. *Ad cognatos conuerſus, Tollite (ait Ieſus) lapidem. Augebat & miraculi certitudinem Marthæ ſimplicitas; oblita, quid ei pollicitus eſſet Dominus. Verebatur, ne ſublato lapide, fœtor cadaueris diffunderetur. Domine, inquit, fœtet; hic enim eſt quartus dies, quo mortuus eſt.*

40. Dicit ei Ieſus, Non-ne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?

40. *An excidit, (Ieſus inſtat) quòd tibi modò dixi: Si credideris, futurum, vt per fratris tui mortem Dei gloria illuſtretur?*

41. Tulerunt ergò lapidem. Ieſus autem, eleuatis ſurſum oculis, dixit, Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me.

41. *Cunctis igitur ad nouæ reì miraculum ſuſpenſis, iuſſu Domini ſublatus eſt lapis. Mox Ieſus ſuſpiciens in cœlum edocet, quidquid magnificum à nobis geritur, ad Deum autorem oportere referri. Pater, inquit, ago tibi gratias, quod votum meum audieris.*

42. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis: ſed propter populum, qui circunſtat, dixi; vt credant, quia tu me miſiſti.

42. *Non quòd hoc mihi nouum ſit; noui enim, quòd cùm eadem ſit voluntas tua, meáque, nunquam non audis, ſi quid à te peto. Nec enim ego quidquam volo, quod tu nolis: ſed ob turbam circunſtantem hâc vtor oratione: vt conſpecto miraculo, credant me à te in Orbem terrarum immiſſum, cuncta ex tua gerere voluntate.*

43. Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamauit, Lazare, veni foras.

43. *Hæc Patri eloquutus, magna voce declamans euocat mortuum: Lazare, prodi foras. Magna vox magnæ virtutis documentum. Peccatrix anima in tenebris criminum ſepulta vocis magnæ indiget terrore.*

44. Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Ieſus, ſoluite eum, & ſinite abire.

44. *Haud mora, ſtatim ad inclamantis vocem ſub omnium prodijt oculos, qui fuerat mortuus, ac ſepultus. Prodijt autem corpore ſano, cum toto tamen ornatu ſepulchrali, quò magis omnes agnoſcerent hunc eſſe, quem tali cultu ſepelierant. Erant iuxtà funerum conſuetudinem inſtitis pedes illi deuincti, manus ſepulchralibus vinculis colligatæ, facies obuincta ſudario. Soluite, inquit, eum, & ſinite abire: Vt alacer inceſſus oſtenderet hominem non ſolùm viuere, ſed valere.*

45. Multi ergò ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum.

45. *Multi tandem, qui officij gratiâ ad Martham venerant, & Mariam, eam inſigni conſpecto prodigio, crediderunt illum eſſe Meſſiam adhærentes illi, cuius virtutem ſpectauerant.*

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Domini ad Bethaniam aduentus.

TEXTVS.

Vers. 1. ERat quidam languens Lazarus à Bethaniâ de Caſtello Mariæ,
& Marthæ ſororum eius. 2. Maria autem erat, quæ vnxit Do-
minum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis: cuius fra-
ter Lazarus infirmabatur. 3. Miſerunt ergo ſorores eius ad eum, dicentes,
Domine, ecce quem amas, infirmatur. 4. Audiens autem Ieſus, dixit eis: In-
firmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloriâ Dei: vt glorificetur Filius Dei
per eam. 5. Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & La-
zarum. 6. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem
loco duobus diebus. 7. Deinde poſt hæc dicit Diſcipulis ſuis, Eamus in Iudæam
iterum. 8. Dicunt ei Diſcipuli, Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, &
iterum vadis illuc? 9. Reſpondit Ieſus, Non-ne duodecim ſunt horæ diei? Si
quis ambulauerit in die non offendit: quia lucem huius Mundi videt. 10. Si
autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non eſt in eo. 11. Hæc ait: &
poſt hæc dicit eis, Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado, vt à ſomno excitem
eum. 12. Dixerunt ergo Diſcipuli eius, Domine, ſi dormit, ſaluus erit. 13. Di-
xerat autem Ieſus de morte eius; illi autem putauerunt, quia de dormitione ſom-
ni diceret. 14. Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſtè, Lazarus mortuus eſt. 15. Et
gaudeo propter vos (vt credatis) quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.
16. Dicit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, Eamus & nos, & moriamur cum
eo. 17. Venit itaque Ieſus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento ha-
bentem.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Lazaro, & ſororibus.

1. *De Bethania Caſtello.*

ERat *quidam languens Lazarus.* Languore Lazarus tenebatur Bethaniæ, Caſtellum, ſeu Vicus Marthæ & Mariæ ſororum Lazari ægrotantis. Iacebat Vicus ille prope Ieroſolymam ad montis Oliueti radicem per milliaria duo ferè diſtans ab Vrbe. An Caſtellum de earum dominio fuerit: an verò dictum earum, quia in eo illæ exortæ? Incertum omnino. Ego tamen probabilius duxerim de earum dominio Caſtellum extitiſſe, inibíque frequentius commorari.

2. *Num eadem Maria de qua Ioannes, & de qua alij Euangeliſta.*

Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, &c. An eadem ſit Maria, cuius meminit Ioannes, & de qua alij Euangeliſtæ ſcripſerunt? Apud Lucam cap. 7. dicitur peccatrix, Dominíque pedes inungens, & tergens: cuius Matthæus, & Marcus memoriam geſſere. Eſt-ne Lazari, ac Marthæ ſoror? Quidam tres, (*Tres Mariæ.*) quidam duas, quidam autem vnam, & eandem eſſe contendunt. Nam Origenes tract. 35. in Mat. tres (*Orig.*) eſſe probare contendit. Conſentientibus Chryſ. hom. 61. in Ioan. Niceph. lib. 1. Hiſt c. 27. & aliis. (*Chryſ. Niceph.*) At Hieronym. Matth. 26. Chryſ. hom. 81. in Mat. (*Duæ Mariæ. Hieron.*) & alij multi duas eſſe contendunt, vnam, cuius meminit Ioannes; alteram, de quà alij Euangeliſtæ memoriam geſſerunt. Fauet locus Clementis Rom. lib. 3. Conſt. (*Chryſ.*) *Erant nobiſcum Mater Domini, & ſorores eius: præterea Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Martha, & Maria ſorores Lazari.* Porro eandem eſſe ſentiunt, cuius (*Vnica Maria.*) diſtinctas hiſtorias diuerſi Euangeliſtæ, & diuerſis in locis deſcripſere. Auguſtinus lib. 2. de Conſ. cap. 78. & 79. Innocentius lib. 2. de Sacram. Altar. cap. 56. Gregorius hom. 33. in Euang. (*Auguſt. Innoc. Gregor.*) Cùm Lucæ c. 7. Mariæ pœnitudinem expoſuero, vberiùs rem diſcutiam.

3. *Authoris hæc eſt ſententia, quæ probatur ex Ioanne.*

In præſenti mihi ſufficiat Eccleſiæ authoritas, vt vnicam Magdalenam affirmem. An non apertè Ioannes aſſerit hanc eſſe illam, *quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis?* De hâc Matthæus & Lucas aſſerunt fuiſſe peccatricem. Obiicis Ioannem loquutum de vnctione Bethaniæ poſtmodum peragendâ, præteritum apponens pro futuro. Solent quidem Euangeliſtæ vti anticipatione, ſed non quando ipſimet narraturi ſunt, quæ per anticipationem dicuntur. Vndè exiſtimo veram cauſam, ob quam, hæc dixit Ioannes, eſſe, vt oſtendat eam eſſe Mariam quæ quando iſta facta ſunt, iam Domini pedes inunxerat in domo Simonis, cuius hiſtoriæ meminit Lucas c. 7. Ac ſi diceret Ioannes, Hæc Maria Lazari ſoror illa eadem eſt, quæ antequam hoc geſtum eſſet, quod narrare aggredior, pedes Domini inunxerat, & capillis in domo Simonis. exterſerat, & cui Dominus peccata remiſerat.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

§. II.

De ſororum ad Dominum legatione.

MIſerunt ergo ſorores eius ad eum, dicentes, Domine, ecce quem amas infirmatur. Par-
4. *Breuis, ac prudens nunciũ.* ticula, *Ergo*, indicat cauſam, cur ſorores ad Dominum nuncium immiſerint; nempè cùm frater ægritudine vexaretur. Diſtabat locus, vbi tunc aderat Chriſtus, ſcilicet Bethabara a Bethania Lazari, iter duorum ferè dierum, quantum probabile eſt Dominum ſolitum conficere. Breue quidem, ſed prudens nuntium. *Domine* honoris causâ dicitur; honore enim præuenimus, quos rogamus. *Ecce infirmatur*, Vox ſignificantis, & nouum facientis, quod ignoràſſe eum arbitrabantur. *Quem amas*, cauſa eſt impetrandi. Cùm enim ſubuenire poſſis, & ames, te ſubuenturum ſperamus. An non accommodatius dicerent, en qui te amat infirmitate premitur? Auguſtinus lib. de catech. rudib. cap. 4. *Rudis*
Auguſt. *eſt animus, qui dilectionem, quam nolit impendere, nolit rependere. Poterant ergo dicere, ecce quî te amat, infirmatur.* Ita Luc. 7. factum. *Dignus eſt, vt hoc ei præſtet; diligit enim gentem noſtram.*
Luc. 7. Profectò dum dicunt, ecce quem amas, Lazari erga Dominum dilectionem profitentur. Amat enim Dominus Lazarum, quia ab ipſo, Dei auxilio, diligitur: at prior diligit nos, qui id præſtat, quo poſſimus diligere, ideo profantur: ecce quem amas.

Cur non rogant Dominum, vt ſe itineri accingat, vt ſubueniat ægrotanti? Reſpondet Gre-
5. *Cur non petunt, vt accedat Dominus?* Gregor. Tolet. gorius lib. 6. Mor. cap. 17. *Amor etiam mentes pigras ad opus excitat, nec calcaribus indiget.* Toletus, Hac ratione *non rogant, vt ſanet; amantis electioni omnia prudenter committunt.* Equidem non tantùm fidei, quantùm prudentiæ humanæ hoc in nuntio reor ineſſe: tanquam enim ad merum hominem nuntium immittunt, eum certiorem facientes quaſi neſcium infirmitatis.

6. *Expenditur Saluatoris ſenſus.* *Audiens autem Ieſus, dicit eis: infirmitas hæc non eſt ad mortem.* Τὸ *dixit eis*, innuit duos, vel plures fuiſſe immiſſos; ſignificat ergo ſibi iam fuiſſe notam infirmitatem, dum cauſas ipſius aperuit. Deinde ſe Dei filium profitetur, adiiciens: *Vt glorificetur Filius Dei per eam.* Conſolatur denique ſanitatem promittendo. Lazarus mortuus non eſt ſicut ex infirmitatibus reli-
Auguſt. qui moriuntur ægroti non ampliùs hoc in ſeculo victuri, citò enim fuit ad vitã reuocatus. Auguſtinus, Rectè dicit, *Infirmitas hæc non eſt ad mortem; quando nec ipſa mors fuit ad mortem; habet enim mors duo, vnum eſt, animam a corpore ſeparare, & compoſitum diſſoluere; alterum eſt, vitæ huius ſæculi finem imponere.* Infirmitas Lazari ad mortem fuit, quia anima eius à corpore ſeparata eſt: ad mortem autem non fuit, quia terminus huius vitæ non fuit; nam iterum eſt corpori coniuncta.

7. *Quid pro gloria Dei, & glorificatione Filij Dei?* Auguſt. *Sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* Auguſtinus Tract. 49. aſſerit particulam vnam eſſe alterius declarationem: illudque Dei ad Filium referri: cùm enim dictum ſit, *Pro gloria Dei*, explicat, *vt Filius Dei glorificetur per eam.* Fauet, quia non adeſt aliqua diſtinguens particula; non enim dictum eſt. *Pro gloriâ Dei, & vt glorificetur Filius Dei per eam.* Hilarius lib. 9. Trini. Ambroſius lib. 4. de fide Hilar.
cap. 6. & Chryſoſtomus hom. 61. priorem par- Chryſ.
tem ad Patrem, poſteriorem ad Filium referunt. *Infirmitas eſt pro gloria Patris, vt glorificetur Filius per eam: gloria enim Filij Patris gloria eſt.* Alij hanc partem, *vt glorificetur Filius Dei per eam*, de Filij paſſione expoſuerunt: quia hoc miraculum in causâ fuit, vt Iudæi mortem Chriſto omnino inferre decernerent. Nos au- *Authoris placitum.*
tem exponimus de eâ glorificatione, quæ per miracula facta eſt, quâ Chriſtus Mundo ſuam diuinitatem manifeſtauit. Quod maximè in hoc miraculo effectum, de quo dicitur, Totus Mundus vadit poſt eum.

§. III.

De Chriſti commoratione, & profectione.

DIligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum. Quorſum 8. *Cur ſit mentio amoris Ieſu erga Lazarum, & ſorores?*
Ioannes amoris Chriſti erga hos fratres mentionem geſſerit? Primò, ne quòd non ſtatim ad ſanandum profectus fuerit, ſed duobus expectâſſit diebus, vllus adſcriberet voluntati, quaſi noluerit; ſed myſterio, vt maius miraculum, & illuſtrius excitaretur. Tum vt verum eſſe, quod ſorores dixerant, confirmaret: *Ecce quem amas*; amabat enim Lazarum, & ſorores eius. Cæterùm vt amorem hunc, & dilectionem, qua eas Chriſtus proſequebatur, notam fidelibus relinqueret. Denique quia ex notitiâ dilectionis huius aliqua quæ narranda ſunt, manifeſtiora redduntur.

9. *Quonammodo eos diligeret?* Quonammodo autem Dominus Lazarum, & ſorores diligebat? Toletus reſpondet, *Vt Deus, & vt homo.* Vt Deus quidem dilexit non ſolùm dilectione illâ quâ ſic dilexit peccatores, vt pro eis homo fieret: ſed quâ diligit iuſtos. Vt homo autem naturali amore, quia familiares erant, & in hoſpitium eum ſoliti recipere. Addo morali dilectione eos propter honeſtatem amaniſſe, quia ſtudioſi valde. Charitate etiam diligebat propter Deum ipſum, ſicut & alios homines, quos charitate amabat.

10. *Quonammodo hi duo dies computandi?* *Vt ergò audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.* Quonammodo hi duo dies computandi? Chryſoſto-
mus hom. 61. & Euthymius putant ab illo die, Chryſ.
quo nuncius venit, alios duos expectâſſe, Euthym.
& quarto veniſſe: mortuum autem Lazarum fuiſſe eodem die, quo nuncius aduenit. Arbitror nuncio accepto, duos dies Dominum expectâſſe, illum nempe, quo nuncium accepit, quando Lazarus mortuus proculdubio eſt, & ſequentem: tertio autem Diſcipulis dixiſſe Lazarum mortuum, eodémque die tertio profectum in Iudæam: ac quarto demum mortis, & ſepulturæ Lazari perueniſſe, & ſuſcitâſſe. Aliqui affirmant, non eodem die mortuum, & ſepultum; quia quatuor dies habentem in monumento Chriſtus inuenit. Ego autem eodem die *Quid ſentiã.*
ſepultum aſſero; nam Martha fœtorem corporis obiiciens, quatriduanum eſſe dixit. Ad fœ-

torem

rorem autem à morte ipſâ dies numerantur. An non ſæpe eodem mortis die cadauer humo traditur præcipuè cum in principio diei ægrotus excedit?

11. *Ad profectionem in Iudæã inuitat.* Niſſen.

Deinde poſt hæc, dixit Diſcipulis ſuis, Eamus in Iudæam iterum. Tranſactis diebus duobus (vt aſſerit Nyſſenus lib.de crea.hom.cap.26.) Diſcipulos vt iterum ſecum veniant in Iudæam, inuitat. Erat enim Bethania in Iudæa. Sciebat Dominus timiditatem eorum, ideo id prædicit; & vt ignauiam tacitè arguat; & ne,re inſperatâ, turbarentur poſtea,quando in Iudæam perueniſſent.

12. *Diſcipulorum metus.*

Dicunt ei Diſcipuli, Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? An conſulerent Chriſto? Sanè, ſed magis ſibi. Sæpe charitatis ſpecie erga proximos res agimus noſtras. Particula *Nunc* idem hîc, quod *Paulo antè*,nam in feſto Encæniorum proximè elapſo, Iudæi Chriſtum lapidibus voluerunt vulnerare. Cap.10.

13. *Facilis hominum mutatio.*

Reſpondit Ieſus, Non-ne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius Mundi videt: ſi autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo. Miſſis tribus myſticis Chryſoſtomi, Ambroſij, & Auguſtini interpretationibus,memoro recentiorum ſententiam affirmantem verba eſſe prouerbialiter dicta ad ſignificandum mutationem facilem hominum; temporis enim variatione mutantur. Duodecim ſunt horæ diei, & non ſemper homo in eadem voluntate perſiſtit: ſed quod manè cogitat, veſpere mutat. Probarem expoſitionem, ſi verba ſequentia non duriuſculè ſenſui aptarentur.

14. *Authoris expoſitio.*

Me igitur interprete, huius ſenſus metaphoræ: Dies duodecim horas habet, & qui ambulat in vnâ earum, etiam ſi vltima ſit, quia adhuc lux eſt, & nondum tenebræ ſuperuenerunt, ſecurè ambulare poteſt ſine offenſionis periculo: nam in quæ impingi ſolet, manifeſta ſunt, & declinare facilè vnuſquiſque poteſt. At quando nox aduenit, minùs ſecurè homo ambulat: cùm enim deficiente lumine offendicula non videantur, facilè impingit. Duodecim diei horis tempus vitæ ſuæ Dominus ſignat, quando nemo ei nocere, nec eum comprehendere potuit; quia quæ diſpoſuerat ſecundùm diuinum beneplacitum, omnia erat completurus. Noctem verò tempus paſſionis appellat, de quo dixit, *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Erat quidem vicina nox, quia Paſſionis tempus inſtabat: tamen adhuc erat hora diei, quando nemo ei poterat nocere, nec in eum manus iniicere. Similis ſententia Luc.13.

15. *Cur mortem ſomnum appellarit?*

Hæc ait, & poſt hæc dicit eis, Lazarus amicus noſter dormit; vado, vt à ſomno excitem eum. Cur mortem ſomnum appellauit? Cùm quia citò erat ſuſcitandus, tum vt facilitatem indicet, quâ mortuos ſuſcitaret. Facilè vobis excitare dormientem? Tam facile mihi mortuos ſuſcitare. Amicum communem appellat; Meus, & veſter amicus dormit. Quare? Vt amici causâ obiectâ, facilè eos ad viam excitaret. Sunt enim pro amicorum cauſis pericula contemnenda.

16. *Loquuti Diſcipuli ex dicto vulgari.*

Dixerunt ergò Diſcipuli, Domine, ſi dormit, ſaluus erit. Si dormit, non indiget ampliùs medicamine, non redeas ad Iudæam. Non certa medicinæ regula; ſomnus enim aliquando mortis indicamentum. Scio tamen ægritudines eſſe, in quibus ſomnus recuperandæ ſalutis perſpicuum eſt indicium. Sed reor Diſcipulos loquutos non ex peritiâ medicinæ, ſed ex vulgaris dicti prolatione.

Dixerat autem Ieſus de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione ſomni diceret. Quonammodo Diſcipuli potuerint concipere, tantum itineris, tam periculoſum voluiſſe Dominum conficere, vt à ſomno communi eum excitaret? Chryſoſtomus & Euthymius reſpondent Diſcipulos putâſſe, Chriſtum in ænigmate fuiſſe locutum. Aptius aſſero ſententiam Diſcipulorum conſiderandam tanquam hominum imperfectorum, & qui nondum Chriſti fidem, & notitiam, vt par erat, fuerant aſſecuti. Quod timiditas ipſorum, & difficultas redeundi cum illo in Iudæam ſatis indicabant. 17. *Sententia Diſcipulorum imperfectione laborantium.* Chryſ. Euth.

Tunc ergo Ieſus dixit eis, Lazarus mortuus eſt. Particula *ergo* illationem ex præcedentibus indicat, nempe quia non intellexerunt verborum ſenſum; idcirco ſine metaphorâ, vt intelligerent, expreſſit. 18. *Mors Lazari exprimitur.*

Et gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. An gaudet Dominus de Lazari morte? Toletus, *Gaudere licet in malis, quæ hominibus à Deo immittuntur, non propter eorum malum, ſed propter eorundem, aut aliorum ſpiritualem ſalutem, aut profectum, quando per ea ad Deum conuertuntur, aut in melius proficiunt.* Attamen coniungendum eſt vltimum verbum primo: Gaudeo me ibi non adfuiſſe, & hoc propter vos, vt credatis, & audientes me abſentem obitum prædixiſſe, & eum videntes à me ad viuos reuocatum: quod, ſi à me inibi commorante ſanatus fuiſſet, minimè videretis. 19. *Quodnam Domini gaudium?* Tolet.

Sed eamus ad eum. Sicut nos ægrotos inuiſimus, Chriſtus inuiſit mortuos. Tam facilè enim ei mortuis vitam, quàm ægrotis conferre ſanitatem. Inſinuat Dominus, velle ſe eum ad vitam reuocare, veluti aliquis à ſomno excitatur ad vigiliam. 20. *Chriſtus mortuos inuiſit, ſicut nos ægrotos.*

Dicit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos, Eamus & nos, & moriamur cum illo. Verba dilectionis erga Chriſtum eſſe reor, & fortitudinis. Dilectionis quidem, quia ſine Chriſto vitam propriam contempſit; fortitudinis, quia à periculo, quod animo conceperat, non retardabatur, quo minus Magiſtrum ſequeretur. Attamen fidem imperfectam video, nondum enim virtutem, & potentiam Chriſti, quâ eos poterat à quolibet liberare periculo, agnoſcebat, putans in reditu ad Iudæam moriendum. Thomas *Didymus* dictus à Græcis, quod apud Latinos *Gemellus*, ſeu qui ſimul cum fratre exoritur. De quo tom.4. diſſeruimus. 21. *Dilectionis verba, ſed imperfectæ fidei.*

Venit itaque Ieſus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Cum eodem die monumento Lazarus fuerit addictus,quo deceſſerat, dies aderat à morte, & monumento quartus, quum Dominus Bethaniam peruenit. 22. *Dies quartus mortis, & ſepulturæ.*

IN IESVM DEFVNCTORVM SVSCITATOREM.

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX DOMINI AD BETHANIAM aduentu.

Observatio I.

Ad illa verba.

Ecce quem amas infirmatur.

Lazarus peccatoris gerens perſonam, propitio Numine, ægritudine afficitur.

Se etenim tunc hominis amicum Deus oſtendit, cum delinquentem corripit: inimicum autem, cum nos impunè delinquere ſinit.

23. LAZARVS languens, & mortuus peccatoris Patribus exponit imaginem. Quomodo ergo amicus vocitatur: *Ecce quem amas. Lazarus amicus noſter dormit, Ecce quomodo amabat eum. Diligebat Dominus Martham, Mariam, & Lazarum.* Peccator amicus: Profectò Deus tunc peccatoris ſe amicum admodum profitetur, quum illum corripit, ac vulnerat delinquentem: vt vexatus ægritudine reſipiſcat; ſicut ſe inimicum maximè oſtentat, dum impunè ſinit delinquentem. Duplici puncto confirmabo.

Capvt Primvm.

Amicus Deus peccatorem diuexat.

24. *Puniens delinquentes Deus inſtat correctioni. Tertul.*

FAtur Deus, *Ego quos diligo, caſtigo.* Vbi Tertullianus de Patien. *O ſeruum illum beatum, cuius emendationi Dominus inſtat! cui dignatur iraſci, quem admonendi diſſimulatione non decipit. Ego, inquit, quos diligo caſtigo.* Magnum equidem dilectionis diuinæ documentum eſt, ſupplicio affici peccatorem, puniens enim delinquentis inſtat emendationi.

25. Dauid cecinit, *Deus, tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.* Pſal. 98. Nihil adinuenerunt, vt ſuæ indulgerent voluptati, in quo non ſupplicio ſpeciali afficerentur. O Dominum hoſtiliter iratum! Imo ô amicè aduersùs delinquentes commotum! Quàm propitius cùm iraſcitur, ſi miſericors peccatori pœnitenti curat ignoſcere! Bernardus ſerm. 42 in Cant. *Non enim cum neſcio, ſed cum ſentio te iratum, tunc maximè confido propitium. Etenim cùm iratus fueris miſericordiæ recordaberis.* Pondera illas particulas, *Propitius fuiſti eis, & vlciſcens.* Puniuit Dominus Moyſem & Aaron, quorum ſupplicij Rex Vates memoriam gerit; hoc autem vocat aptè propitiationem, quia affecti ſuppliciis ad mentem meliorem acceſſerunt. Bernardus addit, *Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens. Moyſem loquitur, & Aaron, quos modò puniuerat: & hoc vocat propitiationem, quòd eorum Deus non pepercit exceſſibus.*

Propitius, & amicus vlciſcitur Deus, quia peccator corrigitur. Pſalm. 98. Bernard.

Ieremiæ ex ore Conditor, *Dolore, & flagello caſtigaberis, vt nō abſcedat anima mea abs te.* cap.... Illud, *Non abſcedat anima mea*, indicat Dominum adhuc amicum, dilectio enim cordium eſt còpulatio. *Conglutinata eſt anima Ionathæ, & Dauidis.* Non dubium, quin à peccatore Dominus abſcedat, ſed qui clamat, *Vt non abſcedat anima mea abs te*, oſtendit quaſi erga adhuc amicum ſe gerere Conditorem: illudque delinquentem puniri, idem quodammodo eſſe, ac Dominum ab homine non receſſiſſe. Origenes hom. 8. in Exod. *Vide miſericordiam, & pietatem amici Dei, quando vult miſereri, indignarè ſe dicit, & iraſci, ſicut per Ieremiam dicit. Dolore caſtigaberis, vt non diſcedat anima mea abs te. Hæc ſi intelligis miſerantis, & amici Dei vox eſt.* 26.

Non abſcedit Deus à peccatore, qui corripitur ſupplicio. Iere. Orig.

Quàm amica vox illa, *Excoquam ad purum ſcoriam tuam*, Dominus inquit, Iſai. 1. An non ignis vi ſcoria excoquitur? Ita planè, ſed ad puritatem aſſolet excoqui, quod quidem Dei amici eſt perſpicuum documentum. D. Baſil. *Sic peccatoribus indignatur Deus, vt eos beneficentiâ ſuâ afficiat. Neque enim ad extremam inanitionem eos plectit, ſed caſtigat ad purum, ſeu ad morum correctionem.* 27.

Excoqui ut ad puritatem amicitia documentum eſt. Iſai 1. Baſil.

Si Deus amicus quodammodo adhuc apud hominem delinquentem cùm punit perſeuerat, magnam reor fælicitatem eſſe non mereri miſericordiam, quia id ipſum præſtantiſſima miſericordia eſt. Per Ezechielem Conditor, *Non parcet oculus meus, nec miſerebor.* cap. 8. Vbi Hieronymus. *Magna interdum fælicitatis eſt, miſericor-* 28.

Fælicitas eſt, miſericordiâ non mereri. Ezech. Hieron.

miſericordiam non mereri. Non dixit, Miſericordiam non accipere, ſed *non mereri*. Ac ſi diceret, Ipſum delictum, quo miſericordiam non meremur, quodammodò eſt fælicitatis; quia ipſa punitio præſtantiſſima eſt miſericordia.

CAPVT SECVNDVM.

Inimicus Deus non punit peccatorem.

29. *Magna Dei ira, quando non iraſcitur: occidere vult Sponſ.* Ezech 16. Hieron.

DElinquenti Ieroſolymæ Dominus minitatur, *Propterea diſcedet zelus meus à te, & non iraſcar vltrà ſuper te*. Ezech. 16. Copula illas particulas: *Non iraſcar*, *Diſcedet zelus meus*. Cùm iraſcitur Deus, zelo accenditur erga peccatores, vt reducat. At ab irâ cadere, idem eſt, ac zelum extingui. Hieronymus ad Pſal. 14. *Magna eſt ira Dei, quando nobis non iraſcitur*. Delinquit ſponſa, coniuge zelatore: competitur iniquitas, vulgatiter expono. (*Zelos aueriguados*,) non zelat maritus, ſiue zelus extinguitur, quia coniugem delinquentem internecioni dedicat. *Ira magna Dei*, quum non iraſcitur, (addit Doctor) reſeruat enim nos ſicut vitulum in occiſionem, Audi quid Sponſæ Ieroſolymæ Deus: *Ad Ieruſalem enim dicit*, *Multa ſunt peccata tua, & multa iniquitates: propterea non iraſcor tibi*. Sic Hieronymus.

30. *Miſereri aliquando ſupplicium eſt.* Iſai. 26. Bernard.

Alibi Deus, *Miſereamur impio, & non diſcet facere iuſtitiam*. Iſa. 26. Quia ſicut non miſereri Dominum delinquentium, pœnitudinis doctrina eſt: miſereri peccanti occaſio eſt vberioris iniquitatis, quia delinquens incolumis non diſcit. Bernardus ſerm. 42. in Cant. *Tunc magis iraſcitur Deus, quando non iraſcitur. Miſereamur, inquit, impio, & non diſcet facere iuſtitiam. Miſericordiam hanc ego nolo: ſuper omnem iram miſeratio iſta eſt ſepiès mihi vias iuſtitia.*

31. *Cum non viſitat Dominus ſuper iniquas filias, adulterio mortem minitatur.* Oſe. 4. Orig.

Num non ab inimiciſſimo Numine ſententia illa profunditur: *Propter hoc non viſitabo ſuper filias veſtras, cùm fornicantur.* Oſe. 4. τὸ *Propter hoc*, ponderatione libra. Propter quid ô Domine, non viſitabis ſuper filias delinquentes? Quia extremo ſupplicio curo peccatrices miſeras addici, vt ſine correptione intereant. Origenes hom. 8. in Exod. *Vis audire indignantis Dei terribilem vocem? Audi, quod dicit per Prophetam: Propter hoc non viſitabo ſuper filias veſtras, cùm fornicantur. Hoc eſt terribile, hoc extremum, cùm iam non corripimur delinquentes.*

32. *Ira indignationis Dei corripimur, cum crraſtes non punimur: quia eſt ira miſericordiæ.* Pſal. 37. Ambr.

Expendit Vates, *Miſit in eos iram indignationis ſua*. Pſalm. 37. Si ira eſt, indignationis eſt neceſſariò; quare ergo iram indignationis appellauit. Certè eſt ira indignationis, & ira miſericordiæ: indignationis ira eſt illa, quando peccatores ob commiſſa delicta non puniuntur, non emendantur; at miſericordiæ ira eſt, cùm punitione ad correctionem afficiuntur. Cùm igitur Deus punit miſericors oſtenditur, cùm parcit ſeueritatem præ ſe fert. Ambroſius, *Scit iraſci, qui Author eſt legum, cui terrendi eſt voluntas, non puniendi. Imitamini ergo Imperatores exemplum diuinum, vt ſitis in exigendis ſuppliciis miſericordes*. Id eſt exigite ſupplicia; tunc enim vos plenos miſericordiâ ſubditis corrigendis exhibebitis.

Aiebat Ariſtoteles lib. 10. Ethic. *Oportet malos prouocare ad virtutes per pœnam; inſanabiles totaliter exterminare*. Deſperatos quidem. Tanquam deſperata ſalus illius, qui dignus ſupplicio non habetur. Horatius Epiſt. libr. 1. epiſt. 17. 33. *Pietas ſine miſericordia aliquando eſt, non corripi delinquentes.* Ariſt. Horat.

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœna.

Ergo ſi impius à formidine pœnæ ex irati admodum Numinis indulgentiâ, ſeu taciturnitate, (*lento gradu ad vindictam ſui diuinâ procedente irâ vt earditatem ſupplicij tardi grauitate compenſet*. Valer. Maxim. lib. 1.) liberatur, effrenatè delinquit. O pietas ſine miſericordia.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Lazarus amicus noſter dormit.

Quàm illuſtre Lazari elogium eſt, à Domino amicum appellari!

Vnde iuſtus, cuius vel vocari ſeruum, eximia laus eſt, ſuam dignitatem agnoſcat.

GLORIAM hominis miror, quum illum exaudio Dei amicum appellari: nec quonammodo id ſermone exornem, vnquàm inueni. Certè famuli, aut ſerui appellatio vulgaris cum ſit creſcit adeò ſi *Dei* addatur particula, vt mirum in modum præſtantiſſimos viros exornet. Famulus eſt Dei, Dei eſt ſeruus. O elogium ineffabile! Quid ſi Dei amicus valeat appellari? 34.

Auguſtiſſimus ille Ioſue, poſt egregia geſta, poſt Solem & Lunam obſequentem; poſt innumeras hoſtium copias extinctas; poſt fidem Dei nominis propagatam, obiit. Porro conatus Textus Sacer eum poſteritati tradere honore cumulatum, eiúſque opera mirificè laudare, ſic ſcripſit. *Mortuus eſt autem Ioſue Filius Num, famulus Domini*. Ioſ. 2. Epitaphij loco elogium hoc: *Famulus Domini*, quæquæ egregia complectens. Quanta id dignitas? Vulgarem exiſtimas? mediocrem? magnam? ſupremam? Infinitam-ne audeam vocitare? Audi Hieronymum. *Infinita dignitas eſt, ſe dicere, eſſe ſeruum Domini*. 35. *Infinita dignitas, ſerui eſſe Domini.* Ioſ. 2. Hieron.

Quàm dulce mihi Dauidicum inſonat carmen! *O Domine, quia ego ſeruus tuus, ſeruus tuus, & filius ancilla tua*. Pſal. 15. Vbi particula, *ſeruus tuus* ex mente Hieronymi appoſita eſt, prout opponitur ſeruo peccati; ac ſi diceret: Iam peccati ſeruus non ſum. *Grandis dignitas* (ait Doctor) *eſt, & meriti, non eſſe ſeruum peccati*. Adde ſpecialiſſimam Dei ſeruitutem: Non ſolum iuſtus ille peccati ſeruus non eſt, ſed accuratiſſimũ (virtutum exercitamento) Deo impendit obſequium: quanta dignitas? An non ex grandi ad infinitam aſcendit? 36. *Grandis dignitas eſt non eſſe ſeruum peccati: quid ſpecialiſſimè ſerui eſſe Dei?* Pſal. 5. Hieron.

Poſt

37. *Iuſto iucunda aſſentatio eſt, Dei ſeruū ſe vocatum exaudire.* Dan. 3.

Poſtquam mente euolui, quónammodo poſſem aſſentari alicui, quem vellem mihi admodum conciliari, nullam auguſtiorem aſſentationem excogitare valui, quam ſi illum ſeruum Domini appellarem. Edoctus fui à Rege illo Babylonico, qui poſtquam tres adoleſcentes igni traditos vidit ab igne minimè abſumptos, curans eos rurſum ad ſe attrahere, dixit: *Serui Dei Excelſi, egredimini.* Dan. 3. Vbi diuus Chryſoſtomus hom. 8. ad Eph. 4. *Vocem vocauit iucundiſſimam, ſciebat ſe eâ maximè aſſentari. Si aſſentari cupis aptiùs eos Reges, aut totius Orbis Dominos compella.* O prudens aſſentator! *Non ſi eos vocaſſet Reges, non ſi Dominos Orbis terræ, non tantâ eos affeciſſet voluptate, quantâ cum eis dixit: Serui Dei excelſi, egredimini.* Si aſſentatione cupiebat demulcere, allicere ad ſe adoleſcentes, ſeruos Domini appellans, eos magnâ afficit voluptate. Liceat vulgari idiomate exponere. *Oiendo que les llaman ſiernos de Dios, ſe dan por liſongeados.*

Chryſ.

38. *S. Paulus honoris gratia non Apoſtolum, ſed Dei ſeruum appellat.* Phil. 1.

Vt autem conſtet hoc titulo Diuos maximè affici voluptate non eos Dei ſeruos appellemus, ſed ipſos audiamus, cùm ſe ad maiorem Dei gloriam (ex Numinis interna præſcriptione) commendare conantur. Paulus Gentium Doctor, Eccleſiæ Apoſtolus antonomaſticè, de ſe ſcribit, *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti.* Phil. 1. Cur non ſe appellauit Apoſtolum? An humilitati ſtudens? Certè nominis celſitudini, ad bonorum ædificationem, reproborúmque ſupplicium, ſe Dei ſeruum appellauit. Chryſoſtomus, *Nec ponit ſuum Magiſterij nomen, ſed aliud quiddam illúdque magnum: ſeruum ſe ipſum nominat, non Apoſtolum.*

Chryſ.

39. *Deus ipſe curans iuſtos maximè honorare, ſeruos vocat ſuos.* Iſai. 44.

Dices ab hominibus titulum huiuſmodi eſſe impoſitum, qui pro ſeculari ſtatu non poſſunt vel præſtantiam plenè cognoſcere, vel ſine humilitatis prætextu loqui, aut ſcribere. Profectò cùm Deus ipſe amiciſſimum virum conatur mirum in modum extollere humilitatis exaltator, præmij largitor, ait: *Nunc audi Iacob, ſerue meus, & Iſrael, quem elegi.* Iſa. 44. Vbi Hieronymus aſſerit Dominum ad Apoſtolorum innumerorum, ſeu Euangelij miniſtrorum exercitum dirigere ſermonem. An non alius præcelſior titulus excogitari poterat in tot Procerum nouæ Eccleſiæ commendationem? *Vbi ad Apoſtolorum chorum,* (ait Pater) *qui ex Iudæis eſt, ſermonem facit, iunguntur & herum nominum priuilegia.* Quorumnam, precor, nominum? *Serue meus.* Serui appellatio tanta eſt? Tanta equidem vt per priuilegium vel fideliſſimo Iacob imponatur: *Iunguntur & nominum priuilegia.*

Hieron.

40. *An maius ſit priuilegium ſeruum Dei appellari quā ad gloriam eſſe electum.* Iſai. 44. Hieron.

Expende illas particulas: *Iacob ſerue meus, Iſrael, quem elegi.* Primum poſuit ſeruum ſuum, deinde electum. Vt aſſerat priuilegium duplex, & ſeruitutis, & electionis: priuilegium ſeruitutis primò apponitur, ſecundariè autem electionis ad gloriam priuilegium. Hæc Hieronymus *nominum priuilegia* vocitauit. Ita-ne? Priuilegium ſeruitutis electionis priuilegio auguſtiſſimo eſt præponendum? *Audi Iacob* (loquor cum eodem Doctore) *ſerue, & Iſrael, quem elegi. Vt prima ſit ſeruitus, ſecunda electio.* Meritò Pater ſeruitutem hanc infinitam appellauit dignitatem, ſi ipſi ad gloriam electioni ſit præponenda: ſi poſt ſeruitutem electio ſecundum priuilegium eſt: ſi quodammodo ſit appellari Dei ſeruum auguſtius, quàm ad gloriam eſſe electum: ſi ſeruire maius ſit quàm regnare: quid quando Chriſtus hominem non iam ſeruum, ſed appellat amicum? *Lazarus amicus noſter.* O ineffabile elogium! ô veracius dignitas infinita!

Observatio III.

Ad illa verba.

Lazarus amicus noſter dormit.

Vt Lazarus valeat Chriſti amicus appellari, neceſſaria-nè conditio eſt diuexari laboribus?

Vbi oſtendo Diuos cunctos Confeſſores licèt, Martyres eſſe quodammodo.

Si aliquando tibi perſuaſiſti, ſolummodo vexari laboribus, vel qui premuntur iniquitate, vel qui pœnitudinis ſtudio deducuntur: operæ pretium eſt te ab huiuſmodi cogitatione excidere; innocentia etenim & crucifera incedit, & crucifixa nunquam non hîc obmoritur. Vndè ſi amicus Dei verè ſis vocitandus, grauiſſimis tentandum perſecutionibus non dubites. Commune argumentum vno aut altero ſpeciali teſtimonio roborabo. 41.

42. *Abraham nondum infantem prolem exhibere, ſed [...] Dei dignatum, quam Labore redemit.* Gen. 22.

Abrahamo viro ſanctiſſimo poſt peregrinationem, poſt ſterilitatem, poſt iurgia, poſt bella difficillimum imperium indicitur. *Tolle filium tuum, quem diligis Iſaac, &c.* Geneſ. 22. Pergit Patriarcha, alligat vnigenitum, gladium ſtringit. At Dominus pro filio Abrahæ Filium ſuum vnigenitum offerendum ei tradidit in ariete. Ac ſi diceret: (ex mente Baſilij Seleuc.) cum filius tuus erat offerendus, meus offertur vt tuus, quia amicorum omnia ſunt communia. Acquiſiuit-ne Patriarcha amici Dei appellationem? Ita planè, ſed pretio magno exhibito, nempe proprij filij oblatione, imo ipſius Filij Dei traditi ſibi cruento ſacrificio. *Natura fluctus* (ait Præſul orat. 7.) *in virum iuſtum ſuſtollit; vt amicitia diuina nundinatorem mireris.* Poſt egregiarum virtutum exercitamenta vir iuſtus euaſit. At vt amici Dei titulo auguſtiſſimo frueretur fluctus naturę aduerſæ contra iuſtum hominem à Deo concitantur: amicitiæque diuinæ nundinator exurgit. Quonam pretio hunc titulum redemit? Oblatione filij ſui, oblatione, inquam filij Dei, quo donatus eſt, vt pro tanto theſauro poſſet pretium infinitum offerre. Quàm aptiùs Hieronymus de amico Dei facto Abrahamo diceret, quod de Dei ſeruo dixerat Obſeru. præcedenti. *Infinita dignitas eſt ſe dicere eſſe ſeruum Domini.* Infinita dignitas eſt (dixerim) eſſe amicum Domini, ſi pretio infinito comparatur.

Baſil. Seleu.

Hieron.

Recenſens

43. *Solummodo apud Paradiſum Martyres videntur, quia quamuis omnes Diui Dei amici ſint, Martyrio coronati videntur.* Apoc. 6.

Recenſens Ioannes quoſnam aſpexerit cæleſtis Templi habitatores, ait: *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Apoc. 6. Quæris an inibi aliæ Sanctorum animæ adeſſent? Omnes diuos vidit Apoſtolus. Cur ergo ſolummodò ſe vidiſſe interfectorum animas affirmauit? Certè, quia omnes beati Dei amici (quibus fælicitatis æternæ ipſe propinat voluptatem: *Bibite amici, & inebriamini chariſſimi,*) ad Martyrum collegium quodammodo ſunt referendi. Nec enim poſſent amicorum Dei titulo decorari, ſi laborum, ac tribulationum gladio interempti non fuiſſent. Aſpiciens itaque Apoſtolus cunctos beatos, ſolummodò Martyres aſpexit, quia cuncti Dei amici ad interfectorum numerum attinent. Tertullianus lib. de anima. *Ioanni in ſpiritu Paradiſi regio reuelata nullas alias animas apud ſe præter Martyrum oſtendit. Quia nullis romphæa Paradiſi ianitrix cedit, niſi qui in Chriſto deceſſerint.* Solùm Cherubim Paradiſi ianitor Martyres admittit, cum Confeſſores, & Virgines ſimul tendunt ad ianuam; quia quicumque amici Dei titulo ornatur, neceſſariò purpurea Martyrij veſte, ex laborum ſuſtinentia, induitur.

Tertull.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Lazarus amicus noſter dormit.

Lazarus laboribus præmiſſis, meruit Dei amicus à Domino appellari.

Vbi oſtendo, frequenter nec per inſtantis interſtitium cruciatus ſeparari à iuſtitia.

44. *Labores diſponunt ad gratiam, & ipſam cuſtodiunt.*

CVM lego verbum, *dormit* ſuppoſitum nomini, *Amicus noſter*, exiſtimo ſanctitatem iuſtitiæ præmitti, mox ſequi laborum tolerantiam; ſed cùm recolo verba illa: *Ecce quem amas, infirmatur*, recognoſco ſimul incedere iuſtitiam, & laborum cruciatus; ne vel inſtantis breui interſtitio iuſtus à laboris ſuſtinentiâ vacet. Profectò tam inſeparabilis iuſtitiæ comes eſt labor, vt priuſquam iuſtitiæ animus addicatur ditioni, cruciatus præmiſſi diſponant hoſpitium; ne ſcilicet iuſtitia, aut ſanctitas poſſit ſine cruciatuum ſuſtinentiâ exiguo temporis inſtanti manere.

45. *Prius Crux in animo imprimatur, quã ſigillũ amoris exprimatur.* Apoc. 7. Rupert. Ambr.

Ioannes ait, *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis habentem ſignum Dei viui: & clamauit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datũ eſt nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quo ad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Apoc. 7. Vbi Rupertus exiſtimat Angelum hunc eſſe Dei filium in quo eſt æternæ charitatis ſignaculum. Et Ambroſius lib. de Iſaac, & anima, cap. 8. *Ipſe eſt ſignaculum noſtrum, quod eſt charitatis inſigne.* Quamnam formulam imprimit in nobis id ſignaculum? Crucem equidem. Crux ipſa ſignaculi eſt expreſſio, ſignaculum autem Chriſtus eſt, Dei charitas eſt. Præmittitur Crucis ſtigma, vt non poſſit in nobis charitas, ſeu amicitia cum Deo inita aſpici, quin Crux ſiue laborum ſuſtinentia videatur.

46. *Cruciat Deus homines, vt obſequentes amet: non amat, vt cruciet.* Gen. Greg.

Ioſeph Beniaminum diligebat, fratres cunctos amabat, hos quidem curans adducere ad pœnitudinem, illum ex vtero eodem procedentem nunquam non ſibi gratum. Affirmat Gregorius laborum cruciatu iniquos ex venditione fratres ad meliorem ſe mentem adduxiſſe; vnde Ioſeph Dei gerens perſonam pœnitentes exciperet, obſequentes amaret. Iam requiro, an præceſſerit amor, vel cruciatus? Aſſero cruciatum præceſſiſſe, ne vel vnicum inſtans amor ſine cruciatu illorum animum poſſideret. *Scyphus* (ait hom. 22. in Ezech.) *in ſacco iunioris fratris abſconditur, furti poſt eos quæſtio mouetur. Mittitur vt reducantur addicti, in ſeruitutem decernitur, apud quem ſcyphus fuiſſet inuentus. In ſacco vltimi fratris inuenitur. Tunc Beniamin reducitur, afflicti omnes fratres ſequuntur. O tormenta miſericordiæ! Cruciat, & amat.* Cur non dixit, amat, & cruciat? Quia amor Dei ſine cruciatu non incedit: neque cruciatus iuſtorum ſine charitate. Cruciat, quia intendit amare; præmittit cruciatum, vt impendat amorem; licet autem prior Crux ingredi molitur, Dei amor pediſequus tam properè ingreditur, vt ſimul perueniſſe, ſeu conueniſſe videantur.

47. *Ionam reducturus Deus, cruciatum præmiſit, mox gremio charitatis excepit.* Ion. 2.

Curat Deus in obſequentem Prophetam auerſum, & fugientem reducere. *Præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam. Et erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum.* Cap. 2. labores Ionam inſequuntur, apprehendunt, vt eum ad Dominum adducant, qui quidem mox imperauit piſci, vt Prophetam iam ſanctum in aridam immitteret. Cur à ceto abſorbetur? Certè, vt præcederet Crux, gratiam ſequuturam; ne gratia ſine cruciatu vel inſtantis interſtitio appareret. Irenæus lib. 3. cap. 22. *Dominus ſuſtinuit patienter abſorberi Ionam à ceto, non vt abſorberetur, & periret; ſed vt euomitus magis ſubigeretur Deo,* (Iam ſubactus aſſumptus, qui magis ſubigitur euomitus) *& plus glorificaret Deum.* Pro gloriâ enim Dei cruciatibus homines tentantur. Illud verbum *ſuſtinuit*, preme. Ex mente enim Patris Deus miſericordiæ impatientia, quæ moras non ſuffert, conabatur mox Ionam olim amicum ad obedientiam reducere. At ſuſtinuit patienter expectare, donec cruciatus amorem præueniret, ne charitas ſine cruciatu ingreſſa eſſe videretur. O labores & diſponentes ad charitatem animum, & ipſius comites in cuſtodiam!

Iren.

Obser

Observatio V.

Ad illa verba:

Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum.

Ex hoſpitij frequentis operibus, ex eleemoſynæ frequentis obſequio Dominus Lazarum, & ſorores amabat.

Frequens enim Eleemoſyna licèt paruula amoris diuini conſiliatrix eſt.

48. Tolet. TOLETVS exponens cauſam, cur Dominus hoſce fratres dilexiſſet, ait: *Diligebat hos Chriſtus naturali amore, quia familiares erant, & hoſpitio ſoliti eum recipere.* Elemoſynæ enim opera frequentia maximè Dominum ad amorem alliciunt. *Et hoſpitio ſolitæ eum recipere.* Non ſemèl, aut iterum ſolummodo receperunt hoſpitio Saluatorem, ſed ſolitæ erant eum excipere frequenter ad Bethaniæ caſtellum accedentem.

49. *Miratur Elias, fœminam hoſpitio excipientem frequenter Dominum in paupere, vexari laboribus.* 3.Reg.17. Baſil. Seleu. Dei ſpiritum imitatus Elias, quem frequenti hoſpitio vidua illa excepit, & pauit. Huius filio immaturâ morte arrepto, clamauit Propheta: *Etiam-ne Viduam, apud quam ego vtcumque ſuſtentor afflixiſti, vt interficeres filium eius?* Baſilius, Seleu. orat. 11. *Dubius hærebat tanto in caſu Elias, & hoſpitalitatem mulieris admiratus, inuenis pueri mortem vnam diuinarum contra ſe machinarum eſſe. Deo accedit ſupplex: Hei mihi, Domine, etiam-ne Viduam afflixiſti? Video, quo me machinamento petas.* Ac ſi diceret, Me & Viduam pueri immaturâ morte affligis. Aduersùm me machinamentum hoc exiſtimo moueri, non contra Viduam; námque te in me hoſpitio toties recepto non debebat filij deſiderio affligi. Vnde concludo ô Domine certiùs eſſe, me immaculatum hoc cruciatu probari, quàm Viduam frequentem eleemoſynæ largitricem filio orbatam dilectiſſimo. Hinc colligo ad viuos aduocandum infantem, vt iuſtus ſine eleemoſynæ largitricis incommodo probatione afficiatur. Pondera particulam: *Etiamne Viduam?* Non credit Viduam afflictam à Deo, ſed dubitat, ſed requirit. Quodammodo enim impoſſibile videtur eam, quæ frequenter hoſpitio excipit Saluatorem, incommodis aliis iuſtis communibus affici: vt appareat eleemoſynarius ſolus inter cũctos fratres à cruciatu immunis. Dormit itaque Lazarus ô Maria, ô Martha; Dormit infans, ô Vidua. Adeò à Domino amamini, vt vobis omnia cooperentur in bonum.

50. *Amatur Eſau adeò, vt à laboribus liberetur,* Mihi credite, ex aſſiduâ ſubſidij collatione dilectio ingens progignitur. Iſaac olim, *amabat Eſau, eo quòd de venationibus illius veſceretur.* Gen.25. Dignior erat Iacob ob virtutis præſtantiam, ob intellectûs claritatem, & induſtriam. *eo quòd eſurientem aſſiduè refecerat.* Gen.27. At Eſau aduocatur ad maioratûs benedictionem accipiendam, ad commoda ſine incommodo. Vnus ſeruiat fratribus, alter ſeruituti addicatur. Certè Iſaac putabat, filiũ Eſao præſtantiſſimâ illa benedictione affici: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini; eſto Dominus fratrum tuorum.* Et quare qui minor eſt virtute fratri ſancto præfertur, à cunctiſque ſeruitutis incommodis liberatur? Eò quod de venationibus illius veſcebatur. Non dixit, *de venatione*, ſed *venationibus*. Sæpe patrem eſurientem pauit Eſau, frequenter ſuccurrit egenti. Hoc eleemoſynæ proprium, quòd licèt aliàs iuſtior cruciatibus prematur, eleemoſynæ frequens largitor à cunctis incommodis liberetur: ei proſpera cuncta. Theodoretus quæſt. 47. *Obſequium poteſt etiam crudeliſſimos quoſque mitigare: maximè patrem, patrem inquam humaniſſimum.* Si eleemoſynæ obſequium frequens mitigat crudeliſſimos: maximè Deum humaniſſimum Patrem, qui quidem in frequentis eleemoſynæ largitorem neſciat deſæuire. Theodor.

Noſtri Ioannis illam ſententiam expende: *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur.* Cap. 11. Scripturus Euangeliſta Lazari reſurrectionem, eius cauſam præmiſit: Erat frater fœminæ illius, quæ Domini pedes capillis extersit: quomodo poterat non reuocari ad vitam, ne quæ obſequium Domino præſtiterat frequens, cruciamine vexaretur. Capillorum ideo memoriam geſſit, quia incolumitas omnimoda aſſolet ex capillis annotari: *Et capillus de capite veſtro non peribit.* Procopius ad Iudic. 16. exprimens Samſonis comam gratiæ habitaculum, ait: *Filij hæreticorum rident, quòd in capillis gratia eſt. Rideant igitur, quod in Apoſtoli vmbra gratia eſt, in fimbria item veſtimenti Chriſti. Quapropter voti nomine, pretioſa apud Deum fuit coma.* Tam pretioſa Mariæ Magdalenæ coma, vt Ioannes eius memoriam gerat: Lazarus frater illius fœminæ eſt, cuius capillus pretioſus Domino de capite eius non peribit: nullo afficietur incommodo, in patientiâ, ac morte ipsâ animam poſſidebit. Vndenam tanta Mariæ incolumitas, & à cruciamentis liberatio? Quia ipſa hoſpitio frequenter Dominum excepit: *Diligebat hos Chriſtus, quia hoſpitio ſolitæ eum excipere.* Eleemoſynæ frequens largitor quodammodo impaſſibilitate donatur: ſaltem ita laboribus afficitur, vt nunquam non ſuperior euadat. 51. *De capite Magdalenæ capillus non decidit, quodammodo donatur impaſſibilitate quodammodo, quia Dominum frequenter excepit hoſpitio.* Ioan.11. Procop.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Rabbi, nunc quærebant te lapidare Iudæi, & iterum vadis illuc? Reſpondit Ieſus: Non-ne duodecim ſunt horæ diei? ſi quis ambulauerit, &c.

Qui lapidare conabantur Dominum Iudæi, iam, horâ tranſactâ, non curabunt lapidibus vulnerare.

Mundialium enim conditio continuâ laborat varietate; vno quidem ſtudio, & voto alterum aduerſante.

52. Caiet.

Caietanvs appoſitè, *Ad id quod dixerant, Nunc quærebant, reſpondet ex diuerſitate horarum in vno eodemque die artificiali, qui tempore Veris conſtat ex duodecim. Et intendit per hoc dicere, quòd mutantur, quæ geruntur non ſolùm de hebdomada in hebdomadam, & de die in diem: ſed etiam de horâ in horam vniuſmet diei, non ſemel, ſed multoties. Vt per hoc intelligerent, quòd licèt paulò antè quæſierint Iudæi ipſum lapidare, modò eſt aliud tempus, & non quærent hoc.* Tam mutabilis hominum mens, vt illud ipſum aliud tempus eſſe idem ſit, ac votum, propoſitumque eorum eſſe mutatum.

53. *Homo varios vultus oſtentat, vt quálibet horâ poſſit de innata mutabilitate diuerſus à ſe obijci.* Ezec. 1. Iuſtin.

Ezechieli quatuor animantium ſpecies obiicitur. *Et hic aſpectus eorum: ſimilitudo hominis in eis, & quatuor facies vni.* Cap. 1. Vnus homo quatuor faciebus præditus oſtentatur. (quia vtrumque animans quatuor facies oculis obiiciebat) hominis vtique & leonis hinc, illinc autem, vituli & aquilæ formam referebat. Quare vnus homo tam diuerſorũ animantium facies oſtendit? Quid homini cicuri cum rugiẽti Leone? quid vitulo graui cum aquila volante? Iuſtinus Mart. quæſt. 44. *Cicur animal eſt homo, ferum leo; graue vitulus, volatile, & leue; Aquila.* Quare igitur vnus homo tot animantium ſpecie & proprietatibus ornatur? Vt reſpondeam, liceat Periandri præmittere ſententiam, qui Regis cuiuſdam mutabilitatem taxans, ait:

Perian.

Ille diuerſos
Vultus cunctis mutabat horis.

Homo itaque tot faciebus præditus eſt, qui à ſingulis horis varios vultus oſtentat. Nunc cicur, vt homo; hora proximâ iratus, vt leo; poſt horam grauis, vt vitulus; hac terminata, leuis, vt Aquila. ſiue (vt grauiori nota mutabilitatis inuratur) in eodem temporis interſtitio plures facies oſtentat, quia tota eius eſſentia mutabilitas eſt.

54. *Vt innuere-*

Aſſerit D. Iuſtinus citat. cum illo à variis animantibus tracto populi Hebræi captiuitate

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. 1.

preſſi properam mutationem ſignari. *Illis animantibus Regni ex fero in manſuetum tranſlationem ſignificat: his autem ſeruitutis in libertatem Populi mutationem. Illis*, inquam, id eſt homine & leone, quæ ſub vno iugo conſpiciuntur. *His* autem, *id eſt* vitulo, & Aquila, quæ animantia ſub altero iugo premebantur. O quam citò Regnum illud ferinum referet hominis pietatem! quàm velociter vitulus grauis iugo ſeruitutis Aquilæ referet velocitatem, vt fugiat à vinculis! Id quod apertè ſignatur dum aſſerit Propheta hominum ſpeciem ineſſe animantibus. Imperium ferinum & immite aliquid humanum continet? Citiſſimè de mutabilis hominis natura miteſcet. Captiuitas populi hominis ſpeciem præſefert? Quàm properanti curſu aquila recedet à laqueo, vitulum grauem eleuantibus pennis!

rur tyranni- dis mutatio, & captiuitatis terminus citiſſimus, appoſitè in animantibus ſpecies hominum mutabilis erat. Iuſtin.

Gemitum Iobi audite. *Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rurſus poſt tenebras ſpero lucem.* Cap. 17. LXX. apud Comitol. *Noctem in diem poſui, lumen propè à facie tenebrarum.* Tam propè adeſt lumen à tenebrarum facie apud hominem Iobum, vt ſimul commorari, ſicuti in Prophetæ animantibus, videantur. Iobo duæ facies tenebrarum & lucis apponuntur, vt non ſolùm horarum decurſu, ſed & ſingularum earum per inſtantia ſingula & diurnos, & nocturnos oſtendat affectus. 55.

Vni homini Iobo facies diei & noctis apponuntur, vt affectus mutabilitas innuatur. Iob 17. Septua. Comitol.

Dixerat Terentius in Phorm. 56.

Quot homines, tot ſententiæ, ſuus cuique mos.

Veracius dixiſſet, *Cuique omnium mos*, quia ſinguli homines omnium ſententias fouent contrarietate diſſidentes non poſt horarum proceſſum, ſed eadem horâ. Deus ſolùm immutabilis. Propheta ille poſt naufragium, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Ion. 3. Septuaginta, *Adhuc tres dies, & Niniue ſubuertetur.* Vbi quærit D. Ephren de Pœnit. Cur non addidit poſt illud: *Tres dies*, hanc particulam: *Et tres noctes*? Et reſpondet, *Tribus diebus Ionas prædicauit, & per nullam noctem. Quoniam in Trinitate non eſt mutationis obumbratio.* Ac ſi diceret, ſi hominem Ionam videris Niniuitis faciem diei oſtentantis, & non mox, ſiue ſimul noctis, crede illum hominem ex eo non eſſe, ſed immutabilis Trinitatis referre perſonas; ſi enim hominem ageret, & non Deum, vtramque faciem velut Iob diei ſcilicet, & noctis ſimul obiiceret. O mutabiles per horas ſingulas homines? imo ô ipſa in eodem momento mutatio!

Dum homo diuerſas facies ſimul nõ oſtendit, Trinitatis immutabilis gerit perſonam. Ion. 3. Septuag. Ephr.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno excitem eum.

Amicum verè Lazari agit Dominus, dum eum à ſeductionis ſomno conatur excitare.

Ille enim verè amicus, qui veritate obiectâ, circa cuncta, quæ ad amicum ſpectant, nunquam aſſentationi ſtudet.

57. *Veritas, & amicitia copulandæ!* Xenoph.

SE Dominus Lazari amicum appellauit. *Amicus noſter dormit.* Quonam modo ſe verum oſtentârit amicum? *Vado, vt à ſomno excitem eum.* Aiebat Xenophon, *Aſſentatione homines obdormire.* Amicis ideo munus ſit, dormientes veritatis obiectione excitare. Profectò amicus nunquam debet aſſentationis verbis vti, ſed nudæ veritatis ſiue in laudem, ſiue in vituperationem in amici conſpectu: ſi dormiat, vt veritatis ſtrepitu excitetur: ſi vigilet in ſomnio triſtitiæ, vt placidè ablegatis phantaſmatibus valeat obdormire.

58. *Angelus verè amicus Eliam, veritatis prolatione excitauit.* 3 Reg. 19. Ambroſ.

Fugax Elias ob tyrannidem Iezabelis, *proiecit ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi; & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergò, & bibit, & rurſus obdormiuit. Reuerſúſque eſt Angelus ſecundò, & tetigit eum dicens: ſurge.* 3. Reg. 19. Vbi D. Ambroſius aſſerit Prophetam imaginem gerere peccatoris à Iezabele, ſiue carnis aut ſanguinis fluxu tentaminibus acti, tyrannide oppreſſi. Somnus voluptas corripiens peccatores? Magni conſilij amicus Angelus in excitando ſtudium impendit. *Surge, & comede*, dum enim te ſuauiſſimè refectum putas voluptatum dapibus, fame dirâ excruciaris. O veritatis prolatio tam adnata amicitiæ!

59. *Amicitia verax Deo filia veritatis cum ſit, nunquam non veritatem profert.*

D. Paulinus epiſt. 35. ad Pamach. *Nec volo amicitiam noſtram tempore metiaris; non enim hæc vt ſecularis eſt, quæ ſpe ſæpiùs, quàm fide paritur: ſed ſpiritualis illa, quæ Deo authore, generatur, & arcanâ ſpirituum germanitate coaleſcit.* Qualis igitur eſt vera ex Deo amicitia? *Quò fit* (addit) *vt non diuturnitatis vſu creſcat ad amorem, neque documenti pendeat expectatione, ſed vt filiâ veritatis dignum eſt, magna naſcatur.* Vera igitur amicitia eſt illa, quæ magna naſcitur veritatis filia. An non verax filia veritatis? Semper igitur amicitia ſe vti veritatis filiam gerat, id annuncians amico, quod ad illius vtilitatem attineat, ſiue ſit excitandus à ſomno, ſiue ſit ad ſomnum alliciendus.

60. *Amici veri non debebant Iobum actum laboribus deprimere, ſed conſolatione afficere ex veritatis præſcriptione.* Iob 42. Ambr.

Iobi amicis Dominus ait, *Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia.* Cap. 42. vbi Ambroſius lib. 3. Offic. cap. 16. *Ignoſcere his per amicum maluit Dominus, vt amicitiæ ſuffragium remiſſio fieret peccatorum.* Rogas quænam amicorum Iobi peccata, quæ precibus amici patientiſſimi deleri debebant? Idem Doctor aſſerit iniuſtè fuiſſe Diuum innocentiſſimum ab amicis argumentis actum. *Cum iniuſtè argueretur ab amicis, reſpondit, Miſeremini mei. Id eſt, miſericordiam debetis præſtare. Opprimitis autem vos, & impugnatis hominem, cuius ærumnis compati pro amicitia debeatis.* Cur debeant ærumnis amici compati? Quia amicitia *veritatis filia* tam hærens debet addici veritati, vt nec ſupplantet aſſentationibus delinquentem, nec innocentem maledicto laceſſat: excitet dormientem veritatis filia, rectè operanti laboribus acto miſereatur; vt ſynceræ veritatis exponat affectus.

Amici veri olim apud Ægyptios apis, quæ eo mel conficere ex bonorum commendatione: & aculeo vulnerare ex veraci, taxatione ſciat. Veritas ab amicitia veritatis filia proferatur, ſeu mel, ſeu aculeus. Ait Maxi. ſer. 6. *Cato intelligens, quendam animum ab amico reprehenſore alienâſſe. Noli, inquit, indignari amico: apem enim propter aculeum non odiſti; ſed fouens, tueris propter fructum. Cur igitur veracis amici obiurgationem fers adeò iniquè, quam propter beneuolentiam plurimum amare debes?* Tam diligendus amicus vulnerans, quam mel conficiens; quia ex veracitate vnum & alterum exoritur. 61. *Veritas amicitiæ ſemper vera proloquatur.* Maxi.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Dicit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos, Eamus & nos, & moriamur cum illo.

Exiſtimauit Thomas Dominum iuſtè ſe ſe lethali periculo ob leuandum amicum exponere: curáſque Domini amicos ad periculum idem attrahere.

Nil enim amico dignius, quàm propter amicum aduerſa pati.

VNDENAM ô Thoma, credidiſti poſt illa verba Domini: *Non-ne duodecim ſunt horæ diei?* Chriſtum lethali periculo exponendum? Bis amicum audierat, *Ecce, quem amas, infirmatur, Lazarus amicus noſter dormit.* Indè collegit, ex proximâ Iudæorum lapidatione, fore vt pro liberando amico exitiali periculo exponeretur. Morem igitur gerens tam illuſtris amatoris ſe ſe eidem periculo geſtit addicere: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Porrò veræ amicitiæ documentum perſpicuum eſt, contemptis aduerſitatibus, amico indigenti ſubuenire. 62.

Ex humano penu id lubet confirmare. Franciſcus Petrar. Dial. 51. iactanti illi, ſe amico vero frui, reſpondet. *Difficile eſt amicum niſi in magnâ aduerſitate cognoſcere. Operoſius eſt illum noſcere, quàm quærere. Vna ſæpe hora paucis verbis quæritur, qui vix multis annis, at-* 63. *In aduerſitate amicus dignoſcitur.* Petrar.

que

quæ experimentis agnoſcitur. Voco autem amicum vt vulgus; verus enim non ante quæritur, quam probetur. Magna certè aduerſitas verum probat amicum. Audi Plutarchum in Lacon. *Namertes legatione fungeas, cùm à quodam eius gentis, ad quam erat miſſus, beatus prædicaretur, eò quòd multos haberet amicos: interrogauit, quomodo qui multos haberet amicos, periculum faceret, an amicum haberet ſincerum, ac probum? Per aduerſam, inquit, fortunam.* Fortuna enim aduerſa amicum vexari, ad ſuccurrendum ei alium trahit amicum. An aduocandus?

64.
Amicus verus vocatus accedit ad proſpera amici, vltroneus ad aduerſa. Max.

Minimè planè, ipſa enim amici incommoditas fortis eſt tractio. Maximus ſerm. de Amicit. *Democritus probum amicum (dicebat) gaudiis quidem vocatum adeſſe decet: aduerſis autem caſibus ſua ſponte.* Dominum ſorores Lazari ægrotantis aduocârunt: *Ecce quem amas, infirmatur. Vt ergo audiuit, quòd infirmaretur, tunc quidem manſit in eodem loco.* Ioa. 11. quare cum vocatur ad ægrotum, non proficiſcitur, ſed eodem in loco detinetur: poſtea autem ſe ſe excitans viam arripuit? *Vado, vt à ſomno excitem eum.* Profectò cum vocatur, aut inuitatur, expectat, qui ad Nuptias inuitatur profectus eſt. At poſtmodum in domum luctus, vt Lazarum ad viuos reuocaret non inuitatus vltrò progreditur. *Bonum enim amicum gaudiis quidem vocatum adeſſe decet, aduerſis autem caſibus ſuâ ſponte.* Democrito authore.

65.
Amici Iobi non ſinceri, quia rogari, & inuitari expectant, vt miſereantur affectu amico.

Iobi clamantis illam preme ſententiam: *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei.* Cap. 19. Vbi Ambroſius aſſerit illos verè amicos non extitiſſe, imò aduersùs leges amicitiæ commiſſa perpetrâſſe à quibus Iobi precibus expiari debuerint. Quodnam quæſo contra amicitiæ præſcripta piaculum? Quia expectauerunt illi, vt à laboribus amico exacto inuitarentur, nec vltrò eum videntes, aut audientes aduerſis vexari, ad ſubuentionem properarunt: *Miſeremini mei: hoc eſt miſericordiam debetis praſtare.*

Caſſiodorus, *Iuſtum eſt, vt qui amicus erat in proſperis, amicitias profiteatur in aduerſis.* Proſpera nunciauit Ionathas chariſſimo Dauidi, cùm ait, *Tu quidem eris Rex, ego autem ſecundus poſt te.* 1.Reg.23. Erat tunc amicus Ionathas in aduerſis, futurus in proſperis, quæ ipſe amico prænunciabat libentiſſimi proprij Regni iactura. At Dauid audiens proſperitatem futuram, ex quâ Ionathas patrio fruiturus non eſſet Imperio, lacrymas profudit. *Fleuerunt pariter, ſed Dauid amplius.* 1. Reg. 20. Quare Dauid ampliùs fleuerit? Reſpondet Aelredus ſpec. charit. lib.3. cap.19. *Prædixerat nimirum Ionathas ſuum quodammodo defectum, amici profectum: ſe Regno priuandum, Dauid aſſumendum: idcirco lex amicitiæ exigebat, vt ille compaſſione amici fleret iniuriam.* Quam egregius amicus, qui proſpera reputabat aduerſa, ſi cum amici defectu, & iniuria perficienda fuiſſent? Viuam-ne Ionathâ moriente? Abſit. Viuat Dauid Regno potiturus, me deficiente. An non hi Pylades, & Oreſtes? Manilius lib.8.

66.
Vidi Pylades & Oreſtes in Dauide, & Ionatha in aduerſitate amicu. 1.Reg.23.

Idcirco nihil ex ſemet natura creauit
Pectore amicitiæ maius, nec rarius vnquam.
Vnus erat Pylades, vnus qui mallet Oreſtes
Ipſe mori, lis vna fuit per ſecula mortis
Alter quod raperet fatum, non caderet alter.
Et duo qui potuere ſequi vix noxia pœnis,
Optauitque reum ſponſor non poſſe reuerti,
Sponſoremque reus timuit, ne ſolueret ipſum.

SECTIO SECVNDA.

Colloquium Ieſu cum ſororibus Lazari.

TEXTVS.

Vers. 18. (ERAT autem Bethania iuxta Ieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim.) 19. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt conſolarentur eas de fratre ſuo. 20. Martha ergo vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat. 21. Dixit ergo Martha ad Ieſum, Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus. 22. Sed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus. 23. Dixit illi Ieſus, Reſurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha, ſcio quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die. 25. Dicit ei Ieſus, Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me etiamſi mortuus fuerit, viuet. 26. Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? 27. Ait illi, Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc Mundum veniſti. 28. Et cum hæc dixiſſet, abiit, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens: Magiſter adeſt, & vocat te. 29. Illa vt audiuit, ſurrexit citò, & venit ad eum. 30. Nondum enim venerat Ieſus in Caſtellum: ſed erat adhuc in loco illo, vbi occurrerat ei Martha. 31. Iudæi ergò, qui erant cum eâ in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, &

exiit, ſecuti ſunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.
32. Maria ergo cùm veniſſet, vbi erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius,
& dicit ei, Domine, ſi fuiſſes hîc, non eſſet mortuus frater meus. 33. Ieſus er-
gò vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum eâ, plorantes, infre-
muit ſpiritu, & turbauit ſeipſum. 34. Et dixit, vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei,
Domine, veni, & vide. 35. Et lacrymatus eſt Ieſus. 36. Dixerunt ergo Iu-
dæi, Ecce quomodo amabat eum. 37. Quidam autem ex ipſis dixerunt, Non
poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur? 38. Ie-
ſus autem rurſum fremens in ſemetipſo venit ad monumentum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Colloquio Domini cum Martha.

1. *Cur diſtantia huius fit mentio?*

ERAT *autem Bethania iuxtà Ieroſolymam quaſi ſtadijs quindecim, &c.* Milliaribus duobus vno ſtadio minùs diſtabat Bethania, vbi hæc geſta ſunt, à Ieroſolymâ. Huius paruæ diſtantiæ Euangeliſta meminit, vt facilè Iudæos ad conſolandas ſorores è Ieroſolymâ venire potuiſſe, oſtenderet. Nobiles Lazari ſorores orbatæ fratre: & ideo multi Iudæorum ad eas conuenêrant.

2. *Cur prius Domini aduentum Martha dignouit?*

Martha ergò vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat. Cur Martha priùs Domini cognouit aduentum? Quia ipſi rei familiaris curæ incumbenti priùs fuit renunciatus, vt excipiendo daret operam Saluatori: interimque Maria ſedens aduentantium excipiebat conſolationes.

3. *Fides Marthæ imperfecta: ſed commendabilis fœmina.*

Dixit ergò Martha ad Ieſum, Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. *Ergo*, id eſt, quia prior ipſa venit, prior Dominum alloquitur. Ex fide Marthæ verba exorta fuere. Credidit enim, ſi adfuiſſet Dominus, fratris mortem impedire potuiſſe, & ab ægritudine liberare. Fateor tamen imperfectam extitiſſe; nondum enim ſciebat, abſentem etiam valuiſſe ſanare. Laudandam Marthæ modeſtiam adnotat Chryſoſtomus hom. 62. *Non enim eiulatibus, & clamoribus eſt vſa, vt aliquæ in his caſibus facere aſſolent: ſed temperatè, & modeſtè dolorem animi, qui iuſtus erat, de morte fratris expreſſit.*

4. *Non diffidit adhuc: ſed imperfectâ fide.*

Sed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus. Non propterea diffido te poſſe iuuare; imo certa ſum, Deum tibi daturum, quæcunque ab eo efflagitâris. An non vides Martham in fide profeciſſe? Plus erat confiteri, Chriſtum poſſe Lazarum mortuum ſuſcitare, quàm ægrotantem ſaluti reſtituere. Adhuc tamen imperfectam fidem teor, quia Chriſtum non Deum, ſed purum hominem confitetur: nec propriâ id virtute facere poſſe, ſed orationis vi, vt notauit Chryſoſtomus citatus. An non perfectâ fide prædita fari debuiſſet, quæcunque tu volueris, facies?

5. *Conſolatoria promiſſio.*

Dixit illi Ieſus, Reſurget frater tuus. Promiſſio reſurrectionis conſolatio eſt. dum autem non dicit, Poſcam à Deo, ſe habere poteſtatem ſignificat, ſuam exprimens Diuinitatem.

Dicit ei Martha, ſcio, quia reſurget in nouiſſimo die. Exiſtimauit fœmina Chriſtum velle eam conſolari ex communis reſurrectionis memoriâ, ſcio (ac ſi diceret) certam eſſe contra Saducæorum opinionem, reſurrectionem mortuorum. Paulus ſimiliter, *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus ſicut & Gentes, quæ ſpem non habent.* Theſſal. 4. Adhuc igitur imperfectæ fidei Martha reſpondet, *Scio reſurrecturum in die vltimo*, nec ſectæ illorum adhæreo, qui futuram abnegant reſurrectionem. 6. *De quanam reſurrectione Martha.*

Dixit ei Ieſus, Ego ſum reſurrectio, & vita. Fidem Marthæ corrigit imperfectam, docens ſe minimè precibus indigere, vt Lazarum ad vitam reuocaret. *Ego ſum reſurrectio, & vita.* Id eſt, ego ipſe ſum, qui ſuſcitare poſſum, & reſuſcito eos, quos volo: & qui ſuſcitabo omnes, qui ſuſcitandi ſunt. Hebraiſmus eſt ſenſum cauſalem efficiens, *Reſurrectio, & vita*, id eſt, cauſa reſurrectionis, & vitæ, & in vniuerſum earum effector, qui omnium reſurrectionem, & vitam efficio. Hoc Græci articuli ſignificant apertius: *Egò ſum ipſa reſurrectio, & ipſa vita.* 7. *Corrigit Dominus Marthæ imperfectionem fidei.*

Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet: & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Non hîc de ea vita loquitur, ad quam omnes mortui etiam mali reſurgent, ſed de vitâ quæ verè vita eſt, beatâ videlicet. *Qui viuit* idem eſt, (Toleto interprete) ac *qui nondum eſt mortuus*; vt ſit generalis ſententia, omnes credentes in me, ſiue mortui ſint, ſiue adhuc viuant in ſeculo, non morientur in æternum, ſed ad tempus, reſtituendi tamen poſtea in æternam, & glorioſam vitam. De quanam autem fide Dominus loquatur dum ait, *Qui credit in me?* Non de nudâ intellectus fide, ſed de perfectâ, quæ eſt cum obedientia mandatorum, & charitate coniuncta, loquitur. An ſatis eſt credere Meſſiam? Minimè, niſi ſimul credamus ipſum eſſe Dei Filium, & verum Deum, omnis reſurrectionis, & vitæ cauſam primam, vt probat Hilarius lib. 6. Trin. 8. *De quanam vita loquatur.* *De quanam fide ſermo.*

Credis hoc? Ait illi, Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc Mundum veniſti. Non ignorans Dominus, ſed vt ad perfectam fidem promoueret, interrogauit, *Credis hoc?* Reſpondet illa, *Vtique Domine,* 9. *An Martha Chriſtũ crediderit Patri conſubſtantialem.*

Domine, &c. An intellexerit Martha perfectè verba Chriſti? Auguſtinus tract. 49. putat intellexiſſe verba, & reſpondiſſe ſe ea omnia, quæ de reſurrectione ſunt dicta, credidiſſe, quando credidit Chriſtum eſſe verum Dei Filium: propterea enim, quia Filius erat Dei, eſt reſurrectio, & vita, credentéſque in eum in æternum non moriuntur. Hilarius lib. 6. Trin. illud, *Tu es Filius Dei*: ſic exponit: *Credidit verum eſſe Dei Filium, ſicut & nos credimus.* At Chryſoſtomus hom. 61. & Euthymius non aſſecutam eſſe verba Domini profitentur, ſed magnificum quid concepiſſe: & vnum interrogatam, aliud reſpondiſſe.

10. *Probabilis expoſitio ex Græca lectione.* Profectò Martha præterito illo *Credidi*, haud indicat eam credidiſſe fuiſſe verum Dei Filium, qualem nos credimus, & qualis verè eſt. Vt enim ex verbis expoſitis conſtat, merum eum hominem reputabat. Scio aliquos ſic verbum Græcum legere: *Ego credo.* Quod quidem hunc ſenſum admittit: Quando hæc loquebatur, credidit eiſe verum Dei Filium; Credo (ac ſi diceret) ô Domine, te eſſe reſurrectionem, ac vitam, quia credo eſſe Dei Filium.

11. *Authoris probabilior, re contra lectione communi.* Communem autem lectionem ſecutus ſic ſententiam expendo; Ego Domine credidi, quia tu es Chriſtus ille Filius Dei, qui venturus erat in hunc Mundum, & qui promiſſus nobis expectabatur. Exiſtimauit Martha, ſe credidiſſe omnia, quæ Chriſtus profabatur, dum credidit ipſum eſſe verum Meſſiam promiſſum: & verè dicebat; ſed implicitè. Quemadmodum ruſticus aliquas fidei propoſitiones, quas non aſſequitur, interrogatus reſpondeat, Credo ſanctam Eccleſiam: ita nunc Martha, Ego credidi Domine, te eſſe verum Chriſtum, & omnia, quæ dicis vera eſſe. At non diſtinctè ea percipiebat, nec Chriſtum Filium Dei Patri conſubſtantialem appellabat, qui carne aſſumptâ factus eſt homo; ſed Filium Dei ſupra omnes Prophetas, & iuſtos, non diſcernens, nec aſſequens, qualis Dei Filius eſſet.

§. II.

De Colloquio Domini cum Maria.

12. *An iuſſa à Domino Mariam aduocarit?* ET *cùm hæc dixiſſet, abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens, Magiſter adeſt.* An iuſſa à Domino ſororem aduocàrit? Aſſerit ipſa adiiciens, *Et vocat te.* Eam equidem cauſam reor, cur, relicto Chriſto eo in loco, in quo ei occurrerat, abierit. Breuitati enim ſtudens Euangeliſta, breuis, ac ſimul plenus eſt: multa narrat, multa inſinuat. Cur ſilentio ſororem aduocarit? Quia erat Maria non ſola, ſed multis comitata Iudæis conſolatoribus.

13. *Maria aduenit.* *Illa vt audiuit, ſurgit citò, & venit ad eum,* &c. Amor Mariæ nullas moras admiſit, ſurgit, & citò venit vtique, quia nondum Chriſtus Caſtellum intrauerat: ſed manebat in loco, vbi cum Martha fuerat colloquutus Mariam expectans. Quare non intrauerit? Quia ad locum monumenti Lazarum reſuſcitaturus venire decreuerat: erat autem ille locus inde vicinior.

Iudæi ergo, qui erant cum eâ in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. Iudæi neſciebant Chriſtum adeſſe, & Mariam aduocàſſe, ideo repentinos eius paſſus ita celeres vt nec verbum vllum præſentibus dixerit, non alteri cauſæ tribuerunt, quàm quod dolore tacta nimio, ad monumentum, vt ibi ploraret, profecta eſſet: idcirco ſequuti ſunt eam. 14. *Iudæorum coniectatio.*

Maria ergò cùm veniſſet vbi erat Ieſus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hic, non fuiſſet mortuus frater meus. Agnoſcebat pedes Maria, quos vnxerat, & lacrymis irrigans ſuorum criminum remiſſionem obtinuerat. Ad pedes hoſce dolore oppreſſa proſternitur, & verba, quæ ſoror protulerat, enunciat quæ cum ſorore ſæpe contuliſſet ſaucia Domini deſiderio. Toletus ait, *Quibus* communis erat cauſa mœſtitiæ, & non diſſimilis fides, communia etiam verba fuere. 15. *Mariæ proloquium.* Toler.

Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum. Mariæ lacrymis plus quàm verbis locutæ Dominus fremitu, ac turbatione reſpondit. *Infremuit ſpiritu*, ſeu fremitum edidit intra ſe. Ruſum etiam ſe ipſum turbat; excitauit enim in parte ſenſitiua affectus, & propaſſiones corporeas, quibus motus, & turbatus interiùs vſque ad exteriorem vultûs prorupit commotionem. 16. *Reſpondet Ieſus turbatione affecta.*

Porrò quæ ſint turbatio, & gemitus Chriſti vberiùs exponam. Chryſoſtomus hom. 62. & Euthymius aſſerunt fremitum eſſe cohibitionem quandam, qua affectum commiſerationis repreſſit, ne vlteriùs prorumperet, & in lacrymas ſe effundens vocem lacrymantium emitteret. Non probo, cùm quia illorum eſt cohibere, & reprimere huiuſmodi affectus, qui eos inuoluntariè patiuntur, ipſiſque nolentibus inſurgunt, & propterea conantur, quoquomodo eorum impetus reprimere: at Chriſtus non ſic hos animi patiebatur affectus; ſed voluntariè, quando; quomodo, & quantùm volebat aſſumens, non erat, cur eos cohiberet, & vultu (de more aliorum) toruo reprimeret. Tum autem quia quando infremuit, nondum affectum commiſerationis aſſumpſerat. Non enim dixit Euangeliſta, *Turbauit ſeipſum, & infremuit*, ſed priùs *infremuit*, & poſtea, *Turbauit ſe.* Euſebius Emiſ. idem ait eſſe infremuiſſe, quod ingemuiſſe; vt nos doceret, ſuper peccantes gemere debere: de quibus gemitibus Paulus, *Poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Roman. 8. Non admitto, quia verbum Græcum ἐνεβριμήσατο non gemitum, ſed potiùs comminationem quandam ſignificat, quod Latinè vertitur fremere. 17. *Quænam illa turbatio, & fremitus?* Chryſ. Euthym.

Igitur hoc in loco τὸ *Spiritu* turbatus eſt, & infremuit, expoſuerim ſicut illud Ioannis 13. *Turbatus eſt ſpiritu.* Id eſt, intra ſeipſum infremuit, non in circumſtantes, ſicut illi dicuntur in Magdalenam infremuiſſe Mar. 14. *Fremebant in eam*, nempe indignatione commoti, quod liquorem tantæ æſtimationis effuderit; ſigno ſcilicet indignationis expreſſo ſe in eam conuertentes. Non ſic Chriſtus, ideo 18. *Authoris expoſitio.*

ſpiritu dicitur infremuiſſe, vt ſignificetur, in ſeipſo fremitum emiſiſſe, non in aliquem circumſtantium. Interiùs ergo, & intra ſe infremuit, quamuis exteriùs frementis ſonitum ediderit.

19. *Cur infremuerit* Cur Chriſtus infremuerit? Infremuit planè contra Iudaicam perfidiam Phariſæorum & Scribarum, propter quam Lazarum mori diſpoſitum eſt, (in Ieſu gloriam) ex cuius morte tot lacrymæ, tot afflictiones fuerant excitatæ. *Cyrillus.* Scio D. Cyrillum lib.9. cap. 13. comminationem quandam in mortem expoſuiſſe, quod non facile contextui accommodatur.

20. *De turbatione Ieſu.* Illam preme particulam: *Turbauit ſe ipſum.* Poſt indignationem illam, Chriſtus compaſſionis, & triſtitiæ propriâ voluntate ſumpſit affectum: *Turbauit ſe ipſum.* Turbatio hæc motus eſt corporeus interior, quo ad compatiendum viſcera commouentur, quíque lacrymas excitat. Hunc motum, vt innuimus, non inuoluntariè, ſicut nos, paſſus eſt Chriſtus, qui quando voluit eum accepit. Huiuſmodi compaſſionis motu lacrymas præcedente Ioſeph videns Beniamin, *Gen 43.* dixit: *Miſereatur tibi Deus, fili mi, feſtinauitque domum, quia commota erant viſcera eius ſuper fratre ſuo, & erumpebant lacrymæ, & introiens cubiculum, fleuit.* Gen. 43. Ita nunc Dominus turbatur, ſed voluntariè commouens viſcera calore compaſſionis, & profatus.

21. *Cur interrogarit, vbinam poſitus fuerit Lazarus.* *Vbi poſuiſtis eum?* An vbinã cadauer eſſet, ignorabat? Qui abſens mortuũ eſſe nouit, & qui mortuum ad vitam reuocare venerat, quonammodo ſepulchrum poterat ignorare? Cur ergo quæſiuit? *Chryſ.* Chryſoſtomus hom. 62. vt miraculum ab omni calumniâ liberaret, ne aliqui ex communi aliquo conſilio factum calumniarentur, vt fingeretur mortuus, & ſic crederetur ſuſcitatus. Adde vt ſe non cauſam mortis homini dediſſe oſtenderet, *Gregor.* Seuerianus apud Greg.lib.8.epiſt.42. *Quaſi Dominus per myſterium mulieribus, Euæ culpam memorans, exprobraret: Ego virum in paradiſo poſui, quem vos poſuiſtis in ſepulchro.* *Athan.* Athanaſius autem in orat.ad Maxim. *Percontatur humanitus, vbi Lazarus ſitus ſit: ſed tamen excitat eum prorſus diuinitus.* Id eſt, iam ſe Deum, iam ſe hominem Chriſtus ſignificare voluit, vt vtramque verè naturam habere comprobaretur.

22. *Cur reſpondent inuitantes Dominũ, vt videret.* *Dicunt ei, Domine, veni, & vide.* Cur non reſpondent, inibi eſt, ſed *Veni, & vide*? Exiſtimo, quia intellexerint Dominum interrogaſſe animo ad monumentum accedendi, ideo reſpondent non ad verba, ſed ad intentionem loquentis. An non id paruæ fidei documentum? Si enim perfecte crediſſent, non *veni, & vide*, ſed, Tu omnia nôſti, reſpondiſſent, vt adnotat Epiphanius in Ancorat. Sic Petrus Domino interroganti, Amas me? reſpondit, *Tu ſcis Domine, &c.* Ioan. 21.

§. III.

De Domini lacrymis, acceſſionéque ad monumentum.

23. *Cur Dominus lacrymatus.* ET *lacrymatus eſt Ieſus.* Turbatio illa interior commiſerationis, & compaſſionis affectu ad lacrymarum vſque commotionem ſinit erumpere. Quænam, quæſieris, Chriſti lacrymarum cauſa? An propter Lazari mortem fleuit? *Baſil.* Baſilius orat. de Grat. acti. Minimè, *quia ſciebat de proximo ſuſcitandum.* An vt modeſtiæ, & temperantiæ nobis in ſimilibus caſibus exhiberet exemplum? Sic Baſilius idem hom. de mœr. & triſt. & Auguſtinus tract. 49. An ad humanitatis oſtenſionem? Hilarius lib.10. de Trin. *Ad oſtenſionem*, ait, *ſua humanitatis fleuit.* An propter Iudæorum infidelitatem, qui tanto miraculo adhuc credituri non erant? Sic Epiphanius in Anchor. An propter lacrymas Mariæ, ex quadam pietate, & affectu? Sic Ambroſius lib.2. de Pœnit.cap.7.& Chryſoſtomus hom.62.

Proximam ſententiam amplector, Chriſtum 24. *Authoris ſententia.* ſcilicet ex quadam ſcilicet compaſſione ob ſororum afflictionem lacrymas profudiſſe. Indicat id Ioannes, *Vt vidit Martham & Mariam plorantem, & Iudæos plorantes, turbauit ſe ipſum.* Ac ſi diceret, propter lacrymas, & afflictionem ſororum, propter quas Iudæi etiam plorabant, ipſe etiam pro ſuâ benignitate, & pietate voluit contriſtari, & lacrymas profundere. Non abnego multa alia Dominum (fletus excitamenta) ſibi ante oculos propoſuiſſe, nempe Lazari amici mortem, infidelitatem Iudæorum, damnationem, & reprobationem eorumdem, humanas miſerias, & alia huiuſmodi. Moneo tamen diſtinguendam eſſe cauſam turbationis, & lacrymarum à causâ fremitus, & indignationis. Illarum enim cauſam mortem Lazari, ſororum afflictionem, præſentémque calamitatem expono: huius autem infidelitatem, & duram perfidiam Iudæorum (vnde ortum hoc malum) extitiſſe reor.

Dixerunt ergò Iudæi, Ecce quomodo amabat eum. 25. *Argumentantur ab effectu ad cauſam.* Rectè Iudæi ab effectu ad cauſam argumentati ſunt. Multum certè Lazarum diligebat, quando tantus Propheta, tantorúmque operum effector, quaſi homo quidam communis propter eum lacrymatur. Dilectio interior per exteriora opera, & ſigna cognoſcitur, & commendatur.

Quidam autem ex ipſis dixerunt, Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, 26. *Mirantur Iudæi.* *vt hic non moreretur?* Sic illi amoris magnitudinem, hi impotentiam admirantur. Mirum eſt, inquiunt, quomodo, cùm aperuerit oculos cæci nati, non potuerit facere, ne hic moreretur. Non dicunt, Vt hic ſuſcitaretur à mortuis. Sed, *Vt hic non moreretur*; hoc enim minus videbatur illis, quàm cæcum illuminaſſe: mortuum autem ſuſcitare, maius omninò. Certè non fecit quod minus erat, vt maius præſtaret. Græco in codice legitur, *Vt & hic non moreretur.* Id eſt, vt etiam hic non moreretur, ſicut fecit, vt cæcus illuminaretur. Legendum ita Toletus, & alij exiſtimârunt.

Ieſus ergo rurſus fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum. 27. *Cur rurſum infremuit.* Quia increduli illi in ſuâ perfidiâ manebant, impotentiæ tribuentes, quòd Lazarus mortuus fuerit, iterum infremit, & indignatur, quaſi fremitum ingeminans, cum & Iudæi infidelitatem ingeminarent. Hoc facto, venit ad monumentum, in quod Iudæorum perfidia detruſerat Lazarũ. Porro fremere *in ſemetipſo* idem eſt, quod prius dixerat, *Infremuit ſpiritu.* Ideo Euangeliſta particulam *Rurſum* appoſuit.

Dicitur

Dicitur autem fremere in ſemetipſo, & in ſpiritu, quia in neminem circumſtantium hanc exprimebat indignationem. Fremitum in ſe ipſo emiſit contra infidelitatem, & perfidiam Iudaicam: ſicut & nos ſolemus aliquando fremitum, aliqua ex cauſa, coram aliis edere, ſed non in eos. Hoc quidem in ſemetipſo fremere eſſe reor.

IN IESVM DEFVNCTORVM SVSCITATOREM.

PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX DOMINI CVM SORORIBVS Lazari colloquio.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Multi autem ex Iudæis venerunt ad Martham, & Mariam, vt conſolarentur eas de fratre ſuo.

Vana ſecularium conſolatio circa proximi mortem eſt, curare vtique, vt à mente mortis memoriam omninò ablegent.

Quàm imprudens, qui in aliorum morte proprium non agnoſcit interitum.

28. AVDIVI ſeculares vt morem exetant mundialis comitatis poſt mortem ſponſi, filij, fratris, aut parentis ad domum luctûs ſe recipere, vt ſuperſtites lugentes valeant conſolari. Certè tota illorum cura eò tendit, vt à mente plorantium mortis memoria omnino ablegetur: ac ſi non futura communis animi à corpore ſeparatio. O vani conſolatores!

29. Aiebat Seneca epiſt. 102. *Nauigationes longas, & pererratis littoribus alienis ſeros in patriam reditus proponimus, cùm interim ad latus mors eſt. Quę quia non cogitatur niſi aliena, nobis ſubindè ingeruntur mortalitatis exempla, non diutius, quàm dum miramur, habitura.* Pende illud: *Non cogitatur niſi aliena.* Mortuus Lazarus, mors illius eſt, non veſtra ô Maria, ô Martha, non equidem noſtra. Ac ſi non communis illa Domini ſententia fuiſſet: *Puluis es.* Gen. 3. Cùm frater, amicus, aut proximus quilibet obit, prudentis eſt, illam mortem propriam exiſtimare, ad ſéque ſimul pertinere cognoſcere. Non aliena ſed propria, pertinet ad hominem: homo ſum, meus ille caſus eſt.

Stultum eſt mortem fratris alienam putare. Senec.

Gen. 3.

Meritò Nabuchodonoſor ex hominum, prudentum ſcilicet cœtu ſtolidas deturbatur ad beſtias. Vidit ille arborem proceram, ſublimem, ſuperbam, fructuum copiâ ditiſſimam, innumeris populis pabula præparantem. Vigilis vox exauditur, *Succidite arborem, & præcidite ramos eius.* Dan. 4. Audiuit Rex arborem morituram, quæ quidem ſpeciem hominis (iuxta Philoſophi præſcriptum) referebat, & non ſimul cum ſociâ a morte arripiendum ſe cogitauit: mortem putauit alienam, non propriam duxit: quid ſtultius? Richardus Victor. lib. 2. de erudit. inter. hom. p. 1. c. 3. *Non-ne Nabuchodonoſori hoc idem contigit, qui diuinam ſententiam de arboris abſciſſione ex Dei reuelatione cognouit? Veruntamen oſtenſa arboris ſimilitudinem ad ſe ipſum trahere ignorauit.* Arbor emoritur? Simul homo arbor inuerſa morietur: hominis ſimilitudo à morte abripitur? Homo properat ad ſepulchrum. Cur non vigil inclamat mortem illam non eſſe arboris, ſed Regis dormientis? Quia illud ipſum alium mori me vidente, nihil aliud eſt, quam de me actum eſſe. Quàm iuſtè deturbatur ad beſtias, qui mortem ſimilitudinis hominis non communem reputauit! 30.

Nabuchodonoſor deturbatur ad beſtias imprudens ſcilicet, quia arboris hominis ſimilitudinem referentis caſum nō communem putauit.

Dan. 4. Richard. Victor.

Ait Abraham mortis memor, *Intercedite pro me apud Ephron, vt det mihi ſpeluncam duplicem, quam habet in extremâ parte agri ſui: pecuniâ dignâ tradet eam mihi coram vobis in poſſeſſionem ſepulchri.* Gen. 23. Vbi Ambroſius, *Feſtinauit pro loco ſepulturæ pretium ſoluere.* Cur Patriarcha *feſtinauit*, duplicem ſepulturam emere, ſi ſola Sara diem ſuum obierat? *Mortua eſt Sara in Ciuitate Arbee, veniéque Abraham, vt plangeret, & fleret eam, cúmque ſurrexiſſet ab officio funeris, locutus eſt ad filios Heth, dicens, Date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum.* Si igitur vnum cadauer, quare duplex ſepulchrum feſtinanter requiſiuit? Profectò, quia illam mortem communem putauit. Mortua eſt ſoror & ſponſa Sara? Iam diem obij, vtrique ſepulchrum præparetur. 31.

Abraham curat ſepulchrum duplex acquirere, quia ſororis ſpōſa mortem propriam exiſtimauit.

Geneſ. 23. Ambroſ.

Expendenda illa particula: *Date mihi ius ſepulchri, vt ſepeliam mortuum meum.* Quare *mortuum* dixit, ſi Sara fœmina mortua erat? Lyranus, *Hic accipitur maſculinum pro fœminino, ſicut & Marci 5. Dominus dixit, Quis me tetigit,* 32.

Se mortuum Abrahā profitetur, vxore mortua.

Gen. 23.

tigit, de muliere Emorroiſſa locutus. Equidem prudentiſſimus Patriarcha videns fœminam mortuam, ſe ſimul mortuum exiſtimauit. Vnde & *mortuum* humandum proclamat, *Vt ſepeliam mortuum*; & duplicem ſpeluncam vni &

33. *Mortuo fratre ſuperſtes non ſum.* Martial. Gallus.

altero cadaueri feſtinanter requiſiuit. Mortuo igitur fratre, non eſt prudentis dicere, Ego ſuperſtes. Martialis Epig. 11. lib.

Non eſt, crede mihi ſapientis dicere, Viuam.

Aiebat Cornelius Gallus, ſiue Maximianus,

Omnibus eſt eadem lethi via.

Quia ſcilicet omnes ſimul currunt ad obitum, quem ſimul omnes apprehendiſſe debent exiſtimare.

Observatio II.

Ad illa verba:

Dixit ergo Martha ad Ieſum, Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.

Lazarus vt Dei amicus, adoleſcens moritur; vt peccatoris imaginem refert ad viuos reuocatur.

Deo enim miſericorde, & iuſtus moritur, vt afficiatur præmio: & peccator viuit, vt pœnitentiam agat.

34. NON poſſum non fœminæ taxare ſermonem aſſerentem ob Domini abſentiam Lazarum amicum obiiſſe. Nunquam enim Deus magis præſens amicis, quàm cùm eos à lacrymarum liberat valle, vt requie potiantur. Cur ergo amicum ad vitam reuocauit? Profectò Lazarus amicus dum moritur, gerens peccatoris imaginem (ex Gregorij mente) miſericorditer vitâ donatur, vt eum poſſit de criminibus pœnitere. Miſericordiâ itaque Dei & abripitur iuſtus, & peccator ſuperſtes obiicitur.

35. *Miſericordia Dei, & Ionathas moritur: & Abſalon ad vitam reuocaretur.* 2. Reg. 18.

Abſalon occiditur, Ionathas trucidatur. Dauid audiens parricidam obiiſſe, clamat, *Abſalon fili mi, quis mihi det, vt moriar pro te?* 2. Reg. 18. At mortuo dilectiſſimo Ionathâ, pro ipſo mori non petiuit. Quare? Cupiebat impium ad vitam ſuſcitari, Lazari in morem, vt criminibus abolendis ſtudium impenderet: pium autem apud ſinum Abrahæ perſiſtere, vt requie potiretur. Aelredus ſpec. charit. lib. 1. cap. 34. *Dicebat hoc de filio parricidâ ſanctus Dauid: Quis mihi det, vt ego moriar pro te? Nunquid hoc dixit de Ionatha amico ſuo? De parricidâ dici debuit, quia mors peccatorum peſſima. Pium erat, velle mori pro impio, vt eſſet quem pœniteret, eſſet cui miſereretur Deus, ne in æternum periret. At Ionathas tranſlatus ad requiem non erat vlterius in hanc miſeriam reuocandus.*

Quàm miſericors Dominus Ionatham pium à viuis eripuit: quam diues in miſericordiis impium ad viuos reuocaret, vt pœnitudini poſſet ſtudere.

Abel & Cain teſtes ſimul adhibeantur. De 36.

Abel rapitur, vt requieſcat Cain ad viuos reuocatur, myſticè ex morte, vt pœnitere eum poſſit. Gen. 4.

hoc Chryſoſtomus contemplatur prolatis illis verbis: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Gen. 4. Myſticè diem ſuum obiiſſe æterno igne cremandum. Quem quidem mox Dominus miſericordiæ profuſione ad viuos aduocauit, contra mortémque communiuit. *Poſuitque Dominus in Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum.* Enimverò Abel florens demeſſus eſt. Quare Abel abripitur, Cain autem myſticè mortuus ad vitam reuocatur? Certè miſericordia illa quâ pius Lazarus mortuus eſt, agénſque peccatoris perſonam vitæ reſtituitur. Pius obit vt requie potiatur, impius ſuperſtes, vt pœnitere poſſit. Ambroſius lib. 2. de Abel. cap. 10. *Ecce iuſtus innocens pius propter gratiam deuotionis, odia fratris incurrens, immaturus adhuc ætate ſublatus eſt parricidio: & iniquus, ſceleratus, impius etiam fraternâ cæde pollutus longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, poſteritatem reliquit, Vrbes condidit, & hoc meruit permiſſione diuinâ.* Meruit hoc? Vitæ & poſteritatis, & diuitiarum meritum eſt impietas? Tam exitialia mundialia bona, vt propter impietatis merita, Deo permittente, impendantur? Ita planè. Sed argumento accommodatius Abel ſanctus occiditur, Deo miſericorde, vt requie fruatur: Cain reuocatur ex myſticâ morte in mortalem vitam, vt poſſit eum de commiſſo crimine pœnitere. Ambr.

Dauid piiſſimus cecinit, *Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Pſal. 117. Malachias autem. *Et ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui.* cap. 3. Vbi D. Cyprianus apud Gloſ. *Fidelem emendari, & reſeruari in Pſal. 117. docemur. Emendans emendauit me Dominus, & morti non tradidit me. Item apud Malachiam 3. Sedebit conflans, & purgans ſicut aurum, & argentum, & emundabit filios Leui.* De iuſtorum autem vitâ ſapiens, *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatis.* Sap. 4. Ex terræ ſepulchro Deus aurum & argentum educit, vt repurget crimina abſtrahens à naturâ: aurum purum arripit à viuentibus. Iuſtus moritur, vt præmio addicatur; peccator reſurgit vt purgari valeat, Domino quidem in miſericordiis prædiuite. An impius longæuus recogitat, ſe vitâ donari, vt pœnitudini operam impendat! Quàm appoſitè Græcus! 37.

Pius gratus Domino illicò moritur, argentum & aurum purgandum reſurgit è latebris. Pſal. 117. Mal. 3. Menand.

Quem enim amat Deus moritur iuuenis.
Pulchrum mori quibus vituperium vita fert,
Sed felix viuit, cuius correctio ſperatur.

Qui huiuſmodi felicitate à miſericorde Numine donatur, pœnitudinis ſtudium non differat: ſi vita felix ſolummodo ad correctionem, infelix ad delictum.

***

Observatio III.

Ad illa verba:

Abiit, & vocauit Mariam ſororem ſuam.

Martha à Domini colloquutione recedit, vt ſororem Mariam ad ipſum Dominum aduocaret.

Laudantur qui à quiete, & ſecuritate recedunt, vt proximorum ſaluti operam expendant.

38. *Non indiget Rectoris præcepto ſe mota ad miſſiones. Illud ipſum aliquanta in oratione, conſolatione affici, quaſi præceptum eſt.* Cyril.

CONTEMPLATVS Martham non expreſsè iuſſam à Domino recedere, miror, quam facilè ex contemplationis accubitu ad externa opera diuertat (exiſtimo enim aduocandæ ſororis occaſione ad hoſpitium Domino præparandum accurriſſe), porrò audiens verba illa: *Abiit & vocauit Mariam ſororem ſuam*, non poſſum non eius profectionem commendare; à quiete enim recedit, vt fraternâ ex charitate ad Dominum ſororem adduceret. Cyrillus Alexand. *Aliquantâ conſolatione acceptâ, doluit ipſius Medici, & conſolatoris optimi præſentiam ſororem ſuam latere: ſed eam huius boni participem efficere ſtuduit.* Pende illud? *Aliquantâ conſolatione acceptâ.* Qui vacans orationi conſolatione verâ afficitur, dolet proximum tantum latere bonum, & curat illum ad Dominum adducere. Miror Euangelij miniſtros ex meditationis conſolatione, & requie non illicò in proximorum commodum exilire? Non inſtat præceptum Rectoris. Nec inſtabat in Marthâ. Attamen illud ipſum requie, conſolationéque aliquanta fuiſſe potitam, inſtantia fuit, præceptum fuit. Vnde quaſi iuſſa profecta, ait: Magiſter adeſt, & vocat te. Me etenim ad proximi vocationem immittit, qui me conſolatione quietis donare dignatus. Sponſum audite, *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis dilectam nec euigilare faciatis, donec ipſa velit.* Cant. 2. Si voluntati dilectæ relinquitur ad proximos vocandos aſſurrectio, nunquam volet quietem cubiculi relinquere, vt ſeſe periculo actionis exponat. Non ſuſcitetis, ipſa ſurget, & non iuſſa ad proximos auolabit. Illud enim potiri requie, ac conſolatione affici contemplationis, quaſi præcipientis Sponſi excitatio eſt. Ælredus. ſerm. 18. in Iſai. *Rogo, quando ipſa volet? Quando his carere amplexibus, ab his ancilli-vberibus, inſuper ſinu, vel pectore volet ſeparari? Certè quando charitas ipſa, quæ eam hoc cæleſti ſomno ſopiuit excitauerit, ſtans ad oſtium, & pulſans.* Illud enim ipſum eam hoc dulciſſimo ſomno ſopiri, excitatio eſt, præceptum eſſe puta.

39. *Animam ſomno dulciſſimo contemplationis ſoporari, idem eſt, ac, iniuncto præcepto excitari ad proximos adducendos.* Cant. 3.

40. *Sponſa excitatur ab ipſa dulcedine percepta, vt proximos requiſitum, ad Dominum adducendos.* Cant. 2.

Pulsârat ſponſus, nec illa excitata ſurrexerat. Diſcedit ille, illa autem aſſurgit, vt capillos ſponſi, id eſt, ad proximos requirendos accurrat. An excitata à Domino præcipiente? Curauerat enim excitare. *Aperi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore.* Cant. 2. Non tamen illa aſſurgit: *ſpoliaui me tunicâ mea, quomodo induar illâ.* Quid plura? Poſt pulſationem, poſt Sponſi præſcripta vocantis, & præcipientis, ipſa velociter tendit ad oſtium, & ſe fert in plateas. A quonam fuerit excitata? Illa ipſa conſolatio, quâ in cubiculi requie fruitur, fuit excitatio, quaſi præceptum fuit. Adiicit bellè Aelredus, *Audiens illa caput amici plenum rore, euigilat, ſurgit, relictis delicijs: ad capillos illius, qui fide illi adhærent, erudiendos, charitate ſuggerente, pertranſit.* Non ſuggerit præceptum, ſed charitas ipſa, quâ *aliquantulâ conſolatione* affecta eſt. Aelred.

41. *Nicodemus alios non vocat, Samaritana omnes adducit: hæc enim non ille à dulcedine potus emittitur.*

Nicodemus à Domino inſtruitur: *Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre Regnum Dei,* &c. Porrò poſt præcipua Myſteria ei reuelata, non audio illum ad ſubditos Phariſæos profectum, vt inſtructos adduceret ad Meſſiam. Ioa. 3. Pergens autem Samaritanam video velut Martham cum Domino locutam, ab ipſo recedentem Chriſtum Gentilibus prædicare. *Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abijt in Ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte.* Ioan. 4. τὸ *Reliquit ergo*, pondera. An immiſſa à Domino perrexerit? Minime, ſed à conſolatione, quam ex aquæ viuæ (quam promiſerat Dominus) potu, excitata proficiſcitur. Cur non ſic Nicodemus? Quia huiuſmodi non dicitur dulcedine potatus. Chryſoſtomus hom. 23. in Ioan. *Credidit continuò mulier longè Nicodemo fortior. Ille huiuſmodi pluribus auditis, neminem aduocauit: hæc Apoſtolico officio functa eſt, omnibus audita annuncians, & populum extra Ciuitatem ad Chriſtum aduocans.* An ô Ieſuita Ieſu dulciſſimo poculo potaberis, & expectabis Domini præſcripta, vt ad proximos requirendos proficiſcaris? Non-ne illud ipſum mero dulcedinis ebriari, quaſi præceptum eſt? Chryſ.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te.

Ad peccatoris inueterati excitationem Maria Nominis materni baiula aduocatur.

Quia ad pœnitudinem inueterati peccatoris pectori immittendam, Deiparæ neceſſaria eſt interceſſio.

42. Chryſ.

VLgarem illam D. Petri Chryſologi ſententiam pulchram planè ſub ſpeciali reſpectu ponderabo: *Martha mittitur ad Mariam, quia ſine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari.*

parari. Veniat Maria, veniat Materni nominis baiula, vt videat homo Chriſtum virginalis vteri habitaſſe ſecretum, quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de ſepulchris. Illud preme: *Quia ſine Maria nec fugari mors poterat. Quatenus mortui exeant de ſepulchris.* Neceſſaria-ne Mariæ Deiparæ interceſſio ad peccatoris conuerſionem? An non poterit quique ſine Mariæ precibus effuſis ad vitam reuocari? Sunt mortui qui adhuc ſepulchris minimè reconduntur, nondum fœtent quatriduani, nondum lapidis mole clauduntur: & ſunt qui tumulo recludantur, qui fœteant, & habitus praui pondere teneantur. His profectò Deiparæ interceſſio tam neceſſaria eſt, vt niſi potentiſſima Bethſabee precatrix aſſurgat, opportunum auxilium, quo efficaciter mortuus peccator reuocandus ad vitam eſt, non impendatur.

43\. Deſperato itaque peccatori, quatriduano, fœtido Deiparæ protectio neceſſaria indicitur. Si non adſit Maria, nec fugari mors poterit, nec vita reparari. *Similis eſt dilectus meus capræ, hinnulóque ceruorum.* Cant 2. Vbi Bernardus Dominum contemplatur ad iudicium properantem, in morem hinnuli ceruorum ſerpentibus, peccatoribus ſcilicet induratis, inueteratis (inſtar diaboli) impœnitentibus exitialis. Cur autem ſimul capræ comparatur? Aſſerit Abbas in capræ metaphora Deiparæ innui neceſſariam tunc peccatori protectionem. *Vult itaque* (inquit ſer. 73.) *& ſi in iudicium venire, non tamen ibi in formâ Dei apparere: ſed in ea quâ nobis natus eſt, idque de ſolo fœmineo ſexu. Cur hoc? Nempe vt admoneatur, infirmo miteſcere in die iræ.* Cùm Dominus turbat ſeipſum, indignatione fremens contra quatriduanos deſperatos peccatores, adeſt Maria, vt admoneat Ieſum, *infirmo miteſcere in die iræ.* Non poterat ergo aliter mors quodammodo fugari, quia ſola Maria hoc poteſt Dominum admonere.

Iratum Ieſū admonet Virgo, hominem eſſe ex ſola Maria, & ab indignatione aduerſus peccatores remouet.
Cant. 2.
Bernard.

44\. Quatriduano vnicum ad reſurrectionem remedium, ſi Maria precatrix adueniat, monere Dominum, qui nullatenus poteſt tantam pellere precatricem licet alios diuos repulerit. Abbas Cel. lib.6. Epiſt. 23. *Sublunarem regionem arentem mediante nube Virgineâ, riuis de ſanguine, & doctrina irrigauit Dominus. Collactanea eius miſericordia mitiores leges impetrauit.* Miſericordia Chriſti à lacte Virginis adoleuit, vt Diuinitatem erga aridos omnino peccatores iam igni præparatos faceret mitiorem. Et quid vberibus Virgineis abnegari poſſit? Arnoldus Carnot. de laud. Virg. *Illa oſtendit Chriſto pectus, & vbera; nec poteſt vllo modo* (poſt admonitionem huiuſmodi) *eſſe repulſa.*

Deum adeo iratum ſortiri poterimus, vt ſola vbera Mariæ eum poſſint emollire, cui vbera oſtendenti nihil poſſit abnegari.
Abbas Cel.
Arnold. Carno.

45\. Quid iniquius Nabale ingratiſſimo, qui Dauidi eſurienti ſubſidium abnegauit? Gladiatorio animo Dauid viam in necem ſtultiſſimi hominis affectabat, cùm occurrens Abigail, inquit, *Accipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi,* 1. Reg. 25. Vbi D. Bonauentura in ſpec. *Abigail placauit Dauid verbis, & muneribus: ſic Virgo Deum precibus, & meritis.* Quàm neceſſaria Nabali Abigail interceſſio! An ſine illâ fugari mors poterat? Profectò ſine interceſſione Mariæ ſtultiſſimi peccatoris vita quonammodo poſſit reparari?

Sola Abigail protegere potuit Nabalē ſtultiſſimum iam damnationi addictū: ſola Maria iniquiſſimum huiuſmodi peccatorem.
1 Reg. 25.
Bonau.

46\. Dubium mihi profectò, an Deus quodammodo poſſit in Mariæ conſpectu peccatorem exitialiter vulnerare; detinet enim Dominum currentem ad vindictam. *In plenitudine* (ait illa) *ſanctorum detentio mea.* Eccli. 24. Sanctorum adeſt plenitudo, vt iratum detineant Saluatorem, ne peccatores percutiat. Sed *detentio mea* eſt, ego ſola eum poſſum detinere. Sic Bonauentura in ſpec. *Detinet Maria Filium, ne peccatores perdat. Ante Mariam non fuit, qui ſic detinere Deum auderet, teſtante Iſaia: Non eſt, qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te.* Si ergo ſola Maria ſurgere audet in ſanctorum plenitudine, vt Deum exitialiter iratum contra iniquiſſimum teneat, neceſſaria eſt peccatori huiuſmodi Virginis protectio.

An poſſit Deus in Mariæ præſentia, cuius conſpectu peccatorem exitialiter vulneraret; ſolius Mariæ eſt Deum ſic iratum detinere.
Eccli. 24.
Bonau.

47\. Obiiciens oculis, ſeu menti tuæ Abrahamum gladium ſtringentem, vt filium lethaliter vulneraret, contemplere Deum peccatori vulnus præparantem. An Cælicola audeat brachium detinere? Nullum exiſtimo, niſi Deiparentem, ſancte Bernardo, *Nemo tam idoneus, Domina, qui gladio Domini pro nobis manum obiiciat, vt tu Dei amantiſſima.* Sola Maria idonea ad huiuſmodi peccatores protegendos; vndè Mariæ eis neceſſaria ſubuentio. Qui te agnoſcis tumulo criminis alligari, habitus praui lapide prementе, ad Deiparæ præſidium accurre, vnicum hæc refugium delinquentium.

Ipſa ſola modo brachium iam extenſū ad percutiendum detinere.
Gen. 22.
Bernard.

Observatio V.

Ad illa verba:

Ieſus autem vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum.

Plorans Dominus Mariæ Iudæorúmque lacrymas commendauit

Quàm religioſè mortui piis lacrymis abluuntur!

48\. Aſpicientem Dominum Mariam, ac Iudæos lacrymantes commotum voluntariè, vt lacrymas profunderet vidimus. Approbat equidem religioſum pro mortuis luctum. Ambroſius lib. 2. de Pœnit. *Veniet ad monumentum Chriſtus, & ſi viderit flere pro te Martham boni fœminam miniſterij, & flere Mariam & amicos, mouebitur miſericordia.* Vt ſcilicet commotis viſceribus lacrymas profundat. Quàm commendabilis luctus pro mortuis quem Deus ipſe (approbans plorantium affectum) pretioſiſſimis lacrymis honorauit!

Ambroſ.

49\. Ad pium huiuſmodi luctum Sapiens homines excitabat. *Filî produc lacrymas in mortuo, & quaſi dira paſſus, incipe plorare, & non deſpicias ſepulturam illius.* Eccli. 38. Monemur lacrymis proſequi luctum, & operibus ſimul piis, eleemoſynis

Lacrymis luctum, ſepulchrum autem eleemoſynis ornare curam.
Eccli. 38.

Paulin.

moſynis ſcilicet ſepulturam ornare. Sic expono illam particulam : *Et non deſpicias ſepulturam illius.* D. Paulinus epiſt.35. Commendat Pamachium & lacrymis luctum vxoris perſequentem, & eleemoſynis ſepulchrum ornantem. *Debito ordine primùm charo funeri iuſta perſoluens piis lacrymis, & largo charitatis rore perfuſus religioſas exequias honorâſti. Itaque iſtius pietatis opus in te laudabo. Nam id quoque Deo placitum monſtrat Scriptura, cum dicit : Fili produc lacrymas, &c.*

Flet Dominus ex ſolius luctus iure, quos exigit lacrymas. Chryſol. Baſil. Seleu.

50. Miratus ſum ſæpe Dominum, lacrymas profudiſſe in luctu Lazari, quem deberet mox ad vitam reuocare. Imo ideo plorauit (inquit Chryſologus) quia ad miſeram deberet eum mortalitatem reducere, quem mortuum priùs gaudij eſt proſecutus affectu. *Lazarus amicus noſter dormit, & gaudeo.* Profectò ideo plorâſſe reor, vt paruo illo temporis interſtitio, quo non reſurgit Lazarus, debita naturæ iura ſoluat. Baſil. Seleu. orat.2. de Lazar. *Fas eſt vtique, ſemper coram defuncto dolore tangi. Nam ſuo hoc Chriſtus exemplo oſtendit. Fleuit is enim ſuper Lazarum.* Lacrymæ itaque illæ non profunduntur pro mortui Lazari deſiderio ſi mox erat vocandus à tumulo : ſed pro luctûs iure.

Haud humanum, qui non flet coram defuncto homine. Baſil.

51. An poterit humanus coram mortuo ſiccis oculis apparere ? Idem Baſilius rogat. *Interdictum ne eſt homini mortuorum causâ lacrymas fundere ?* Et reſpondet, *Iſtud ego non dico ; non enim, ne lugeas inhibeo. Non exui hominis ſenſum, non ſum immanis, aut crudelis quiſpiam.*

Exigit natura familiarium affici ſolamine. Baſil. Eurip.

52. Id proculdubio hominum natura requirit familiarium affici ſolamine. Adhuc Seleu. Præſul. *Noui naturam dolore preſſam ſolamen, familiariúmque conſuetudinem inquirere ſolere.* Audi dulce Euripidis Græci carmen latinè tranſcriptum.

Eſt etiam in malis aliquid voluptatis
Hominibus, nempe aliorum luctus, & lacrymæ;
Hæc enim leuant animi dolores,
Et nimios pectoris labores ſoluunt.
Hoc à natura ingenitum eſt hominibus,
Etſi quis iure mortem obierit, nihilominus tamen cupit
Vnus quiſque amicos ſibi aſtrictos lugere.

Sancti plorant: Quid mirum ſi ſanctus ſanctorum? Pauli.

53. Defuncto parenti Ioſeph pias lacrymas libat. Vxori mortuæ Abraham ſanctum conſecrat luctum ; ſed cur non omnes profundant lacrymas, ſi Ieſus mortuum defleuit amicum ? Paulinus citatus. *Bonæ lacrymæ charitatis, in quibus Pater Abraham Matrem repromiſſionis luxit. Bonæ lacrymæ pietatis, quas Ioſeph iuſtus impendit Patri. Sed quid ſanctorum mortalium prædicem fletus? Fleuit & Ieſus amicum : hanc etiam paſſionem de noſtra infelicitate dignatus, vt mortuo infunderet lacrymas.*

Plorat Ieſus coram defuncto Lazaro, ſe agnoſcens moriturum. Paul. Eccleſ. Olimp.

54. Illa particula expendenda : *ſed quid ſanctorum mortalium prædicem fletus ? Fleuit & Ieſus amicum.* Quia ſcilicet mortalium proprium eſt lacrymas profundere in luctu mortalis. Plorat Dominus coram defuncto Lazaro, ſe agnoſcens moriturum. Et quis audeat mortalis ſiccis oculis defunctum hominem aſpicere ? Olympiodorus ad illud Eccleſiaſtes 5. *Cor ſapientum in domo luctus,* ait : *Vir ſapiens, & funebri luctu ſecum animo deputans, ſe ſe natum de corruptibili carne, breui ex hâc vitâ migraturum, mortales cæteros, qui eadem ſunt nati conditione, affectu pio proſequitur. Contemnit autem quæcumque ob oculos obuerſantur, vt caſui, mortique ſubiecta.*

Observatio VI.

Ad illa verba.

Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos plorantes, dixit, Vbi poſuiſtis eum?

Dominus ſe ad Lazari reſurrectionem accingit, rogatus lacrymarum vocibus.

Vocales enim lacrymæ nunquam non à Domino exaudiuntur.

PLORAT Maria, flet Martha, Iudæi lacrymas profundunt pio luctum affectu proſecuti; Dominus autem non interrogans, quidnam fideles ſorores intenderent, *vt vidit eam plorantem* Mariam, & plorantes Iudæos curat Lazarum ſuſcitare. Lacrymæ enim vocales ſunt, potius exaudiuntur, quàm videntur. 55.

Cùm ad Regem legatus immittitur, vocem gerit illius à quo immiſſus eſt. Quis dubitet lacrymas animi ad Deum vocalem eſſe legationem. *Alioquin* (inquit Dominus) *adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt.* Luc. 14. Legatio mittitur ad Regem potentiſſimum (cui nullus Princeps poteſt occurrere dimicaturus, ſed ſupplex veniam flagitaturus) vt de pace agatur. Porro animi ad Deum legatio lacrymæ ſunt, fante D. Gregorio apud D. Tho. in Cat. *Dum ergo adhuc longè eſt anima, mittamus ad eum legationem lacrymarum,* vocem ſcilicet hominum gerentium. 56.

Lacrymarum vocalis legatio ad Deum. Luc. 14. Greg.

Hæ exauditæ ſemper impetrant à Domino, quod conſequi intendunt. Canebat Dauid, *Exaudi orationem meam, auribus percipe lacrymas meas.* Pſal. 38. An auribus lacrymæ, & non potius oculis percipiendæ ? Ita equidem, quia vocales ſunt cùm ad Dominum diriguntur. Petrus Damia. lib. 3. de perſ. *Voces ineſſe lacrymis manifeſtè deſignat. Lacrymæ cum in conſpectu Iudicis ſupplicant, nihil hæſitant, ſed impetrâſſe ſe, quod petierant, confidenter exultant.* 57.

Lacrymarum vox à Domino exauditur. Pſal. 38. Damia.

Iudith profata, *Sed quia patiens eſt Dominus, in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam eius fuſis lacrymis poſtulemus.* Cap.8. Cur non dixit, Poſtulemus fuſis vocibus ? An non quia lacrymæ vociferantur ? Anſelmus, *Fuſis lacrymis poſtulemus, quæ pondera vocis habent, quæ impetrant, non ſupplicant.* Quaſi indecorum lacrymis eſſet ſupplicare, quod earum præſentiæ illicò impenditur : non petentes enim poſtulant, tacentes proclamant : ſine voce loquentes exaudiuntur. 58.

Poſtulant lacrymæ vocales vtique ſola præſentia. Iudith. 8. Anſel.

D. Maximus aſſerit lacrymas preces quidem eſſe ; ſed tacitas, quia ſine profusâ voce exaudiuntur in ſilentio. Petrus *egreſſus foras fleuit amarè.* Matth.26. An lacrymæ Apoſtoli veniam 59.

Lacrymæ tacitæ preces. Matth. 26. Maxi.

à Domi

à Domino poſtularint? Minimè petierunt, ſed effluentes impetrârunt in ſilentio loquutæ. *Lacryma* (ait hom. 3.) *tacitæ quodammodo preces ſunt, veniam non poſtulant, ſed merentur.*

60. *Efficacior lacryma precibus.* Iſai. 38.

An preces lacrymarum ſine voce profluentium efficaces ſint? Reſpondet D. Anſelmus citat. *Vtiliores lacrymarum preces ſunt, quam ſermonem; quia ſermo in precando fortè fallit, lacryma omnino non fallit.* Teſtor Ezechiam exorantem. *Ægrotauit Ezechias*, qui à Prophetâ Iſaiâ monitus, vti ſe ad obitum diſponeret, *orauit ad Dominum.* Iſaiæ 38. Non reſpondente Domino, *fleuit Ezechias fletu magno.* Vix primam lacrymam profuderat, cùm Deus inclamat: *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas*, (aliter *lacrymam*) *ecce ego adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos.* Iſa. 48. Cur non reſpondit Dominus

Velocior oratione lacryma.

deprecanti, ſed ploranti: plorans autem primam effundens lacrymam exauditur? Quia vnica lacryma poſt preces egreſſa feſtinantior ad cælum accedit, *Orauit ad Dominum, fleuit.* Priùs profunditur oratio, quàm lacrymæ; ſed priùs quàm orationis voces, vox lacrymarum peruenit ad

Galfr.

Superos. Galfridus, *Quam feſtinus, & fidelis legatus eſt ſuplicantis lacryma.*

61. *Lacryma profluentes ab oculis ad maxillas aſcendunt ad ſuperos velociſſima.* Iob. 16.

Feſtinans legatus? Quonammodo poteſt lacryma feſtinantis ad ſuperos legati gerere munus, ſi ex oculis profluit ad maxillas? Profectò deſcenſus ille aſcenſus feſtinus eſt. Iob, *Ad Deum ſtillat oculus meus.* Cap. 16. Ad Deum vtique in ſuperis commorantē. Deus etiam apud terricolas degit vbique reſidens; vndè deſcendens ex oculis ad maxillas lacryma ad Deum ſtillatur. Fateor, ſed exiſtimo Iobi oculos ad Deum apud cælicolas ſedentem ſtillâſſe. Deſcenſus enim ille lacrymarum aſcenſus procul-dubio eſt. Audi Salomonem. *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillas deſcendunt, à maxillâ enim*

Eccle. 35.

aſcendunt vſque ad cælum? *Eccl.* 35. Aſcendunt oratione ipſa lacrymæ velociores: vnde priùs precibus ipſæ vocales exaudiuntur.

Observatio VII.

Ad illa verba.

Et lacrymatus eſt Ieſus.

Plorat Chriſtus, de morte Lazari amici exultans.

Mors etenim iuſti exultatione eſt proſequenda.

62. *Lacryma exultationis.* Chryſ.

PETRVS Chryſologus contemplatus Dominum, & de Lazari morte gaudentem, *Lazarus amicus noſter dormit, & gaudeo:* & poſtmodum plorantem, *Et lacrymatus eſt Ieſus*, quærit, quare ſi gaudebat de obitu amici, mox lacrymas profundit? *Certè ipſe, qui dixerat: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo: de quo gaudet mortuo, ipſum cùm reſuſcitat, tunc lamentatur; qui cùm amittit non flet, cùm recipit, tunc deplorat, tunc fundit mortales lacrymas, vitæ ſpiritum cum refundit.* Iuſtorum enim mors non proſequenda lacrymis, ſed gaudio celebranda: ideo gaudet cùm moritur: ideo flet cùm reſurgit, ſic ſerm. 65. Pater.

Aliter ex eodem Chryſologo idem argumentum roborabo. Lacrymatur Chriſtus, non lu- 63. *Lacryma leta lætitiæ documentum ob amici obitū.* Chryſ.
ctum agens, ſed mortui amici felicitatem celebrans; lacrymæ enim è lætitiâ profluere aſſolent. *Fratres*, (inquit) *habes hoc natura corporis humani, vt producat lacrymas vis gaudij, & vis mæroris. Quoties enim aut triſtitia, aut lætitiæ viſcera nimio arctantur impulſu, oculi in lacrymas mox erumpunt. Hinc eſt, quòd Chriſtus non doloris mortis, ſed illius lætitiæ recordatione lacrymatur.* Mortuus eſt amicus, gaudeo præ lætitiâ lacrymas profundo.

Lacrymæ enim mœroris iuſti mortem non 64. *Ioſue mors non ploratur, ſecus Moſi. quia obitum peccatoris lacryma, iuſti autem exultatio decet.* Hieron.
decent. Moritur Ioſue, & planctu nullo ſepelitur. Moyſes obit, & excitato planctu ſepulturæ traditur. Quare Moyſis mors peccatorum mortem figurabat, Ioſue autem obitus iuſtorum exitum referebat, qui quidem doloris lacrymis minimè proſequendus. D. Hieronymus epiſt. ad Paulam de obitu Bleſillæ. *In Moyſe, id eſt, in lege veteri, ſub peccato Adam omnes tenebantur, & ad inferos deſcendentes, conſequenter lacrymæ proſequebantur ſecundum Apoſtolum, qui ait, Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſem. In Ieſu vero* (ſiue Ioſue) *id eſt in Euangelio, per quem iuſto paradiſus eſt apertus, mortem gaudia proſequuntur.*

Cecinit Vates, *Ad veſperum demorabitur fle-* 65. *Confirmo ex Dauide.* Pſal.
tus, & ad matutinum lætitia. Pſal. Vbi, ex Patrum ſententiâ, veſpertino tempore lex peccatoribus tradita deſignatur: matutino autem gratia iuſtorum. Ad veſperum fletus, cùm peccatores obeunt: ad matutinum lætitia cùm iuſti decedunt. Hieronymus Epitaph. Nepotiani fatur, Hieron.
Iudæorum luctus Chriſtianorum gaudium eſt. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Vnde & Moyſes moriens plangitur, Ioſue abſque funere, & lacrymis in morte ſepelitur.

Fœminis Ieroſolymæ plorantibus Saluato- 66. *Ideo fœminas Dominus auertit à planctu, quia iuſti mors non ploranda.* Luc. 23. Titus.
rem, dum ad mortem rapiebatur, ipſe proclamat, *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Luc. 23. Cur eas prohibuit à planctu tam adnato occaſioni? An quia mors iuſti ploranda non erat, ſecus peccatoris? Planè mors Ieſu lætitiâ, ipſius autem flentis aridi peccatoris mors luctu proſequenda. Titus Boſtr. Prohibuit, *quia mœſta afflictaque eum lugebant, quem æquius erat plauſu, lætâque acclamatione excipere.* Scio lacrymas eſſe afflictionis & mœſtitiæ: lacrymas gaudij & exultationis. Prohibentur meritò filiæ Ieroſolymæ à fletu, quia mœſtæ afflictæque eum lugebant quem quidem lætæ, exultantéſque (vti Dominus Lazarum) lugere debuiſſent. Mors itaque peccatorum lacrymis, iuſtorum autem exultatione proſequenda: Cauſam reddit Iacob. Bill. Anthol. ſac. fatus:

Cuncta bonis proſunt, quos & mors ipſa beatos,
Efficit, vt ſumant præmia principium.
Ille igitur finis malus eſt, quē pœna ſequetur,
Et qui perpetui porta doloris erat.
Non quo abſumuntur lacrymæ, cunctique labores,
Vt veteris pereant omnia ſigna mali.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Et lacrymatus eſt Ieſus.

Vt celebret Dominus amici reſurgentis trophæum, lacrymas profundit.

Nihil enim pijs lacrymis iucundius.

67. SI Lazarus mox ad viuos erat è mortuis reuocandus, quare Dominus lacrymatus eſt? Certè vt exultans amici trophæum poſſit celebrare. Vt enim Chryſologus illo ſer. 65. aiebat, *producit lacrymas vis gaudij.* Plorat itaque Ieſus, quia amici triumphum lacrymæ lætitiæ decebant. An aliquid poſſit iucundius piis lacrymis excogitari in valle lacrymarum? *Chryſol.*

68. Aiebat Apoſtolus, *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete: modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Philip. 4. Sit veſtra exultatio abundantiſſima, ſed modeſta, ne ex lætitiæ redundantia in immodeſtiam deueniatis. Et quænam tam ingens exultatio, quæ beatam æmulatur æternam? Chryſoſtomus hom. 6. ad Matth. 2. *Eam proculdubio, quæ ex his naſcitur lacrymis ſignificat voluptatem.* Piæ enim lacrymæ ex pœnitudine, aut deuotione præcordia replent cæleſti lætitiâ. *Semper & quaſi æternè gaudent beati, qui piè lugent.*

69. Inibi Paulus *flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus* monet. Cum gaudentibus ſcilicet cæleſti in patria commorantibus, qui vero gaudio afficiuntur. Et cur flere ſimul edocuit? Quia flere ex affectu pœnitudinis, & beatè exultare, idem prorſus eſt. Imo lacrymæ huiuſmodi illius æternæ exultationis dixerim ſeminarium, *Qui ſeminant in lacrymis in exultatione metent.* Baſilius Orat. 4. de Grat. actione. Vt igitur beatæ illius vitæ imaginem quandam conemur exprimere, iuſſit nos gaudere ſemper Apoſtolus, vt cum flentibus & ipſi fleamus permittit. (& cum gaudentibus gaudeamus) Quod eiuſmodi lacrymæ ſint ſeminarium quoddam, quibus æternum illud gaudium increſcit quotidie, & cumulatur. *Flere ex affectu pœnitudinis, & beatè exultare, idē prorſus.*

Vnde illud Pſalmiſtæ: *In exultatione metent*, legerim de præſenti *Metunt*, quia ſeminarium hoc cum meſſe vtique colligatur: Increſcit quotidie, & cumulatur de præſenti; ipſum enim lacrymari, gaudere eſt, & exultare.

Dominum teſtor ſantem, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Mat. 8. An ex futura conſolatione beati? Profectò huiuſmodi beatitudo ex ipſa ploratione acquiritur. Conſolabuntur enim cùm plorauerint; quia flere pie, quaſi beari eſt. D. Auguſtinus ſer. 11. ad frat. in Eremo. *Si hîc ploraueris, iam patria cæleſtis ciuis conſtitueris. Beati, inquit, qui lugent.* 70. *Et nunc beati qui piè lugent.* Matth. 8. Auguſt.

David Pſal. 136. pœnitentis plorantis exulis quidem à cæleſti patria deſcribit affectum. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Mox Pſalmo proximo aſſerit plorantes illos cum beatis Angelis ſuauiſſimam vocem interſerere. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Ac ſi diceret: Lacrymæ pœnitentiæ tanta redundant lætitiâ, vt poſſint in Angelorum canentium conſpectu perſonare. Hieronym. *Vide profectionem plorantis pœnitentis, quia poſt confeſſionem, & pœnitentiam cum Angelis meretur pſallere.* Ipſum enim plorare pſallere proculdubio eſt. 71. *Plorantes ſic cum beatis Angelis beati ipſi ſuauiſſimam vocem interſerunt.*

SECTIO TERTIA.

Lazari Reſurrectio.

TEXTVS.

Vers. 38. ERAT autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. 39. Ait Ieſus, Tollite lapidem. Dixit ei Martha ſoror eius, qui fuerat mortuus, Domine, iam fœtet, quatriduanus eſt enim. 40. Dixit ei Ieſus, Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei? 41. Tulerunt ergò lapidem. Ieſus autem eleuatis oculis ſurſum, dixit, Pater, gratias ago tibi, quoniam audîſti me. 42. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis; ſed propter populum, qui circunſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti. 43. Hæc cùm dixiſſet, voce magnâ clamauit, Lazare, veni foras. 44. Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus manus, & pedes inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Ieſus, Soluite eum, & ſinite abire. 45. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Ieſus: crediderunt in eum.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Lapis tollitur ſpelunca.

1. ERAT *autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei.* Deſcribitur Lazari monumentum. Aderat ſpelunca, in qua iacebat mortuus, & lapis erat ſpecus ori ſuperpoſitus, quo clauderetur. Huiuſmodi ſepulchris Iudæi vtebantur, nec non aliquæ nunc Nationes vtuntur. *Monumenti deſcriptio.*

Eſcob. & Mendoz. Euang. de Temp. T. 1.

2. *Cur lapidem propria virtute non remouit* Ambr. Orig.

Ait Ieſus, Tollite lapidem. Cur non propriâ virtute lapidem ab ore ſpecus ablegarit? Vt miraculum faceret manifeſtius, illis iubet, vt tollant, oculis aſpectent cadauer, fœtorem percipiant: Sic Ambroſius lib. 1. Exam. Cap. 7. Origenes ſpiritualem aliam cauſam adiungit.

3. *Imperfecta Marthæ adhuc fides.*

Dicit ei Martha. Domine iam fœtet, quatriduanus eſt enim. Ne fœtor erumpens adſtantium ſenſus offenderet, Martha nondum perfectæ fidei, iuſſis modeſtè reſtitit. Permiſit Dominus, verba hæc à Martha proferri, vt adſtantibus mors Lazari quatriduana innoteſceret, tanto illuſtriore futuro miraculo. Cur autem Ioannes addidit illa verba: *ſoror eius, qui fuerat mortuus*; cum aliàs ſæpe ſolo nomine Marthæ fuerit vſus? ſignificare voluit miraculi magnitudinem: nam erat Lazarus adeò iam corruptus, vt nec ſorori propriæ gratus eius fuerit aſpectus.

Cur ſororem Lazari inculcat?

4. *Reprehenſionem verba inuoluunt.*

Dixit ei Ieſus, Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei? Reprehenſione tantò magis es digna, quantò plus es à me iam edocta. Dixi enim tibi, *ſi credideris, videbis gloriam Dei*: Seu videbis miraculum Diuinitatis meæ inſigne. Videre gloriam Dei, eſt opera Diuinitatis magnifica aſpectare, queis Chriſtus ſe Dei Filium oſtendebat. Sic Cap. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.*

Quid videre gloriam Dei. Ioan. 1.

5. *Quando hoc dixerit Dominus?*

Quandonam autem hoc Marthæ Dominus dixerit? Cum Euthimio, & Toleto reſpondeo, quando ei occurrit, & reliqua, quæ ſcripta ſunt, audiuit. Hoc autem Euangeliſta non narrat ſtudens breuitati, quia iterum repetendum erat. Quemamodum quando Martha ſorori dixit: Magiſter adeſt, & vocat te: nec antè iuſſiſſe narrauerat, vt vocaret.

6. *Lapis tollitur.* Orig.

Tulerunt ergò lapidem. Quia Dominus ſuo in propoſito non obſtante Marthæ ſententiâ, *Iam fœtet*, permanebat, miniſtri Chriſto obedientes lapidem abſtulerunt. Adnotat Origenes hom. 28. Martham ſuâ incredulitate Chriſti miraculum retardâſſe; miniſtri enim lapidem tollere propter Marthæ verba diſtulere. Diſpoſuit certè Chriſtus tardiùs miraculum excitare propter Marthæ verba, quam ſtatuiſſet, ſi ea non interceſſura eſſent, quamuis modica mora hæc fuerit.

§. II.

De Chriſti oratione.

7. *Oculorum in cælum eleuatio.*

IEſus autem eleuatis ſurſum oculis, dixit.* Quidnam oculorum in cælum eleuatio ſignificarit; In ſignum, & in profeſſionem eleuantur. In ſignum quidem eleuationis mentis in Deum? In profeſſionem autem; nam ſicut mentis conuerſione ad Deum, animam ab ipſo Deo pendere profitemur, & ipſius ſubeſſe dominio, & prouidentiæ, ita etiam oculorum in cælum motione corpus noſtrum eiuſdem Dei ſubeſſe dominio, & prouidentiæ confitemur. Hinc eleuatio huiuſmodi oculorum in cælum actus religionis eſt, & latriæ, quo Deum colimus, & veneramur, ipſumque confitemur, à quo omnia humana bona exoriuntur. Ideo prohibet Scriptura oculos in idola leuare. *In montibus non comederit, & oculos ſuos ad idola non leuauerit.* Ezech. 18. Econtrario autem ad Deum attollere laudi ducitur. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Pſal. 122. Oculos itaque in cælum Dominus extollit, vt exteriori facto ſignificaret, ſe virtute diuinâ facere, quæ geſturus eſſet; ſéque Dei Filium in cæleſtibus commorantis exiſtere; inſuper vt Eccleſiæ ceremonias approbaret. Id quod poſtmodum præſtitit Chriſtus, ex traditione Eccleſiæ, quando ſub panis, & vini ſpeciebus ſuum corpus, & ſanguinem obtulit. Demum, quando, peractâ cœnâ, eleuatis in cælum oculis, dixit: *Pater clarifica Filium tuum* Ioan. 17.

Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me. 8.
Si exauditum ſe oſtendit à Patre Dominus, aliquid videtur à Patre petiiſſe. Quonammodo igitur Chriſtus fuerit à Patre auditus, An priùs preces fuderit pro Lazaro ſuſcitando? Minimè, quia nec Ioannes prætermiſiſſet, nec Martham dicentem, *Quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus*, correxiſſet. Reſpondeo auditum dici poſſe, licet non petierit. In Scriptura enim Deus audire dicitur, non ſolum quando quod petitur, facit; ſed etiam quando id facit, quod homo vult aut deſiderat, etiamſi non petat. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Pſalm. 9. *Deſiderium meum audiat Omnipotens.* Iob. 31. Sic exponit Origenes hom. 28.

Quonammodo exauditus Chriſtus à Patre.

Gratias ago tibi. Pro quonam beneficio? Auditus dicitur à Patre vt homo, quia voluit vt homo Lazarum ſuſcitare: & hoc idem voluit Pater voluntate diuinâ, vt fieret. Gratias ergò agit vt homo pro hoc beneficio. Nam Deum voluntati humanæ annuere, vt quod homo vult, Deus velit, & faciat, beneficium eſt homini collatum, gratiarum actione dignum. Cur autem Deo, & non ſibi gratias agit cum Deus vnus cum Patre exiſtat? Certè ſibi vt Deo gratias agebat vt homo; non enim ſe à Patre in huiuſmodi gratiarum actione diuidebat. Exprimitur autem Pater, vt ſe Dei Filium ſignificaret, Patriſque ac Filij indicaret diſtinctionem. 9.

Quodnam ob beneficium gratias agit.

Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis. 10.
Senſus eſt, O Pater, has ego gratias ago tibi, quia audiſti me, non quòd neſcirem priùs me à te auditum iri, nec quòd aliquando à te non exaudiar: ſciebam enim iam ante, me audiri à te ſemper, & quæcunque volo, & quando volo etiam vt homo, eadem te velle, & facere ſemper. Nec his de cauſis haſce ago tibi vt homo gratias, ſed aliâ de causâ. Hanc mox adiungit, *Sed propter populum, &c.*

Semper Dominus exauditus à Patre.

Quonammodo aſſerat Chriſtus, ſe à Patre ſemper exaudiri, cùm in horto calicem à ſe transferri poſtularit, nec ſit exauditus? Reſpondeo, duplicem ibi Chriſti deprecationem, vnam de vitandâ morte verbis illis expreſſam, *Saluifica me ex hac horâ*: alteram de morte expetendâ, verbis illis ſignificatam: *Clarifica nomen tuum.* Ioann. 12. Vtraque eſt in horto repetita, *Transfer calicem hunc à me: veruntamen non mea, ſed* 11.

Obiectioni ſatis.

tua

tua voluntas fiat. Luc. 22. Vtraque deprecatio eſt voluntatis humanæ, ſed prior ratione affectûs naturalis, poſterior ratione voluntatis deliberatæ: illa conditionalis, *ſi vis*; hæc abſoluta, *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Velle enim voluntatem Patris fieri, humanæ fuit voluntatis, ſed deliberatæ: idcirco ratione huius voluntatis eſt exauditus, non ratione illius; quia etiamſi petierit, à ſe transferri calicem, ſub conditione tamen petiit, & Patris voluntatem abſolutè fieri voluit, & rogauit. Propterea reſpondit Pater. *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Ioa. 12. Quæ quidem reſponſio facta eſt deprecationi à voluntate deliberatâ procedenti.

12. *Vt homo loquitur declarans præcedentia verba.* *Sed propter populum, qui circunſtat, dixi; vt credant, quia tu me miſiſti.* Vt homo eſt loquitur verba præcedentia declarans. Cauſa (ac ſi diceret) ob quam ô Pater, has tibi ago publicè gratias, ea eſt, vt populus, qui adeſt, & coram quo opus tam inſigne tuâ virtute molior, credat me eſſe Filium tuum ad te in hunc Mundum miſſum. Credent autem, dum vident, me virtute tuâ, & voluntate tuâ talia facere, quæ gero; vident autem tuâ me virtute ea facere, dum te confiteor, & tuæ hoc factum tribuo potentiæ; nec dæmonis aliquo, aut hominis miniſterio: ſed nomine tuo, & in nominis tui manifeſtationem, & confirmationem operor. Ea eſt cauſa, cur oculos ad te attollo, cur haſce tibi publicè gero gratias.

§. III.

Lazarum aduocat à ſepulchro.

13. *Cur vſus clamore?* Tolet. Ambr. HÆc cum dixiſſet, voce magnâ clamauit: *Lazare, veni foras.* Cur vſus clamore? An vt omnibus innoteſcat, ſe eſſe, qui mortuum ſuſcitat? An quia reſurrectio hæc figura quædam erat nouiſſimæ reſurrectionis, quando: *qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei?* Vtrumque Toletus. An vt futuram vocem Archangeli ſignificaret, quando omnes ſurgemus? Affirmat Ambroſius lib. de fide Reſur. Ego primam Toleti cauſam literalem quidem amplector. *Lazare veni foras.* Vox imperantis eſt *veni.* Cur non addidit, In nomine Patris? Chryſoſtomus, *Tanquam poteſtatem in ſe habens.* Cur proprio nomine vocitauit? Toletus, *ut ſuo illum ſuſcitari indicaret imperio.*

14. *Vocis Ieſu virtus.* *Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus.* Inaudita virtus, animam è loco, in quo morabatur, extrahens: & corpus animæ diſponens recipiendæ: ſimul vtrumque vniens, & coniungens: & vt reuocatus ad vitam mandato obediret, efficiens. An non hæc Altiſſimi virtus eſt, cuius illa vox inſtrumentum?

15. *Plura miracula.* Baſil. *Ligatus manus, & pedes inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata.* Plura miracula in Lazari reſurrectione licet contemplari. Opertis oculis, & ligatis manibus, & pedibus, nemine auxiliante de ſepulchro egreditur. Baſilius Orat. de mœr. & triſtit. *Opus admira-*

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

tionis plena; faſcijs conſtricti erant pedes, nec tamen impedimento fuerunt mortuo; maius erat robur impedimento. Porro hæc omnia effecta in vberiorem miraculi atteſtationem; nam etiam ſi viuus fuiſſet, de monumento prodire ſic impeditus ſolus, & tam celeriter non poſſet, niſi virtus diuina adfuiſſet.

Dixit eis Ieſus, Soluite eum, & ſinite abire. Cur præcepit; vt ſoluerent? Vt oculis videant, manibúſque contrectent ligamina, quibus conſtrictus nemo incedere poterat ipſumque viuentem conſpiciant. Quare iuſſit abire? Vt ab omnibus viuus, & ſanus videatur. Commodior ſingulis videndi dabatur occaſio, ſi non in vno loco conſiſteret. Omnia hæc effecta reor, vt omnis calumniæ occaſio, & falſa ſuſpicio tolleretur. Ambroſius lib. 1. Exam. Cap. 7. *Suſcitaturus Dominus Lazarum, iuſſit, vt Iudæi remouerent lapidem de ſepulchro, vt mortuum videntes, poſtea reſuſcitatum crederent. Deinde vocauit Lazarum, & reſurrexit, & ligatis manibus, ac pedibus exijt foràs. Nonne poterat remouere lapidem, qui poterat mortuum reſuſcitare? & qui poterat defuncto vitam reddere, non potuit nexus ſoluere vinculorum? Sed vtique aduertimus, quòd voluit primò demonſtrare mortuum, vt oculis ſuis crederent; deinde reſuſcitare, tertiò iubere, vt ipſi vincula funeris ſoluerent, vt tritus iſta fides infunderetur infidelibus, & per gradus quoſdam credulitas naſceretur.* 16. *Cur præcepit, vt ſoluatur* Ambro.

Profectò miraculum hoc efficit ſpectabile, totâ fere diuinæ diſpenſationis rationem in eo fuiſſe repræſentatam. Lazarus enim peccatorum (authore Irenæo Lib. 5. Cap. 13.) geſſit imaginem. Eius reſurrectio omnium futuram in die vltimo ſignificauit, aſſerente Tertulliano Libro de reſur. carn. Propter hunc Chriſtus ex Galilæâ, vbi tutò conuerſabatur, in Iudæam, in quâ occiſus eſt, venit; quia propter peccatores carnem induit paſſibilem: & de cælo, vbi immortalem agebat vitam, ad nos carne ſumptâ, deſcendit, & occidi pro nobis voluit. Lazarum ſuſcitaturus fletu, fremitu, lacrymis, oratione vtitur: peccatores enim paſſione, & morte ſuâ à peccato liberauit, & in Patris gratiam reſtituit. Secundo verò aduentu poteſtate, & Dominio à corporum morte in æternam vitam eripiet. Epiphanius in Catal. dogm. Manich. ex traditione, docet Lazarum annorum triginta fuiſſe, quando fuit ſuſcitatus: alióſque triginta ſuperuixiſſe. 17. *Myſtica Lazari reſurrectio.* Irenæ. Tertull. Ephipha.

Multi ergò ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum. Impletum, quod prædixerat, *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed vt glorificetur Filius Dei per illam*, dum propter hoc tam mirabile opus multi Iudæorum, qui inuiſendi ſorores causâ conuenerant, in Chriſtum credidere. Particula *ergo* cauſam cur crediderint indicat, nempe præcedens miraculum. Cur autem Ioannes adnotat hos credentes de eorum fuiſſe numero, qui venerant ad inuiſendum Lazari ſorores? Vt exprimat mortem Lazari occaſionem dediſſe vt iſti crederent in Ieſum. 18. *Iudæi credidere.*

IN IESVM DEFVNCTORVM SVSCITATOREM.

PANEGYRICVS MORALIS TERTIVS CIRCA LITERAM.

EX LAZARI RESVRRECTIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Tollite lapidem. Et tulerunt lapidem. Lazare, veni foras, &c.

Vt Lazarum laboribus actum, & adhuc peccatoris perſonam gerentem ad vitam gratiæ reuocet Dominus, acceruat miracula.

Difficillimè enim ſe ad meliorem mentem peccator ille reuocat, qui actus calamitatibus, ad id obuenientibus vt pœniteat, minimè reſipiſcit.

19. *Labores immittit Dominus, vt pœniteat.* Greg.

LAZARVS ex Gregorio & aliis peccatorem ſignificat, qui corporis ægritudinem cum animi languore coniungit. Ægritudinem corporis Deus benigniter immiſit, vt peccatorem ad pœnitudinem reuocaret. Qui igitur ex ægritudine corporeâ ab animi languore non recedit, adeo induratus eſt, vt opus ſit Domino geminare miracula, vti eum ad meliorem mentem adducat.

20. *Cõducit corporis ægritudo ad animi languorem ablegandum.* 2. Cor. 12. Nazian.

Profectò ad animi ægritudinem ablegandam corporis conducit infirmitas, ſante Paulo, *Virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12. Vbi Nazianzenus orat. ad Ciues. *Anima morbo affecta Deo propinqua eſt.* Quia corpore exacto laboribus, animus auolat ad ſublimia, vnde conſolatione affici ſperat. Saluianus lib. de Gubern. Dei. *Nequaquam nobis dolenda eſt hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem eſſe virtutum.*

21. *Paralyticus difficilius Publicano nequiori venia donatur, quia corporis ægritudinem ſpeluncam fecerat peccatorum.*

Porrò quum ex corporis languore ſpeluncam facimus, vt vitia latrocinari poſſint, homo abominabilis omnino Deo redditur ex medicamine faciens ægritudinem, difficillima quidem pœnitentia. Contemplatus Paralyticum, & Publicanum, maximum adnoto diſcrimen vitiorum. *Deterius* (ait Chryſologus ſer. 30.) *ſedebat in telonio Publicanus iſte, quàm Paralyticus iacebat in lecto. Quare* igitur *Publicanus, qui maior videtur in crimine, maior habetur in munere? Nam mox Apoſtolatûs certa præditus dignitate, totum Orbem ſplendore Euãgelicæ prædicationis irradiat: & Paralyticus ſolâ veniâ dignus habetur?* Quæſtioni igitur do, quare Matthæus deterior non ſolùm veniâ donatur, ſed Apoſtolatûs munere afficitur: Paralyticus autem non tam grauiter delinquens ſolam veniam accepit? Profectò minor ille peccator Deum quadam circunſtantiâ habebat iratum, quæ quidem in Publicani grauiori iniquitate non reperitur. Quænam illa? Corporeâ miſer ægritudine corripiebatur, quæ plurimum conferre aſſolet ad animi valetudinem. *Ille* (ait Pater) *carnis patiebatur paralyſim.* Publicanus integris ac valentibus membris donatus ex ipſius valetudinis feruore lapſus eſt. Non miror. At membra languore correpta paralyſi ligata, ad gramina vetita properauerunt? O quanta iniquitas!

Magdalena animo ægrotans, corpore valente, facie ad faciem veniam criminum à Domino efflagitat: dum mulier, quæ *ſanguinis fluxum* (corporis & animi affecta ægritudine) *patiebatur*, à tergo acceſſit. Luc. 8. Cur Magdalena in Ciuitate peccatrix à facie accedit, veniâque vberrimâ donata eſt; fœmina autem, quæ fluxum ſanguinis patitur, nec tantâ fœditare animi afficitur, furtim veniam conſecutura accedit; Chryſologus ſer. 33. *Dicere non eſt auſa, ne circunſtantium confunderet, & oneraret auditum, ne fieret populorum fabula, quæ tot annis ſtadium, & cauea fuerat paſſionum.* Magdalena ætatis flore, robore valetudinis abuſa deliquit: hemorrhoiſſa autem ægritudinem ipſam paſſionum, & voluptatum (myſtica peccatrix) caueam, ſeu ſpeluncam effecerat; vnde ei difficilior medicina paratur. Peccator igitur qui ægritudinem ſpecum latronum conſtituit, miraculorum multiplicatione valetudini addicendus eſt.

22. *Difficilius venia impenditur hemorrhoiſſæ, quam Magdalenæ nequiori, quia illa caueam paſſionũ languorem reddiderat.* Luc. 8.

Observatio II.

Ad illa verba.

Quatriduanus eſt, iam fœtet.

Lazarus quatriduanus fœtorem neceſſariò exhalat.

Diuturni etenim criminis comes infamia.

23. Chryſol.

PONDERAT D. Chryſologus de peccatoris fœtore conqueri illam, quæ fuerat corruptionis occaſio. *Quod mulieri* (adiicit) *perditori fœtet, non fœtet Creatori.*

Creatori. Si mulieri ipſi perditori fœtorem exhalat: quid ciuibus probis? Nunquam non fœtida diuturni criminis comes infamia.

24. *Peccatores diuturni velut in ſepulchro facent.* Pſal. Chryſ.

David, *ſepulchrum patens eſt guttur eorum.* Pſal. Vbi Chryſoſtomus, *Mortua opera ſunt, quæ vitam non habent, quæ putorem ſpirant.* Diſtinguit ab operibus mortuis, ſepultis peccata. Opera iniqua recenter mortua non fœtent: ſepulta verò quatriduana, ſeu diuturna infamiæ neceſſariò fœtorem emittunt.

25. *Inſtar dæmoniaci procedentis de ſepulchro tam leraliſſimo[?] ſpirans odorem.* Mat.5. Chryſol.

De dæmoniaco illo Marcus profatur, *Statim cucurrit homo de monumentis, habens ſpiritum immundum,* Cap. 5. En peccator non ſolùm mortuus, ſed ſepulchro addictus poſt diuturnam iniquitatem. O quam grauem fœtorem ſpirat! *Mitte*, inquit, *nos in porcos.* Quare in porcos expetiuit immitti? Huiuſmodi diuturno peccatori fœtor adnatus, corruptio init corruptionem. Chryſologus ſer.17. *Sic eſt odor eius immundi Tartareus, & crudelis, vt eum nec porcorum natura potuerit ſuſtinere. Denique demergi in mare, & fluctibus maluit deperire, quam immunditiam pati, & putredinem tolerare.* Tam grauis eſt peccatoris ſepulchro reconditi ſeu diuturni fœtor, tam fœtens infamia.

26. *Qui diuturna macula fœdatur, afficitur infamia.* Eccl.47.

Salomon de turpitudine peccatoris. *Inclinaſti fœmora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua.* Eccl. 47. Græcè pro *macula momos* ſcripſit. Momus autem cenſor erat Diuorum delicta proclamans. Mars & Venus deliquére, Iuno inuidiâ corripitur, Cupidinis exitialiſſ iacula. *Inclinaſti fœmora tua mulieribus,* non ſolum per tranſennam maculatus es, ſed diu tyranno horribili ſeruiiſti: Momo proferente delicta tua infamiâ notaberis adnatâ delicto. Pulchram Franciſcus Petrarcha dat argumento confirmationem Dial. 25. *Mea,* inquit, ille, *premor infamia. R. Timus tuâ ne conſcientiâ* (velut lapide Lazari) *premereris.* ſi ſepultus es, neceſſarium fœtorem ſpitas. *Si iuſtam non infamiam, ſed infamiæ cauſam deſle, diuturnam ſcilicet iniquitatem.*

Petrar.

Observatio III.

Ad illa verba:

Tollite lapidem. Domine quatriduanus eſt.

Lapidis Lazarum claudentis pondus immenſum oſtendo.

Vndè miror, peccatorem per ſe viuere tam grauatum pondere iniquitatis.

27. Beda.

AD hæc Beda venerabilis, *Attende. Magnus reus eſt, quem mors quatriduana, & illa ſignificat ſepultura. Quid*

Elcob.& Mend.in Euang.de Temp.T.I.

eſt ergo, quòd turbat ſemetipſum Chriſtus, niſi vt ſignificet tibi, quomodo turbari tu debeas, cum tanta mole peccati grauaris, & premeris. Vnicum delictum pondus adeo graue eſt, vt humeris portari non poſſit. Hæccine viuis tot peccatorum ponderibus preſſus.

Vulgaris huic argumento Ionæ locus ſpeciali ponderatione verſandus redit. Pelagus iratum haud ſedatur mercium theſauris: *Miſerunt vaſa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur. Et Ionas deſcendit in interiora nauis.* cap. 1. Vbi Theophylactus, *Deſcendit in infimum locum.* Grauis iniquitate Ionas in infima deſcendebat, nec vſque ad abyſſi ſinum ſiſtere potuit. Et cur miſſis in pelagus vaſibus nauis non alleuiatur? Chryſoſtomus, *Apud ſe nauigium periculi ſarcinam retinebat, & magis, magiſque Propheta corpore grauabatur, non corporis magnitudine, ſed peccati.* Peccatoris pondus ad infima nauis deſcendit, nauim ad pelagi centrum tracturum, niſi Ionam ad vndas immiſiſſet: ipſe autem piſcis deſcendit ad vterum, inferno à Domino comparatum: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit Filius hominis in corde terræ.*

28. *Peccator ad inferiora pergit, lapidis in morem ex pondere criminis.* Theoph.

Nauis in morem, Iudas auaritiæ ſarcinâ ferebatur ad centrum. Curauit miſer in pelagus pecunias immittere: *Pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos.* Matth.27. Nihil profuit, premente enim pondere iniquitatis, *laqueo ſe ſuſpendit*: vt ſcilicet deſcenderet, *in profundum quaſi lapis.*

29. *Iudas, & Abſalon in aere moriuntur, quia terra è peccatis grauiſſimos non poſſet ſuſtinere.* Mat.27. Chryſ.

Cur Iudas in aere ſuffocatur? Ne terra ante Domini obitum tanto pondere peccati Iudæ quateretur. Chryſoſtomus hom.de Abſalone graui quidem etiam iniquitate, fatur: *Pendens iam mortuus Abſalon* (ſicut Iudas) *ab hominibus inuenitur, quem nec cœlum potuit conſpicere viuum, nec terra vlterius ſuſtinere.* Pondus addebat (ais,) & pecunia Iudæ, & coma Abſalonis tot operibus improbis.

30. *Vnicum cogitationis crimen immenſi ponderis.* Gen.4. Rupert.

Fateor, ſed vnicum cogitationis crimen ponderemus. *Iratus eſt Cain, & concidit facies eius.* Gen. 4. Cur concidit facies? Ex pondere prauæ cogitationis. Rupertus, *Bene Deus vtrumque requirit dicendo, Quare iratus es, & cur concidit facies tua? quia inuidendo iratus fuerat, & conciderat facies eius parricidium meditando.* Sola delicti cogitatio improba faciem robuſti adoleſcentis corruere effecit, ob grauiſſimum pondus iniquitatis.

31. *Culpa venialis plumbea admodum eſt.*

Sed non mirum mortale delictum tam ponderoſum eſſe, ſi animum deturbat in Tartara. Profectò vel venialis culpa plumbi ſapit naturam. Chriſtus ambulat ſuper aquas, quia omnino immaculatus. Petrus autem maculam circa fidei viuacitatem admittens vndis mergitur. *Modica fidei quare dubitáſti?* Origenes, *Sancti ambulant ſuper aquas, quia leues ſunt, & peccati pondere non grauantur. Dominus ſuper aquas ambulauit: ipſe eſt enim, qui verè peccatum neſcit. Ambulauit & Petrus, licet paululum trepidauerit: non enim tamus erat, ac talis, qui nihil omninò plumbi in ſe haberet admiſtum: habuit licet parum. Propter quod dicit ad eum Dominus, Modica fidei, quare dubitáſti?*

32. *Chriſtum venialia crimina hominum iuſtorum ita pondere preſſerunt, vt facerent ponderoſum quaſi lapidẽ fundamenti.* Gen 28. Anſel.

Illam preme particulam: *Ipſe eſt enim, qui verè peccatum neſcit.* Attamen ſuper humeros ſuos hominum ſuſtulit iniquitates. Memor D. Anſelmus ſcalæ Iacobi lapidis fundamini innitentis, contemplatur Chriſtum lapidem redditum ad ſufferendum pondus peccatorum. Quænam crimina portat? Hic planè Angelorum deſcendentium leuia cõmiſſa, venialia delicta. *Lapis capiti ſuppoſitus & velut fundamentum ſcalæ factus Chriſtus eſt, qui ſicut fundamentum omnes portat. Alij Angeli aſcendunt, alij deſcendunt: aſcendunt, qui proficiunt; deſcendunt, qui deficiunt.* Veniales itaque defectus in humeris Saluatoris eum in grauiſſimum lapidem conuerterunt. O ponderoſa iniquitas! O peccator in profundum quaſi lapis deſcendens! *Tollite lapidem*, à vobis tantum iniquitatis pondus abiicite, vt emortuus, & ſepultus reſurgat ſpiritus.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Lazare, veni foras, & prodiit qui fuerat mortuus ligatus manus, ac pedes, &c.

Qui fuerat mortuus, qui fuerat ſepultus vincula peccatorum manifeſtauit.

Adnatum eſt enim iniquitati, protinus publicari; quia crimen nullum occultum.

33. *Confeſſio operis peccata, illa enim publicatio operculum eſt.*

Lazarvs ſeu peccator, ex Gregorij ſententiâ curat terræ peccatorum vincula amandare, ne in publicum proferantur. At Domino vociferante qui fuerat mortuus & manuum, & pedum, & capitis vincula, ſeu crimina manifeſtat. Adnatum eſt enim delicto non poſſe operiri niſi pœnitudine aboleatur.

34. *Operire delicta idem eſt ac manifeſtare. Imo in manifeſtatione multiplicantur.* Oſe. 13. Septua.

Oſeas præfatur, *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis.* Ca. 13. Arare impietatem nihil eſt, niſi curare, vt operiatur, quemadmodum grana agricola glebâ operit, ne ab volucribus abſumantur. Igitur operire delicta, manifeſtare eſt, ſicuti granum emortuum proſilit in germina metenda. *Iniquitatem meſſuiſtis.* L x x. *Reticuiſtis impietatem, & iniquitates eius vindemiaſtis.* Pro vnico delicto, quod curâſtis operiri, innumera apparuerunt, velut in vindemiâ botri colligendi. Peccatum enim opertum non ſolum reuelatur; ſed vnicum commiſſum innumera perpetrata eſſe videntur, infamia ex hominum iniquo iudicio creſcente. Ambroſius ad Pſal. 30. *Premit ſe intra hominem conſcientia, cum latere non poſſit.* Ac ſi diceret, Homo ipſe operiens delictum ex ipſius criminis naturâ publicationi obnoxia ſe excitat, & cogit ad prolationem: & plura proferuntur quam tacentur. (Ambroſ.)

35. *Quam diffi.*

Monebat Sapiens, *Non confundaris confiteri peccata tua, & ne coneris contra ictum fluuij.* Eccl. 4. Qui conatur operire delicta, curat fluuium profundiſſimum terra ſepelire. Tam difficile operitur iniquitas, quàm magnus fluuius ſepelitur. D. Ioannes Climac. apud Anaſt. Nizen. q. 7. in ſcrip. to. 7. Bibliot. PP. *Ne fallaris, ô fili, tua peccata enuncia; nam abſque pudore non poteris a pudore liberari.* Neceſſariò enim peccata, quæ non enunciantur affectu pœnitudinis, manifeſtanda ſunt.

cile, ſeu impoſſibile, peccata diſſimulare niſi pœnitudine. Eccl. 4. Climac.

36. *Inutilis Adami cura circa peccati operculum.* Gen. 3. Bernard.

Curauit Adamus tranſgreſſionem foliis operire. Ad arborem accurrit, conſuenſque folia ficus, præparat operculum nuditati. An conſequutus, quod intendit? Reſpondet Bernardus apud Tilm. ad cap. 3. Gen. *Friuolum nimis tegmen quæris, anima miſera, prorſus inutile tegumentum folia ſunt iſta. An diu tegere poterunt? Abſit. Fluent certè, & effluent folia: ad primum radium Solis ſiccabuntur, & diſperget ea flatus leuis auræ.*

37. *Nec ærea folia Dauidis delictum operire potuerunt à Sole ſiccata.* 2. Reg. 2.

An folia arboris facilè à Sole ſiccanda, ab auræ ſibilo repellenda? Ærea folia crimini præparentur. Dauid adulterium intendit foliis æreis gladiorum Vriâ trucidato, operire. An conſequutus? Audiuit à Domino, *Tu feciſti abſcondité, ego faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis.* Ærea-ne folia à Sole ſiccata? ſola confeſſio folium eſt minimè ſolis & venti iniuriis expoſitum.

38. *Praua voluntas enulgatur neceſſariò. quid opera praua.* Gen. 4. Hugo.

Caino Dominus, *Si autem malè egeris, ſtatim peccatum tuum pro foribus aderit.* Gen. 4. Quid curas operire: *Num quid fratris mei Abel cuſtos ſum ego?* Peccatum eſt non confeſſione apertum minimè poteſt operiri. Hugo Vict. *Praua voluntas eſt, quæ non poteſt celari, quin exeat.* Si voluntas celari non poteſt: quid prauæ crimina externa voluntatis?

Observatio V.

Ad illa verba:

Et prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes inſtitis.

Lazarus viuus è ſepulchro proſilit, adhuc à funereis vinculis non expeditus.

Praui enim habitus frequenti ſacramentorum receptione ſunt abolendi.

Vivvm Lazarum è ſepulchro prodiiſſe communis eſt Patrum opinio, licèt alij, vt myſtico ſenſui deſeruiant 39.
aſſerant extra ſpeluncam vitâ fuiſſe donatum, vt innuat Dominus in occaſione delinquendi haud poſſe ſpiritualem vitam reſumi: ſi igitur viuus procedit è ſepulchro, cur non ſeſe à funereis vinculis expediuit? An quia peccator poſt vitam animi reſumptam, adhuc praui habitus vinculis illigatur? Ita planè: difficilè etenim praua abolerur conſuetudo.

Hebræi idolatriæ crimini addicti ſæpe pœnituere, 40.

Mirum, Rahab meretricem prauam conſuetudinem exuiſſe, à qua Hebræi intemperes ſunt. Hebr. 11.

tuere, & rurſum, conſuetudine incitante, confictis diis obtulere libamina, donec, ira Dei deſæuiente, conſumpti ſunt. Difficillimè etenim animus à prauis habitibus expeditur. Rahab meretrix ſeſe penitus ab impuritate abripuit; id quod Paulus inter egregia Dei miracula recenſendum duxit. *Fide Rahab meretrix non periit.* Hebr. 11. Quodnam in aſſeruatione Rahab miraculum illuxerit? An non dexteræ Omnipotentis mirabile opus eſt, meretricem aſſuetam libidini ex habitu prauo non rurſum ad impura prolapſam? Theodoretus, *Eſt autem iure admiranda Apoſtolica ſapientia, vel potius diuini Spiritus operatio, quod Paulus fidei oſtenderet potentiam, & Iudæorum deprimeret ſupercilium; ſexcenta enim eorum millia propter infidelitatẽ conſumpta ſunt in deſerto: hæc autem, quæ impudicè magnam vitæ partem tranſegerat, ſalutem eſt aſſecuta.* Quæ prauæ conſuetudinis vi corripiebatur, non vlterius deliquit? O diuini brachij opus egregium!

Theodor.

41. *Laudabilior agili cursu reſurrectionis in viduis, ob conſuetudinis vim.* Tertul.

Exprimit Dominus reſurrectionis nouiſſimæ gloriam, circa agilitatis donum, viduarum curſu velociſſimo. *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Tertullianus aſſerit viduas velociſſimè curſum perfecturas. Cur autem virgines non procedent adhuc viduis velociores, ſi virginalis perfectior ſtatus? An viduis palma tribuenda? *Vidua* (ait lib. 1. ad vxor. cap. 8.) *habet aliquid operoſius, quia facile eſt, non appetere, quod neſcias. Poterit virgo felicior haberi: at vidua laborioſior.* Ex conſuetudine enim vel licitæ voluptatis difficilius puritati præſtat obſequium: quid ſi praua conſuetudine ex iniquis actibus fœdaretur?

42. *Abſoluitur peccator rurſum abſoluitur, vt habitus vinculis exuat.*

Quodnam, precor, huiuſmodi ægritudini medicamen præſcribendum? Adſtantibus Dominus indixit, *Soluite eum, & ſinite abire.* Ad Diſcipulos quæſo ſpeciatim verba facta fuiſſe liceat excogitare. O vos Apoſtoli, quibus dandum mox poſſe ligare, & ſoluere peccatorem, ſoluite Lazarum iam viuentem. Cur viuens iam peccator abſolutione donandus vlterius, ſi iam proſiliit abſolutus è tumulo? Quia iteratione frequenti Confeſſionis, & Communionis animus viuens à funereis habitus praui vinculis expediendus eſt.

43. *Id in linteo Petri figuratum.* Hilar.

Linteum illud magnum Petro obiectum conſcientia peccatoris eſt, authore Hilario. Occiſa iam crimina iuxta illud, *Occide, & manduca.* At cadauera ſepelienda cum morte Ieſu in Euchariſtiæ Sacramento Pater affirmat, dum adnotat bonam ſindonem Ioſephi, quà Domini cadauer inuoluitur: bonúmque linteum Petri ad idem cadauer inuoluendum. An non indecens præſtaretur obſequium? Profectò ſi peccata moriantur, prauæ conſuetudinis cadauera ſepeliuntur, depereunt, ſi corpori Dominico viuus homo ſæpe adhæreſcat.

44. *Magdalena vnxit ſæpe ab ſolui.* Luc. Caſſia.

Magdalena ſemel inungens Domini pedes è culpâ ſurrexerat: *Remittuntur tunc ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Luc. 7. At rurſum curat inungere Saluatorem. Caſſia. vt aliam abſolutionem, aut remiſſionem poſſet accipere. Cur aliam quærit, ſi iam a cunctis erat vinculis ſoluta? An non quia meretrix improbâ conſuetudine illigata vna & alia abſolutione acceptâ tandem erat omnino liberanda? Ita planè.

45. Clamabat Dauid, *Amplius laua me ab iniquitate mea.* Pſal. 50. ſæpe idem crimen confitetur: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Auguſtinus, *Vt non ſolùm ampliùs lauando culpam operias, ſed etiam reatum prauæ voluntatis abſtergas.* Poſt culpam enim remiſſam, adeſt praua conſuetudo abolenda, & abſtergenda. Præparetur igitur lauacrum pœnitudinis, quo criminibus animi quidem mors, & funebria vincula obruuntur.

Et Dauid. Pſal. 50. Auguſtin.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Lazare, veni foras, & prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes inſtitis, & facies eius ſudario erat ligata.

Extra ſepulchrum Lazarus ſoluitur.

In occaſione enim delinquendi conſtitutus quomodo poteſt abſolutionis beneficio frui?

VIDISTI Lazarum vinctum è ſepulchro procedere. Miraculo excitato prodiit illigatus. Cur ergo ſolutus non eſt in ſpelunca, ſed egreſſus abſoluitur, fante Domino. *Soluite eum, & ſinite abire?* Certè, quia peccator in occaſione delinquendi conſtitutus minimè abſoluendus, quia diſpoſitus non eſt. Egrediatur, fugiat illecebras, à domo, quà extiterat mortuus, excedat, tunc Dominus ratam geret abſolutionem profatus, *ſoluite eum.* 46.

47. *Ab vniuerſa terra recedant Iudæi ſacrificium laudis oblaturi, quia occaſio delinquendi: vt apud Templum ſaluantur à crimine.* Auguſt.

Præcepit Deus Iudæis vniuerſam terram relinquere, in vnóque loco ſacrificia offerre. Quare? Quia vniuerſa terra locus erat iniquitati gerendæ deputatus, dum Gentilium diuorum ſacrificiis opera impenderetur. Auguſtinus ſer. 130. *Iudæis ideo præcepit Deus relinquere vniuerſam terram, & in vno loco offerre ſacrificia, quoniam immunda erat tunc vniuerſa terra fumo ararum, cæterorum coinquinatorum, quæ de profanis Gentilium ſacrificiis offerebantur ſuper eam.* Vt autem Deo verum ſacrificium offerri poſſet, obſtabat loci immunditia. Nec enim locus, vbi Veneri, Marti, Mercurio ſiue luxuriei, iræ, aut auaritiæ impendebas ſtudium, id eſt, delinquendi occaſio non aptus locus ad ſacrificium Domino offerendum. *Veni foras*, fuge locum immunditiæ, ad Templum tunc accede, vt Confeſſionis ſacrificium dignè valeas inire. Pulchrè Cyrillus lib. 9. cont. Iulian. *Prudentiſſimè legiſlator, & futura prauidens, præcepit in ſolis Ieroſolymis ſacrificandum, vt quadam neceſſitate Iudæi coacti à priſcis moribus recedentes, ad meliora contenderent; amiſſuri enim erant patriam Dominicæ cadis rei, & verſaturi in Gentium regionibus.* Imo quia amiſſuri erant patriam, & in Gentilium regionibus 48.

Vt verò recedat peccator à crimine, recedat abſoluendus à loco, qui occaſionem exhibet delinquendi.

verſaturi venia eis exhiberi deberet, vt poſſent vero Numini offerre ſacrificium in Gentilium populis conſtituti. Ad Ieroſolymam reuertantur. Recedere enim debēt à priſcis moribus, vt ſacrificiò dent operam, quod minimè præſtare poterunt, ſi non omnino recedant à loco, qui eis delinquendi occaſionem exhibuit: *Veni foras*, vt ſacrificium offeras, ſiue vt ſoluaris à criminis vinculo: *ſoluite eum.*

49. *Omnis locus ineptus ſacrificio confeſſionis quouſque ab occaſione delinquendi egrediaris.* Gen. 35. Caiet. Ambroſ.

Iacob Domino ſacrificium oblaturus familiam ſuam à Gentilium regionibus abſtraxit, in Bethel duxit. Deos alienos, & inaures ſub terebintho infodit. Gen. 35. Quare illa præſtiterit? Caietanus, *Vt nec materia ærea, argentea, vel aurea ſimulacrorum, & ornamentorum eorum relinqueretur apud eos, qui cum Iacob ibant.* Ambroſius, *Vt nullus audiret ſuperſtitiones Gentilium.* Accommodatiùs argumento, exiſtimo ideo à Syriâ recedens infodiſſe reliquias idolorum, nec vſque ad Bethel ſacrificium præparâſſe, quia omnis locus ineptus eſt ſacrificio, vbi apud animum delinquendi retinetur occaſio. Poſt egreſſum ergo infodiantur profanæ reliquiæ impietatis, à terrâ impiâ familia recedat, vt apud Bethel omninò à vinculis expediatur ſacrificij oblatione. Audi D. Cyrillum lib. 14. de putir. eorum, qui adire debent Eccleſias. *Integre Deo adhærere mente haud diuisâ, minimèque propenſos eſſe ad dæmoniorum erroris reliquias congruenter intelligitur in eo, quòd alienos Deos ſuſtulerunt.* Preme illud: *Integrè Deo adhærere &c.* Nec enim integrè Deo adhæreſcit, qui omnino ab occaſione delinquendi non recedit. Poſt egreſſionem à Syriâ profanâ adhuc reliquiæ reſidebant in animo impiæ adorationis, à quibus debuit Iacobi familia expediri, vt vero Numini ſacrificium offerret: ſi non potuit poſt egreſſionem ritè ſacrificare, reliquiis impietatis impedientibus: quonammodo poterit ille ſacrificium confeſſionis gerere, qui adhuc in ſepulchro recluditur? *Veni foras: ſoluite eum.*

50. *Non integrè Deo hæreſcit animus dum apud occaſionem delinquendi manet, aut reliquias retinet iniquitatis.* Cyril.

Observatio VII.

Ad illa verba.

Soluite eum, & ſinite abire.

Lazaro reſurgenti indicitur omnimoda à domo, vbi perierat receſſio.

Nec enim perſeuerans pænitudo, ſi peccator criminis apud præcordia reliquias foueat.

51. POST ſolutionem vinculorum, poſt criminum abſolutionem imperat Dominus Lazarum abire. Non dubium quin ad Templum Ieroſolymitanum pergeret, vt gratias de beneficio accepto redderet Conditori. Myſticè autem aſſero iuſſum è domo egreſſum fuiſſe, vt omnino à criminis reliquiis ſe poſſet expedire. Chryſologus in fœminis illis plus mulieres figurari affirmauit, quæ voluptatibus adoleſcentem corruptum neci addixerant. Fugiat huiuſmodi aſpectum quicunque non vult rurſum funereis vinculis illigari. Perfectam à vitiis declinationem edocemur.

Sinite abire. Solus incedat. Nec famulus ſequatur euntem, qui priùs miniſter libidini extiterat, ne eorum ſocietas impuritatem referat in memoriam. Cuncti Hebræi, qui ex Ægypto egreſſi fuerunt, ante ingreſſionem ad promiſſam terram periere. Chryſoſtomus ad Pſal. 43. *Cur non meminit eorum, qui exceſſerunt ex Ægypto? Cur omnes perierunt?* An-ne reliquus eſſet, qui poſſet Ægyptiacam ſeruitutem, & impietatem fidelibus obiicere? *Vt qui Paleſtinam* (reſpondet Doctor) *erant occupaturi, mala quæ erant in Ægypto non vidiſſent: omnem nempe perſecutionem, & omnem impietatem, & vt tantæ improbitatis nullum magiſtrum haberent.* 52. Nec … Ch

Sinite abire. Proloquatur antè receſſum cum Diſcipulis de anteacto è vitâ receſſu. Nec de præteritis delictis ſermo texendus eſt. Pincernæ Ioſephus, *Quia furtim ſublatus ſum.* Gen. 40. Cur roganti non aperit adulteræ fœminæ iniquam impugnationem? ſed ſolummodo venditionis gerit memoriam? Piaculum duxit de libidine vel alienâ loqui. Chryſoſtomus hom. 33. in 1. Cor. *Furto ex Hebræorum terra abreptus ſum: adulteræ ne meminit quidem.* Quàm periculosè de propriâ libidine ſermo texitur à fugiente. 53. *Nec de libidine præterita ſermo texatur.* Geneſ. 40. Chryſ.

Sinite abire. Ita velociter abſcedat ab occaſione delinquendi, vt nec hoſpitem ſalutari iubeat, nec feneſtram aſpiciat amaſiæ, alia via recedat. Vxor Lothi in ſalis ſtatuam mutatur, quia ciuitates conflagrantes aſpexit fortè (ex Doctorum mente) puro affectu, etſi Tartareo illo igne fuerit nunquam inquinata. Gen. 19. Ad quæ Ambroſius lib. 2. de Virgin. *Naturam ſuam, quia impudicos licèt caſtis oculis aſpexit, amiſit.* Aliquis aſſeruit fœminam illam aliquando igne communi conflagraſſe, quem pœnitens aufugiſſet. Aſpexit igitur priſtinæ libidinis imaginem, & peruertitur. Sedulius lib. 1. Paſch. cap. 5. *Vxor Loth dum reſpicit, quæ euaſit, remanſit mutata ſalis in ſtatuam.* Vulgariter liceat expendere: *No ay dezir: Ya es coſa paſada.* Nunquam non libidinis prælapſæ periculoſus aſpectus. 54. *Nec amaſiæ feneſtram aſpiciat.* Ambr. Sedul.

Sinite abire. An vrbanitatis gratiâ licebit eunti nuncium quoddam remittere? Minime planè. Poſtquam Iſraelitæ Vrbes Amorrhæorum tenuerunt, ad viam Baſan, vbi Rex Og morabatur, acceſſere: ad quem quidem nec legationem curauerunt immittere. Quare. Reſpondet Origenes hom. 13. in Num. *Videamus ergo, quæ eſt Baſan? Baſan interpretatur Turpitudo. Meritò ergo nec legati mittuntur ad iſtam gentem.* 55 *Nec vrbanitatis … legati … immittat.* Orig.

Sinite abire. Num circumcurſitare Lazarus poterit apud notam ſibi habitationem? Vereor ne iniquo puluere pedes iam abluti valeant inquinari? Audiſti ſponſam? *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. Neſcio greſſus admouere, ab alio dirigendus ſum: non ambulo, ſed feror. Ambroſius ſer. 22. in Pſal. 118. *Tanta vis conſummatæ emendationis eſt, vt vias erroris ignoret, crimen, & ſi velit non poſſit admittere. Quomodo inquinabo illos?* Inire plateam illam, domum illam vbi perij quomodo poſſim ignoro. 56. *Nec plateam illam aut veſtibulum domus ineat.* Cant. 5. Ambr.

Soluite

57. *Nec impuritatis reliquias foueat.* Soluite & ſinite abire. An portabit vinculorum reliquias in captiuitatis, aut mortis memoriam? Non, ne cauſa ſint iterandi iniquitatem. Gedeon in ſuam ciuitatem Ephoth ex auro prædæ effectum inuenit; *& fornicatus eſt omnis Iſrael.* Iudic. 8. Vbi D. Cyprianus, *Nunquam ſecurus cum theſauro latro tenetur incluſus.* Et theſaurus ſecurus includetur cum latrone?

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Et prodijt qui fuerat mortuus ligatus manus, ac pedes inſtitis, & facies eius ſudario erat ligata.

Lazarus recèns natus quaſi faſciatus egreſſus è cunâ.

Vt ſpiritualem commendet infantiam.

58. *Spiritualis vita ſint ſua faſcia. Nemo repente ſummus.* Baſil. Seleu.

RVRSVM quærito, quare Lazarus vinculis funereis illigatus prodierit è tumulo, ſi viuus exiliebat? Inibi ſpiritualis vitæ puto expreſſam infantiam. D. Baſilius Sel. orat. 35. *Exiliebat quatriduanus mortuus lethi ſigna circumferens, & exuta morte, ſepulchralem ornatum non exuerat: ſed erat in inſtitis velut ex ſepulchro partus, & poſt parturitionem faſciatus.* Pulchrè. Vix præcipiente Domino, *ſoluite eum*, à criminis vinculis poſt non dico quatuor dies, ſed plurés annos iniquitatis, liberatus recèns natus exurgis, etiam curas faſciis abiectis lacte deſpecto, panem abſumere, ſolutus incedere. Suam ſpiritualis vita prætendat infantiam, quique diu deliquit ſe gerat infantem ab ſpirituali parente dirigendum: ne repentè effectum ſummum velle videatur.

59. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Gen. 1. Poſtmodum autem Dominus præcipuarum Mundi conditi creaturarum ſtuduit ornatui, cælo ſtellis pleno, auibus æthere, pelago piſcibus, terrâ animantibus. Cur Mundus haud repentè perfectus exurgit? Baſilius Magn. *Quare Deus, ſicut dixit, & facta ſunt: non ſimul ornatus, congruos rebus, aſſurgentibus donauit elementis: quaſi non potuerit cælum inſignitum ſtellis ſubitò vt creatum eſt, fulgere, & fructibus terra veſtiri.* Reſpondet autem bellè quæſtioni. Voluit Deus mundum, ſuâ infantiâ percurrente, proficere, vt hominibus documenta præſcriberet. *Imitatores nos ſui Deus eſſe voluit, vt primo faciamus aliqua poſteà venuſtemur. Ne dum ſimul vtrumque adorimur, neutrum poſſimus implere.*

Mundus infantilibus faſcijs illigatur, & paulatim perficitur.

Gen. 1. Baſil.

Lazari hiſtoriâ vtitur Doctor in ſuæ cogitationis confirmationem. Voluit fidem Iudæorum cordibus immittere in nouum eos natalitium diſponens: priùs lapidem efficit amoueri, cadauer aſpiciant, mox ad viuentes reuocat, demum ſoluere imperat. An non cuncta ſimul præſtari potuiſſent? Ita equidem, ſed paulatim geri diſpoſuit; *Vt inter ipſa (ait) fides infunderetur infidelibus, & per gradus quoſdam credulitas naſceretur.* Naſcitur credulitas per gradus, non repentè fit ſumma, ſed init infantiam: hanc ſuccedet gradus adoleſcentiæ, & virilitatis erit denique percurrenda ſtatio. 60.

Aliter Lazari exemplo confirmo.

Baſil.

Poſtquam ingratitudine laborans Sponſa & ſomno delicti, & morte iniquitatis correpta eſt, ad Sponſi cæleſtis vocationem reſurrexit fata: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. Illam particulam: *Quomodo* pondera. Quomodo (ac ſi diceret) ambulabo? Faſciis illigata, in pœnitudinis infantiâ conſtituta, quonammodo potero inambulare? Præcedant faſciæ neceſſum eſt, mox ſuccedet baiulatio; & dum demum me edoctam comperero, iuſſa viæ committar. Nec enim infans recèns exortus repentè curat ambulare, manus vtique & pedes illigatus, pro infantili exigentiâ. D. Ambroſius ad Pſal. 118. ſer. 22. *Tanta vis conſummata emendationis eſt, vt in quandam pueritiæ redeat ſpiritualis ætatem.* Qui corrigitur, qui reſurgit, non illicò incedat, ſed ad infantilem recurrat ætatem: ne tota hominis noui pereat œconomia, dum faſciarum ligamina contemnuntur. 61.

Recens natus nouus homo agat infantem, qui ambulare neſciat faſcijs illigatus.

Cant. 5.

Ambr.

PARS

PARS SECVNDA.

VIDVÆ FILIVS.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput ſeptimum Lucæ.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum defunctorum ſuſcitatorem.

PROLVSIO.

PROPERANS Dominus inrrare Vrbem Nain, iuuenis aſpicit cadauer efferri, prærериit adoleſcenris cauſam immaturè occumbentis, ſed lacrymanris viduæ Matris non potuit inſtantiam præterite. E parentis plorantis reſpectu filij cadauer vitâ donauit. Chryſologus ſerm.103. *Si ad vnius Viduæ lacrymas temporales ſic motus eſt Chriſtus, vt occurreret in viâ, vt ex oculis ſtillantia dolorum fluenta reſtingueret, vt recurreret mortem, reduceret hominem, reſuſcitaret corpus; vitam reduceret, planctum verteret in gaudium, & exequias lugubres in feſtiuitatem natalitiam commutaret: quid modò faciet, quando inardeſcet viribus ſuis ad Eccleſiæ ſuæ lacrymas diuturnas, ad ſponſæ ſuæ ſanguineos ſudores?* Liceat inuertere, Quid modò faciet, quando inardeſcet viribus ſuis ad Viduæ Matiæ Matris hominum preces? Si nos miſeros defunctos præterit Ieſu pietas, non poterit ſanè Virginis affectuoſas preces præterire. *Per ſupplicantem Eccleſiam* (addit ille) *lacrymas fundat iuges, per Martyres ſacrum ſanguinem ſudet, donec vnicum ſuum, hoc eſt Populum Chriſtianum, quem tot ad mortem ferunt tempora, occurrens Chriſtus de mortali feretro perpetuæ vitæ reddat in* (Mariæ) *gaudium.*

Chryſol.

LVCAS Cap. VII.

VERS. 11. IBAT Ieſus in Ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo Diſcipuli eius, & turba copioſa.

PARAPHRASIS.

11. *QVO latiùs ſpargeret Dominus Euangelicæ doctrinæ ſemen, frequenter aliunde aliò commigrabat. Itaque Capharnaum relictâ, in Naim Ciuitatem præteriјt. Euntem ſunt Diſcipuli comitati, ac copioſa turba promiſcuæ multitudinis.*

12. Cùm autem appropinquaret portæ Ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ, & hæc vidua erat: & turba Ciuitatis multa cum illa.

12. *Cùm autem Ieſus non procul à portâ Ciuitatis abeſſet, en noui miraculi occaſio. Effertur funus magnâ hominum frequentiâ; erat enim flebile, & quòd adoleſcens, in ipſo vitæ flore vitæ exemptus: & quòd viduæ filius vnicus perijſſet. Hæc & lacrymis, & miſerabilibus vocibus animi ſui cruciatum teſtabatur, & ad lacrymas reliquos, qui funus officij gratiâ comitabantur (turbam copioſam) prouocabat.*

13. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eâm dixit illi: Noli flere.

13. *Hoc ſpectaculum vbi Ieſus vidiſſet, miſertus viduæ illius, Eccleſiæque filiorum luctum plorantis contemplatus cruciatum, vtrique profatur, Noli flere.*

14. Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt. Et ait, Adoleſcens, tibi dico, ſurge.

14. *Vt autem & verbis, & re opitularetur, acceſſit ad loculum, quo defunctus efferebatur, ac manu contigit. Illicò qui funus portabant, reſtitere. Ieſus autem ad adoleſcentem reuerſus exanimem, dixit: Adoleſcens tibi dico, ſurge.*

15. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui: Et dedit illum matri ſuæ.

15. *Ad quam vocem adoleſcens velut à ſomno excitatus in thalamo, reſedit in loculo: quoque certius eſſet reddita vitæ argumentum cœpit loqui, ſermone quidem vigorem etiam animi declarante: & domino tradente matri, viuum vt reduceret domum ſuis inambulantem pedibus, quem mortuum quatuor baiulis extulerat.*

16. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, Quia: Propheta magnus ſurrexit in nobis; & quia Deus viſitauit plebem ſuam.

16. *Timore correpti, ſeu affecti reuerentiâ comitatus Dei miſericordiam laudibus effert profatus, Propheta magnus inter nos exortus eſt, & reſpexit Deus populum lacrymabilem. Timore illi corripiuntur in typum. Nam ideo malum velut cadauer proijcit Eccleſia, quò multi vnius exemplo peccare formident.*

SECTIO QVARTA.

Defunctus effertur.

TEXTVS.

VERS. 11. IBAT Ieſus in Ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo Diſcipuli eius: & turba copioſa. 12. Cùm autem appropinquaret portæ Ciuitatis, ecce defunctus efferebatur vnicus matris ſuæ, & hæc vidua erat: & turba Ciuitatis multa cum illa. 13. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam dixit illi: Noli flere.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Domini in Naim profectione.

1. *Quandonam* IBAT *Ieſus in Ciuitatem.* Poſt ſanatum Centurionis puerum Lucas narrat reuocatum in vitam vnicum Viduæ filium adoleſcentiâ floridum. *Et factum eſt*, ait, *deinceps*, id eſt, poſtquam Centurionis ſeruo reddidit ſanitatem. Græcè, *In die deinceps*, articulus enim τῇ ἡμέρᾳ indicat, id eſt, diem. Syriacum Euangelium, *Et factum eſt poſtero die.* Editum *hoc occiderint.*

ergo

ergo miraculum die poſtero poſt ſanatum famulum Centurionis. Diſceſſit namque Dominus ex Ciuitate Capharnaum, in quâ puero contulerat ſanitatem, cúmque Ciuitatem Naim peteret, mortuum adoleſcentem viduæ filium vitæ reſtituit.

2. *Quanam ciuitas Naim?* Hieron.

Quæ vocatur Naim. De hac Ciuitate ſic lib. de locis Hieronymus ſcripſit. *Naim oppidum vſque hodie in ſecundo milliario Thabor montis oſtenditur contra meridiem iuxtà Endor.* Et Brochardus 1. p. cap. 6. §. 11. *A Nazareth duabus leucis, à monte Thabor plus vna leuca contra Auſtrum eſt mons Hermon minor, in cuius latere Aquilonari eſt Vrbs Naim.* Vndè conſtat Naim propinquam fuiſſe Nazarethæ patriæ Domini, & monti Thabor. Significat autem nomen Hebræum *Pulchram.*

§. II.

De occurſu funeris.

3. *De diſcipulis comitantibus.* Caiet.

E*T ibant cum eo Diſcipuli eius, & turba copioſa.* Caietanus ad illud; *Diſcipuli eius*, inquit, *Deeſt, Multi.* Non omnes Diſcipuli cum Domino proficiſcebantur, ſed eorum multi, copioſa turbâ de more benefactorem omnium comitante.

4. *An inopinatus occurſus?*

Cùm autem appropinquaret portæ Ciuitatis, ecce defunctus efferebatur vnicus matris ſuæ. An acciderit inopinatus occurſus? Minimè, nihil Domino improuiſum accidit; cuncta habebat longè anteà præuiſa. In Vrbem Naim idcircò venit, vt tanto miraculo fidem, noménque ſuum illuſtraret.

5. *Iudæorum mos circa ſepulchra.* Matth. 8.

Filius vnicus matris ſuæ. Efferebatur adoleſcens viduæ filius extrà Vrbem humandus. Hic enim Iudæorum mos erat, non in Vrbe, ſed extra Vrbem ſepelire cadauera. Vnde & Ieſu ſepulchrum extra Vrbem iacuit in horto. Duo item Dæmoniaci de monumentis exeunt, quæ extra Ciuitatem aderant. Mat. 8.

Et hæc Vidua erat: & turbâ Ciuitatis multa cum illa. Circunſtantias cunctas à Luca notatas expendo. Qui in ſepulchrum efferebatur adoleſcens erat in ipſo ætatis flore extinctus. Nyſſenus lib. de crea. hom. Cap. 26. *Qui iuuenem retulit, florem, qui marcuerat, indicauit, cuius adhuc vultus lanugine veſtiretur, & genarum decor grato fulgore niteſceret.* 6. *Adoleſcens mortuus, ſic marceſcens.*

Præterea filius viduæ vnicus vocitatur. Græcè *Vnigenitus.* Idem Nyſſenus, *Partus extiterat viduæ ſingularis, ſolum hunc in doloribus nouerat, ſolum ſuis lactauerat vberibus. Quidquid matris oculis dulce, pretioſumque ſuberat, ſolus vnicus efferebat. Stirps videbatur generis, ramuſculus ſucceſſionis, baculus ſenectutis.* Plura ille. Cæterùm mater lacrymis reſperſa filium ſequebatur in tumulum. Flentem matrem multitudo magna comitabatur. 7. *Filius vnicus.* Nyſſen.

Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit: Noli flere. Vt Sol non rogatus ſuum ſpargit ſplendorem, Chriſtus vltrò viduæ ſuum præbet auxilium. Quonammodo in viduæ vnico filio orbatæ conſpectu Chriſti viſcera non commouerentur? Caietanus, *Materia miſericordiæ manifeſta eſt: vidua ſcilicet priuata vnigenito filio adoleſcentulo: ita quòd ex ætate apparet, quòd non relinquebat matri nepotem.* Particula *ſuper eam*, ſcilicet matrem viduam, indicat ex calamitate viduarum Chriſtum admodum affectû fuiſſe, de more quidem. 8. *Cauſa miſerationis viduæ priuatæ vnico barde.* Caiet.

Noli flere. Decreuerat enim Dominus funus in lætitiam vertere, gaudiumque illi ſuum, id eſt, filium rediuiuum reddere. Miſertus planè Chriſtus corde, *Miſericordiâ motus eſt*; deinde ore, & verbo: *Noli flere.* Denique opere, dedit enim filium matri vitæ redditum. *Noli* (inquit Caietanus) *flere, quia nunc reſtituetur tibi filius.* 9. *Prohibet eam à fletu.*

IN IESVM DEFVNCTORVM SVSCITATOREM.

PANEGYRICVS MORALIS QVARTVS CIRCA LITERAM.

EX DEFVNCTI INVECTIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Cùm autem appropinquaret portæ Ciuitatis, ecce defunctus efferebatur.

Ad Ciuitatis portam humandum cadauer effertur.

Vt Ciuitatem ingreſſuris, inibíque operaturis mors ante oculos obuerſetur.

VIDIMVS extra ciuitatum portas ſolitos Hebræos humare cadauera, id quod Gentiles imitati. Quàm appoſitè ſub ingreſſum Vrbium mortis memoria hominibus obiiciebatur, vt operaturi legis præſcriptis adhæreſcerent. Ex obiectu enim mortis geſta hominum roborantur, ac perficiuntur. 10. *Ex memoria mortis homines quodammodo in Deum conuertuntur.*

De

11. *Ante faciem potentiſſimi Verbi it mors vndè potentiſſimus Chriſtus exſurgit hoſtes debellaturus.* Haba. 3.

De ingrediente Domino Ieroſolymam, hoſtes vt horribiles debellaret: ſiue de eiuſdem egreſſu ex Vrbe, vt pro hominibus Cruci ſuffixus dimicaret, prædixit Propheta, *Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius: ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Antè faciem eius ibit mors.* Habac.3. Ingreditur Dominus Vrbem, egreditur ex vrbe acturus triumphum. Quonammodo triumphos geret, ſi eius abſcondita eſt ſub infirmitate fortitudo? Apparuit certè vir ſciens infirmitatem, ſed infirmus, leproſus, trucidatus præſefert victoris ſpeciem. *Exiuit vincens, vt vinceret.* In ciuitatem ingreſſus vicit, exit vt vincat. *Splendor eius vt lux erit*, manifeſta victoria. Vndenam triumphi illius vtriuſque documentum apparet? *Ante faciem eius ibit mors.* Si Vrbem ingreditur, ſepulchra plena cadaueribus obiiciuntur: ſi ex Vrbe egreditur, mortuorum habitacula præſentantur: quorum quidem aſpectus vires adeò addit pugnatoribus, vt triumphos exerant.

Septua.

Septuaginta transferunt, *Ante faciem eius ibit Verbum.* Quid Verbo cum morte? Dum mors it ante faciem, Verbum pergit: cum dimicas ex memoria mortis, illa tibi quaſi in Deum eſt omnipotenti dexterâ perficiens victoriam. *Ante faciem eius it mors? Ante faciem eius ibit Verbum*, cui cuncti hoſtes protinus ſubmittantur.

12. *Ingreſſurus Dominus Vrbem Eccleſia, mortem videt, hoſtes deuincit.* Dan.2.

Id ſomnium infudit Deus Nabuchodonoſori, cuius ipſe oblitus à Regni ſui ſapientibus requirebat. Denique Daniel. *Tu Rex, videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis. Huius caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter, & fœmora ex ære. Tibia autem ferrea, pedum quedam pars erat ferrea, quedam autem fictilis. Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Lapis autem qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.* Dan.2. Mons ille myſticam Hieroſolymam ſeu matrem Eccleſiam deſignabat ex Patrum expoſitione. Lapis ingreditur Hieroſolymam pugnaturus, victurus? O quam appoſitè luteos pedes attingit, ſiue in mortis memoria refricatur! *Ante faciem eius mors.*

13. *Homines ex aſpectu mortis in Verbum quodammodo conuertuntur, cuncta debellaturum.* Dan.2. Rupert.

An ſic homines? Certè ex mortis aſpectu milites ſuum ducem potentiſſimum imitantur. Requirente Rege illo à ſapientibus, quale fuerit ſomnium, nullus potuit diuinare. *Quo audito, Rex in furore, & ira magnâ præcepit, vt perirent omnes ſapientes. Et egreſſa ſententia ſapientes interficiebantur, quærebatúrque Daniel.* Dan.2. Propheta ex ſapientum aut mortuorum, aut moriturorum aſpectu Regiam ingreditur ſic operaturus, ac ſi in Deũ Verbum cõuerſus eſſet. Rupert. lib.6. de Vict. Verbi c.13. *Dũ inter inducias à Daniele poſtulatas cũcti ſapientes ſub gladio pendent morituri, niſi ſaltem ille, referendo ſomnium, communi periculo ferat præſidium. Per hæc cuncti à maiori vſque ad minimum cum Rege ipſo attenti fiunt ad audiendum, parati ad ſuſcipiendum, valde dociles ad ſuſcipiendum, beneuoli ad collaudandum. Ita demum Daniel dignum duxit Verbum Dei ſemetipſum in medium proferre. Quia profectò tempus & cauſa talem tanti Sacramenti margaritam non ſineret conculcari.* En hominem ex aſpectu mortis in Verbum Dei conuerſum cunctos debellantem, illuſtriſſimas reportantem victorias. Vtinam vrbes ingreſſurus (ſi non hominum ſepulchra) ipſius vrbis ruinas in interitum properantis, ex domorum defectu reſpicias, vt memoriâ mortis munitus quaſi in Deum conuerſus, minimè te vt hominem exeras.

Observatio II.

Ad illa verba.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ.

Solatium eſt miſeræ parenti viduæ vnico filio orbatæ, Ieſus vnicus Filius Patris, & Viduæ Matris, morti horribili tradendus.

Contra querelas eorum parentum, qui filiorum immaturum interitum lamentantur.

VIDVÆ parenti vnico filio adoleſcenti orbatæ obiicitur adoleſcens vnicus Patris æterni, & Matris viduæ tradendus neci horribili. Quid vidua queratur de immaturo nati caſu, ſi filius vnigenitus Dei, & Virginis tam crudeli nece præripitur? 14.

Moneo parentes in vnici filij morte a currere ad Chriſti necẽ, vt conſolatione afficiatur.

Solatium eſt miſeris, ſocios habere Penates. Si Deus quodammodo plorat, ſi vidua Deiparens lacrymas profundit, *noli flere* vnigenitum tuũ, florenti in iuuenta mortis æſtui commiſſum.

Difficile præceptum Deus indixit Abrahamo. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in montem viſionis, atque offeres eum in holocauſtum.* Gen. 22. Proh Deum immortalem! Poterit-ne pater vnigeniti mortem aſpectare, dum ſimul à filio, à lætitia, ab hærede, à poſteritate priuatur. Itanè? Quid ſi Chriſtus vnigenitus Patris æterni, Mariæquè viduæ, crudeliſſima nece à viuis excedat? Cyrillus Alex. hom. 5. Paſch. *Ex tuo dolôre diſcas, quanam illa communis omnium Parentis iactura ſit, quum eius Filius, quem dilexit, vitam pro generis humani incolumitate offerret.* 15.

Orbatus filio vnico Abraham conſolabitur videns Ieſum vnicum Dei, ac Virginis Filium interemptum. Gen.22. Cyril.

Mulier quid ploras? Filio orbata ſum ſimilitudinem mei referente, quem vnicè vnicum diligebam! O filij huiuſmodi nunquam ſatis ponderata iactura! An non Filium ſuum Deus ſimilliimum diligeret? Attamen pro hominum ſalute tradidit: quid quereris? Paulus, *Qui proprio Filio ſuo non pepercit.* Rom.8. Vbi Ambroſius lib.1. de Iacob cap.6. inquit. *Quod in Patre fuit, nihil ſibi ipſe reliquit, totum pro te obtulit. Conſidera affectum proprium. Quod pietatis eſt, quaſi morituri Filij ſuſceperit periculum, quaſi orbitatis hauſit dolorem, ne tibi peri-* 16.

Qui filio dilecto orbatur aſpiciat Deũ Patrem, Viduãque Mariam proprio Filio nõ parcentes. Rom 8. Ambro.

ret fructus redemptionis. Si tuæ redemptioni Deus prouidit Filij ſui vnigeniti iactura: cur profundis lacrymas ſine ſolatio qui filio priuaris fortaſſe vt vel ipſius filij, vel tui æternæ ſaluti conſulatur? Scis, an filij incolumitas futura ſit tuo animo exitialis? ſcis, an ſuperſtes, delictis implicitus excidet à ſalute? Raptus igitur eſt, ne aut ipſi, aut *ſibi periret fructus redemptionis.*

17. Si igitur vis conſolatione affici in obitu immaturo filij vnicè dilecti, non aſpicias ſimiles hominum aliorum orbitates minimè quidem ſufficientes ad præcordia demulcenda: ſed ipſum Deum, Virginémque menti expone de vnici dilectiſſimi Filij Dei & hominis nece crudeliſſima conclamantes. Sola hæc orbitas potens tuam orbitatem reddere tolerabilem. Iacobo parenti amantiſſimi filij Ioſephi tunicam reliqui nati præſentarunt. *Congregatis autem cunctis liberis eius*, (ait textus) *vt lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere.* Gen. 37. Cur noluerit? Quia nec fratrum, nec parentum aliorum communis orbitas poteſt plenè hominē de nece vnicè dilecti filij cōſolari, niſi adſit Vnigeniti Dei, & Virginis immaturè necati memoria. Rupertus lib. 8. de Trin. c. 25. *Quonam inſtrumento filij eius congregati aderant ad leniendum patris dolorem?* An ſententia illa? Frater meus mortuus eſt: Filius vnicus huius, vel illius parentis immaturè raptus? Non ſufficit ad dolorem leniendum, niſi accurrat Pater æternus, Viduáque Maria, qui de Filio Vnigenito immaturè prærepto condolerent. *Quis enim dolorem eius mitigare poterat, niſi quem medullitus dolor ipſe mordebat.* Deus ſcilicet Pater qui impaſſibilis cum ſit, de morte Filij pro hominibus traditi quodammodò ineffabili dolore afficiebatur: Virgóque Deiparens cordis lacrymas profundens coram Vnigenito dilectiſſimo ligno ſuffixo.

Non ſufficit ad ſolatium parentum aliorum parentum filium immaturè arreptum fuiſſe. Ieſu ſola memoria potens conſolari.

Geneſ. 37.

Ruper.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et hæc vidua erat.

Dicens Viduam, omnibus tribulationibus fœminam innuit exactam.

Vbi quàm pium, viduis miſereri.

18. AIEBAT Caietanus ad illud: *Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus eſt. Materia miſericordiæ manifeſta eſt, vidua ſcilicet.* Dicens enim viduam totam tribulationum, & incommoditatum colligationem expreſſit.

19. Cecinit Periander.

Apud diuos meritum tolerantia eſt.

O quam præclara merita apud Deum te viduam exiſtere; quia fœminam eſſe viduam, idem eſt, ac pluribus affici incommodis. Iudith curans ſibi gratiam Numinis conciliare, proclamat, *Subueni, quæſo, te Domine, Deus meus, mihi viduæ.* Cap. 9. Si meritum in conſpectu Domini tolerantia eſt, refer in publicum martyrium caſtitatis, oppreſſionis hoſtium incommoda. Profectò ad viduam ſubleuandam aduocatur appoſitè Dominus, quia ſe vocitans viduam, aſſerit vniuerſarum incommoditatum eſſe copulationem. Carthuſianus approbat, affirmans titulum viduitatis apud Deum ambitioſiorem eſſe ad gratiam impetrandam ſi Numen ex noſtra patientiâ conciliandum.

Titulus viduitatis apud Dei miſerationem magni ponderis eſt, quia cumulata in viduitate miſeria.

Iudic 9.

Carthuſ.

Viduæ vocabulum premendum eſt in præfatæ veritatis teſtimonium. Apud Hebræos *vidua* vocatur אַלְמָנָה *Almanah*, quaſi ab אָלַם *alam*, *colligauit*, *obmutuit*, quia viro emortuo velut colligata, & vincta domi ſileat, & obmuteſcat: nec valeat ſe defendere, & *ius ſuum tueri.* Sic noſter in Iudith ingenioſus Interpres. Quid autem moleſtius, quàm iniuſtè tentatam, ac laceſſitam obticere? Vel vir Dauid inter hoſtium iniurias tacens clamitabat, *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea.*

Vidua ... gata & ... ta.

Græcè autem vidua dicitur χήρα à χηρόω *deſolo*, quia deſolata eſt. Anſelmus ad Iudith cap. 8. pro illo verbo: *ſubueni mihi viduæ*, legit, *ſubueni mihi deſolatæ.* Viduitas enim quid niſi omnimoda deſolatio eſt. Nonne deſolatum eſſe quendam idem eſt, ac omnibus incommodis eſſe tentatum? Ita planè. Porrò viduam eſſe, cunctis tentaminibus affici eſt. Pulchrè Dauid, *Pupillum, & viduam ſuſcipiet.* Pſal. 145. Hieronymus, Eriget. Hebraicè, יְעוֹדֵד *iehhoded*, id eſt, *exaltans*, *erigens*, *confortans*, *fulciens*, *ſuſtentans*, *adiuuans.* Cur tot iuuamina acceruantur, tot præſidiorum promiſſiones exponuntur? Quia cùm vidua idem ſit ac omnium incommodorum, ac calamitatum colligatio, vni viduitati fulciendæ neceſſaria eſt omnium fulcimentorum ac præſidiorum promiſſio. 21.

Vidua omnium incommodorū eſt epilogatio, ipſa deſolatio eſt.

Non miror Chriſtum viduæ noſtræ iuſſiſſe, *Noli flere*, filio enim vnigenito orbata lacrymas iuſtè profundebat. Quid ſi cuiuſlibet viduæ habitus lacrymabilis ſit? Profectò idem eſt reſpicere viduam, accedere, loqui, petere, apparere ac plorare. Iob aiebat, *Si oculos viduæ expectare feci.* Cap. 31. Hebraicè, *Oculum viduæ non conſumpſi*, differendo quod poſtulat. LXX. Viduæ oculum non tabefeci. Nicetas, *Non ſum paſſus lacrymis aut aſſiduo oculorum coniectu, intenſionéque contabeſcere.* An reſpicere viduam, & plorare idem ſit? Certè cùm vidua apparet reſpicit, cùm poſtulat, nihil aliud eſt, quàm lacrymas profundere, quia tota cauſa viduæ lacrymabilis eſt. 22

Viduam ... qui, a ... aut apparere, idem eſt ac flere.

Iob 31

Nicet.

Profatur Nanus, *Vidua dicitur quaſi idua, hoc eſt à viro diuiſa. Hinc viduare, pro priuare dicitur. Hinc etiam viduitas calamitas dicta, Quod viduet, id eſt priuet bonis.* Quam miſerandus ille ſtatus, quem inire, calamitas ſit, cuncta à fœminis bona præripiens. 23

Vidua calam... omnium, ... eſt.

Iacobus conteſtatur, dum inquit, *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem eſt, viſitare viduas in tribulatione.* cap. 1. Et nullæ aliæ operationes religionis mundæ obſeruatori præſcribuntur? Solummodo viſitando viduas in tribulatione immaculata lex obſeruatur? Ita planè. Quia cùm viduitas tota calamitas eſt, ei ſubuenire tota iuſtitia eſſe quodammodo videtur. Aliquando Dominus prolaturus, *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.* Mat. 25. Cælum toti iuſtitiæ præparatum vni pauperum ſubleuatori exhibetur. 24.

Qu... ſubu... nem ... quodammo... iuſtitiā. ... omnem ... ... tiam all... nat.

Iaco. 1

Mat. 25

exhibetur, quia pauperibus ſubuenire tota quodammodo iuſtitia eſt.

25. *Per viduas omnia incommoda intelliguntur.* Niſſen.

Certè ex Nyſſeno lib. de Virg. Cap. 3. per viduas à Iacobo memoratas omnes egeni debent intelligi, quia viduitatis ſtatu omnia incommoda continentur. *Quæ ſunt*, ait ille, *propria incommoda viduitatis? Quotus quiſque eſt, qui omnia accuratè enumeret? De improuiſo viduitas ærumna, ſolitudo, caligo, & tenebræ, luctus, lamentabiles plorates.* Ergo vni viduæ fidelis ſubueniens quaſi omnem leuat incommodorum colligationem. Meritò igitur Dominus viduam aſpiciens, miſericordiâ motus eſt ſuper eam.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit.

Ex viduæ miſeriâ Dominus mirum in modum commouetur.

Contra viduarum iniquos vexatores.

26. Non dixit Euangeliſta, Dominum miſericordia commotum ſuper adoleſcentem immaturæ morti traditum, non ſuper naturam humanam tot miſeriis affectam, ſicut alibi, cùm Lazarum eſſet ad vitam reuocaturus, ex Patrum ſententia, quàm expreſſimus: non ſuper conciues luctum comitantes; ſed *ſuper eam*, viduæ ſcilicet vicem dolens. Vidualis enim ſtatus curæ eſt Creatori, qui viduæ lacrymas abſtergit; *Noli flere.*

27. *Viduarum Deus lacrymas abſtergit.* Cant. 1. S. Nazian.

Cecinit ſponſus, *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Cant. 1. Per turturem viduam intelligit: authore Baſilio hom. 8. Examer. Nazianzenus in præcep. ad Virg. *Turtur viduata marito extincto, gemit aſſiduè, luctúque requirit.* Sic lacrymas profundit ſponſa, quas abſtergendas Dominus promittit, aſſerens lacrymas eſſe viduæ, quas proculdubio abſtergit. Hæc ex Nazianzeni mente.

28. *Eſt iudex viduarum quia flere prohibet.* Pſal. 67.

A Regio Vate Deus dicitur *pater orphanorum, & iudex viduarum.* Pſal. 67. Cur orphanorum parentem, viduarum autem non maritum, ſed iudicem gerere aſſeratur? Certè agit ſpiritualem viduarum maritum Eccl. 4. quemadmodum orphanorum parentem: ſed dicitur iudex præcipuè viduarum, quia earum abſtergendis lacrymis ex iniuriâ viduis adnata profuſis ſpecialiſſimam operam impendit.

Mirabel.

Vndè Mirabelius nomen viduæ deducit à verbo Hebræo *Alam* ſeu *loqui non poſſe.* Obmuteſcit enim vidua coram affligentibus eam: tacet, & plorat, vt lacrymæ proloquantur. Iudex ergo Dominus viduarum, illatas eis iniurias propulſans.

29. *Poſtquam iuſte feceris viduæ, adhuc ad examen vocandus es,* *ut de perfectione iſtius iuſtitiæ diſputetur.* Iſai. 1. Tertul.

Iſaiæ ex ore Conditor, *Iuſtè facite viduæ, & venite diſputemus, dicit Dominus.* Cap. 1. Pende particulam. *Iuſtè facite.* Viduarum iura ſeruate, nullâ eas *iniuriâ afficite.* Iam requiro, ſi iura viduarum ſeruantur à filiis Iſrael, quare addidit Dominus? *Et venite diſputemus.* Poſtquam *iuſtè* egeritis viduæ, adhuc mihi iudici ea eſt cauſa deferenda, vt videam, an aliqua iuſtitiæ particula prætermiſſa à vobis fuerit circa viduarum incolumitatem. Tertullianus lib. 1. ad vxo. cap. 8. *De viduitatis honoribus apud Dominum vno dicto eius prophetam expeditum, iuſtè facite viduæ, & venite diſputemus. Duo iſta nomina* (ſcilicet viduæ, & pupilli) *in quantum deſpectui humano, in tantum diuinæ miſericordiæ expoſita ſuſcepit tueri Pater omnium. Vide, quam ex æquo habetur, qui viduæ benefacit; quanti eſt vidua ipſa cuius adſertor Dominus diſputabit?*

30. *Cauſa viduæ ſpecialiſsimè à Domino ſuſcipiatur, quam virginum?* Tertul.

Illa pende: *in quantum deſpectui humano, in tantum diuinæ miſericordiæ expoſita tueri ſuſcepit Pater omnium.* Si (vt Obſeruatione proximâ vidimus) viduam qui dicit, omnem aſſerit calamitatem, ærumnam, deſpectum: colligitur, cauſam viduæ ſpecialiſſimè à Domino ſuſcipiendam: An virginum cauſa tantæ eſt curæ apud Dominum? Minimè, quia ſtatus vidualis laborioſior eſt, & (vt explicem) lacrymoſior. Tertullianus citat. *Non tantùm virginibus datum opinor, licet in illis integritas ſolida, & tota ſanctitas de proximo viſura ſit faciem Dei, tamen vidua habet aliquid operoſius: Poterit virgo felicior haberi, at vidua laborioſior. Tota* igitur *ſanctitas* virginitatis non tam addicta eſt quodammodo Dei miſerationi, ac tota viduitatis miſeriarum, & ærumnarum colligatio.

31. *Contra videntes, dum vidua plorat culpa eorum qui rident.* Ambroſ.

Noli (inquit Dominus) *flere.* Quam hinc ad compaſſionem ſuper lacrymantes viduas excitamur! Quid ſi noſtra iniuriâ affectæ plorent, noſque interim rideamus? Ambroſius ſer. 59. *Ecce religioſa vidua tota ſupellectili deſpoliatam domum ſuam dolet, & tu eadem ſupellectili domum tuam ornatam eſſe lætaris? non compungeris, cùm vides in hoſpitio tuo lacrymas alienas?* Adnotauit Toletus Dominum viduam à fletu prohibuiſſe, quia cauſam fletus tollere mox decreuerat, nempe filium ei reddendo. Quonammodo poteris viduæ profari, *Noli flere*, ſi non reddens ei ablata, queis lætaris, fletus cauſam minime ſubtuliſti?

Observatio V.

Ad illa verba:

Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit: Noli flere.

Quum primum fœminæ lacrymas aſpexit Dominus, illicò eas abſtergere curauit.

Promptiſſima enim Dei miſericordia ergà afflictos lacrymas profundentes.

32. Illa particula: *Quam cùm vidiſſet Dominus*, feſtinationem miſerationis expreſſit. Ac ſi diceret, vix lacrymantem intuitus eſt, & illicò clamat, *Noli flere* curans

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. 1.

ſcilicet fletus cauſam auertere, dum filium ad vitam reuocaret. Properat certè Dei miſericordia, cùm hominis miſeria potentiſſimas ſe effundit in lacrymas.

33. *Timuit Elias Deum cito lacrymis placandū, ideo claues retinet cæli.* 3. Reg 17. Baſil.

Cupiebat Elias diu Hebræos Dei flagello vulnerari, fame ſæuiente: vnde clamat. *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia niſi iuxtà oris mei verba.* 3. Reg. 17. Alicubi iam quæſiui, cur Deo Propheta claues non crediderit, ſed retinuerit? & reſpondi cum D. Baſilio Seleuco orat. 11. *Propenſam Dei in hominis beneuolentiam metuit.* Nunc inſto, Vndenam tam propenſam Domini miſericordiam futuram credidit? Profectò, quia famis moleſtia miſeros impellit ad lacrymas, dum deficiente pane panes ſunt illis lacrymæ die ac nocte. An flentibus miſeris poterit Dei pietas contineri, quin properanter calamitati ſubueniat? Addit Præſul, *Ipſum* Deum *monit* Elias, *vt cito lacrymis concilietur.*

34. *Propter lacrymas captiuorū Deus illicò ſubuenit.* Rupert.

Captiuitate preſſis ſic Iſaias curat leuamine affici: *Excutere de puluere, conſurge, ſede Ieruſalem, ſolue vincula colli tui captiua filia Sion.* Num citò vincula è collo ſoluenda? *Propter hoc* (addit) *ſciet populus meus nomen meum in die illâ, quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum.* c. 52. Non iam verbis ſolatium confero: ſed ecce adſum iam vt opere ſuccurram. Vndenam Dominus allicitur, vt feſtinanter veniat, ad ſubueniendum? *Propter hoc.* Quid? Propter lacrymas, quas captiuitatis nequitia captiui profundunt. Rupertus lib. 6. in Gen. cap. 18. exclamat, *O pium deſiderium, pia ſpes, longa ſuſpiria populi Sanctorum!* Poſt longa pia deſideria, & ſuſpiria adhuc vinculis Sion filia colligatur. Quanam vi denique vincula comminuuntur? *Quomodo in gaudium ſubleuatus eſt populus, & in riſum dilatatus? Quomodo? Abſterſa eſt lacryma ab oculis eius.* Si fleuit populus, quid mirum Dominum illicò accurriſſe, properanter opem laturus aduentaſſe. *Teſtatur Iſaias cum dicit: Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illâ, quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum.*

35. *Deus non cõmitit Angelis hominum lacrymas abſtergere, ſed ipſe propria manu gerit id munus, vt velocius accurrat.* Apoc. 21. Bernard.

Ioannis expendo vaticinium. *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Apoc. 21. Vbi Bernardus Declamat. *Felices lacrymæ, quas benigna manus Conditoris abſtergit.* Vidi multa erga hominum ſalutem munera Angelis eſſe commiſſa. Cunctorum hominum cuſtodia Angelorum curæ traditur. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te,* Lazari animus Angelorum miniſterio in Abrahæ ſinum deportatur. Iſmaël potatur ab Angelo fontem, aut puteum oſtendente, &c. Quare igitur non Angelo commiſſum fuerit officium lacrymas abſtergendi? Proculdubio quia ex diuinæ pietatis more lacrymæ tam illicò abſterguntur, vt ipſum plorare, ſit abſtergi. Ideo ipſius Dei manus munus exerit abſtergendi, quia vbique præſens poteſt incunctanter ſobuenire. Cùm Angelus immittitur ad Abrahamum, filium à gladio erepturus *de cælo* clamauit, *Abraham, Abraham.* Gen. 22.

Gen 22.

Quod ſi requiras, cur de cælo? Diuus aliqois alibi à me datus, reſpondet, Quia vidit tam addictum capiti gladium, vt quodammodo manum impedientem properantem vulnus præueniret. Deus autem non è cælo deſcenſurus, ſed intimè vbique præſens poteſt adeò properanter lacrymas abſtergere benigniſſimâ manu, vt ipſum plorare idem ſit ac lacrymas abſtergi.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper illam, dixit, Noli flere.

Videns Dominus fœminam iuſtè plorantem, vehementer afficitur, vt filium reſtituat.

Lacrymæ etenim ex corde profluentes, & animi reſurrectionem, & qualibet cordis iuſta deſideria conſequuntur.

NON interrogauit Dominus, *Mulier, quid ploras?* vt alibi; ſed vt vidit plorantem, illico dignatur laboranti ſubuenire. Potentiſſimæ etenim lacrymæ è corde profluentes ad cuncta beneficia à Deo impetranda. Cur non expectauit, vt peteret? Certè lacrymæ iuſtè profuſæ tota eſt apud Dominum efficacia. 36.

Aſſerit Paulus ſe ſe Chriſtum pro nobis obtuliſſe, *Cum lacrymis, & clamore valido.* Hebr. 5. Miror lacrymas profudiſſe, qui toto ſanguine homines ab æterno eripiebat exitio. Scio tamen Authorem ſer. ad fratres in Ere. ſer. 11. dixiſſe: *Lacrymæ paſſionis Domini eſt vicaria.* Vt eadem præſtent lacrymæ, ac ſanguis Dominicus ad hominum ablutionem. At ideo fleuiſſe, cùm ſanguinem profundit, aſſero, vt quodammodo ipſe ſanguis, ipſa paſſio lacrymarum ambirent patrocinium, ad veniam hominum conſequendam.

37. *Paſſio ſe in animis quodammodo lacrymarum vſa patrocinio, vt impetret ablutionem hominum.* Hebr. Auguſtin.

Helias Cret. ad funebrẽ orat. Nazian. de Gorgonia refert dixiſſe Ioannem Climacum: *Lacrymæ niſi diuinitus data eſſent, pauci omnino eſſent, qui ſalutẽ conſequerentur.* An non ad ſalutẽ conſequendã conferunt opera egregia? non conducit Martyrium? Profectò qui ſapit, qui vim lacrymarum agnoſcit, à lacrymis vt, impetret efficacius, exquirit patrocinium. Hieronymus epiſt. 83. *Qui ab aquis primum ſignum fecerat, finiuit in aquis. In Cana enim conuertit aquam in vinum: in morte effluxit aqua: vt ſignificaret virtutẽ abluendi ſacri Baptiſmatis, & Martyrij, quorum virtutem conceſſit aquis lacrymarum.* Exaggerat Doctor lacrymarum vim, dum affirmare videtur, ipſum Baptiſmum, & Martyrium ſociis lacrymis incedere, imò efficaciam ſuam quodammodo ex lacrymis trahere: *Quorum virtutem conceſſit aquis lacrymarum.* Ac ſi diceret, Efficax Baptiſmus ad abluendum, efficax Martyrium: Ideo efficaciâ tantâ ad veniam conſequendam pollere videntur, quia ad lacrymarum efficax admodum patrociniun confugerunt.

38. *Baptiſmus, & Martyriũ ſuam ex lacrymis quodammodo efficaciam trahunt.* Climac. Hieron.

Dixerat

39. *Qui in luctu miſeria eſt, ſimul in gloria adeſt, quia illico Deus ploranti miſeretur.* Mat. 5. Auguſt.

Dixerat Dominus. *Beati qui lugent.* Mat. 5. Ad quæ Auguſtinus in Pſal. 85. *Nihil tam coniunctum miſeriæ quàm luctus: nihil tam remotum, & contrarium miſeriæ quàm beatitudo. Tu dicis lugentes, & dicis beatos: Beati qui lugent. Qui agnoſcunt ſe eſſe in miſeria, & lugent, beati ſunt.* Quonammodo illico beati qui in miſeriâ commorantur? Porrò quia lugent, qui quidem mox ad ſe Dei miſericordiam ad leuandam miſeriam arripiunt: *Quam cum vidiſſet, miſericordiâ motus &c,* Itáque, licet qui in luctu eſt, in miſeriâ exiſtit, quia Deus illicò ſuper plorantes miſericordiâ mouetur, qui in luctu, aut lacrymis eſt, in beatitudine eſſe comperitur, mox miſericorde Domino ſubueniente.

40. *Sanguis Ieſu nobis ex lacrymis noſtris ſalutaris exiſtit.*

Ex Ægypto Hebræi educuntur à Moſe, ſubmerſisque rubro pelago hoſtibus, gloriosè concinunt. Peccatores ſanguinis ſalutaris beneficio à criminibus abluuntur. Certè Auguſtinus ſer. 11. ad frat, *Peccatores*, inquit, *ex Ægypto vitiorum exeunt, mare rubrum & nos euntes, dum ſubmerguntur hoſtes, & vitia ſuffocantur, verè Domino cantant gloriosè. Ad has lamentationes te conuerte. Paradiſum ſimul lacryma aperit, infernum claudit. O felix tabula, ô vitalis nauicula!* Ecce ipſum ſanguinem Chriſti hominibus ſalutarem exiſtentem ex ſociis eorum lacrymis, ſi tabula eſt lacryma, ſi nauicula. Ad miſeriam-ne hominum Deo præſentandam vt Deus ei miſereatur, ipſe ſalutaris ſanguis curat peccatoris lacrymarum quodammodo auxilium? Certè vis redemptionis peccatori corde ploranti eſt applicanda.

41. *Te plorante, animus reſurget.*

Mortuus-ne filius? animus feretulo deportatur? lacrymas profundens ad te Dei miſerationem illicò arripies. Dauidicum carmen expende. *Lacrymas meas ne ſileas.* Pſal. 38. Id eſt, Non facias ſilere, ſiue me lacrymabili affectu donari non renuas. D. Ephren de comp. *Noui, quòd ſi lacrymarum mearum memor fueris, iniquitatum mearum non recordaberis, cùm exigua lacryma multa poſſit abolere peccata. Ideo tuam exoro bonitatem, vt lacrymas meas in medium adducas. Quando igitur poſiti erunt throni & aperientur libri, lacrymas meas ne ſileas. Quicumque enim lacrymas illuc præmiſerit, confidenter ad iudicium tuum reſurgens accedet.* Reſurrectionem lacrymæ operantur. Fleuiſti? *Noli iam flere*, quia proclamat Dominus vi lacrymarum exoratus. *Tibi dico, ſurge.* Cecinit Naſo lib. 4. de Ponto. 42.

Lacryma incitamentum miſericordiæ Dei.

Quidque facis lacrymis opus eſt, non ſanguine dixit,
Sæpe per has flecti Principis ira ſolet. Ouid.

Si Principis ira illicò lacrymis flectitur, quid Numinis? Nicetas Acom. *Lacrymas Deus admittit, & natura maximum miſericordiæ Dei incitamentum in oculos noſtros deriuauit.* Ideo plorantem viduam à fletu retraxit, quia miſeratione motus *ſuper eam* ei filium è feretro ſurgentem reſtituit. Hinc Marci Antonij Nat. de immort. ani. lib. 1. ſententiam taxo. *Lacrymæ nihil remedij afferunt malis*: potiùs aſſerens è lacrymis cunctis calamitatibus medicamina, ac remedia confici, ſi Deus videns lacrymas profundentem, illicò miſeratione afficitur ſuper eum. Igitur nunquam non lacrymas fundamus; *priùs enim lacrymæ nobis deerunt*, (Quin. Curt. lib. 5.) *quam cauſa dolendi.* Nicet.

SECTIO QVINTA.

Adoleſcens reſurgens.

TEXTVS.

Vers. 14. ET acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, ſteterunt. Et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. 15. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. 16. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis; & quia Deus viſitauit plebem ſuam.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De adoleſcente ad vitam Dominico iuſſu reuocato.

Quare loculum tetigit?

ET acceſſit, & tetigit loculum. Quare loculum tetigerit? Exiſtimo, ne portitores vlteriùs progrederentur feretrum ad ſepulchrū deferentes. Continuò igitur portitores ſtetere, Dominúſque adoleſcenti mortuo vt in vitam rediret, hiſce verbis imperauit. *Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.*

2. *Quæ verba protulerit adoleſcens?*

Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Paruit abſque morâ diuino mors imperio, mortuum remiſit in vitam, in feretro reſedit adoleſcens iam viuus, & loquutus eſt: *Et cœpit loqui.* Quid protulerit verbis ſilet Euangeliſta. Opinor in diuinas laudes prorupiſſe, ſe è mortis faucibus cernens ereptum.

3. *Dedit Ieſus filium matri.*

Dedit illum matri ſuæ. Deſcendit de loculo viuens adoleſcens, ſe ad pedes Domini abiecit, gratiáſque pro accepto beneficio geſſit. Acceſſit ſimul proculdubio mater præ gaudio iam lacrymas profundens, ſermonéque pio ſe gratam oſtentauit. Dominus verò filium matri tradi-

dit, ſiue potiùs (vt ait Euangeliſta) dedit veluti donum pretioſiſſimum. Ediſcant parentes toties filios accipere à Domino, quoties hi ab exitiali diſcrimine liberantur, vt de exhibendis gratiis ſe ſollicitos curent exhibere.

§. II.

De timore, & laude.

4. *De timore.* A*Ccepit autem omnes timor.* Ex conſpectu miraculo timor fuit exortus. Quidnam quæſo mali timerent miraculi illius ſpectatores? Exiſtimo nihil mali timuiſſe, ſed Deum fuiſſe reueritos. In Scriptura enim *Deum timere*, idem eſt, ac reuerentes colere: timor autem idem ac cultus.

Et magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, &c. Nondum 5. *De laude.* Chriſtum agnouerant, Prophetam quendam magnum eſſe credebant, Eliæ, aut Eliſæo ſimilem, per quem Dominus Iſraëliticum populum viſitauerat. Nec à vero alienum (vt Barradius affirmat) nomine Prophetæ Meſſiam intellexiſſe. *Quia Propheta magnus.* Cùm Chriſtus in concionibus vulgò non ederet de rebus futuris vaticinia, cur Prophetam appellant? Reſpondeo, quia miracula edebat, concionabatur, populum edocebat, vitæ ſanctitate præſtabat, qui quidem magni Prophetæ indicamina eſſe non ineptè credebant.

IN IESVM DEFVNCTORVM SVSCITATOREM,

PANEGYRICVS MORALIS QVINTVS CIRCA LITERAM.

EX ADOLESCENTIS RESVRRECTIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Tetigit loculum.

Tangit Dominus feretrum, vt approbet funereæ pompæ pia obſequia.

Vbi defunctorum cadauera ad ſtructa laudabiliter ſepulchra, ſolemniter deportanda illuſtro.

6. EXISTIMO Dominum loculum tetigiſſe cadaueris, vt efferendi defunctos fideles in præparata laudabiliter ac ſtructa ſepulchra, conſuetudinem (pompa
August. nempe ſolemni) commendaret, Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. cap. 13. *Non contemnenda ſunt corpora defunctorum, maximéque iuſtorum ac fidelium, quibus tanquam organis ac vaſis ad omnia bona opera ſanctus Spiritus vſus eſt.* Quàm commendabile, Spiritus ſancti organa, & vaſa ſolemni pietate auguſtis monumentis collocare.

7. *Celebris Hebron ob ſepulchra fidelium.* Ciuitatis Hebron *nomen fuit antiquitus Cariath-Arbe.* Iudic. 1. Id eſt, *Ciuitas quatuor.* Vndenam, quæſo, ſic Ciuitas illa celebris vocitata? An à quatuor gigantibus, qui eam polluerant? Ita nonnulli volunt. An ab Arbe gigantum maximo? ſic Salmeron tom. 10. tract. 35. Aſſero nomen traxiſſe à quatuor Patriarchis Abraham, Iſaac, Iacob, & Adamo ibidem ſepultis. Ita Hieronymus, Rupertus, & alij. En celeberrima Ciuitas ex quatuor extructis (totidem cadaueribus ſanctis) monumentis.

Sanctitudinis incitamenta doctus Author 8. & exequias, & funebrem pompam, & monumenta vocitauit. Meritò quidem, quia communem caſum adferunt ad memoriam, ſante ipſo ex ſepulchro fideli cadauere, *Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum. Mihi heri; & tibi hodie.* Eccleſ. 38. An non id aſſerit monumenti nomen? Auguſtinus lib. de cura pro mort. cap. 4. *Non ad aliud monumenta dicuntur ea quæ inſignita fiunt ſepulchra mortuorum, niſi quia eos, qui viuentium oculis morte ſubtracti ſunt, ne obliuione etiam cordibus ſubtrahantur, in memoriam reuocant & admonendo faciunt cogitare.* Quid cogitem in conſpectu monumenti niſi eandem à me ineundam viam, idem tribunal ſubeundum.

Sepulchra ſūt ſanctitatis incitamenta ex memoriâ fati.

Quid ſi reſurrectionis fidem, celebratis 9. exequijs, ſepulchris ſtructis, profiteamur? D. Thom. 4. diſt. 45. q. 2. a. 3. *Sepultura*, inquit, *ſpecialiter prodeſt viuis, in quantum per hoc aſtruitur reſurrectionis fides.* Si corpus illud exanime rurſus vitâ glorioſâ donandum eſt, id decet pompa glorioſa. Taxat Paulus eos, qui non curant mortuos ſuos glorioſè efferre, dum ait, *Seminatur corpus in ignobilitate: reſurget in gloria.* 1. Cor. 15. O hominum incuria! Corpus-ne futurum glorioſum in ignobilitate eſt terræ mandandum?

Reſurrectionis fidem celebratis exequijs profitemur?
Thom.
1. Cor. 15.

Profectò defunctorum pompa, exequiæ 10. (Auguſtino authore lib. 1. de Ciu. cap. 12.) ſolatium ſunt eorum, ſi ſanctè & ex more Eccleſiæ fiant. Confluit ciuium multitudo? Deum exoret. Eccleſiæ miniſtri comitantur? Offerant ſacrificia. Terræ fructus iuxta monumenta ſtatuuntur? Pauperibus conferantur. Alioqui pompa erit inanis, ſimilis quidem illi, de qua Maro Æneid. 6.

Exequiæ ſolatium defunctorum, ſi ſanctè fiant, non inaniter.

Manibus

Manibus date lilia plenis.
Purpureos ſpargam flores, animámque nepotis
His ſaltem accumulem donis, & fungari inani
Munere.

Floribus pompam funebrem exornat, qui ſolummodo inani honore defunctum ſuum curat exornare. Fructus autem accumulantur cùm ſacrificiis, precibus, ac eleemoſynis opera exhibetur. D. Hieronymus Epiſt. 26. ad Pammach. pulchrè ait, *Cæteri mariti ſuper tumulos coniugum ſpargunt violas, roſas, lilia, floréſque purpureos, & dolorem pectoris his officiis conſolantur. Pammachius noſter ſanctam fauillam, oſſáque veneranda eleemoſyna balſamis rigat, his pigmentis, atque odoribus fouet cineres quieſcentes.* Plura diximus tom. 6.

Hieron.

Observatio II.

Ad illa verba:

Adoleſcens, tibi dico, ſurge.

Defunctus adoleſcens defunctum exprimit peccatorem.

Lethaliter enim delinquens animus letho traditur.

11. August. FILIVS viduæ mortuus, & extra portam elatus (aſſerente Auguſtino ſer. 44. de verbis Dom.) deſignat peccatorem, qui non ſolùm conſenſu, ſed etiam actu delinquit; foràs enim extrà pectus peccatum effert. Quàm aptè crimine ex lethali animus mortuo comparatur! Commune argumentum ſæpe alibi aſſumptum, vno, aut altero ſpeciali teſtimonio confirmo.

12. *Peccator ad ſpeluncas vt ad ſepulchrũ propè ? [illegible] mandatus.* Iudic. 6. Greg. Poſtquam Dominus delinquentes Hebræos in manus Madiam tradidit, *oppreſſi ſunt valdè, feceruntque ſibi antra, & ſpeluncas.* Iudic. 6. Quorſum Iſraelitæ in ſpeluncas detruduntur? Certè vt inſtar cadaueris, qui grauiter deliquerant tumulo conderentur. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 32. *Iniqui à cadaueribus nihil differunt.* Cadauera itaque aptè ad ſpeluncas, mortuorum habitacula deportantur.

13. *Verus mortuus peccator, qui Deum non laudat.* Pſal. 113. Auguſt. Dauid aut canit, aut deflet hanc peccatoris calamitatem. *Non mortui laudabunt te, Domine.* Pſal. 113. An non mortui Dominum laudant, qui ſub altari precantes à Ioanne audiuntur? Auguſtinus lib. de cura pro mort. cap. 4. *Cùm recolit animus vbi ſepultum ſit chariſſimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis, & precantis affectus.* Precamur, vt qui Deum laudant ſine requie ſeniores, preces noſtras thuribulis apponant Numini dedicandas. Quomodo igitur mortui Dominum non laudabunt? Reſpondet Chryſoſtomus, *Mortuos dicit, non eos, qui vitâ functi ſunt: ſed eos, qui mortui ſunt in impietatibus.*

14. *Peccator ſicut viuens eſt, non abſolute viuit.* Pſal. 57. Hi profectò viuentium ſpeciem gerentes, verè mortui efferuntur. Alibi Vates, *ſicut viuentes, ſic in irâ abſorbet eos.* Pſal. 57. Ac ſi diceret, Abſorbet eos in irâ, addicet exitio ſicut peccatores aſſolet ſupplicio afficere. Cur autem peccatores non viuentes abſolutè, ſed *quaſi viuentes appellauit?* An non quia peccatorum vita falſa eſt? Audi D. Auguſtinum ad Pſal. 126. *Quare non dixit viuentes, ſed tanquam viuentes, niſi quia falſa eſt hæc vita impiorum? Neque enim viuunt, ſed viuere ſibi videntur.* Auguſtin.

Romanis Paulus, *Quod enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel.* Cap 6. Semel, inquit, peccato homo moritur, rurſum corporis diſſolutione moriturus, iuxta illud: *Morte morieris.* Gen. 2. Dum igitur peccatorem aſpicis ambulantem, comedentem, loquentem, &c. puta eum ſemel mortuum quidem non abſolutè viuum, ſed quaſi viuentem ſolummodo, quia corporeæ morti nondum traditus eſt. Iſidorus Peluſ. to. 3. Epiſt. 252. *Facinoroſus tum demum propriè moritur, cùm leges violat, ac ſcelus admittit, quantumlibet alioquin vita vſurâ frui videatur.* 15. *Peccator delinquens ſemel moritur, corpore rurſus moriturus.* Gen. 2. Peluſ.

Vtra horribilior mors? Certè prima, de quâ prudens illa à ſenibus agitata coniux. *Si hoc egero mors mihi eſt: ſin autem, non effugiam manus veſtras.* Attamen elegit corporeâ morte corripi, ne ſpirituali corrumperetur. Vel profanus cecinit in Odis. 16. *Peccati mors horribilior corporea morte.* Dan. 3. Homer.

Multo melius eſt
Mori quàm viuentes peccare.

Quia viuentes delinquendo moriuntur: morientes autem iſti verâ vitâ donantur, ſi morte primâ correpti non fuerint.

Observatio III.

Ad illa verba:

Hi autem, qui portabant, ſteterunt, & ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge: & reſedit qui erat mortuus.

Adoleſcens, fauente Domino, reſurgit priùs quàm ſepulchro recluderetur.

Mortuus enim peccator conſuetudinis prauæ pondere preſſus difficulter reſurgit.

EXISTIMAT Diuus Auguſtinus illo ſer. 44. de verb. Dom. viduæ filium peccatorem ſignare opere quidem delinquentem, ſed nondum prauæ conſuetudinis ſepulchro addictum. *Alij, ait, poſt conſenſum eunt in factum tanquam efferentes mortuum, vt quod latebat in ſecreto, appareat in publico. Numquid iam iſti, quia in factum proceſſerunt, ſunt deſperandi? Nonne & illi iuueni dictum eſt, Tibi dico ſurge? Nonne redditus eſt matri? ſic ergo & qui iam fecerit, ſi fortè commonitus verbo veritatis ad Chriſti vocem reſurgis viuus redditur. Surgat elatus mortuus, pœniteat facti, de mortuo reuiuiſcat:* 17. *Defunctus peccator non deferatur ad prauæ conſuetudinis ſepulchrum.* Auguſt.

non eat in profundum ſepultura, non accipiat deſuper conſuetudinis molem.

18. *Qui ſepelitur praua conſuetudini addictus delicta contemnit.* Prou. 18.

Si terræ defunctus traditur, ſi lapis apponitur, multiplicatione criminum conſcientia fœtebit, difficilliméque lapis abſtrahetur à tumulo; quia ex prauâ conſuetudine crimina contemnuntur. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum contemnit.* Prou. 18. Facilè in peccata dilabitur, qui in profundum venit, qui poſt mortem ad ſepulchrum deſcendere non recuſat. Sepultum vocito illum, qui peccatorum conſuetudine in duritiem velut in foueam trahitur contempturus quidem crimina grauiora. Chryſoſtomus hom. 22. ad Popul. *Peccatorum conſuetudo lapſum*, ſeu mortuum *in foueam trahit.* Quid inde? ſepultus crimina grauiſſima contemnit. *Si purum habes veſtimentum, caues, ne peſſundes omnino ne quomodo ſordidetur: ſi primam, ſecundam, & tertiam contempſeris maculam, iam velut ſordidum habes veſtimentum: non graue videtur, licèt totum fiat lutum.* (Chryſ.)

17. *In tranſitu reſurgere procura facilius quidem, quã poſt initum ſepulchrum.* 2. Reg. 12. Ambroſ.

Caue igitur, ne ad ſepulchrum conſcientia deferatur. In tranſitu ad Dominum accede, ſiſtant portitores, Chriſto loculum tangente, ne progrediatur cadauer ad tumulum. Dauidi poſt delictum Propheta, *Cùm autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, &c.* 2. Reg. 12. Quare peregrinus, ſeu hoſpes peccatum Dauidis vocitetur? An quia ab humanâ alienum natura? Sic Ambroſius Apol. 2. cap. 11. *Quis eſt iſte hoſpes niſi miſerabile peccatum? Etenim culpa in hunc Mundum tanquam hoſpes intrauit, aliena noſtra, & peregrina natura.* Certè ideo hoſpitem & peregrinum peccatum reor appellari, quia quaſi per tranſitum apud Dauidem commoratum fuit; vnde defunctus deferebatur quidem, ſed nondum ſepulturæ prauæ conſuetudinis fuit reclusus. Theodoretus quæſt. 25. *Non enim conſuetudine, quæ altera eſt natura, ſed caſu peccauerat.*

20. *Dauid refert adoleſcentem hunc in via, aut tranſitu reſurgentem.*

Hi autem qui portabant ſteterunt. Properante enim Dauide ad ſpeluncam conſuetudinis iniquæ acceſſit Natham Chriſti gerens perſonam, loculum tetigit, vt pompa ſiſteretur. Quid obiecta peregrini parabola niſi, *Adoleſcens tibi dico?* Dauidi enim dicebantur quæcumque de peregrino attexuntur. Clamat Dauid reſurgens *Peccaui Domino*, quia nondum lapidis pondere claudebatur; vnde facillimè traditur matri Eccleſiæ, profante Prophetâ, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Aptè igitur peccatum hoſpes vocitatur, quia per tranſitum mortuus non poſt ſepulturam vocatur ad vitam. Auguſtinus lib. 3. Doctr. Chriſt. *In iſto viro immoderata libidinis non permanſio, ſed tranſitus fuit. Propterea etiam ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hoſpes vocatus eſt.* (Auguſt.)

Sæpe alibi recurrit argumentum.

***

Observatio IV.

Ad illa verba.

Tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, ſteterunt, & ait: Adoleſcens tibi dico ſurge, &c.

Manus Domini loculum tangens ſeu laboribus peccatorem conturbans, eum vitæ reſtituit.

Inflicta enim pœna nos à crimine reuocant.

CCVRRIT Dominus defuncto adoleſcenti: ferettum tangit, ſeu corpus (ex Auguſtini mente) graui afficit labore: ſtant portitores, ſeu peccata, quæ celeri illum curſu ducebant in Tartarum. Porrò defunctus tactu territus liberatur à fato. *Dei* (inquit Barradius noſter to. 2. lib. 8. cap. 7.) *tactus medicina eſt, cùm impium tangit, cum pœnam infert, ſanat.* Chryſoſtomus hom. 6. ad Popul. *Pœna nos ad Deum ducunt, peccatum ſanies eſt, pœna ferrum medicinale.* Peccatum mors eſt? Pœna vox reſurrectionis: *Tibi dico ſurge.* 21. (Barrad. Chryſoſt.)

22. *Defunctus cladium tactu nouam ſurgit ad vitam.* Lipſ.

Lipſius lib. 2. in Conſt. cap. 16. *Vt flumina ad mare feruntur perpetuo & prono curſu: ſic res omnes humanæ per cladium canalem labuntur ad ſuam metam.* Redditur enim reſurgens *matri ſuæ*, metam ſuam, ſeu matrem flumen, quod deuiarat, iterum, pœnis inflictis, inire cogitur. Inibi adiecit, *Clades ſunt veluti gymnaſium, in quo Deus ſuos ad nouum robur* (ſeu vitam) *inſtituit, & virtutem.* Affectus enim cladium tactu defunctus nouam ſurgit ad vitam.

23. *Hebræi pœnis afficimus, vt culpis mortui ad vitam reuocentur.* Iudic. 6. Lyran.

Olim Deus Hebræos *tradidit in manus Madiam ſeptem annis.* Iudi. 6. An captiuitati Iſraelitæ traduntur, vt luant pœnas pro multiplicato delicto? Certè vt culpis mortui ad vitam pœnis reuocarentur. Lyranus ſic exponit. *Tradidit illos Deus in manus Madiam ſeptem annis, vt deformitas culpæ non tranſiret ſine decore iuſtitiæ.* Cadauer enim crimine deformatum, inflictis cladibus, vitali afficitur decore, animo ſcilicet reſurgente.

24. *Pœna corrigunt ſedem Dei, id eſt, hominem.* Pſal. 99. Apoll.

Cecinit Vates, *Iuſtitia, & iudicium correctio ſedis eius.* Pſal. 96. Dei ſedes homines vocitantur præditi ſanctitudine, vbi ſcilicet Dominus requieſcit. Deifica illa ſedes peccati fœditate deturpata corrigitur iuſtitiæ ac iudicij Dei effectibus. Tribulationes enim inflictæ ſedis huiuſce Domini ſunt correctio. Apollinarius, *Deus ſedem ſuam,* (id eſt, homines delinquentes) *ſeueritate iudicij in omnibus ornat.* Quia laboribus acti vitæ aſſurgimus nouitati.

25. *Vel aliquo inflicta pœna nos à culpis auocant.* Num. 16.

Ducentos quinquaginta viros Deus puniuit, iubens, vt illorum thuribula producta in laminas altari affigerentur. *Producátque ea in laminas, & affigat altari, eò quòd oblatum ſit in eis in-*

censum

cenſum Domino. Num. 16. Cur Dei altare illis iuſtitiæ monumentis, atque inſignibus exornatur? Crediderim, vt poſteri obiectu æterno pœnæ patribus inflictæ à ſimili nequitiâ recederent. Chryſoſtomus orat. 3. in Iudæ. Hæ laminæ apponuntur oculis obiiciendæ, *vt poſteros admonerent, ne maiorum amentiam imitarentur: ne quando ſcilicet pœnâ plecterentur.* Si pœnæ aliis inflictæ homines retrahunt à nequitia, quid in ipſos contorta flagella? (Chryſ.)

26. *Alij pœnis affecti iniquè dormiunt, alij iuſtè vigilant.* Gregor. Ioan 1. Bill.

D. Gregorius ait, *Pœna præſens iniuſti animum à prauis deſideriis mutat.* Quid à prauis operibus? Teſtor Ionam præcepti Dei tranſgreſſoris præſenti pœna haud ad mentem meliorem reuocatum. Cuius ſtragem non obliuiſcitur, qui poſt pœnarum inflictionem à culpa recedit. De quo Iacob. Bill. Antol. ſacr. cecinit.

Quid ſibi vult, tumido quòd dormit in æquore Ionas,
Quem tamen inſequitur vindicis ira Dei?
At contra vigilant innoxia pectera, votis
Flebilibúſque Deum, ſupplicibúſque vocant.
Scilicet hi Ionam referunt, ad iuſſa, minâſque
Numinis æterni, quos ſopor altus habet.
Aſt alios illi, quos verba minacia terrent,
Cùm tamen hæc tantum perfida corda petant.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.

Cœpit loqui adoleſcens, vt de accepto reſurrectionis beneficio, eloquio pio, gratias Deo exhiberet.

Cœleſtia enim beneficia linguam noſtram pium excitant ad eloquium.

27. Cœpiſſe loqui adoleſcentem mox poſt vitam reſumptam aſſeruimus, vt de accepto reſurrectionis dono gratias eloquio pio redderet largitori. Beneficia certè cœleſtia linguam excitare debent ad laudandum eum, cui laus piæ linguæ iuge admodum ſacrificium eſt.

28. *Bene[...] qua[...] [...] efferan[...] ſal em[...] laudibus [...] rentur.* Exod. 14. Rupert.

Maria Moyſis ſoror Ægyptios pelago extinctos aſpicit; ſumpto mox tympano, cum reliquis fœminis choreas ducens, cecinit: *Cantemus Domino.* Exod. 14. Debora, Dauid, Ezechias, Iudith, Tobias, tres pueri, Anna, Zacharias, Simeon, Deiparens beneficia accepta piiſſimis carminibus celebrârunt. Rupertus ad Gen. 1. *Repleatur os noſtrum laude, vt tantam eius magnitudinem tota die decantemus.* Si non geſtis beneficia efferuntur, ſaltem piis laudibus expendantur.

29. *Curabant patres verbis gratias exhibere pro filiis acceptis.* Gen. 3. Lipom.

Patres olim nominibus filiorum cœleſtia beneficia æternare curârunt. Peperit Eua Cainum fata: *Poſſedi hominem per Deum.* Gen. 3. Quare nomina beneficij memoriam exprimebant, niſi, vt ore proferentes filij nomen ſimul cæleſte beneficium decantarent? Lipomanus ad cap. 2. Exod. *Sancti beneficiorum Dei memoriam perennem inſtituunt ſibi nominibus filiorum; vt quandocumque liberos vocarent, diuinorum beneficiorum recordarentur ex nomine.* Et idem eſſet nominare filium, ac gratas laudes ore proferre.

30. *Beneficium creationis pia voce efferendum.* Gen. 1. Rupert.

Creationis beneficium mente euolue, vt linguam excitet ad concentum. *Faciamus*, (inquit Deus) *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. 1. Vbi Rupertus, *In illo talium perſonarum Patris, Filij, & Spiritus ſancti non tam ſenatu, quam ſoliloquio venerando vnaquæque perſona ſuam operis partem de nobis ſuſcepit. Pater ait, Ego illos creabo: Filius, Ego redimam: Spiritus ſanctus, Ego ſanctificabo; atque ita communi totius Trinitatis conſilio dicitur, Faciamus hominem.* Profectò dum mente recolis huiuſmodi beneficium, quaſi neceſſitate conſequentiæ teneris Dei laudes ore enunciare in animi grati documentum. Adiicit pulchrè Doctor, *Laus ergo ſapientia Creatoris, gratia liberatoris, gratiarum actio pietati illuminatoris. Repleatur os noſtrum laude.* Particulam *Ergo* preme. Ac ſi diceret, Homo Creationis beneficio (v. g.) afficitur; ergo voce profuſa, debet Deo laudes decantare.

31. *Eucharistiæ beneficium acceptum piis vocibus celebrandum.* Chryſ.

Ad beneficium ex epulo Euchariſtico acceptum pergo contemplationem. Ipſum Euchariſtiæ nomen actionem inſonat gratiarum: vt quoties oculis obiicitur, ſimul laudes exaudiantur. Chryſoſtomus hom. 26. in Matth. *Propterea reuerenda illa Myſteria Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio nuncupantur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, noſque faciunt debitas Deo gratias ſemper exſoluere.* Beneficium enim epuli ſacratiſſimi oculis obiecti linguam excitat neceſſitate conſequentiæ ad laudes decantandas. *Eſt ergo abſurdum nos opere quidem ipſo beneficiis eius quotidie perfruentes, gratias ei nec ſermone perſoluere.*

32. *Dum præſentantur diuina beneficia, homines non apparent ingrati, ſi adſit laudatorius ſermo.* Phil.

Pulchrè argumentum complet Philonis ſententia lib. de plant. Noe. *Fertur* (inquit) *antiqua fabula a ſapientibus viris ad poſteros per manus tradita. Olim cùm totum Mundum Opifex abſolueret, quendam è Prophetis rogauit, nunquid deſideraret nondum creatum ſiue in terra, & aqua, ſiue in ſublimi aere, ſiue in cœli extimo ambitu? Reſpondit ille, eſſe quidem perfecta, & plena vbique omnia, vnum tamen ſe requirere laudatorem omnium ſermonem. Hoc reſponſum placuiſſe fertur, nec multo poſt exortum genus cantorum. Ex cuius fabulæ authoritate diſcimus, nihil eſſe Deo magis proprium quàm benefacere: nihil item creaturæ quã* (laudatore ſermone) *gratias agere.* Sic Doctor.

33. *Tota die affecti beneficiis, grati erimus, ſi tota die laudauerimus.* Pſal. 70. Auguſt.

Curabat Dauid os ſuum totâ die Dei laude repleri. *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Pſal. 70. Cur totâ die? Certè quia nullum inſtans diei alienum à diuinâ munificentiâ deprehenditur. Congerit Auguſtinus Dei per inſtantia ſingula miſerationes fatus, *Quid eſt*, Totâ die, *id eſt, ſine intermiſſione laudare? In proſperis, quia conſolaris: in aduerſis, quia corrigis: ante quàm eſſem, quia feciſti me: cùm eſſem quia ſalutem dediſti: cùm peccaſſem, quia ignouiſti: cùm conuerſus eſſem, quia adiuuiſti: cùm perſeueraſſem, quia coronaſti.* Sine intermiſſione igitur ore laudemus, qui ſine intermiſſione bonis cumulamur, Chryſoſto. tract. de ſymb. fante, *Admoneo vos, vt Dominum ſemper benedicatis, ſi venerint mala, benedicite, & diſſoluentur: ſi proſpera venerint, benedicite, & perſeuerabunt.* (Chryſ.)

34. Quàm feliciter (vti prudens aiebat) linguâ

homo

Lingua prædito, ingrati non erimus: supplet enim vox operum defectum. Pſal.115.

homo fuit prædictus, quâ poſſit, ſi geſta deſint, referre gratias largitori! *Quid retribuam Domino* (clamabat Vates) *pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Pſal.115. Poſt diuturnam diſcuſſionem inuenit Dauid quonammodo, operibus deficientibus, poſſet pro innumeris beneficiis ſe gratum exhibere; dum ſcilicet linguæ committit id munus exerendum. Liceat apophthegmate ab

Ælian.

Æliano de var. hiſt. memorato confirmare. *Diogenes acceptis paucis nummis à Diotimo Cariſio homine ſibi amiciſſimo, cùm non haberet, vnde munus tam amplum rependere poſſet, ad Diotimum dixiſſe fertur: Dij tibi largiantur tantum, quantum animo tuo cogitas, & cupis.* Quàm pulchre operum defectum grata lingua ſuffecit!

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et dedit illum matri ſuæ.

Datur à Domino filius matri à morte liberatus, quia ſaluti ſpirituali vtriuſque conſultum eſt.

Contra parentes nimiùm querulos è filiorum immaturo fato.

35. *Plures infantes abripiuntur, quia ſi diu viuerent, damnandi eſſent.*

VIDISTI, ô Domine, matris viduæ lacrymas, & tactus miſericordiâ filium adoleſcentem excitâſti, & matri reddidiſti. Quot parentum fletum minimè abſterſiſti! Cur non cunctis flentibus matribus non reddis obeuntes diem ſuum adoleſcentes? Cur ex vberibus arripis immaturos infantes, nec parentum lacrymis afficeris, vt ab exitiali liberes ægritudine? Profectò Deus parentum commoditati conſulit, non contemnens filiorum ſalutem. Si filius à fatis eripitur, damnandus eſt poſtmodum. An non Dei itati erit affectus, vitam tueri illius, qui diſcedens nunc innocens ſalute donabitur: aſſeruatus autem, poſtmodum innocens damnandus arripietur? Si (authore

Caſſia.

Simone de Caſſia) hic adoleſcens Magdalenæ erat amator, redit ad viuos egregiâ Dei miſericordiâ, vt vitæ anteactæ exerat correctionem. Motus ergo Chriſtus miſericordiâ, reddidit adoleſcentem matri ploranti, qua cum benigniſſimè actum eſt. At ſi ſalute tunc donandus, poſtmodum damnandus ad viuos vocaretur, commoditas matris cum filij iniuria colliganda eſſet. O quanta ipſi iniuria reſurgenti!

36. *An eſſet iniuſtus Deus, ſi vt matri ploranti daret filium eum ab æterna felicitate eriperet* 1.Reg.1.

Extat error damnatus Origenis aſſerentis Deum ſimul omnes animas in beatitudine feciſſe, vt inde quæ malè ſe geſſerint, in pœnam peccati truderentur in corpora. Quàm ſtultè obiicienti memoriæ Annam Samuelis matrem precibus & lacrymis obtinentem à Numine filium. An vt filius matri daretur neceſſum erat, animam pueri priùs à beatitudine recedere in corpus miſerum immittendam? Iniuſtus eſſet, & parum miſericors benefactor, qui vt matri filium daret ploranti, ipſum filium ab æternâ felicitate eriperet. Theophylus Alex. epiſt.2. Paſch.

Theoph.

Et culpa ſubiacebit Anna vxor Helcana, ſemen virorum poſtulans: vt propter deſiderium mulierculæ animæ in cælis periclitentur, vna earum labatur in terram, ac priſtinam beatitudinem deſerat. O quàm grauem iniuriam conantur filiis irrogari, qui innocentes curant ſupplicio affici valetudinis, dum ad felicitatem properabant. Abripitur poſt lacrymarum profluuium filius tuus? ſignum planè perſpicuum, ſaluti ipſius filij fuiſſe conſultum, ſi adhuc ſuperſtes poſtmodum erat Tartaro addicendus.

Eſto, Dominum filium hunc matri ploranti 37.
reddidiſſe vt fœminæ pietatem, patientiámque muneraret, vt aliqui volunt. Pietatem equidem matris commendauit, ſed ſine filij ſurgentis ruinâ. Quòd ſi filij nocumento parentis pietas præmio donaretur, filij conquereretur innocentia. Iſraeli Deus, *Vtinam attendiſſes mandata mea! Facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum.* Iſa.48. Et præmium parentum piorum poſteritatis abundantia. Theophylus citat. *Qui Dei præcepta conſeruant, non debent accipere præmium, animarum de cælo ruinas, quæ ligatæ corporibus ſobolis eorum incrementa multiplicent.* Si tibi flenti ô mater, diceretur à Domino, Puer hic immaturus arripitur ſalute donandus, antequam malitia eius intellectum immutet damnationi addicendus. Loco-ne beneficij duceres puerum valetudine donari: an potiùs ſupplicij? Certè nullus cordatus parens debet accipere, aut expetere præmium precum, & iuſtitiæ *animarum de cælo ruinas.*

Si filij nocumento parentis pietas præmio donaretur filij conquereretur innocentia. Iſa.45.

Theoph.

Iobo poſt calamitatem duplicia cuncta teſtituuntur. 38.
An petiit natorum dilectiſſimorum reſurrectionem? Minimè. Nec enim debuit filiorum temporali incommodo, aut fortaſſe ruinâ iuſtitia ſuo præmio donari. Tertullianus lib. de patien. cap.14. *Iob ſi filios quoque reſtitui voluiſſet, pater iterum vocaretur, ſed maluit in illo die,* (nempe nouiſſimo) *reddi ſibi tantum gaudij.* Nec enim pij parentis dignum facinus, tanto incommodo filiorum tam exigui temporis comparare ſolatium.

Vel Iobo filij abrogantur, ne à ſalute eorum poſſeſſione modico tempore vocati. vel potiùs omnino [illegible] hic [illegible].

Tertull.

An ô parens, infantis tui morientis preci- 39.
bus curans iter impedire mente perpendiſti à quantâ eum felicitate deturbare conaris? Potiùs tua cura inanis deflenda, dum expetis deſinere, quam properans filij diſceſſio. Vocaturus Dominus Lazarum in conſpectu ſororum, ac Iudæorum lacrymas profundentium ſecularem ad vitam, *lacrymatus eſt.* Ioa.11. Vndenam illæ lacrymæ profluxere? D.Hieronymus epiſt. ad Taraſi. *Doluit Lazarum non dormientem, ſed potiùs reſurgentem: & flebat, dum agebatur propter ſaluandos alios, ad ſeculum reuocare.* Non quidem damnandum poſtmodum, ſed ſaluti æternæ deſtinatum. Quid ſi damnandus fuiſſet? O impia mater tam anxiè proprij nati (dans operam damnationi, dum expetis corporeâ ſalute donari, qui æternam eſt, delinquens poſtmodum, amiſſurus!

Flet Dominus, dum Lazarum modico tempore à requie eſt abſtracturus. Ioa.11

Hieron.

***

PARS

PARS TERTIA.

REGVLI FILIVS.

Paraphraſis, ac Commentarij literales ad Caput quartum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum defunctorum ſuſcitatorem.

PROLVSIO.

REGVLO parenti flebiliter precanti vt animam iam agentis filij tam mirabiliter detineret in corpore, quam poſt receſſum ad ipſum reuocaret, Dominus nil credenti denegans, omnia concedens lacrymanti, puerum recèns natum rurſum tradit parenti, vt bis exortus eius lætitiam geminaret. Adiicit poſt ſectionem noſtram Euangelicam Ioannes, *Hoc iterum ſecundum ſignum fecit Ieſus, cùm veniſſet à Iudæâ in Galilæam.* Vbi quærit Theophylactus, *Quare Euangeliſta dicit, quòd ſecundum hoc ſignum fecerit in Canâ?* Certè vt innuat illud: *Erat Mater Ieſu ibi. Vade,* (inquit Dominus Regulo) *filius tuus viuit.* Non victurum annuit, ſed iam viuum & valentem oſtentat. Cur non expectauit, donec parens ad domum accederet? Vt reſpondeam, menti obiicias Deiparentis precum vim, quæ quidem, horâ nondum aduentante, illicò aſſequutæ ſunt aquæ in merum commutationem. Præſente Maria non promittit Dominus, ſed dat; quia interceſſio Mariæ exactio eſt.

IOANNIS Cap. IV.

VERS. 46. ERAT quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.

47. Hic cùm audiſſet, quia Ieſus adueniret à Iudæâ in Galilæam, abiit ad eum; & rogabat eum, vt deſcenderet, & ſana-

PARAPHRASIS.

46. *EO temporis, quo Dominus Samaritanorum primitias Patri conſecrauit, erat in Galilæa Regulus quidam Iudæus, cui filius vnicè charus, qui periculosè in Ciuitate Capharnaum ægrotabat.*

47. *Is cùm audiſſet, quòd Ieſus relictâ Iudæâ, ſe ſe in Galilæam reciperet, profectus è Ciuitate Capharnaum domi filio relicto, venit ad eum, precibus contendens, vt vnà ſecum Capharnaum proficiſceretur,* at

ret filium eius; incipiebat enim mori.

ac ipſius filium ſanaret. Maior enim erat morbi vis, quàm vt ad Ieſum deferri potuerit agrotus. Iam enim cœperat agere animam, Regulus cùm abiret.

48. Dixit ergo Ieſus ad eum, Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.

48. *Porrò Ieſus adhuc imperfectam Reguli indicans fidem, magiſque taxans quorumdam Iudæorum incredulitatem, ait: Illorum fiducia mihi gratiſſima, qui nudo ſermoni credunt: vos non creditis mihi, niſi prodigia videritis.*

49. Dicit ad eum Regulus, Domine, deſcende, priùs quàm moriatur filius meus.

49. *Regulus autem totus periculo filij intentus, vrget vt Dominus venire properet, priùs quàm filius moreretur, quaſi fruſtra venturus ſi poſt animam exhalatam veniſſet.*

50. Dicit ei Ieſus, Vade, filius tuus viuit. Credidit homo ſermoni, quem dicit ei Ieſus, & ibat.

50. *Ieſus ergo non obiurgatâ fide Reguli, re ipsâ oſtendit, ſe longè plus poſſe, quàm ipſe ſe poſſe confideret. Nil, ait, opus, vt Capharnaum hâc causâ me conferam. Abi, iam filius tuus viuit, & valet. Fretus ille ſermone Ieſu domum properauit.*

51. Iam autem eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei: & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret.

51. *Cùm autem eò proficiſceretur, illi, ſerui occurrerunt patri de filio rem lætam nunciaturi, quod modò morti proximus, ſubitò reualuiſſet.*

52. Interrogabat ergo horam ab eis, in quâ meliùs habuerit. Et dixerunt ei, quia heri horâ ſeptimâ reliquit eum febris.

52. *Regulus certum ſcire cupiens, caſune, an virtute Ieſu, è filio morbus ablegatus eſſet, à famulis ſciſcitatur, quânam horâ filius cœpiſſet melius haberi? Tum illi, Heri, inquiunt, horâ ſeptimâ, ſubitò aufugiente febri, filius conualuit.*

53. Cognouit ergò pater, quia illa hora erat, in quâ dixit ei Ieſus, Filius tuus viuit. Et credidit ipſe, & domus eius tota.

53. *Agnouit pater, hanc fuiſſe horam, quâ ſibi Dominus dixiſſet: Filius tuus viuit; iámque certum habebat, non caſu, ſed virtute Ieſu puerum reuixiſſe. Nec fructu miraculum caruit; non enim ſolùm Regulus credidit Chriſtum eſſe Meſſiam, verum & vniuerſa familia illius exemplo, & perſuaſione credidit.*

SECTIO SEXTA.

Regulus poſtulans filij ſanitatem.

TEXTVS.

VERS. 46. ET erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. 47. Hic cùm audiſſet, quia Ieſus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, vt deſcenderet, & ſanaret filium eius, incipiebat enim mori. 48. Dixit ergo Ieſus ad eum. Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. 49. Dixit ad eum Regulus: Domine, deſcende priùs quàm moriatur filius meus.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

Quiſnam Regulus.

1. *Vbinā miraculum hoc effectum?*

ET erat quidam Regulus. In primo ex Iudæa in Galilæam regreſſu, cuius Ioannes cap.2. meminit, in Canam Galilææ venit Chriſtus, & aquam in nuptiis ſuauiſſimum conuertit in merum. Porro in ſecundo hoc regreſſu, de quo Euangeliſta præmittit, *Venit iterum in Canā Galilææ, vbi fecit aquam vinum*: alio miraculo idem oppidum illuſtrauit, filio cuiuſdam Reguli ſanitate reſtituta. In Canam iam peruenerat Dominus, cum Regulus acceſſit, vt Chryſoſtomus adnotat: Ego enim exiſtimo Regulum audientem Ieſu aduentum quum ad oppidum accederet occurriſſe pridie quidem, vt ex contextu facilè deprehenditur: ſi authoribus Theophylacto, Euthymio, & alijs, hoc miraculum in Canâ ipſâ effectum credendum non ſit.

Ioan. 2. — Chryſoſt. — Theoph. Euth.

2. *Regulus Regius ſiue Palatinus.* Hieron.

Quiſnam Regulus ille fuerit? D. Hieronymus palatinum fuiſſe ex regiâ aulâ putat, quæ ſententia nomine Græco confirmatur. Græcè enim βασιλικὸς, appellatur, id eſt, regius, aut palatinus. Regulus (inquit Pater Iſa. 65.) *qui Græcè dicitur βασιλικὸς, quem nos de aulâ regiâ rectius interpretari poſſumus palatinum.* Syriaca editio עבד מלכא, *habed malcha*, id eſt, *ſeruum Regis.* Euthymius, *Regius dicebatur, vel quòd dignitatem nactus eſſet, à quâ regius cognominabatur, vel quòd miniſter Regis.*

3. *Authoris placitum.*

Attamen noſtri interpretis ſequor lectionem βασιλίσκος, quod nomen Regulum ſignificat, id eſt, paruum Regem. Vnde aſſero Principem aliquem virum fuiſſe qui ſub Cæſaris imperio, vrbi alicui imperaret. Lyranus exiſtimat Cæſaris adminiſtrum, cui Galilææ cuſtodia commiſſa erat: atque illum in vrbe Capharnaum habitaſſe, & Regulum appellari. D. Thomas, *Erat iſte quidam de familia Herodis ſiue nuncius, ſiue officialis Imperatoris.*

Thom.

4. *Num fuerit Iudæus?* Janſen. & alij.

An Iudæus? Affirmatiuè reſpondeo cum Authore Hiſt. Scho. Ianſenio, Maldonato, Toleto, Barradio. Ratio eſt, quia Chriſtus illi incredulitatem obiecit, *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. Creditur*, (ait Petrus Comeſt.) iſte fuiſſe Iudæus quia dixit ei Dominus, *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. Iudæi enim ſigna quærunt.* Certè Ethnicum Dominus minimè de incredulitate ob ſignorum defectum argueret. Proſelytum fuiſſe Caietanus docet, *Samaritanis iungitur proſelytus.* Lyranus, Titelmanus, Hieronymus, Origenes, Claudius ethnicum aſſeruere.

Caiet. Lyran. & alij.

5. *Num Centurio?* Chryſoſt.

Refert Chryſoſtomus hom. 34. ſenſiſſe nonnullos Regulum hunc fuiſſe Centurionem illum, de quo Matthæus cap. 8. Sed manifeſtè falluntur, vt ei perſpicuum fiet, qui vnum cum altero contulerit; de quo inferiùs.

* * *

§. II.

Quonam animo Regulus ad Saluatorem acceſſerit?

CVius filius infirmabatur Capharnaum: Hic cùm audiſſet, &c. Aſſerit Auguſt. tract. 16. Regolum ad Chriſtum tentādi animo acceſſiſſe. *Arguit hominem Chriſtus in fide tepidum, aut frigidā, aut omnino nullius fidei: ſed tentare cupientem de ſanitate filij, qualis eſſet Chriſtus, & quis eſſet, quantum poſſet, &c. Addit, Verba rogantis audimus, cor diffidentis non videmus.* 6. *Num tentandi animo?* Auguſt.

Imo quia cor diffidentis non videmus, affirmo minimè acceſſiſſe animo tentandi, ſed filij percuſſum periculo, vt illi ſanitatem impetraret. Innuit Ioannes dum ait: *Cuius filius infirmabatur: Incipiebat enim mori.* An parenti vacaret ad tentamina tempus, quum filius tanto in periculo verſabatur? 7. *Negatiuè reſpondeo.*

Obijcis, Cur igitur ſic Chriſtus roganti reſpondit, quaſi miraculum ille quæreret, ad credendum? Reſpondeo, non id profatum Dominum, quod Regulus ad credendum, illud miraculum flagitaret: (id enim vnum cupiebat, vt filius ſanitati reſtitueretur) ſed vt tam Regulum, quàm Iudæos, qui abſque ſignis non credebant, Samaritanis inferiores indicaret, qui nullo conſpecto miraculo paulo ante, illo in itinere, crediderant. Ac ſi diceret. Samaritani, à quibus paulo ante diſceſſi, nullo viſo ſigno fidem amplexi ſunt: vos autem Iudæi, quibus eſt vera Dei cognitio, niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. Euthymius, *Hoc dixit Chriſtus generaliter deprimendo Iudæos Samaritanis collatos: quod illi abſque ſignis, & prodigijs credidiſſent, particularius autem Regulum obiurgando.* Chryſoſtomus autem, *Oſtendit Chriſtus ſigna maximè animæ gratiâ fieri: ſuadétque non ſigna nobis, ſed doctrinam ipſius attendamus; ſigna enim infidelibus, & rudioribus exhibenda.* Maldonatus & Emanuel Saa ſic: *Miraculis opus eſt, vt credatis, quia niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis. Itaque miraculis vos ad fidem adducam.* 8. *Obiectioni fit ſatis.* — Euthym. — Chryſoſt. — Maldon. Saa.

Profectò Regulus non erat cum Iudæis incredulis omnino computandus; credebat enim Chriſtum poſſe filium ægrotantem reſtituere ſanitati: non autem ſperabat, aut credebat miraculum perficiendum, niſi Dominus ad ægroti domum aduentaſſet, & Caietanus. *Rogabat eum vt deſcenderet. Minùs credebat, qui quamuis crederet Ieſum poſſe ſanare filium ſuum, credebat tamen opus eſſe præſentia corporali ipſius Ieſu ad filium ægrotum: & propterea rogabat, vt deſcenderet à Cana in Capharnaum.* *Rogabant eum vt deſcenderet.* 9. *Non erat Regulus omninò incredulus?* Caiet.

Et ſanaret filium eius, incipiebat enim mori. Quid mori incipere, niſi morti iam proximum exiſtere? ſic expoſuit Caietanus, incipiebat enim mori, pro, erat enim moriturus. Hoc eſt in promptu erat, vt moreretur. Sicut de eo, qui in promptu erat, vt comederet, aut recederet, dicimus: Erat enim comeſturus, erat enim receſſurus. Et ſignificatur per hoc, quòd tam grauiter ægrotabat, vt eſſet prope mortem. 10. *Quidnam eſt mori incipere?*

Domine, Deſcende, priùſquā moriatur filius 11.

Vbinam tunc adeſſet Dominus? Brochar.

meus. Tunc temporis adeſſe Chriſtum puto in Cana Galilææ, quod oppidum in loco erat eminentiori: ideo Dominus rogatur, vt deſcendat, nempe à Canâ in Capharnaum. Brochardus p.1, cap.6. §.1. *Cana*, inquit, *Galilaa ab Aquilone montem habet altum, & ad rotunditatem ſe vertentem: & eſt in decliui eius latere ſita. Sub ſe contra Auſtrum, planiciem habet ſpacioſam nimis, fertilem, & amænam valde.*

12. *Cur non reſponderit Regulus.* Chryſoſt.

Cur non reſpondit Regulus Chriſti verbis: *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.* Quia totus ægrotanti lethaliter erat in filio. Chryſoſtomus hom. 34. *Filij dolore affectus non multum tunc Chriſti verbis attendit; ſed in ſolius filij cura verſabatur. Poſt modum ea reputaturus, & indè multum vtilitatis conſecuturus.* Deſcende, Domine, propera; eſt enim filius meus in extremo ſpiritu; è vita excedet, dum moraris. Quid ſi excedat è viuis? Qui ab ipſo mortis limine in ſalutem poteſt hominem reuocare, nonne eundem poterit ex eiuſdem mortis faucibus extorquere?

13. *Quaſtionem ſoluo.*

Rogas, quare ad Centurionem Chriſtus non rogatus ire dignatur, Reguli autem domum vel rogatum petere noluiſſet? Reſpondet Chryſoſtomus citat. *Quoniam in Centurione fides perficiebatur, ideo ſe iturum Chriſtus dixit: vt viri fidem cognoſceremus. At Regulus adhuc imperfectus erat, propterea omni ſtudio Chriſtum impellebat, vt deſcenderet: neque adhuc nouerat, abſentem quoque curandi habere poteſtatem. Quod ergo id poſſet, oſtendit; vt quod per ſe Centurio ſentiebat, hic non accedente Ieſu, erudiretur.* Moralem ſolutionem ex Gregorio hom. 28. in Euang. attexo: *Superbia noſtra retunditur, qui in hominibus non naturam, quâ ad imaginem Dei facti ſumus: ſed honores, & diuitias veneramur. Increpata eſt ſuperbia, quæ neſcit penſare homines propter homines, ſola quæ circunſtant hominibus penſat, naturam non aſpicit, honorem Dei in hominibus non agnoſcit. Ecce ire non vult Filius Dei ad filium Reguli, & tamen venire paratus eſt ad ſalutem ſerui Centurionis.* Author Imperf. hom. 22. *Petitio Centurionis erat pro ſeruo; ideo Chriſtus ire propoſuit; vt nos doceret, non magnos colere, & modicos contemnere: ſed pauperes, & diuites ſimiliter honorare.* Chryſoſt. Gregor. Imperf.

IN IESVM DEFVNCTORVM SVSCITATOREM,

PANEGYRICVS MORALIS SEXTVS CIRCA LITERAM.

EX REGVLO POSTVLANTE Filij ſanitatem.

Observatio I.

Ad illa verba:

Incipiebat enim mori.

Puer Reguli tunc incipiebat mori, cum incipiebat viuere.

Mundus etenim morientium quidem, non viuentium eſt Regio.

14. Verum fuiſſe Reguli filium ex Græco perſpicuum eſt, vbi loco illius particulæ: *Filius meus*, ſcribitur: παιδίον μου, id eſt, *Puer meus.* Quid cum puero mori incipere, ſi potius dicendum fuiſſet: Incipiebat viuere? Certè ea eſt mundialis plagæ conditio, vt qui viuere incipit, eo ipſo mori incipere verè aſſeratur; morientium enim potiùs, quàm viuentium eſt Regio.

15. *Incipimus*

Ideo D. Baſilius ad Pſal. 4. Mundum *morientium Regionem* appellauit. Cùm enim viuere incipimus, neceſſariò incipimus mori; vita enim calamitatibus redundans potiùs dicenda mors eſt. *Mundus hic* (inquit) *& mortalis eſt ipſe, & morientium Regio. Priùs quàm anima a corpore ſeparetur, ſæpe morimur. Vita hominum per multas mortes expleri conſueuit.* Non ſolum ſemel morimur, ſed cùm incipimus viuere, mori incipimus; quia vita noſtra per innumeras mortes conſueſcit expleri. Nam ſingula inſtantia, in quibus ſucceſſiuè aſſeritur: Viuit homo ille, verè enunciari poteſt, Homo ille moritur.

mori, cum incipimus viuere; quia vita noſtra per multas mortes expletur. Baſil.

16. *Morte quotidiana ad extremam diſponimur.*

Pugnant-ne duo illa vulgaria teſtimonia: *Statutum eſt hominibus ſingulis, ſemel mori*, & *quotidie morior*? Quonammodo ſi Paulus ſe diem ſuum obire quotidie aſſeruit, dicendum ſtatutum ſingulis hominibus ſingulari morte conſummari? Profectò de extremâ morte, quâ ex morientium ſæpe Regione homo abripitur locus intelligendus eſt. Imo ea eſt Conditoris pietas, vt qui homines ſingulos ſemel mori extremè ſtatuerat, ſæpiſſime priùs mori decertur vt frequentiſſima præuiâ morte ad extremam illam diſponeremur. Aptè Philo lib. de Ioſeph. *Fortaſsè ætates ſingulæ decedendo præmoriuntur, naturâ nos paulatim docente, non timere mortem extremam omnium. quando priores faciè tulimus infantiæ pueritiæ, pubertatis, adoleſcentiæ, iuuentutis, & virilitatis; quæ omnes ætates antè ſenectutem euanuerunt.*

runt.Non ſolùm ſingulæ ætates ſemel decumbunt, ſed incipiunt mori: quia tot caſibus arripiuntur, quot temporis inſtantia peruolârunt. Quæ quidem mortalia cuncta ad nouiſſimam nos præparant mortalitatem.

17. *Quam innumera hominum viuentium mors est?* Auguſt.

Confirmo ex D. Auguſtino fante in Pſal. 127. *Veniente pueritiâ, moritur infantia: veniente adoleſcentiâ, moritur pueritia: veniente iuuentute, moritur adoleſcentia: veniente ſenectute, moritur iuuentus: veniente morte, moritur omnis ætas. Quot optas gradus ætatis, tot ſimul optas & ætatum mortes.* Tot mortes ætatum, & non plures? Profectò ipſi anni, menſes, dies, horæque vitæ noſtræ moriuntur, nobis ſimul occumbentibus. Nam quemadmodum tota ætas noſtra ſeu vita ex ætatibus pereuntibus conſtat, haud aliter ſingulæ ætates ex annis, diebus, ac horis pereuntibus coaleſcunt. Vtinam poſt tot caſus, poſt innumeras malas mortes, probè ſemel extremè moriaris: & non quidem extrema mors præcedentes tot caſus imitetur!

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Erat quidam Regulus, cuius Filius infirmabatur. Hic cùm audiſſet, quia Ieſus adueniret, abijt ad eum, & rogabat eum.

Regulus ad Chriſtum ex laborum filij ducatu magno ducitur beneficio.

Auerſos enim à Deo attrahit tribulatio filiorum.

18. *Labores ad Deum trahunt auerſos.* Auguſt.

REGVLVS ille, qui adulatrice fortunâ longè à Domino diſſidebat, flagellatrice quidem ad medicum cæleſtem auolauit. O flagella pietatis! Quam verè Auguſtinus Epiſt.87. *Quid non misericorditer praſtatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium eſt? Nam res proſpera donum eſt conſolantis, res autem aduerſa donum eſt admonentis Dei*, & ad ſe allicientis, ſeu trahentis. Quot laboribus à Deo auerſus premeris, tot miſericordiæ diuinæ documentis exciperis.

19. *Beneficium Dom. re ſeruauit Iſraeli hoſtes.* Iudi.2.& 3.

Capitis ſecundi Iudicum ſic textus terminatur, *Dimiſit ergo Dominus omnes nationes has citò, & ſubuertere noluit, nec tradere in manus Ioſue.* Tertium autem ſic Caput inſtituitur, *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraelem.* Iudic. 2. & 3. Quare non omninò Iſraëlis hoſtes comminuuntur? An id opus vindictæ cæleſtis? abſit; miſericordiæ enim documentum fuiſſe affirmo cum Caſſiano Collat.46. *Quam pugnam (ait) non inuidens Deus quieti Iſraelis, nec malè eidem conſulens, ſed ſciens eſſe vtiliſſimam, reſeruauit: vt dum gentium ſemper iſtarum impugnatione deprimitur, nunquam ſe ſentiat auxilio Domini non egere, nec inerti otio diſſoluatur.* Caſſian.

Eſcob.& Mend.in Euang.de Temp.T.I.

Benè Auſonius, *Arboris beneficium foliorum præſciſſio eſt.* Arbor paterni filij ramuſculo mutilatur, vt ad Deum fructuosè dirigi poſſit, Barradius noſter opportunè quidem. *Sic hunc traxit Regulum Deus, filij videlicet morbo. Agricola, qui arbori ſylueſtri ſurculum vult inſerere fructiferum, agreſtes reſcindit ramos: ita Deus, vt gratiæ maximè fructiferum ſurculum huic homini ſylueſtri inſerat, ramos, hoc eſt, filij ſanitatem reſcindit.* An non id arboris beneficium eſt? 20.

Arboris paterni beneficium eſt ramus filiorum mutilari. Auſon. Barrad.

Quid mirum iniuſtum parentem beneficio tribulationis ad Deum attrahi, ſi Sancti quique adeò ex filiorũ mutilatione in Deum afficiũtur, vt ad eum tunc acceſſum inſtituere videantur. Vt ſcilicet appareat laborum è filiorum incommodis aptitudinem ad ſiſtẽdos parentes Creatori. *Tentauit Deus Abraham.* Poſt tentationem autem Dominus ait: *Nunc cognoui, quòd timeas Deum.* Gen. 22. Num illum Deus in filij incolumitate non cognoſcebat? Profectò qui ob ſanctitudinem Deo erat propinquus, quaſi auertebatur à Deo, dum filius fruitur incolumitate: tunc autem veracius hæreſcit Conditori, chariſſimo cùm tentatur in filio. Hilario fante ad Pſal. 1. *Nunc cognoſcitur, nunc probatur, nunc dignus eſt, qui non ignoretur Nunc*, Domine & non antea? Anteà equidem agnoſcebatur, ſed ob filij tribulationem tam ſpecialiter dignoſcitur, vt quaſi de nouo dignoſci videatur. 21.

Aptitudo laborum ex filiorum incommodis, ad ſiſtendos parentes Conditori. Gen.22.

Iobum diabolus arguebat, fatus, *Numquid Iob fruſtra timet Deum?* cap. 1. Vbi D. Gregorius, *Ac ſi apertè dicat: Qui tot bona in terra recipit, quid mirum ſi pro eis innocenter ſe gerat? Innocens verè eſſet, ſi bonus inter aduerſa perſiſteret.* Arbor foliorum ſeu filiorum pompâ mutilatâ verè bona exſurgit, & ſanctitatis decore exornatur. Patet equidem quam verè profabatur Auſonius, *Arboris beneficium foliorum præſciſio eſt. Miſericordia vtitur, (*aït Barradius*) non ſolùm cùm proſpera donat, verùm etiam cùm aduerſis filiorum hominem vexat.* 22.

Poſt filiorum tribulationẽ Iob perfectus prædicatur. Iob 1. Gregor.

OBSERVATIO III.

Ad illa verba:

Et rogabat eum, vt deſcenderet, & ſanaret filium eius.

Febri Filius Reguli laborabat.

Vbi concupiſcentiæ lethalem deſcribo ægritudinem.

FEBRI Filium Reguli laborâſſe aſſerit illa particula: *Heri horâ ſeptimâ reliquit eum febris.* Ex quâ quidem materiali febri ad ſpiritualem animi D.Auguſtinus exſurgit Pſal. 57. *Concupiſcentia mala ardor eſt ignis*, &c. Peſtilentis huiuſce ægritudinis exitiales expendam effectus. 23. Auguſt.

Febris pulcherrimam hominis faciem macie aſſolet extenuare: ſic concupiſcentiæ ardor animum pulchritudine Angelicâ præditum macie 24.

Concupiſcentia maciei.

conficit, ac deturpat. Nazaræos Ieremias pingit pulcherrimos, dum ait: *Nazaræi eius candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphire pulchriores.* Thren. 4. At quàm ſiat ex pulchritudinis amiſſione, ex febri concupiſcentiæ in animum irruente immutati recognoſce: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum.* Ibid. Vndenam tanta pulcherrimis macies niſi ex concupiſcentiæ febri? Anſelmus, *Cum eſſent in via, quæ ducit ad vitam, conſtituti ſunt in ampla, quæ ducit ad mortem.* Incipit enim mori, qui febri concupiſcentiæ corripitur. Quid mirum, ſi macie confectus minimè agnoſcatur? *Et non ſunt cogniti in plateis*, quia ampla illorum via, interminabilis concupiſcentiæ lues.

25. *Concupiſcentia ſitis.* Præterea febris corpori inhærens ſitim excitans concupiſcentiæ inextinguibilem ſitim exponit. Solon apud Plutarchum lib. de cupid. diuit.

Haud eſt finis opum fixus mortalibus ullus.

Iuuen. Et Iuuenalis Sat. 10.

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit Orbis.

Plutarch. Narrat Plutarchus lib. de tranq. animi. Cùm audiret Alexander Anaxarchum Mundos infinitos eſſe diſſerentem, illacrymaſſe dicitur. Percontantibúſque amicis, ecquid lacrymis dignum ei contigiſſet? reſpondit: *An indignum eſt nos flere, ſi cum innumeri mundi eſſe dicantur, nondum vnius domini facti ſumus?* D. Baſilius Epiſt. ad Chilo. *Ea eſt humana iſtius vitæ conditio, nunquam contenta acceptis, ſpe alitur continenti, & ſecura præteritorum, inhiat futuris.* Denique Richardus de Beniam. *Ad ſatiandam ſenſualitatis appetitum, totus Mundus non ſufficit.* Quid ſi pro momentaneâ explendæ ſitis voluptate hoſtibus Tartareis addicamur, Lyſimacho ſimiles, de quo Plutarchus lib. de tuendâ valet. *Cum Lyſimachus inter Getas ſiti conſtrictus, ſeſe pariter, atque exercitum hoſtibus dediſſet, ac deinde frigidam bibiſſet aquam. Dij*, inquit, *boni, quàm breuis voluptatis cauſa magnam depoſui felicitatem!*

Baſil. — Richard. — Plutarch.

26. *Febris hæc nos addicet ſepulchro tartareo.* Nos denique febris concupiſcentiæ ſepulchro addicit. Diues Epulo *ſepultus* dicitur *in inferno*. Luc. 16. Loco illi, vbi Hebræus populus carnes concupiuit, à Deóque plagâ eſt ingenti percuſſus, nomen hoc impoſitum lego: *Sepulchra concupiſcentiæ. Ibi enim* (addit Textus) *ſepelierunt populum, qui deſiderauerat.* Num. 11. Vbi D. Iſidorus, *Si carnes Ægyptias, id eſt, concupiſcentiæ priſtinæ appetimus nauſeam, ſtatim igne Domini torquebimur, deſideriúmque noſtrum vertetur in tumulos: vt ſimus ſepulchra dealbata, quæ foris apparent ſpecioſa, intus plena ſunt oſſibus mortuorum, omnique ſpurcitia.*

Luc. 16. Num. 11. Iſidor.

27. *Febris hæc nos non relinquit, ſed à nobis pellenda eſt.* Felix is, de quo dictum: *Reliquit eum febris.* Paucos febris ipſa concupiſcentiæ relinquit, pluribus exanthlatis laboribus pellenda, potiones amariſſimæ epotandæ, ſanguis profundendus. Vincendus hoſtis animæ proculdubio eſt. Auguſtinus Pſal. 57. *Natus es cum eo, quod vincat, id eſt, cum concupiſcentiâ; vince hoſtem, cum quo natus es. Ad ſtadium huius vitæ cum illo veniſti, congredere cum eo, qui tecum proceſſit.* Peſtilenti hâc febri correpti naſcimur, vt conſtet à cunabulis nobis pugnam inſtituendam, vt opera detur febris extinctioni.

Auguſtin.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur. Hic cùm audiſſet, quia Ieſus veniret, &c.

Vir ille Regulus appellatur, quia diem Domini vidit, & gauiſus eſt.

Regnum enim eos ſequitur, qui ſocios ſeſe Saluatori committunt.

EXPONENS myſticè Origenes, vndenam vir ille Regulus vocaretur, ait apud D. Thom. in Cat. *Filium Reguli ad mortem pene deductum Ieſus ſuſcitat, id eſt, populum Iudæorum, qui accedet ſaluandus in fine. Magnus autem Rex Regum, qui conſtitutus à Deo eſt in monte Sion ſanctè eius, huius qui viderint diem, & gauiſi ſunt Regali dignoſcuntur.* Qui approximat Ieſu, neceſſariò vero Regno potitur. 28. *Societatis Ieſu Regnum ſpirituale neceſſarium.* Orig.

29. *Apoſtoli Ieſu ſocij, neceſſariò Reges.* Luc. 12. Chryſol. Pauperibus Diſcipulis profitebatur Dominus, *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro, dare vobis Regnum.* Luc. 12. Quid puſillis ouibus cum Regno potentiſſimo? Certè ſocij Ieſu neceſſariò Regno donantur? qui enim diem Domini vident, Reges dignoſcuntur: Chryſologus ſer. 23. *O bonitas effuſa, ô inaudita pietas! in ſocietate cenſus Paſtor oues aſſumit, atque ad conſortium dominationis ſeruos Dominus adſciſcit, ad participium Regni Rex gregem admittit.* Ex beneficio etenim ſocietatis, regnantis conditio par eſſe prædicatur.

30. *Quilibet iuſtus Ieſu ſocius Sol eſt, Rex eſt, Deus eſt, ex beneficio ſocietatis.* Ah perfectiſſimorum Ieſu ſociorum eſt Regnum huiuſmodi poſſidere? Profectò quilibet Ieſu ſocius Regni participio decoratur, ſi iuſtitiæ vi ſolaris flammæ ſcintilla inflammetur. Audi Dominum, *Fulgebunt iuſti ſicut Sol in Regno Patris eorum.* Mat. 13. Regnum Patris eorum vocitatur, vt innueretur cunctis filiis Regnum hæreditario iure præparari. *Alia* quidem *claritas Solis, alia Lunæ, alia ſtellarũ*, ſed cuncti ſicut Ieſus Sol viſuntur Regno prælati, ex beneficio ſocietatis. Omnes illi Sol, omnes Ieſus, omnes denique Diui cælorum Reges. Nicolaus Græcus lib. 6. de vita in Ieſu, ait. *Quale ſpectaculum, innumerabilis multitudo luminum ſuprà nubes, homines ſublimè elati, & volantes, celebritas, cuius nullum extat exemplum: populus Deorum Regum circundans Deum non inuidentem illis ſplendoris communionem, nec arbitrantem gloriam ſuam imminutam iri, ſi multos Regni ſui ſocios admittat.* Quia ſcilicet non inuidere poteſt ſibi ipſi, cuius proprium eſt ſocios ſuos neceſſariò Regni participatione donare.

31. *Ex Ieſu ſocietate conſequens Regnum.* Viginti quatuor illi ſeniores, qui Agno Ieſu præſtabant obſequium coronis incti aureis obiiciuntur. Apo. 4. Vndenam illis Regnum. Num ex Sacerdotio? Num ex iuſtitiâ? Certè ex

ex Agni Ieſu ſocietate. Expreſſerat id Eſdras præſans, *Et in medio eorum erat Iuuenis ſtaturâ celſus, eminentior omnibus illis, & ſingulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Cúmque interrogares quis viſionem videbat, Angelum: Ille Iuuenis quis eſt, qui eis coronas imponat? reſponſum accepit ab Angelo: Ipſe eſt Filius Dei, quem confeſſi ſunt.* lib. 4. cap. 2. O ſocie Ieſu! haud interroges, quiſnam ſis? an feruore, aut tepiditate degas? ſolummodo interroga: *Ille Iuuenis quis eſt, qui coronas imponat.* Nunquam non Ieſus ſociis ſuis Regni cæleſtis coronas largitur, ad eum accede, & Regno ſimul potiere cæleſti. Ediſce vim prauæ, aut improbæ ſocietatis.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Dixit ergo Ieſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.

Taxatur Regulus, quòd imminente filij morte, in eius conſpectu de temporariis rebus ſollicitus exhibeatur.

Mors enim aliorum nos omnino debet à ſæcularium curâ præripere, vt ſoli inſtantis iudicij meditationi hæreamus.

32. *Extremum iudicium in cuiuſlibet morte contemplemur.* Anſel.

MIROR ſollicitam Reguli pietatem à Domino exprobrari, ſic-ne accipiendus, qui *cùm audiſſet, quòd Ieſus adueniret, abijt ad eum, & rogabat eum, vt deſcenderet & ſanaret filium eius; incipiebat enim mori?* quàm meritò parua illius fides exprobratur, qui cùm filius mori inciperet, in conſpectu inſtantis mortis temporaria ſubſidia curauit, & non contemplatione iudicij proximi immerſus eſt. Documentum exhibebat profectò ſe iudicij articulum minimè crediditſſe. Fatur Anſelmus. *Non creditis iudicium futurum, ſecuritate torpetis, niſi mirabilibus excitemini.* Vides ô Regule, filium à morte attripi, & non cogitas de iudicij inſtantiâ communis?

33. *Quaſi infidelitatis noxa eſt, non formidare iudicium, dum obitum aſpicimus proximorum.* Iacob. 4. 5. Saluian.

Præmiſerat Iacobus humanæ vitæ fragilitatem, cùm dixit: Quæ eſt vita veſtra? *Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* cap. 4. Inuectiuus autem exurgit, fatus: *Theſaurizâſtis*, ô diuites, *vobis iram in nouiſſimis diebus.* cap. 5. Vbi Saluianus lib. 1. ad Eccleſiaſt. *Theſaurizâſtis in nouiſſimis diebus. Per hoc duplex & cupiditatis noxa eſt, & infidelitatis.* Cupiditatis noxa fuit in nouiſſimis diebus, poſtquam indictum vitam eſſe vaporem, theſauris temporariis colligendis operam dare. (legit enim Pater *Theſaurizâſtis* ſolùm, & non *Iram.*) At noxa infidelitatis qualis eſt? crediderim infidelitatis piaculo quodammodo fœdari, qui ſciens ſe moriturum, dum ſocij, aut proximi mortem contemplatur, ſtudium impendit temporariis lucris, & non totus iudicij inſtantis horroribus immergitur. Sic ille: *Quia theſauros, quos crimen vtique fuit & alio tempore concupiſcere, maius abſque dubio crimen per infidelitatem eſt, etiam in fine cumulare.* In fine inquam, id eſt, in finis, ſeu mortis memoriâ nobis ex proximi obitu, aut exitiali ægritudine indictâ.

Eſcob. & Mendoz in Euang. de Temp. T. I.

34. *Chriſtus moriturus ex iudicij horrore commoueri videtur, noſtram gerens perſonam.* Luc. 22. Gregor.

Morti vicinus Dominus *factus in agoniâ, prolixiùs orabat.* Luc. 22. Vndenam agonia Saluatori? quid petebat moriturus? Profectò noſtram agens perſonam tremore, ac commotione mirabili afficitur. D. Gregorius lib. 24. Mor. cap. 17. *Quid pro ſe ille, cùm in agonia eſſet, peteret, qui in terra poſitus cæleſtia cum poteſtate tribuebat? Sed appropinquante morte, noſtra mentis in ſe certamen expreſſit. Creſcit pauor viciná retributione iuſtitia, & vrgente ſolutione carnis. Quantò magis diſtrictum iudicium iam, iámque quaſi tangitur, tantùm vehementiùs formidatur.* Chriſto igitur morti appropinquante nos deberemus ex formidine iudicij concuti. Ideo Dominus hominum perſonam gerens moriturus ipſe, pro nobis commouetur: vt edoceat cuiuſlibet proximi morte inſtanti, ſolummodò nos debere futuri iudicij ſtrictiſſima iura contemplari.

35. *Nil cogitandum inſtante hominis obitu niſi iudicium commune.* Luc. 23. Auguſt.

Latro dexter inclamat Domino obeunti: *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Luc. 23. Cur non petiiſti à ligno mortem ſocij exterens, deturbari? Cur Regem profeſſus temporariis donari crementis non efflagitâſti, Profectò petit ille apud tribunal veniâ excipiendum dum inquit: *Memẽto mei Domine, dum veneris in Regnum tuũ.* At ſecularium curam omnino neglexit, quia particulæ illi inſiſtebat: *Dum veneris.* Hora illa Domini, vt tranſeat, vt veniat, fidelis ille obiiciens ſibi Ieſu obitum inſtantem haud terrena curat, ſed de ſolo inſtanti hominibus cunctis iudicio ſauciatur. D. Auguſtinus ſer. 119. de Tempore. *Quàm citò eum repleuit Spiritus ſancti eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, & ſi intolerabile probat eſſe, quod ſentit: grauius tamen intelligit eſſe, quod metuit.* Graue tibi ô Regule, dilectiſſimum filium immaturo exitio præripi, hærede priuari: ſed grauius eſſe deberet, communi iudicio obnoxium contemplari. *Non creditis* (mihi credite) *iudicium* futurum, qui tot proximorum funera aſpicientes, de præparatione ad inſtans iudicium cunctis mortalibus minimè cogitatis.

SECTIO SEPTIMA.

Ieſus aſſerens ægrotantis valetudinem.

TEXTVS.

VERS. 50. DIcit ei Ieſus, Vade, filius tuus viuit. Credidit homo ſermo-
ni, quem dixit Ieſus, & ibat. 51. Iam autem eo deſcenden-
te, ſerui occurrerunt ei, & nunciauerunt, dicentes, quia filius
eius viueret. 52. Interrogabat ergò horam ab eis, in qua meliùs habuerit. Et
dixerunt ei, quia heri horâ ſeptimâ reliquit eum febris. 53. Cognouit ergo pa-
ter, quia illa hora erat, in qua dixit ei Ieſus, Filius tuus viuit. Et credidit ipſe, &
domus eius tota.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Ieſu promittente Regulo filij ſanitatem.

1. *Prudētia mirabilis Saluatoris.* DIcit *ei Ieſus: Vade, filius tuus viuit.* Videns piiſſimus humanæ ſalutis medicus creata malagmata non proficere, alterum adhibet, & quem reprehenſione non ſanauit, beneficio conuertit: exhibens certè iis, qui animorum exerunt curam, documentum, vt variis modis hominum occurrant valetudini, & quod vnâ, aut alterâ via non ſunt conſecuti, aliis certè rationibus contendant obtinere. *Vade,* inquit, *viuit filius tuus,* ſiue ſanus eſt. Haud opus me deſcendere, vade, vt credas me abſentem poſſe ſanare. *Tolet.* Toletus, *Perpende,* inquit, *ſapientiam Saluatoris, ſi deſcendiſſet, & ſanaſſet, adhuc Reguli fides infirma manſiſſet; credidiſſet enim ſuâ præſentiâ illum ſanâſſe, nec potuiſſe abſentem ſanare: porrò ſi non ſanâſſet, nec deſcendiſſet, quam conceperat fidem amiſiſſet.* Sanat ergo, ne modicam, quam fouebat, fidem amitteret; non autem deſcendit, vt fides eius perficiatur, credatque, etiam abſentem ſanare potuiſſe. Sic & filij morbo, & patris infidelitati medetur.

2. *Cur non dicitur in Ieſū credidiſſe?* *Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & ibat.* Cur non in eum dicitur credidiſſe? Certè quia nec dum fidem conceperat, ipſum eſſe verè Chriſtum; ſed credidit ſermoni eius, & fidem hanc opere demonſtrauit; nam non ampliùs rogans, vt deſcenderet, ibat à Domino præmonitus, & Capharnaum reuertebatur.

3. *Quidnam de Ieſu Regulus crediderit.* Quidnam, ais, Regulus de Chriſto crediderit, cùm credidiſſe ſermoni aſſeritur? Credidit profectò, Chriſtum vera narrare, non tamen cauſam ſanitatis exſtitiſſe, & tali verbo filium ſanitate donaſſe. Quem ſanctum virum exiſtimabat, dignum fide iudicauit, non tamen intellexerat, Chriſtum ſua virtute tunc filium ſanaſſe: hoc poſtea intellexit, & verâ credulitate in Dominum donatus eſt.

§. II.

De ſeruis Reguli filij valetudinem renunciantibus.

IAm autem eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. 4. *Serui nunciantes Reguli ſanitatem ægroti.* Vt Dominum tanti gaudij citius participem efficerent, ſerui occurrerunt ei, antequam ipſe Capharnaum perueniſſet, & filium iam benè valere nunciarunt. Cum enim ſerui ſine morâ, ſanitate filij cognita, iter ad Regulum arriperent, antequam ille Capharnaum accederet, peruenerunt; vt eodem planè tempore & Regulus è Cana, & ſerui ex Capharnaum profecti fuerint hero obuiàm ituri.

Interrogabat ergo horam ab eis, in qua meliùs habuerit. 5. *Reguli interrogantis mens.* Haud planè intelligens Regulus, quâ ratione filius viuere diceretur: an quod futurus eſſet incolumis, an quod ipſe tunc Dominus ſanitatem effeciſſet: vt hoc cognoſcat, quærit, quanam horâ ſanitatem filius recuperauerit. Particula illa, *Ergo* (authore Toleto) *conſecutionem indicat, quaſi horam quærat, qua Chriſtus ei dixit: Viuit filius tuus; propter hoc enim verbum, ſanitatis recuperatæ horam inquiſiuit.* *Tolet.*

Et dixerunt ei, quia heri horâ ſeptimâ, &c. 6. *Serui reſpondent.* Horam ſeptimâ reſpondent fuiſſe, qua ab ægritudine liberatus eſt. Cognouit Regulus hanc eandē horam fuiſſe, in qua Chriſtus dixerat: *Viuit filius tuus.* Hìc etiam particula, *Ergo,* conſecutionem ſignificat, nempe eandem eſſe horam, in quâ Chriſtus dixit, *Viuit filius tuus;* & in quâ filius ſanus factus eſt, ex ſeruorum reſponſione cognouit. Quænam ſeptima hora? Hebræi in duodecim æquales horas diem, & noctem in totidē diuidebant. Hora ergo ſeptima erat prima hora poſt meridiem. Græcè legimus, *Cognouit ergo pater, quia in illâ horâ, in qua dixit Ieſus:* & eſt Hebraiſmus pro eo quod dicimus, Cognouit pater, quòd in illâ horâ dixit ei Ieſus.

Et credidit ipſe, & domus eius tota. 7. *Familia credit.* Ex illâ ſeruorum reſponſione conſecutum eſt, vt cogno-

ſceret

dulitas in Ieſum.

ſceret Regulus, eandem eſſe horam ſanctitatis receptæ, & verbi Chriſti prolati, & id cognoſcens, crederet ipſe, & ſimul tota domus, ſeu familia. In Chriſtum credidiſſe intellige, nam cognouerunt Ieſu virtute ſanitatem filio reſtitutam, & ex miraculo omnes crediderunt ipſum verum Chriſtum exiſtere. Quàm toti domui filij Reguli ſalutaris infirmitas! Toletus, *Infirmatur filius, vt occaſio ſalutis fieret familia.* Tolet.

IN IESVM DEFVNCTORVM SVSCITATOREM.

PANEGYRICVS MORALIS SEPTIMVS CIRCA LITERAM.

EX IPSO ASSERENTE ægrotantis valetudinem.

Observatio I.

Ad illa verba:

Vade, filius tuus viuit.

Poſtulanti Regulo, vt Ieſus deſcenderet, Ieſus ei filij impertit ſanitatem.

Plus enim largiri aſſolet, quàm petatur.

8. Caſſia.

CASSIANVS collat. 13. cap. 16. Regulus dum facilius credit ægrotantem filium ſuum poſſe curari, quàm mortuum ſuſcitari, præſentiam Domini feſtinus implorauit dicens: *Domine, deſcende priùs quàm moriatur filius meus. Cuius infidelitatem licèt Dominus arguerit, tamen non ſecundùm infirmitatem fidei eius gratiam ſuæ diuinitatis exercuit, nec præſentia corporali, quemadmodum ille petebat, lethalium febrium morbos: ſed verbo ſuæ poteſtatis excluſit.* Plus enim largiri munificentiſſimus Dominus aſſolet, quã ab eo poſtulatur.

9. *Plus tribuit, quã rogatur, quia ſecundum diuitias ſuæ gloriæ largitur.* Epheſ. Hieron.

Quo ſenſu aiebat Apoſtolus. *Qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam poſcimus aut intelligimus.* Epheſ. 3. Dat enim Dominus non iuxtà exiguitatis noſtræ exigentiam, ſed ſecundum ſuæ potentiæ largitatem. Ideo præmiſit Paulus. *Vt det vobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ virtutem corroborari per Spiritum eius: vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Hieronymus Epiſt. ad Rufin. *En Deus plus tribuit, quam rogetur.* Quia exili rogatur à paupere, & ditiſſimus largitur vt Deus.

10. *Prodigus petit fieri mercenarium, accipit eſſe filium.*

Inclamat Prodigus preces effundens. *Fac me vnum ex mercenarijs tuis, iam non ſum dignus vocari filius tuus.* At patre munificentiſſimus plus admodum largiturus, chariſſimum eum excepit in filium inuidiâ ſenioris: *Citò afferte ei ſtolam primam, & induite illum, &c.* Luc. 15. Id quod D. Bernardus ſer. cont. vitium ingrat. ponderat. *Prodigus certè filius ad filiorum nuberum aſpirare timebat, beatum ſe reputans, ſi fortè vel in mercenariorum numerum reciperetur: minimè tamen ſufficere potuit paterna pietati, niſi tam copioſam miſericordiam ei exhiberet, cui poſſet & ipſe, qui nunquam à patre diſceſſerat filius, inuidere.* Luc. 15. Bernard.

11. *Seruus petit inducias, accipit totius debiti remiſſionem.*

Seruus ille debito ingenti adſtrictus procidens poſtulabat. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Profectò pius quiſque proximus patientiæ inducias ſolummodo impenderet: at Dominus ditiſſimus vniuerſum debitum remittere dignatur. Mat. 18. Vbi Chryſoſtomus hom. 20. ex var. in Mat. *Ille ait, dilationem petijt, hic omninò remiſit. Pluſque impetrauit ille quàm petierat.* Matth. 18. Chryſoſt.

12. *Poſtulat Centurio pueri ſanitatem, accipit Domini præſentiam, in domúmque cæleſtem recipitur.*

Poſtulauit Centurio puerum à Domino affici medicamine. *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus.* Fauet Diſcipulorum patrocinium: *Dignus eſt, vt hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis.* Mat. 8. Vbi Chryſoſtomus hom. 27. in Mat. *Vides Iudæorum dementiam, dicunt enim, dignum eſſe, cui illam gratiam tribuat.* Et vndenam dementes Hebræi? An non illa gratia gentis Iſraeliticæ dilectori, Synagogæ extructori deberetur? Profectò dementes comperiuntur illi, quia Chriſtum allicere conabantur, vt Centurioni poſtulata impenderet, ſi is Dominus, vt plus admodum tribuat, quàm rogetur. Petit ille pueri ſanitatem? Perget & Dominus ad hoſpitium, Centurióque cæleſtem admittetur ad domum. *Qui ſe* (ait Doctor) *indignum recipiendi Chriſtum arbitrabatur, cælo digniſſimus factus.* Sic ille. Matth. 8. Chryſ.

Observatio II.

Ad illa verba.

Dixit ei Ieſus, Vade, filius tuus viuit.

Viuit Reguli filius, quem pius pater Domino tradiderat.

Bona enim æterna & temporaria eis filiis præparantur, quos parentes Dei curæ, & protectioni committunt.

13. PRVDENTISSIMVS Regulus de filij vitâ deſperans, aptè currit ad Dominum, ei filium traditurus. Mox enim Ieſus filium viuere aſſeruit. Quando non viuit feliciter filius, qui Deo à parentibus conſecratur. Sæpe moriturus apud domum paternam filius, Dei vixit in domo.

14. *Vt Abraham æternum filio viuente potiatur, eum Deo litare ſatagit.* Gen. 22.

Promiſerat Deus Abrahæ accepturum filium, qui in domo paternâ æternaretur, innumeráque poſteritate fulgeret. Profectò Dominus filij vnigeniti æternùm victuri necem inmaturam indicit. *Tolle puerum, quem diligis, Iſaac, & vade in montem, &c. & offer eum mihi in holocauſtum.* Gen. 22. O bone parens! quid agis? quid decernis? Infauſtæ-ne morti vnicum trades hæredem? Ita planè. Quonammodo æternæ incolumitatis promiſſa cuſtodientur? Imo vt viuat filius, neceſſum quidem eſt, è domo paternâ deturbari, Deique committi poſſeſſioni: Interrogatus de victima Abraham reſpondit: *Deus prouidebit ſibi victimam holocauſti, fili mi.* Et cur non dixit: Iam Deus ſibi victimam holocauſti prouidit, qui iuſſus à Domino, filium immolaturus properabat: Certè, quia dum filium Dei manibus committebat, prudentiſſimè ſperabat, fore, vt alia victima à Deo pararetur, vndè filius incolumis perſiſteret. Ambroſius lib. 1. de Abra. cap. 8. *Deuotionis miniſter vocare filium frequenter non timet: hoc ſe meliorem patrem putabat, hoc ſibi in perenne manſurum iudicabat filium ſi eum immolaret Deo.* (Ambroſ.)

15. *Aſſerit Abraham filium reuerſurum, quia non moritur filius, qui Deo litatur.* Geneſ. 22.

Quàm felix Orbis, quam fœtibus illuſtribus ornaretur ſi parentes filios litandos Domino adducerent! Pergens Abraham pueris comitibus profatur, *Expectate hîc cum aſino: ego autem, & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Gen. 22. Quonammodo ô bone, cum filio te reuerſurum affirmas, quem in holocauſtum offerendum adducis? Credebat proculdubio Patriarcha feliciſſimè agendum cum filio, quem parens pius Domino litaret, Viuet, viuet, vel holocauſti iure renitente. D. Zenonem audi lib. de patient. *Quid hoc eſt? Ecce parricida incruentus redit, & qui immolatus eſt, viuit. Ambo ſibi gloria, ambo ſibi charitatis exemplum. Felix Orbis fuerat, fratres, ſi omnes ſic fierent parricidæ.* (Zeno.)

Vt huiuſmodi felicitate Orbis donetur, tradendi-ne cuncti filij Religionis clauſtris; quæ quidem perfecti holocauſti iura ſeruant? Profectò non omnibus datum Mundi terere faſtum Religionis ingreſſu. At cuncti parentes poſſunt filios Deo litare, dum edocent ſeruare præcepta. Præcinit Vates, *Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis, vt cognoſcat generatio altera, Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant.* Pſal. 77. Illud pende: *Vt cognoſcat generatio altera.* Quonammodo altera generatio cognoſcet ea, quæ filiis tunc viuentibus nunciantur? An quia hi poſteris deferent? Non inficior. Sed aptiùs meo argumento crediderim, quia filius audiens documenta ſalutis à parente diuturnâ incolumitate donatur vni, & alteri generationi coæuus. Vix expendam quàm felix vita filiis præparatur, qui à parentibus Dei præceptorum obſeruationem edocentur? Summittam pulchram admodum Saluiani ſententiam lib. 1. ad Eccl. *Videtis, quas parari opes à parentibus, filiis Deus iubeat: non pecuniarios theſauros, nec graues metallo aureo ſaccos, non ſuperbas, ac præeminentes excelſis orbibus domos, non ſuprà humanos viſus elata culmina, nec inſerta nubibus areo habitatore faſtigia: non denique fundos interminabiles. Non ergo hæc Deus præcipit, pauca ſunt, quæ mandat, ſed ſalutaria: ſcripto breuia, ſed beatitudine ſempiterna; vt ponant ſcilicet in Deo ſpem ſuam, & mandata eius exquirant. Cùm enim Deus viuorum ſit, nec mortuorum, rectè illa parari filiis iuſſit, per quæ æternum viuerent, non per quæ in æternitate morerentur.* Illam preme particulam: *Cùm ergo Deus viuorum ſit, nec mortuorum.* Cur non ſimul Deus mortuorum appellatur, qui dominus vitæ & mortis mortuos æternam reuocabit ad vitam? Quia dum memoria geritur filiorum à parentibus Domino commiſſorum, ſolummodo Deus viuentium aſſeritur: quaſi minimè poſſit mortis baratro excipi filius, qui à patre Dei præcepta edocetur.

16. *Deo litat filium, qui eū edocet Dei præcepta ſeruare: vnde feliciſſimè viuat.* Pſal. 77. — Salu. — *Quaſi non poteſt mori filius, qui à patre Dei præcepta edocetur.*

Ait Plato lib. 11. de leg. *Pater tria beneficia dat filio. Eſt ſibi cauſa eſſendi generando: eſt ſibi cauſa nutriendi educando: & eſt ſibi cauſa diſciplinæ vitalis informando.* Quaſi ad vitæ perſiſtentiam non ſatis fuiſſet generâſſe, ac nutriiſſe, niſi vitali doctrinâ informâſſet. Ideo nec generationem, nec nutritionem, ſed informationem appellauit vitalem. *Diſciplinæ vitalis informando.*

17. *Plus patriū eſt, filium edocere recta inſtituta, quā generare, & educare.* Plato. Teren.

Patrium-ne eſt filium generare; nutricare?
Hoc patrium eſt potiùs, conſuefacere filium ſua ſponte rectè facere, &c.
Sic Terentius Adelph. cecinit.

***

Observatio III.

Ad illa verba:

Credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus.

Antè credulitatem, *Regulus*, poſt fidem *homo* vocitatur.

Plus enim homo ex virtutibus, quàm ex dignitatibus eſt æſtimandus.

18. Vi priùs Regulus vocitatur cùm fidei imperfectione laborat, credens homo appellatus eſt, ac ſi vulgaris cuiuſdam actio deſcriberetur. *Credidit homo ſermoni.* Certè cùm non credit, illuſtri titulo indigebat: at poſt credulitatem, hominis appellatio vulgaris ei erat illuſtris. Sola etenim virtus nobilitatis ſtemma eſt. Credens homo ſcribitur? Illa particula *Homo* regia quidem habenda. Sic belle D. Euſebius Emiſ. *Iam non Regulus, ſed Rex iſte dicendus eſt. Regulus erat, quando venit, ſed Rex plenus fide recedit.* Homo fide plenus, virtute coruſcans? Non vulgaris quidem, ſed Rex potentiſſimus habeatur.

Emiſ.

19. Profectò homo ſe regens, ſe virtutum exercitamento excolens, Regiam induit dignitatem. D. Anſelmus ait, *Hominem ad excellentiſſimi Regis imaginem factum, dum bene ſerexit, Regem fuiſſe, quis dubitet? Regnum iſtius Regis paradiſus Dei fuit, in quo Rex, & Dominus vt dominaretur, ac præeſſet beſtiis, & piſcibus, tanquam Rex in ſolio collocatus eſt. In eo autem quod amiſit, Rex eſſe deſiit: in eo autem quod præ cæteris animalibus ſibi relictum eſt, tanquam Regulus victitauit.* Quilibet ſine virtute Rex Regulos appellandus: homo autem vulgariſſimus ſi fide præfulgeat, ſi virtute coruſcet, Rex eſt pleno ore vocitandus.

Homo vulgaris ſi fidelis ſit, Rex eſt. peccatiſſimus quiſque Regulus, ſi virtute vacuus.
Anſel.

20. Cùm videris hominem fidelem, Dei hærentem præſcriptionibus, eum proculdubio ſtipari coronâ regiâ deprehendes. Quòd ſi è vulgari procedere natalitio cognoſcas, intra eum ex fide Regnum adeſſe credendum. Fatur Dominus, *Regnum Dei intra vos eſt.* Luc. 17. Quicumque enim fidelis moribus exornatur intus habet, quo coronâ valeat ſtipari. Chryſologus ſer. 71. *Et vbi eſt illud? Regnum cælorum intra vos eſt? Intra nos eſt fide.* Ex plebe iuſtus Regum continet ſeminarium, non ſolùm Rex ipſe, ſed Reges valet inaugurare, Regnum intra ſe continens increatum.

Regnum eſt intra quemlibet iuſtum.
Luc. 17.
Chryſol.

21. Audi Iſaiam, *Vox multitudinis in montibus, quaſi populorum frequentium, vox ſonitus Regum, & gentium congregatarum.* Cap. 13. Quid ſonitui Regum cum gentium multitudine? An non potiùs populi multi, aut gens copioſa viliſſimi vulgi ſortietur appellationem? Vates præmiſerat: *Ego mandaui ſanctificatis meis, & vocaui fortes meos in irâ meâ exultantes in gloriâ meâ.* Si ſancti illi, Reges neceſſariò ſunt appellandi. D. Baſilius hic aſſerit ſignificari fidelium multitudinem ex innumeris Gentium populis congregatam. Vulgaris quidem eorum numerus, ſed Regia dignitas ex fide celebratur.

Vulgi fidelium Regnum eſt congregatio
Iſai 13.
Baſil.

22. Vide, an iuſtus Dei intus foueat imperium. Dominus Abrahæ: *Et ponam te in Gentibus Regéſque a te egredientur.* Gen. 17. Rogas, quinam Reges ex Abrahamo fuerint exorti? Num Iudas, cui reliquæ Tribus paruere? Certè iuſti egreſſi è fidelium parente meritò Reges appellantur. Intra Abrahamum Dei aderat ex fide Regnum plurimos Reges pariturum. Rupertus lib. 5. de vict. Verbi cap. 29. *Reges hic rectè accipiuntur qui apud Deum pro fidei merito Reges ſunt.* Collige, apud cordatos, illum Regio honore excipiendum, apud quem Regni cæleſtis inſignia id eſt, fidem, virtutúmque exercitamenta viſenda exponentur.

Reges ex Abrahamo oriuntur, quia intra illum Regnũ Dei aderat.
Gen. 17.
Ruper.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Vade, filius tuus viuit.

Petente Regulo, vt poſt deſcenſum in ſuam domum Ieſus filium donaret ſanitate, Chriſtus ſtatim conſulit.

Dei enim in homines miſeros liberalitas prona moras minimè patitur.

23. Si Regulus à te ô Domine, efflagitat, vt in domum deſcendas, ægrotantémque filium iam iam animam agentem à letho redimas, cur mox ſanitatem impendiſti? Certè Dei munificentia nec patitur moras, nec temporis fert ſpatia, illicò miſeri alleuantur.

24. Fatur Dominus apud Lucam. *Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo Prophetâ, & nemo eorum mundatus eſt; niſi Naaman Syrus.* Cap. 4. Viuus ille Prophetæ abluitur & mundatur miniſterio. Ait námque Eliſæus, *Vade & lauare ſepties in Iordane, & recipies ſanitatem caro tua.* 4. Reg. 5. At Dominus aliter leproſo medicamen adhibuit, nempe manûs attactu. *Et extendens manum tetigit eum dicens: Volo, mundare,* cùm æger profatus fuiſſet: *Domine, ſi vis potes me mundare.* Luc. 5. Et Cur Dominus leproſum ad aquas non immittit? *Vade lauare ſepties in Iordane.* An non quia Dei munificentia moras non patitur? Hinc Tertullianus arguit Domini ac ſerui differentiam aſſerens, *Eliſæum materiâ eguiſſe, quam adhibuiſſet, & eam ſepties; Chriſtum verò verbo ſuo, & hoc ſemel functo curationem præſentâſſe.* Munificentia enim diuina moras rumpens, inſtanter operatur.

Chriſtus leproſum non immittit ad aquas, ſed illico abluit, quia moræ impatiens.
Luc. 4.
4. Reg. 5.
Luc. 5.
Tertull.

25. Cur ſepties Syrus Naaman diluitur? Reſpondet Tertullianus, *Septies quaſi per ſingulos titulos in Iordane lauit, vt toties hebdomadis caneret expiationem.* An ſeruus Ieſum velociſſime opera molientem ſalutaria poſſet imitari? ſeruus equidem

Lauacrum compendiatũ gerit Deus.
Tertull.

ſæpe

ſæpe abluit peccatores, vt à leprâ poſſit liberare. At Soli Chriſto datum, vnica actione homines diluere. *Vnius* (adicit Doctor) *lauacri vis & plenitudo Chriſto ſoli dicabatur facturo in terris, ſicut ſermonem compendiatum, ita & lauacrum.*

26. *Cuncta crimina vnica vnda diluit.* Tertul.

Adiicit Tertullianus ſepties dilutum Naamanum, vt peccatorem ſeptem criminum maculis fœdatum exprimeret. *Qui ſeptem maculis capitalium delictorum inhorreret idololatriâ, blaſphemiâ, homicidio, adulterio, ſtupro, falſo teſtimonio, fraude. Quæ propter ſepties per ſingulos titulos in Iordane lauis.* An Chriſtus vnica ablutione poſſet cunctas maculas ablegare? Dauid. *Tu confregiſti, conturbaſti capita draconis in aquis.* Pſal. 73. Vnica Baptiſmatis vnda, ſingulari ablutione Dominus munificentiſſimus cuncta crimina obruit; ablutionē enim iteratam tanta munificentia minimè pateretur. Auguſtinus, *Contriuiſti capita draconum in aquâ. Draconū capita dæmoniorum ſuperbias, à quibus Gentes poſſidebantur, contriuiſti, Domine, ſuper aquam, qui eos, quos poſſidebant, per Baptiſmum vnicum liberaſti.*

Pſal. 73. August.

27. *Propriū Domini illico miſereri.* Tertul.

De Chriſto prædictum, *Voca nomen eius, Accelera, feſtina.* Dei enim Filij proprium nomen referens quidem geſta eiuſdem, accelerare feſtinare, vt Orbi ſalutaris exiſtat. Tertullianus lib. illo 4. cont. Marc. cap. 10. *Sed etſi nihil tale de Chriſto fuiſſet prædicatum, haberem huius benignitatis in Saluatore præmittentia mihi, & in Filio Patris affectus. Video Niniuitas ſcelerum veniam conſecuturos à Creatore, ne dixerim tunc quoque à Chriſto. Lego & Natham Prophetam agnoſcenti Dauidi delictum ſuum in Vriam, dixiſſe: Et Dominus circumduxit delictum tuum, & non morieris.* Illa igitur venia præpropera à quonam impenſa niſi à Domino, cuius munificentia moras nō patitur? *Vade*, dixit *Regulo*; ſed præcurrente Domini pietate eodem inſtanti filius valetudini reſtituitur.

OBSERVATIO V.

Ad illa verba:

Serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius tuus viuit.

Statim ſerui fideles occurrunt, felix nuncium Domino allaturi.

Homines enim fidi, ac recti gaudent felicia nuncia legare, horrent infelicia referre.

28. MERITO ſerui hi fidi à patribus appellantur, qui Domino felix valetudinis filij nuncium geſtiunt afferre. Proprium enim fidelium, ac proborum eſt, gaudere, dum felicia legant, infeliciaque referentes horrere: ſicut improbi, ac barbari hominis, geſtire, dum infelicia nunciat: pauere dum felicia relegat.

Michæas præfatur. *Vidi Dominum Iſraël ſedentem ſuper thronum, & omnem exercitum cæli ſtabat contra eum à dextris, & à ſiniſtris.* 2. Reg. 22. Exercitus-ne ille bonorum ſolummodo Angelorum? Exiſtimo à dextris probos Angelos, à ſiniſtris autem improbos volitare. Et cur probi, & improbi ſpiritus præparati obiiciuntur? Credo vt probi felicia, improbi autem infauſta nuncia valeant hominibus relegare: D. Hieronymus ad cap. 24. Iſai. *Dextera Virtutes ſunt illorum Angelorum, qui ad bona mittuntur, ſiniſtra autem eorum, quibus ad puniendum tradimur.* 29. *Probi Angeli fauſta, improbi infauſta nunciant.* Hieron.

30. *Ipſe Dominus Abrahæ nunciauit ſiſti mortem, ne miniſter probus cogatur infauſta nunciare.* Gen. 22.

Olim Dominus *Tentauit Abraham, & dixit ad eum, Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum.* Ait illi, Tolle filium tuum, *quem diligis Iſaac*, & *vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum.* Cùm autem piiſſimus parricida gladium ſtrictum oſtentaret filium vulneraturus, *Ecce Angelus de cælo clamauit dicens: Abraham, Abraham. Qui reſpondit, Adſum. Dixitque ei, Non extendas manum tuam ſuper puerum, nec facias illi quidquam.* Gen. 22. Cur diuerſæ perſonæ inducuntur; altera, quæ iuſti animum triſti nuncio velut ſpiculo ſauciaret, altera vt ipſum à vulneris tyrannide eriperet? Vt reſpondeam, præmitto D. Hieronymum citatum. *Siniſtra quædam ſunt, contrariaque virtutes venientes, vt impleant furorem Domini, gaudentes in alienâ iniuria, de quibus legimus Pſal. 77. Miſit in eos furorem iræ ſuæ, furorem, iram, & tribulationem, immiſſionem per Angelos malos.* Iam patet ſolutio. Non decebat Iſaaci holocauſtum Chriſti paſſionem referens à nequiſſimo Angelo annunciari: nec oportebat Angelum dextrum auolare, vt infauſta prædiceret. Vnde Dominus qui Angelum probum ad ſuſpenſionem vulneris annunciandam immiſit, eundem à legatione infauſtâ remouit immediatè indicens imperium; ne diceretur Angelum bonum, miniſtrum Dei fidelem infauſta omina nunciauiſſe.

31. *Probus miniſter non legat infauſta domino, niſi vt coactus.*

Non miror iam homines probos à nunciis infauſtis referendis adeò abſtinere, vt non legent, niſi adſtricti, & coacti. Rex Iſraël exitum belli, quod aduerſùs Ramoth Galaad gerebat à Propheta Michæa interrogat. Cui Vates. *Aſcende, & vade proſperè, & tradet eam Dominus in manu Regis.* 2. Reg. 22. Si diſperdendus erat Iſraël, quonammodo Propheta falsò fauſta prædixit? Reſpondet Lyranus, *Hoc non* dixit aſſertiuè, ſed magis *optatiue, vt ſi diceret, utinam ſic poſſes ire.* Cur huiuſmodi amphibologia Michæas vtitur niſi vt, ne probus miniſter Regi nunciare infauſta cogatur? Inſtat Rex, *Adiuro te, vt non loquaris mihi, niſi quod verum eſt in nomine Domini.* Tunc ille, *Vidi uniuerſum Iſraël diſperſum, in montibus quaſi oues non habentes paſtorem.* Ibid. Ecce probus miniſter iuriſiurandi adſtrictionem expectat, vt infauſta Domino decantaret. Theodoretus q. 65. *Expectauit Michæas, vt iureiurando adigeretur, & deinde verum diceret.*

32. *Famulos nunciare hero fauſta, eſt filiis gloria Dei.*

Ad gloriam, ais, Dei ſæpe pertinet infauſta heris famulos annunciare. Certè famuli nunciantes heris fauſta ſunt gloriæ Dei filij: quonammodo infauſta legantes poſſunt Dei gloriæ obſequium impendere? Tobiæ Angelus, *Gaudium tibi ſit ſemper.* Cui Tobias, *Quale gaudium*

dium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video? Angelus autem, *Forti animo eſto, in proximo eſt, vt a Deo cureris.* Cap. 5. Quiſnam ille tam fauſta renuncians heri ſui parenti lumine capto? *Ego ſum* (inqoit) *Azarias Ananiæ magni filius.* Quæris quiſnam tibi fauſta renunciet? Ego ſum filius gloriæ Dei. Sic Petrus Comeſt. apud Gloſſ. *Quoniam Azarias adiutor Dei interpretatur, quod Angelis competit, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus, quaſi diceret, Ex filiis Iſrael ego ſum Azarias Ananiæ magni filius, quod totum ſecundum interpretationem nominum verum erat. Erat enim de Angelis videntibus Deum, & erat Azarias adiutor, & filius Ananiæ, id eſt, gloria Dei.* An gloriæ Dei filius qui aſſolet ideo adiutorium præſtare, poterit decenter Dei gloriæ prætextu infauſta legare? Abſit. Hinc carpuntur faciles infelicium nunciorum portitores.

Comeſt.

Observatio VI.

Ad illa verba.

Credidit ipſe & domus eius tota.

Credente Regulo, filij, & famuli in Dominum crediderunt.

Actiones namque parentum ſchola ſunt, vbi filij edoceantur, quid gerendum.

33. *Filij parentũ mores referũt.* Barrad.

CREDENTEM Regulum filij famulique credentes imitantur. Caput enim cuncta membra ſequuntur. Barradius, *Credidit Regulus, & domus eius tota, & oppidum quoque, cui imperabat, credidiſſe valdè eſt ſimile vero. Sequuntur membra caput, ſequitur domus patremfamilias, regnum Regem.* Fulgentius ep. 6. ad Theodorum. *Fit, vt qui ſunt in ſeculi culmine conſtituti, aut plurimos ſecum perdant, aut ſecum multos in via ſalutis acquirant, ſolummodo vtique* probè aut improbè operando.

Fulg.

34. *Expreſſa heri ſanctitudine familia ſanctitas innoteſcit.* Matth. 1.

Expreſſurus Matthæus ſacerrimam familiam Mariæ & Ioſephi Ieſu parentum, præmiſit, *Liber generationis Ieſu Chriſti filij David, filij Abraham.* Cap. 1. Quare Abraham, & David rurſum ſuis in locis referendi, primò Ieſu parentes appellantur? Credo, vt ſacratiſſimæ familiæ & fides, & virtutes exprimerentur: fidelem enim parentem fidelem familiam connotare quis non videat? Paſchaſius lib. 1. *Quatenus primum in patre diſcerent quid vel quales eſſent, qui in ſemine benedictionem hæreditatis perciperent.*

Paſch.

35 *Chanaan maledicitur, procuidubio imitaturus inuerecundiam patris.* Gen. 9.

Cham patrem inuerecundè denudans maledicto afficiendus erat: attamen non ipſe, ſed ipſius filius maledictione vulneratur, Noe clamante, *Maledictus Chanaam, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Gen. 9. Et quare filius Cham maledicitur, ſi pater Cham crimen perpetrauit? Exiſtimo, quia Noe vidit filium Chanaam parentis flagitium imitaturum, quia ſimilis aſſolet filius naſci parenti. Chryſoſtomus hom. 45. in Matth. *Aliquando fit, vt de bonis parentibus mali exeant filij, aut de malis boni: ſed rarò. Ecce enim regula eſt humana natura, vt vnus homo naſcatur duos oculos habens, & quinos digitos; aliquando autem, vt manifeſtentur opera Dei, naſcitur homo aut ſex digitos habens, aut oculos omnino non habens. ſicut ergo extra regulam natura rarò venit, vt deformis naſcatur, ſic & homo extra regulam naturæ rarò procedit, vt diſſimilis naſcatur filius parentibus ſuis.* Regulæ itaque naturæ ſeſe Noe accommodans, videns Chamum inuerecundum, eius filium Chanaamum parentis imitaturum actiones maledictionis gladio vulnerauit.

36. *Filius aſſoles menſuram criminum parentis implere.* Matt. 23.

De Phariſæorum, ac Scribarum moribus ſic Dominus ait, *Dicitis, ſi fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum. Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum qui Prophetas occiderunt, & vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Matt. 23. Non ſolùm filius parentũ crimina imitatur, ſed & eorum implere aſſolet menſuram. Ac ſi patris & filij flagitia eidem menſuræ ſint addicenda. *Implete menſuram patrum veſtrorum.* Illi Prophetas occiderunt? Vos Prophetarum Principem occidetis. Imperfectus, *Vos implete menſuram patrum veſtrorum. Prophetas illis futurum, vt quemadmodum patres eorum interfecerunt Prophetas, ſic & ipſi interficient Chriſtum, & Apoſtolos.*

Imperf.

37. *Ex parentibus grege Domini Dei agni naſcuntur.* Pſal. 20. Chryſol.

Fidelium ergo parentum filij fidei parentum veſtrorum menſuram explete. *Afferte* (ait David) *Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Pſal. 20. Vbi Chryſologus ſerm. 20. *Afferte Domino filij Dei, afferte quos fides concipiat, non caro: afferte, quos gratia Dei generet, non mundana natura. Quomodo ſe Chriſtianum credit, aut quomodo domum ſuam indicat ouile Dei, vbi non paſcuale germen Dei pecus dat balatum?* An non arietes agnos progignunt? Quomodo ergo ex ſanctis Parentibus non ſancti filij recipiantur?

38. *Cornelius dat operam domeſticorũ inſtructioni, dum ipſe ex colere pietatẽ curat.* Act. 9. Chryſ.

De Cornelio Romano Centurione ait Lucas, *Vir pius, ac timens Deum cum omni domo ſuâ:* Act. 9. Laudabilis ex fide, & actionibus piis Centurio; ſed laudabilior ex domo eius fidei & pietatis ſectatrice. Chryſoſtomus hom. 23. *Pius erat, ac timens Deum. Et, quod maius ſatis erat cum omni domo ſuâ. Ita erat huic rei intentus, vt non ſolum ſua bene conſtitueret, ſed etiam in miniſtris ſuis iſtud etiam faceret.* Pende illud: *Ita erat huic rei intentus.* Cuinam? Pietati, ac Dei timori. Quæ quidem intentio pietatis id operabatur, vt famuli, ac filij patrem, herũmque ſanctum imitarentur. Non igitur intentus erat fortaſsè Cornelius domui inſtruendæ peculiariter; ſed cura impenſa excolendæ pietati, ſchola erat domeſticis, filiis diſciplina, famulis documenta. Id enim familia aſſolet gerere, quod herus operatur.

39. *Ex prophanis confirmo.* Demoſt. Eurip.

A viris egregiis perinde quaſi fato quodam id accidat, improbos proficiſci filios. Aiebat Demoſthenes referente Ariſtide in Cimone. Euripides autem in Herac.

Vnum forſan inter plurimos
Inuenerit, qui patri non ſit ſimilis.

Ælius. Spart.

Quod argumentum Ælius Spartanus multis confirmat exemplis, declarans ita ferè vſu veniſſe, *vt viri ſeu virtute, ſeu literis, ſeu fortuna indulgentiâ inſignes aut nullos omnino liberos habuerint,*

rint, aut tales reliquerint; vt magis ex vſu rerum humanarum fuerit, illos abſque liberis diſcedere. Sic in Seuero Cæſare. Vnde adagium: *Nunquam ex malo patre bonus filius.* Euripides hanc ſententiam celebrem extitiſſe teſtatur.

Pau, heu, vt illud dictitant rectè, probum
Patre ab improbo non poſſe naſci filium.

Adſtipulatur prouerbium illud: *Mali corui malum ouum.* Et illud Theognidis οὔτε γὰρ ἐκ σκιλλῆς ῥόδα φύεται. Id eſt, *Non etenim ex ſquillis roſa naſcitur.* Plura alibi.

PARS QVARTA.

ARCHISYNAGOGI FILIA.

PARAPHRASIS, AC COMMENTARII Literales ad Caput nonum Matthæi,

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum defunctorum ſuſcitatorem.

PROLVSIO.

POST viros, poſt adoleſcentes è mortis ereptos poteſtate, & fœmina fluxu ſanguinis laborans, & adoleſcentula vita functa à Domino eripitur, vt conſtet mortis ſubire periculum, quæ mortis viro expoſuit occaſionem. Vir lacrymans (quid magis inſolitum?) Domini ferebatur ad pedes, veritus, ne, iam defunctâ filiâ chariſſimâ, paterni nominis vocabulum amiſiſſet. Porrò muliebri cadaueri pomum Dominicæ vitalis arboris admouetur, quo reſumatur halitus, qui pomo exitiali peruolârat. Altera etenim Eua Maria (loquor cum Laurentino Richardo) viris ac fœminis lignum alterum præſentauit vitales effectus producturum. Richard. Laur.

MATTHÆVS Cap. IX.

VERS. 18. HÆc illo loquente ad eos, ecce Princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens, Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.

19. Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eum, & Diſcipuli eius.

PARAPHRASIS.

18. *CVM Dominus apud Diſcipulos, & populum ſalutarem ſermonem profunderet, adyt eum quidam Synagogæ Præfectus nomine Iairus, & accidens ad genua Ieſu, adorabat eum: & deprecans, ait: Filia mea vnica annos nata duodecim, iam animam agebat, cùm domo diſcederem, vereor, ne iam mortua ſit. Veni, obſecro, impone illi manum, vt conualeſcat, & viuat.*

19. *Ieſus ad benefaciendum cunctis, & diuitibus, & pauperibus expoſitus, illicò ſurgens ſequutus eſt Iairum properantem domum, ſi fortè filiam adhuc ſpirantem offenderet.*

20. Et

20. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.

20. Diſcipuli, ac turba denſiſſima Dominum ſequebantur. Ecce autem inter eundum, alterius occaſio miraculi. Admiſcuerat ſe confertæ hominum multitudini mulier quædam duodecim iam annos profluuio ſanguinis obnoxia. Hæc non audens accedere palam ſuffuratura beneficium à tergo tetigit fimbriam veſtimenti eius.

21. Dicebat enim intra ſe: ſi tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero.

21. Quæ enim facultates ſuas omnes in medicos inſumpſerat, neque quemquam inuenerat, qui malo poſſet mederi, hìs miſera (cùm mala valetudini acceſſit inopia) ſic ſibi perſuaſerat: ſi vel extremam tanti hominis veſtis oram attigero, ſalutem adipiſcar.

22. At Ieſus conuerſus, & videns eam, dixit, Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illâ horâ.

22. Porrò attactâ veſte mox profluuium ſiſtebatur. Senſítque mulier reſtitutam ſibi corporis ſanitatem. At Ieſus nolens latere tam inſigne fidei exemplum, mulierem trepidam, ac metuentem, ne iratus Dominus ſuum beneficium repeteret, conſolatus eſt, dicens: Bono animo eſto, filia. Tua fiducia tibi peperit ſanitatem. Ex illâ enim horâ, quâ tetigit fimbriam ſanitate donata fuerat.

23. Et cùm veniſſet Ieſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem.

23. Cùm autem ventum eſſet Præpoſiti Synagogæ ad domum, non paſſus eſt Dominus ingredi turbam, nec reliquos Diſcipulos, præter Petrum, & Iacobum, & Ioannem, puellæque parentes. Tibicinibus conticentibus, ac turbâ tumultuante ablegatâ,

24. Dicebat: Diſcedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum.

24. Dicebat Ieſus, A luctu deſiſtite, puella enim non eſt mortua, ſed dormit ei, cui facilius illam à morte, quàm alÿs à ſomno excitare. Hæc cùm non intelligerent familiares, deridebant Ieſum, certò ſcientes illam eſſe mortuam quàm ſpirantem vidiſſent.

25. Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit, Puella ſurge. Et ſurrexit puella.

25. Cùm igitur turbam expuliſſet, ipſe aſſumpto patre ac matre puellæ ingreditur conclaue, vbi cadauer virgunculæ iacebat. Ieſus autẽ apprehensâ manu puellæ, Puella, inquit, ſurge. Simúlque cum dicto defuncta ſurrexit, &, quò certior eſſet fides miraculi ambulauit, & expoſitum cibum aſſumpſit.

26. Et exiit fama hæc in vniuerſam terram.

26. Iuſſi illi tacere; ſed ideo fortaſſe rem geſtam accuratiùs omnibus denarrarunt in vniuerſi ſancti populi fines audãte miraculo.

SECTIO PRIMA.

Archiſynagogus Dominum aduocans.

TEXTVS.

Vers. 18. HÆc Ieſu loquente ad eos, ecce Princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens, Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet. 19. Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eum, & Diſcipuli eius. 20. Et ecce mulier, quæ ſanguinis flu-

xum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. 21. Dicebat enim intrà ſe, ſi tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero. 22. At Ieſus conuerſus, & videns eam dixit: Confidè filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illâ horâ.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Adoleſcentulæ Principis Archiſynagogi obitu.

1. *De geſtorum ordine.*

HÆc illo loquente ad eos. Id eſt, cùm Chriſtus Phariſæis, & Diſcipulis Ioannis reſponderet arguentibus Diſcipulos, quòd non ieiunarent; tunc Iairus Synagogæ Princeps acceſſit. Porro hæc duo miracula, filiæ ſcilicet Principis illius, & mulieris, quæ ſanguinis fluxu laborabat, temporis ordine ſequi Matthæi verba oſtendunt. Marcus & Lucas aliò collocârunt. An à Matthæo diſcordent? Minimè, quoniam illi temporis ordinem ſecuti non ſunt.

2. *Quinam ille Princeps?*

Ecce Princeps vnus acceſſit. Quinam hic Princeps? Multæ in populo Iſraëlitico Synagogæ, ſingulæ ſuos ſiue Principes, ſiue Præfectos ſortiebantur. Ex his Archiſynagogis vnus nomine Iairus tunc acceſſit ad Dominum.

3. *Adoratio Iairi.*

Et adorabat eum, dicens: Domine filia mea modò defuncta eſt. Filiam ille vnicam in extremo habebat ſpiritu; filiæ autem adductus incommodo venit ad Chriſtum, prociditque ad pedes, illúmque adorans poſtulat, vt filiam vitæ reſtitueret. *Domine filia mea, &c.*

4. *Quomodo defunctam aſſerunt Matthæus, ſi alij Euangeliſtæ in extremis conſtitutam affirmant?*

Defuncta eſt. Marcus, *Filia mea in extremis eſt.* Lucas, *Vnica filia erat ei, & hæc moriebatur.* At Matthæus noſter hæc illi verba tribuit: *Filia mea modò defuncta eſt.* An Euangeliſtæ pugnent? An eſſe in extremis, aut vitam agere ſeu mori idem ſit ac iam eſſe defunctam? Non adeſt repugnantia. Auguſtinus lib. 2. de Conſ.

August. Euth. Barrad.

cap. 28. *Attendit Matthæus non verba patris de filia, ſed, quod eſt potiſſimum, voluntatem, & talia verba poſuit, qualis voluntas erat. Ita enim deſperauerat, vt potiùs eam vellet reuiuiſcere, non credens viuam poſſe inueniri, quam morientem reliquerat. Et cùm inſtituiſſet breuiter dicere, hoc inſinuauit patrem dixiſſe, quod & ipſum certum eſt voluiſſe, & Chriſtum feciſſe.* Aliter ex Euthymio, Barradius, alij aſſerunt Iairum vtrumque dixiſſe, *In extremis eſt*: & ex affectu rem exaggerando addidiſſe; *Defuncta eſt.* Chryſoſtomus, *Calamitatem filiæ amplificauit.* Ego autem facilius crediderim Iairum mortuam iam eſſe filiam affirmaſſe, quia cùm in extremis eam reliquiſſet, coniecit iam proximè obiiſſe.

Chryſ. *Authoris ſententia.*

5. *Non plena Iairi fides. Chryſoſt.*

Sed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet. Indicat Iairum Dominum non adoraſſe vt Deum: nondum enim ſe ad ſublimem hanc cognitionem aſcendiſſe oſtentat, qui ignorabat, poſſe Chriſtum ſolo iuſſu vitam, cui vellet, pro omnipotentiâ ſuâ reſtituere. Vnde Chryſoſtomus, *Vide* (ait hom. 32. in Matth.) *ruditatem Principis. Poſtulat, vt veniat Dominus, & manum imponat. Id quoque Naaman ab Eliſæo poſtulabat 4. Reg. 5. Viſu enim, & ſenſu indigent qui rudiores ſunt.* Et Theophylactus, *Videtur Archiſynagogus fidem habere, quamuis non magnam. Obſecrat enim Dominum non vt ſolum verbum dicat:* (vt Centurio fidelior) *ſed & veniat, & manum imponat.* Conteſtantur Euthymius, & alij.

Theoph. *Euthym.*

§. II.

De occurrente tunc fœminâ emorrhoiſſa, ſiue quæ ſanguinis fluxu laborabat.

6. *Clam fœmina accedens tetigit veſtimenta, & quare.*

ET *ſurgens Ieſus ſequebatur eum, & Diſcipuli eius, & ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.* Curans Dominus optatis Principis illius reſpondere, præeuntem ſequitur cum Diſcipulis: in ipſo autem itinere, fœmina, quæ annis duodecim ſanguinis incurabili profluuio laborabat, furtim fimbriam Dominici attigit veſtimenti. Cur mulier voluerit latere? Propter verecundiam; erat enim morbo fœdo affecta, qui iuxtà legem immundos redderet attingentes. Ideóque tremens (vt ait Lucas) acceſſit ad Chriſtum. Verebatur enim, ne argueretur, quòd cùm eſſet immunda, turbæ ſe immiſcere, & Ieſum tangere auſa fuiſſet.

7. *Fides fœminæ bona.*

Dicebat enim intra ſe: ſi tetigero tantùm fimbriam veſtimenti eius ſalua ero. At Ieſus conuerſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Quàm commendabilis fœminæ fides! quàm Principis Iairi fidei præponenda! Non petit Dominum ad ſe reſpicere, nec manu attingi, ſed ſolummodo curat fimbriæ attactu potiri. Ideo Chriſtus, *Fides tua te ſaluam fecit.*

8. *Obiectionem ſoluo. Barrad.*

Et ſalua facta eſt mulier ex illa horâ. Barradius, *Deinceps.* Oritur difficultas ex Marco profante, *Quia ſi veſtimentum eius tetigero, ſalua ero; & confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius, ſenſit corpore, quia ſanata eſſet à plaga.* Si tunc ſanitate donatur, quemadmodum Dominus poſtmodum profatus eſt: *Fides tua te ſaluam fecit*, quomodo Matthæus poſt ſanatam fœminam adiecit: *Et ſanata eſt ex illa horâ?* Aliqui exponunt, Et ſanata eſt ex illâ horâ, id eſt cognouit ex promiſſione Domini perſeueranti donatam fuiſſe ſanitate. *Quaſi diceret,* (ait Barradius) *ne formides, datam ſanitatem non auferam; quin potiùs illam tibi ſtabilio, ac confirmo.* Nos autem facilè reſpondemus, particulam illam: *Ex illa hora* inſtans reſpicere, quo

contin

contingens fœmina veſtimentum ſanitatem eſt conſequuta. Ideo Euangeliſta non inquit, Ex hâc horâ, ſed *ex illa*.

9. *Quænam de Chriſto virtus ad miraculum patrandum exiret*

Ex Luca adijcio, *Et ait Ieſus, Quis eſt qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor! turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis. Quis me tetigit? Et dixit Ieſus, Tetigit me aliquis, nam ego noui virtutem de me exiſſe.* Græcè virtutem *δύναμιν*, id eſt, *potentiam*. Noluit mulierem indicere, vt ipſa ſe prodiret. Nam timore perculſa ad pedes Domini accidit, & miraculum, quod latebat, coram hominum multitudine patefecit. Quænam, ais, virtus ſiue *δύναμις* illa fuerit, quæ à Domino exiiſſe dicitur? Montanus, *Virtus verè exibat ex Chriſti corpore, qua ſanare poſſet etiam grauiſſimis morbis affectos. Illa autem virtus veſtibus etiam communicabatur, vt odor boni vnguenti veſtibus fragrantiam præſtat.* Quidam Theologi aſſerunt qualitatem aliquam excellentioris ordinis illam fuiſſe. Alij artificioſum quendam motum, quem Deus humanitatis miris actionibus tribuebat. Alij virtutem hanc in eo ſitam volunt, quòd verbo, tactui, aut voluntati Chriſti diuina protinus adeſſet potentia ad miraculum excitandum. (Monta.)

10. *Authoris ſententia.*

Fateor ex Chriſti corpore potuiſſe virtutem aliquam, ſiue præcellentem qualitatem exire: & à Deo ad patranda miracula eo modo extolli, quo Tartareus ignis ad ſpiritus comburendos eleuatur. Attamen affirmo nullam ex Chriſti corpore virtutem, odoris, ſeu vnguenti inſtar, emanâſſe: virtutem verò, & poteſtatem in humanitate Chriſti ad miracula efficienda, fuiſſe moralem, conceſſionem ſcilicet Dei, quâ ſecundum humanitatis voluntatem, tactum, vel verbum cui natura Diuina erat coniuncta, Deus miracula patrabat. Quòd verò Chriſtus ait, *Noui virtutem exiſſe*, non repugnat. Significat enim, non qualitatem exiiſſe aliquam, ſed diuinam Verbi actionem prodiiſſe ad fœminæ ægrotantis ſanitatem. Virtus-ne illa, quam alij Chriſti carni tribuunt, realis eſt? Ergo creata etiam erit. Igitur res creata miracula operabatur. Mea ſententia patronos habet Damaſcenum lib. *Quomodo ad imaginem, &c.* Leonem epiſt. 10. c. 4. Athanaſium ſerm. 4. cont. Arrian. Sophronium apud Conc. 6. Conſtan. Act. 11. Cyrillum, & alios. (Damaſc. Leo. Athan. Sophro. Cyrillus.)

11. *Quænam illa mulier?*

Quærimus, quænam fuerit illa fœmina? An Martha? Sic Ambroſius lib. de Salom. cap. 5. *Dum largum in ſanguine fluxum Chriſtus ſiccat in Martha: dum dæmones pellis ex Maria*, &c. Sequor Euſebium lib. 7. cap. 14. exiſtimantem ethnicam fuiſſe ex Cæſareâ Philippi fœminam; vbi miraculi memoriam perpetuo monumento pro foribus domus ſuæ conſignatam ipſa reliquit. (Ambr. Euſebi.)

13. *An fœmina in oppido Dominum contigerit?*

An fœmina Chriſtum in Oppido aliquo, an foris extra Oppidum attigiſſet? Extra Oppidum Hieronymus ait; quoniam fœminæ fluxu ſanguinis laborantes oppidis excludebantur. Ianſenius adhæret. Abulenſis quæſ. 93. in 9. Mat. conteſtatur; ſed ad Num. 5. probat, eas in Vrbibus habitâſſe, & tetigiſſe putat Ieſum in Vrbe Ieroſolymâ, quod falſum eſſe affirmo; verſabatur enim tunc Dominus in Galilæâ, Ieruſalem autem Iudææ pertinet ad ditionem. Approbo fœminas ſanguinis profluuio ægrotantes non fuiſſe ab oppidis excluſas, nulla id lege apertè prohibente. Porrò fœmina illa Dominum extra oppidum contigit, non quòd lege teneretur ab oppido abſtrahi, ſed quia proficiſcentis Ieſu id dedit occaſio. (Hieron. Ianſe. Abulen.)

IN IESVM DEFVNCTORVM SVSCITATOREM,

PANEGYRICVS MORALIS OCTAVVS CIRCA LITERAM.

EX ARCHISYNAGOGO Dominum aduocante.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Ecce Princeps vnus acceſſit, & adorabat eum.

Princeps Synagogæ filiæ vnicæ obeuntis tribulatione vulneratus, properauit ad Chriſtum.

Aduerſitas enim Principibus, Regibus, equitibus, Primoribus terræ ſuadet, ad Ieſum reuocari.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

12. *De Principibus, quorum prædeſtinationis effectus eſt ignominia,*

MIRARER Principem Synagogæ tam auerſæ à Ieſu ad eius pedes accidiſſe, niſi laborantis lethaliter filiæ tribulatione grauiſſimâ cogeretur. Aſſolent enim ærumnæ Principes Dei abiicere ad pedes, quos faſtus ſeculi abſtraxerat.

Manaſſes Iudæorum Rex proſperitate elatus, à Deo longiſſimè receſſit: ſed Regno priuatus, Babylonem adducitur: quâ calamitate excitatus ad Dei pedes accidit, humilitérque eſt eum deprecatus. *Locutus eſt Dominus ad eum*, (Manaſſem) *& ad populum illius, & attendere noluerunt. Idcirco ſuperinduxit eis Principes, exercitûs Aſſyriorum, ceperúntque Manaſſem, & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem. An medicamina*

profuere? *Qui poſtquam coanguſtatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum, & fecit pœnitentiam valdè coram Deo.* 2. Par. 33. Quid memorem Achabum ſuperbiæ morbo deploratum, qui territus denunciatis ab Elia calamitatibus, *ieiunauit, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* 3. Reg. 21. Chryſoſtomus hom. 38. in Geneſ. *Ne grauatim diuites ferant, ſi moleſtijs prementibus humilientur. Nihil enim ita eorum natura conducit, vt mentem ſubducere, &c.*

Deus ſauiens in Dauidem Regem, eum adduxit ad gremium. Pſal. 31. Pſal. 82. Pſal. 118.

15. Rex ille qui ſcripſerat, *In chamo & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* Pſal. 31. nam vexatione appropiare coguntur. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine.* Pſal. 82. Se ſe auerſum à Deo contemplatus, & tribulationibus cogentibus reductus inclamat: *Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* Pſal. 118. Principes enim proſperitate dati, paruulorum inſtar, Dei iuſtificationes ignorant, quas diſcere incipiunt apud ſcholam tribulationis. Dauid voluptatibus ſecularibus nuncium remittens ad veras properat voluptates. Fatur Auguſtinus lib. 2. conf. cap. 2. *Aderas Domine, miſericorditer ſæuiens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas iucunditates meas: vt ita quærerem ſine offenſione iucundari.* Id quod diuitibus ſeculi tot voluptatum illecebris exundantibus apprimè congruit. (August.)

Iob Princeps actus ærumnis, quaſi neceſſario ad Chriſtum properauit. Iob. 19.

16. Iob ille Princeps potentiſſimus exprimit in typo, quemadmodum Deus ſuperbientes proſperitate homines ad gremium adducat. A planta pedis vſque capitis verticem haud in Rege illo ſanitas. Porro ærúnnæ eum ad tegulam, ſiue ad Saluatorem impulerunt. *Scio, quòd Redemptor meus viuit, & in carne mea videbo Saluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, &c.* cap. 19. xxx. *A Domino hæc mihi conſummata ſunt, quorum mihi conſcius ſum, quæ oculus vidit, & non alius.* Ac ſi diceret, Dominus immiſit tribulationem, vt ad eum quærendum, Seruatorem ſcilicet, properarem. Nicetas, *Non humana eſt vexatio, calamitatem enim liberis, pecoribuſque importatam diuinitus eſſe è corporis mei ærumnis planè cognoſco. Deus mihi intulit, ego noui.* Quia effectum tribulationum immiſſarum à Domino experior, nempe me trahere ad Saluatorem. (Nicetas.)

Domus Regia Dauidis acta tribulatione ſiſtitur Saluatori, poſtquam proſperitate decreſcerat. Iſai. 7.

17. Nunciatum domui Dauid, *Requieuit Syria ſuper Ephraim & commotum eſt cor eius & cor populi eius.* Iſa. 7. Ephraim & Syria cunctis copijs aduersùs domum venerunt. Quod vbi domus Dauidica nuncium accepit adeò cor eius commotum eſt ad requirendum Numen, vt quaſi neceſſariò ei Saluator eſſet obijciendus, ad quem quæritandum properabat. Vnde Vates adijcit, *Audite ergo domus Dauid, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*: Vbi pulchrè Rupertus lib. 1. in Iſai. in titulo cap. 32. *Cum annunciatum eſſet domui Dauid, quia requieuit Syria ſuper Ephraim, annunciatur conceptus, & partus Virginis.* Vis enim calamitatis domum Dauidicam laboribus actam vſque ad ipſius Saluatoris conſpectum adduxit. Ieſus autem Regiæ domui præſentatur, quia terminus viæ tribulationis neceſſariò debet Chriſtus conſtitui, ad quem quaſi neceſſario Principes impellit tribulatio.

18. Quàm appoſitè huiuſce domus Princeps! *Deducet te mirabiliter dextera tua: ſagitta tua acuta, populi ſub te cadent.* Pſal. 44. Sagittæ equidem vulnerantes non ſolùm domum Regiam, ſed & cunctos populos in conſpectu Ieſu accidere compellunt. Tertullianus lib. adu. Iudæos. *Populi ſub te cadent, vtique adorantes. Sic bellipotens Chriſtus accipiet ſpolia non ſolius Samariæ, verum & omnium gentium.*

Cadunt ad pedes Domini Ieſu Reges vexati laboribus. Pſal. 44. Tertull.

Si Principes vas electionis ſunt, plerumque tribulationibus præparantur. August. apud Prof.

19. Diuites igitur, ac ſæculi Primores, qui cum hominibus non flagellantur, Dei munificentiâ tribulationum vulnere afficiuntur: vt pœnitudini ſtudium impendentes, requirendo Domino operam exhibeant. Proſper in ſent. Auguſt. ſent. 204. *Ad hoc exagitantur Potentes tribulationibus, vt vaſa electionis euacuentur nequitiâ, & gratia impleantur.* Ergo ſi Potentes vaſa ſunt electionis, ſi ad prædeſtinatorum ditionem pertinent, immiſſo diuinitus vulnere ad Deum requirendum èxtrahuntur. Sic vas electionis Paulus iaculo territus, Ieſu quærendo operam nauauit. Vidi non ſemel ſeculi Principes vaſa plena iniquitatis, qui quidem ignominia affecti ſunt, At vaſis diffuſo veneno, oleo repleretur ſalutari. O quot diuites ſeculi, quot Principes ad prædeſtinationis felicitatem denique deuexit infamia, quos ad Tartara proſperitas iam iam deturbarat.

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Domine, filia mea modò defuncta eſt.

Cuilibet homini anima filia vnica debet eſſe dilecta.

Et quiſnam cordatus, vnicam non curet æternùm cuſtodire?

20. BARRADIVS doctiſſimus noſter anſam exhibet illuſtri excogitationi. Lucæ verbis nitimur illis: *Princeps Synagogæ erat, & cecidit ad pedes Ieſu rogans eum, vt intraret in domum eius: quia vnica filia erat ei, & hæc moriebatur.* cap. 8. Fatur autem, *Habet quiuis homo filiam dilectam, & vnicam, ſcilicet animam ſuam.* Vnica eſt anima? Ergo à viro cordato adeò debet eſſe dilecta vt omni mentis, ac corporis ſtudio cuſtodiatur. (Luc. 8.)

Quam demens, qui curans membris corporis non ſingularibus, vnicæ animæ negligis curam. Chryſoſt.

21. Profectò vnicam eſſe quiſnam fidelis audebit abnegare. Si autem vnicam eſſe meam animam recognoſco, dementiæ arguar, qui tam ſegniter vnicæ cuſtodiendæ ſtudium adhibui: quique totus addictus oculi, pedis, ac manus minimè ſingularis curam gero, vnicæ animæ minimè prouideo. Fatur D. Chryſoſtomus hom. 22. ad Popul. illam proculdubio Iobi premés ſententiam: *Et addidit Dominus quæcumque fuerant Iob duplicia.* cap. 42. Duplicem fortunam feliciſſimus quiſque expeteret ſibi, ſi optio daretur, vt ſcilicet vna pereunte; altera conſeruari poſſet. Si Iob vnam diuitiarum congeriem amiſerit, altero diuitiarum theſauro poterit adhæreſcere. An feliciſſimo cuique anima duplex traditur? Vnica quidem eſt. O deſidum circa vnicæ cuſtodiam infelicitas! *Omnia* (inquit Doctor) *nobis duplicia dedit*

dedit Deus, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes. Si igitur horum vnum lædatur, per alterum neceſſitatem conſolamur. Animam verò dedit vnicam nobis. Si hanc perdiderimus, quonam viuemus? Huius igitur prouidentiam faciamus, nihil ipſius ſaluti præferentes.

22. *Vnica anima vnicè peritura cum corpore vnicè eſt cuſtodienda.* Pſal. 22. Lyran.

O cuſtodia Dauidis. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.* Pſal. 21. Vnicam ſcilicet animam. Non dixit à dentibus canis, ſed à manu, quia non mordet, vt vulneret, ſed totam animam abripit vt adducat ad tartara. Anima enim vnica vnicè vulneratur, tota perit. Lyranus ad illud: *Et de manu canis*, inquit, *De poteſtate inferni qui deuorat auidè ſicut canis.* Deuorat quidem, id eſt, non vulnerat partē animæ, quemadmodum aſſolet membrum corporis vulnerare; ſed vnicam vnicè comminuendam ſicut canis fruſtulum panis ad ventrem, ſic traiicit cremādam ad ignes. Quam ergò accuratè cuſtodienda eſt vnica, quæ vnico morſu comminuitur?

23. *Dum in anima homo periturus aut ſeruandus: ergo cuſtodiēda vnica.* Ambr.

Fatur Dominus, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Sed eum timete, qui animam & corpus poteſt mittere in gehennam*, Cur non timeamus, corpus comminui? Quia non vnicè totum vulneratur, poſt vulnus autem ſpes ſalutis. At vulnerata anima ab eo qui poteſt percutere, totus homo perit, vnde anima immiſſa in tartarum, corpus ſimul aliquando immittendum. Ideo Ambroſius ad Gen. 1. *In anima totus es homo, quia ſine hac nihil es, ſed es terra, & in terram reſolueris: vt ſcias, quia ſine anima caro nihil eſt. Nolite, inquit Dominus, timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere, &c. Quaſi dicat, illud time ne anima tua defrauderis; quam enim commutationem dabit homo pro anima ſua?* Si anima pereunte, totus homo pereat neceſſum eſt, quis cordatus animam vnicam non apprimè diligat, ac cuſtodire ſatagat?

24. *Non adeſt cōmutatio animæ pro anima, quia vnica.* Chryſ.

Si amiſero, ais, animam vnam, ſupererit altera, cuius commutatione anima acquiratur amiſſa. Proh ſtultitia! *Quam commutationem dabit homo pro anima ſua*, ſi vnica illa eſt? Pulchrè D. Chryſoſtomus hom. 56. in Mat. *Num habes aliam animam, quam poſſis pro tua dare? Pecuniam pro pecunia reddere potes, ſimiliter qui ſeruos, qui cætera huiuſmodi. Animam ſi perdas, aliam pro ea dare non potes. Vel ſi Rex Orbis, & Dominus ſis, quæque in Orbe ſunt omnia, & ipſum Orbem offeras, non poteris vel vnam animam eruere.* Pro anima igitur nulla ſubeſt commutatio, quia alia anima reliqua non adeſt, diuitiæ autem nullæ proſunt. *Ob hoc dicitur* (loquar cum D. Baſilio ad cap. 1. Iſa.) *Omni cuſtodia ſerua cor tuum*, id eſt, animam tuam.

Observatio III.

Ad iſta verba:

Domine filia mea modò defuncta eſt.

Quam prudens Princeps ille, qui mortuam filiam quatriduanam eſſe non expectauit; ſed curauit illicò à Domino ad vitam reuocari.

Si peccato anima moriatur, non differenda cura reſurrectionis: ſed mox ei totum ſtudium impendendum.

Diuus Petrus Chryſologus ſer. 34. Archiſynagogi ſollicitudinem commendat, qui potuit verè profari: *Modò filia mea defuncta eſt. Modò*, ait, *id eſt, adhuc vita manet calor, adhuc animæ veſtigia videntur.* accurrendum ad animæ mortuæ curam, nō poſtquam calor omnino perierit, non poſt veſtigia oblitera; ſed mox poſt interitum; ne quatriduana difficilius reſurrectura, à Domino excitato clamore debeat ad vitam euocari. 25. *Pœnitentia ſerat taxatur.*

Facilius planè anima recens mortua reſurgit. Illud preme Chryſologi: *Modo defuncta eſt, id eſt, adhuc vita manet calor.* Facile fax flammam reſumit, ſi poſtquam extincta eſt, dum adhuc calidum fumum exhalat, ignem admoueas. Ita equidem, opitulante Deo, non tam difficilè anima concipit contritionē, dum adhuc bonæ vitæ ſpiracula fumant. *Modò defuncta eſt?* Ergò illicò, ad Chriſti pedes accidas, anima planè non lapidis prouolutione, non lacrymis profuſis, non valido clamore, ſicut Lazarus; ſed molli manus Chriſti contactu excitanda, quaſi leni ſomno corriperetur. 26. *Facilè anima extincta recens reaccenditur.*

Negauit Petrus correptus formidine, preſſus fragilitate. At quemadmodum Dominus de Iairi filia fatur: *Non eſt mortua puella, ſed dormit:* obdormiuit quidem, ſed aſpectu Domini, facilè excitatur; quia verè poterat dicere, *Filia mea, (ſeu anima,) modò defuncta eſt.* Liceat ex Barradio noſtro viro quidem & docto, & ſancto confirmare. *Studioſus virtutis* (ait tom. 2. lib. 5. cap. 25. *vir, qui per imbecillitatem ſemel labitur in peccatum, moritur quidem; ſed eius mors ſomnus dici poteſt, quoniam facilè, Deo iuuante, excitatur. Sic Petrus cum Chriſtum negauit, dormiuit, Chriſti verò aſpectu protinus eſt excitatus: & egreſſus foras tum ex domo Pontificis, tum maximè ex peccato, fleuit amarè.* 27. *Petrus mox pœnitens dormiens, non mortuus appellandus.* Matt. 26.

Tres mortuos cum Auguſtino ſerm. 44. de verb. Dom. in vitam à Domino reuocatos contemplemur, *Tres mortuos*, inquit, *inuenimus à Chriſto reſuſcitatos viſibiliter.* Puellam ſcilicet hanc, viduæ filium, & Lazarum. *Tria genera mortuorum ſunt tria genera peccatorum, quos hodie quoque ſuſcitat Chriſtus.* Trium igitur mortuorum ſola puellæ mors ſomnus appellatur cum recèns mortua eſt. Scio à Chriſto Lazari mortē vocatam ſomnum, *Lazarus amicus noſter dormit.* Ioan. 11. ſed tunc quidem cum poterat dici, *Modò defunctus eſt.* Qui iam feretro addicti extra domum, Ciuitatiſque portam educuntur, aut ſepulchro verſantur, mortui verè appellandi ſunt, quia difficilè planè ad vitam reuocantur. Porro puellam non abſolutè mortuam, ſed quaſi mortuam aut dormientem vocitarino, facilè ſuſcitandam. Gregorius lib. 4. Mor. cap. 25. *Redemptor* 28. *Qui mox pœnitet quaſi mortuus vocatur, non mortuus abſolutè.* Auguſt.

noſter puellam in domo, iuuenem extrà portam, Lazarum in ſepulchro ſuſcitauit. Adhuc quippe quaſi mortuus iacet in domo qui latet in peccato. Iam quaſi extra portam educitur, cuius iniquitas vſque ad inuerecundiam publicæ perpetrationis aperitur: ſepulturæ verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam vſu conſuetudinis preſſus grauatur. Ex qua quidem ſententia illud ſolummodo expendo: *Quaſi mortuus iacet in domo.* Etenim qui *modo* defunctus eſt, qui nec extra portam educitur ob nequitiam euulgatam ſcandaloſè, nec ſepulchro prauæ conſuetudinis addicitur, non abſolutè mortuus, ſed *quaſi mortuus*, dormiens vtique vocitandus, ob reſurrectionis facilitatem.

29\. *Achan ſerò acurrens ad Ieſum ſuſcitatorem, ſanatus non eſt.* Ioſ. 7.

29\. Moritur Achan de anathemate vſurpans. *Achan tulit aliquid de anathemate, iratuſque eſt Dominus contra Filios Iſrael.* Accurrit ille ad ſuſcitatorem poſt diem, aut poſt dies. *Surgens itaque Ioſue manè, &c.* Rogat Achan myſticè ſuſcitari: *Verè ego peccaui Domino Deo Iſrael, & ſic feci.* Attamen quaſi cadauer deſperatum lapidum aggere reconditur. *Congregaueruntque ſuper eum aceruum magnum lapidum.* Ioſ. 7. Cur qui ad Ieſum mortuorum ſuſcitatorem accurrit, haud vita donatur. Certè quia non potuit inclamitare. *Modò filia mea* ſeu anima mea *defuncta eſt.* Poſt dies accurrit cum Lazaro, & filio viduæ comparandus verè mortuus, non quaſi vita functus. Rupertus, *Non mereri vllam veniam debuit; quia confeſſio nimis tarda fuit. Ante enim turbatus eſt Iſrael, quam ille reatum agnoſceret: & antè ſors veridica, Deo autore prodidit perſonam, quam ille culpam.* Illico ergo ad ſuſcitatorem, mortua anima, accurre, vt poſſis profari. *Modò* defuncta eſt anima.

Rupert.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum.

Mox poſt fidem Archiſynagogi expreſſam, Chriſtus miraculum patraturus, ad eius domum properat.

Fides enim feruens præproperam conſequitur votorum executionem.

30\. *Confidentia, ſeu præſumptio noſtra fidelis de Dei munificentia commendatur.*

30\. Petiit ille filiam à morte reuocari. Difficilis planè actio ei, qui pauciſſimos ſcilicet tres ſolos mortuos voluit ſuſcitare. Attamen facilem adeo fides parentis reddidit actionem, vt auditis Dominus precibus, illicò ad domum eius excitaturus puellam properarit: quodque opus difficillimum erat naturæ, facillimum eſſe ſibi futurum expreſſit, dum aſſerit filiam Principis non tam à morte euocandam, quam dulci excitandam à ſomno. *Non eſt mortua puella, ſed dormit.*

Apud Lucam, quidam Principi ſynagogæ noſtræ dixit: *Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum. Ieſus autem, audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & ſalua erit.* Cap. 8. Illa particula: *Crede* non tam ad fidem, ſeu credulitatem in Deum, quam ad firmam de munificentia illius opinionem referenda. Huiuſmodi equidem de Dei bonitate confidentia falli non poteſt. Chryſoſtomus ad Pſal. 94. *Nullus ex cultoribus Dei dubitet, quamuis beneficia difficilia ſperet, quamuis miracula ſuper ſe venientia poſtulet, deſeri a ſummo Deo non poteſt.* Magna poſtulo, Summus eſt Deus. 31.

Qui in Deum ſic confidit, difficilia quæque conſequitur. Luc. 8.

Chryſ.

Abrahæ Dominus, *Qui egredietur de vtero tuo, ipſum habebis heredem. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Gen. 15. *Reputatum eſt illi*, id eſt, promiſſionem iam conſecutus eſt. *Si habebit heredem*, de futuro, quonammodo de præterito *reputatum eſt illi*? Quia qui firmam in Deum exhibet opinionem, certámque de munere (difficillimo licet) præſumptionem, quaſi iam fruitur promiſſis; illicò enim præſentatur beneficia fidei, aut confidentiæ vi extracta. D. Baſilius Seleu. orat. 7. *Accepta promiſſione, habuit filium antè filij partum, & ſpes ipſa prius Iſaacum peperit, quam aluus. Locutus eſt Deus, & heres in vicinio eſt, ſpes ipſas res comitabatur.* 32.

Confidentia huiuſmodi ipſo muneri adhæreſcit. Gen. 15

Baſil. Seleu.

Paulus Hebræis, *Gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus.* Cap. 3. Quare gloriam cum ſpe coniunxit, ſi gloria ſpem excludit: nec enim iam ſperamus, quod poſſidemus? Locutus planè Apoſtolus de firma hominum in Deum confidentiâ. Ea equidem talis, vt gloria iam potiri videatur. Quia firmam in Deum confidentiam, & præſumptionem illicò munera conſequuntur. De huiuſmodi ſpe Chryſoſtomus, *Gloriam ſpei. Benedixit ſpei gloriam, quoniam omnia bona in vera ſpe ſunt conſtituta.* Non primùm ſpes nitet, & mox gloria; ſed pariter gloria & ſpes gradiuntur. *Oportet autem illam ſpem certam tenere, vt non ſecus gloriemur, quaſi iam confecta eſſent, quæ ſperamus.* Non confecta erunt proximè poſt certam ſpem: ſed iam ſimul cum ſpe exoriente confecta ſunt. 33.

Hac ſpes, ſeu confidentia, gloria eſt quodammodo fruitio. Hebr. 3.

Chryſ.

Clamauit ſponſa, *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen.* Cant. 5. Vbi ex Nyſſeno Eccleſiæ in Deum Saluatorem confidentia exprimitur. Videor iam (ac ſi diceret) mihi, Verbum in Virginis vtero commorari, dum manus immittitur munus id maximum promiſſura. Vulgariter exponam: *Diome la mano en prendas de eſte bien.* Credidi equidem, & mihi *reputatum eſt*; quia illud ipſum, me crediſſe, & confidentiæ affectum oſtentaſſe, idem fuit, ac cunctis, ex Verbi incarnatione, bonis repleri. *Solam tunc* (ait Nyſſenus) *manum aſpexit* (ſeu promiſſionem, cui credidit, audiuit) *per quam intelligitur etiam virtus eius operans.* Manus enim promiſſionis, ſi adſit confidentia fidelis, iam eſt executio. Quia *omnia bona* (ait Chryſoſtomus) *in vera ſpe ſunt conſtituta.* 34.

Confidentia, & munus ſimul incedunt. Cant. 5. Nyſſen.

Obser

Observatio V.

Ad illa verba:

Ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius.

Quàm laudabiliter retro accedit pudore perfuſa, quæ tot annis fluxu ſanguinis laborauit.

Edocet meretrices, omnéſque Veneris alumnos erubeſcere.

35. *Pœnitentia verecunda commendatur.*

AMbrosius aſſerens Iezabel idem eſſe ac ſanguinis fluxum, contemplatur luxuriem appoſitè in fluxu ſanguinis deſignari. Quæ igitur duodecim annos tam turpi morbo laborauit, ad Ieſum retrò veniæ donanda medicamine accedit, erubeſcens vtique tot voluptatibus fœdatam Seruatoris oculis præſentari. Sanitate donatur, quæ ad verecundiæ aufugit interceſſionem. Chryſologus ſer. 33. *Inter hæc bella cogitationum ſolam ſalutis viam mulier curam vt furaretur inuenit; vt raperet tacita, quæ petere non valebat; & pro ſuâ verecundia præſtatur ei.* (Chryſol.)

36. *Ex inuerecundâ libidine cuncta Orbis mala.*

Non te pudet, poſtquam tot annis voluptatibus fœdis indulſiſti, poſt tot infandas ægritudines, extento collo gradi, & pudore minimè perfundi? Vndenam exiſtimas, noſtri florentiſſimi Orbis gloriam eſſe obnubilatam? Quia libera meretriculis gradiendi licentia ſine velamine pudoris. Cecinit Propertius lib. 3. eleg. 12. ſeu potiùs deplorauit commune nationibus exitium. (Propert.)

Certa quidem tantis cauſa eſt manifeſta ruinis
Luxuria nimium libera facta via eſt.

O tempora! ô mores! cùm homines ſe iactant Veneris aſſeclás, cum fœminas non pudet ſuam inceſſu, ac luxu libidinem oſtentare. O brutis deteriores! Seneca in Hipo. (Senec.)

Fera quoque ipſa veneris euitant nephas,
Generiſque leges inſcius ſeruat pudor.

37. *Magdalena, & fœmina fluxu ſanguinis laborans, mare ſunt non vultum Domini pudorem imitantur.*

Magdalena poſt infamiam voluptatum, poſt ſanguinum fluxus properauit ad Medicum. *Et ſtans retrò lacrymis cæpit rigare pedes eius.* Luc. 7. Quòd ſi quæritis, Quid eſt tibi mare (ſiue Maria) *quod fugiſti? & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?* Quare veniâ donanda Domini à tergo pedes tenuiſti? reſpondebit, *A facie Domini*, Quæ diù indulſi voluptatibus, quomodo non pudore perfundar? Haud aliter mulier illa ſanguinis fluxu myſticè fœdata non audet oculis Domini præſentari, ſed *retrò* accedit, & inſtar maris conuerſa eſt *retrorſum*. Appoſitè Chryſologus ſer. 34. *Sic mulier, magni maris inſtar, confuſis æſtibus iactabatur: quærebat, quomodo faceret occultum de publico: agebat, vt ſibi rediret ſanitas, & verecundia non periret.* Occultum de publico efficit qui poſt diù euulgatam libidinem, curat ad verecundiæ ditionem remeare. (Luc. 7. Chryſol.)

Erubeſcant qui maris æſtus imitantes, eiuſdem pudorem referre non curant. Iſaiam audite, *Erubeſce Sidon, ait mare.* cap. 23. Cur Sidon edocetur à pelago? Cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, *abſtulit illud Dominus, & vertit in ſiccum.* Exo. 14. De quo Dauid, *Mare vidit, & fugit.* Cyrillus Ieroſ. Cath. 3. *Mare tempore Moyſis videns virgam, erubuit eam, quâ percuſſus eſt.* Appoſitè igitur impudici peccatores verecundo edocentur à pelago: Erubeſce Sidon voluptatibus confecta, plagam, quâ es percuſſa. Non te pudet tot ægritudinibus diuexari, & tuam adhuc iactitare libidinem? Saltem eam, quâ percuſſus es, virgam erubeſce. 38.

Ideo impudici à mari reprehenduntur. Iſa. 23. Exod. 14. Cyrillus.

Sponſæ Ieroſolymæ Dominus expendit ruinam. *Polluiſti terram in fornicationibus tuis, & in malitiis tuis. Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Iere. 3. Non ſolùm reprehenditur, quòd voluptatibus indulſerit, ſed quòd minimè voluiſſet tot merſa fœditatibus erubeſcere. An immedicabilis meretrix? *Voca me* (inquit Dominus) *pater tuus. Dux virginitatis meæ tu es.* Ibid. Cur tam infamis meretrix ad virginum ducem confugiat? Pulchrè Strabus. *Deſpondit Deus animam amplexibus ſuis, & docet, quomodo debeat agere pœnitentiam.* Quo modo igitur pœnitentiam aget? Vidiſti virgines Agnum ſine maculâ ſequentes, quocumque ierit? Agnus præcedit, illæ ſequuntur à tergo vtique incedentes. Accede *retro* pudore ſuffuſa, fimbriam continge Saluatoris, de præteritis voluptatibus erubeſce, & ſponſi cœleſtis pudiciſſimum recipieris in thalamum. 39.

Ruina peccatoris ex impudentia, ex verecundia reparanda. Ierem. 3. Strab.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius; dicebat enim intra ſe, &c.

Timens fœmina Numen propitium, pacatum, munificum meruit adire.

Erubeſcentis peccatoris, dum pœnitentiæ dat operam, commendo humilitatem.

MArcus fatur, *Mulier verò timens, venit, & procidit ante eum. At Ieſus conuerſus & videns eam dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit.* Vidiſſe Ieſum Matthæus aſſerit, quam timentem, & trementem Marcus deſcribit; Timenti etenim, facillimè cœleſtia munera præparantur. Chryſologus ſer. 34. *Vidit eam* (quæ timet, & tremit) *diuinis oculis; vidit, vt ſaluti redderet, non vt agnoſceret, quam ſciebat. Vidit eam, donatur bonis, malis caret, quem viderit Deus. Hoc vniuerſitas ſentit de fœlicibus ſic ex vſu dicendo: Vidit illum Deus. Vidit ergo iſtam Deus, quam curando reddidit ſic felicem.* Cuncta hæc bona ex timore pio fœminæ exorta reor. 40.

Mar. 9. Mat. 7. Mat. 9. Chryſol.

41. *Adamus ob timorem tot bonis donatur.* Geneſ. 3. Rupert.

Adamus poſt iniquitatem vocem Domini audiuit, & timore correptus eſt. Porrò qui fatur, *vocem tuam audiui in paradiſo, & timui.* Gen. 3. mox Domini fruitur aſpectu humanitatis veſtimento ornati, (vt aſſerit Rupertus) cunctiſque bonis donatur dum Seruator oriturus ex Virgine aſſeritur. Vndenam tot bona putas exorta? Crediderim ex timore ac tremore pœnitentis. Gregorius lib. 4. Mor. cap. 28. *Qui per timorem ſemetipſum abſconſurus fugerat, requiſitus innotuit.* Vt ſcilicet ouicula erronea humeris Paſtoris deportaretur.

Greg.

42. *Timens dum accedit à tergo, neceſſariò in faciem Dei abripitur, vt reſpiciens eum muneribus repleat.* Matt. 15. Chryſoſt.

Non poteſt non timens facie Domini donari, vt ſimul omnibus bonis cumuletur. Chananæa poſt tergum Domini clamabat, quia accedere ob tremorem tantæ Maieſtatis à facie non audebat. Sed eo ipſo quòd ex timore ad tergum, alteram illam fœminam imitata accurrit, in conſpectu Domini collocatur à facie, quia qui timens tergum eligit, ad faciem illico adducitur, vt aſpectatus à Domino cunctis bonis repleatur. Diſcipuli aiebant de Chananæa, *Dimitte illam, quia clamat poſt nos.* Matth. 15. legit Chryſoſtomus apud Damaſc. lib. 2. Parallel. cap. 15. *Dimitte illam quia clamat ante nos.* Si poſt tergum Domini ac Diſcipulorum Chananæa clamabat, quonammodo ante faciem Domini ac Diſcipulorum inclamitare aſſeritur? Profectò, quia quæ ex timore accedebat à tergo, neceſſariò in conſpectu Domini erat collocanda, vt aſpectata ab ipſo bonis cæleſtibus expleretur. *Vtrumque* (ait Chryſoſtomus) *faciebat. Antè à tergo clamabat, à fronte venit clamans. Grauis tempeſtas timor.* At timoris tempeſtate vndis tumentibus à tergo illico in faciem abripitur.

43. *Dum tremêtes fugio Dei faciem, ab ipſo reſpicior, & bonis expleor.* Iob. 23.

Dum igitur à Dei facie conturbamur, & fugimus ad tergum, à Deo reſpicimur, vt luce ſupernâ potiamur. Iobum audite, *à facie eius turbatus ſum, & conſiderans eum, timore ſollicitor. Deus molliuit cor meum. Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.* cap. 24. Author Cat. Græcæ. *Me Deus ſuo vultu, ſuo terret aſpectu. Cum autem ipſum tantummodo cogitaro, metu concutior.* Si timoris preſſurâ cor emollitur & à tenebris liberatur, ingens timoris eſt fructus. Certè ſi Deum tremês, & timens video, neceſſariò ab eo benigniſſimo, & munificentiſſimo ſum aſpiciendus. Aſſerit Richardus Victor. lib. 1. de præp. ad contemp. cap. 8. ſimul gradi, *Videre Deum per intuitum formidinis, & videri à Deo per reſpectum pietatis.*

Richard. Victor.

44. *Ipſum timere eſt bonis affluere; quia timentes Deus aſpiciens bonis replet.* Iſa. 60. LXX.

O timor ex reuerentiâ exortus, nunquam non cæleſtibus bonis ſtiparis; quia id ipſum timere, eſt repleri cæleſti abundantia. Populo electorum Iſaias, *Tunc videbis, & afflues.* cap. 60. LXX. *Tunc videbis, & timebis, & ſtupebis corde.* D. Hieronymus non multùm huiuſmodi commendat tranſlationem; quia pro affluentiâ timorem & ſtuporem poſuere. Sed tanti viri veniâ mihi arridet; illud enim ipſum timere, & ſtupere corde nihil aliud eſt, quam bonis affluere. Deus namque timentes reſpiciens, eos efficit ſupernis diuitiis redundare.

Observatio VII.

Ad illa verba:

Et ſalua facta eſt mulier ex illâ horâ.

Poſtquam Emorrhoiſſa ſanguineo liberata fuerat à profluuio, de nouo aſſeritur ab ipſo ſanata.

Quia unimus à ſordibus quantumuis dilutus poſt tergum Domini, quaſi omnino ſordidus, de nouóque diluendus deprehenditur, ſi à tergo Dei eleuetur ad faciem.

45. *Quæ à tergo Dei emundata omnino deprehenderat, coram eius dum facie videt ſe omninò immundam, ex immenſa Numinis puritate.*

ASSERIT Marcus fœminam poſt tergum Domini fimbriam indumentorum attingentem, illicò recepiſſe ſanitatem ſiſtente ſanguinis profluuio. *Ideo mulier timens, & ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.* Id eſt, aperuit ſe contactu fimbriæ furtiuò eſſe ſanatam. Quomodo ergo affirmat Matthæus noſter, tunc cùm fœmina à tergo reuocatur ad vultum fuiſſe à profluuio ſanguinis liberatam? *At Ieſus conuerſus, & videns eam dixit, &c. Et ſalua facta eſt mulier ex illâ horâ.* Scio me reſpondiſſe particulam illam: *Ex illâ horâ*, ad tempus prælapſum, quo tetigerat fimbriam & ſanata fuit, referendam; quod ex Strabo confirmo. *Intelligendum eſt, ex illâ horâ, ex quâ tetigit fimbriam; non ex illâ horâ, ex quâ Ieſus conuerſus eſt ad eam; iam enim ſalua facta erat, vt alij Euangeliſtæ manifeſtè oſtendunt.* At morem nunc gerens aliorum fateri lubeat ex illâ horâ, quâ conuerſus Dominus illam aſpexit, fuiſſe ſanatam. Quonammodo ergo fuit de nouo mundata, ſi iam retrò contingens fimbriam diluta fuerat. Profectò quantumuis homo diluatur, ſi ad conſpectum Dei accedit, ſe comperit immundum de nouo diluendum; vt vero in ſenſu potuiſſet Dauid ſententiam illam: *Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur*, ſic mutare: *Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ confundentur.* Humana enim puritas coram Dei oculis tenebricoſa apparet.

Strab.

46. *Dauid, qui à tergo dignouit ex Nathamſe veniâ donatum, coram oculis Dei videt ſe neceſſariò de nouo diluendum.* Pſal. 50.

A Domino Dauid efflagitabat, *Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Pſ. 50. An non nouerat Rex peccata ſua veniâ fuiſſe donata? Ita planè affirmante Propheta, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Quomodo igitur verè poteſt affirmare dilutione indigere, contra ſeque omnes peccati ſordes obuerſari? Addit, *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Ibid. Se affirmat in conſpectu Domini commorari,

Pſal. 50.

rari, & ex Dei oculis ita illuminatur ad dignoſcendam propriam impuritatem, vt neceſſariam im putet nouam ſordium ablutionem. Pulchrè.
Theod. Theodoretus apud Strabum. *Per Natham*, ait Dauid, *veniam mihi dediſti; ſed quia peccati ſordes die ac nocte ab oculis mihi verſantur, eas vniuerſas quaſo abradas.* Particulam illam: *Ab oculis* expende. *Id eſt, ab oculis tuis*; dum enim à te aſpicior, dum à tergo eleuor ad faciem, coram tanta purita te cognoſco, me adhuc inquinatum omnino: vnde non peto iam ampliùs lauari, vt maculæ reliquiæ ablegentur, ſed, quæſo, vniuerſas ſordes abradas.

47. *Iſaias à tergo, Domini, labiis mundis præſcripta digne profudit: proximior autem Deo effectus ſe immundum reputauit, & minimè locutum.*

Labiis mundis Iſaias verba à Deo præſcripta Iſraelitico populo profuderat iuſtè quidem, & ſanctè: *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Deus locutus, &c.* cap. 1. Porrò *in anno quo mortuus eſt Rex Ozias* (inquit) *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum: Et dixi, Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum.* Nec à querulo ſermone recedetem, niſi Seraphim calculo os contingeret, ac labia mundaret. cap. 6. Si labia Prophetæ munda, cum iuxta Dei placitum peccatoribus cæleſtia præſcripta profuderunt, ſi rectè locutus fuerat, quonammodo ſe aſſerit minimè locutum, præceptúmque Domini nullatenus impleuiſſe? Crediderim, quia abſtractus à Dei vultu (quaſi à tergo degens) ſe putabat dignè locutum: & vera præſumptio. At poſtquam Deum vidit, & diuinam perpendit puritatem, ſe omninò comperit immundum, & quaſi non locutum populo
Nazian. aſpexit. Nazianzenus in Apolog. *Iſaias priùs quam videret gloriam Dei, ad populum clamat Iſraeliticum, ſibi autem ipſi parcit, & indulget tanquam minime reus. Poſtquam autem viſionem vidit, vocémque audiuit ſanctam, tanquam ſibi magis conſcius, væ mihi miſero, inquit, quia tacui.* Ampliùs laua, quia me omnino impurum deprehendo. Quàm malè locutus fui, ſi cum ſancta voce, quam audio, velim meum conferre ſermonem?

48. *Abſente Sponſo dilecta perfectè nudata erat: ſed præſente ipſo puriſſimo induta omnino deprehenditur, quaſi exuta non fuiſſet.*

Pulſanti dilecto profatur Sponſa, *Expoliaui me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?* At Sponſus manum immiſit ſiue ſua dilectæ opera præſentauit: vnde ipſa, *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen.* Nyſſenus orat. 11. in Cant. *Solam manum aſpexit, per quam intelligitur virtus eius operans.* Exurgens è thalamo, & toto dilecto quærendo ſtudium impendit clamans, *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt Ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum.* Cant. 5. Si pallio iam erat expoliata, *expoliaui me tunicâ*, quonammodo rurſum expoliata eſt: ſi ſe adeo nudauerat, vt & interiorem abiiceret tunicam, quonammodo primo indumento pallio ſcilicet induta apparet? Reſpondeo dilectam ſe exuiſſe cunctis priſtinæ mortalitatis indumentis à tergo Sponſi: cum illum minimè aſpectaret, tunc verè poterat inclamare; ſe omninò exutam, nudatam ad Ieſu imitationem, imo & leues pedum maculas abſterſiſſe. At poſtquam vel *ſolam manum aſpexit* Domini; *per quam intelligitur virtus eius operans* (vti aiebat Nyſſenus) ſe reputat omninò indutam veteri indumento: & quæ non audet oſtium aperire, ne pedes diluti fœdarentur, iam quaſi non ſolùm tunica ornata, ſed & pallio amicta, prodit in publicum rurſum denudanda perſecutionum vi. Qui enim operum Chriſti contemplatur puritatem, propriorum geſtorum immunditiam intuetur etiam poſt pedum ablutionem. Præclarè Nyſſenus idem hom. 12. *Quomodo ergo nudata veſtimentis omnibus, pallium adhuc habet, quem & nunc cuſtodes Ciuitatis adimunt? Ea, quæ iam antea tunicam veterem exuerat, & ab omni pallio immunis erat, vſque adeo ſe ipſa fit purior, vt ad priora comparata hac recenti puritate, non exuiſſe ante hàc pallium videatur: ſed rurſum inueniſſe poſt nudationem illam quid deponat: Sic aſcenſus ad ſublimitatem illam diuinam, ſemper aliquid oſtendit rei craſſa præter id, quod quouis alio tempore deprehenditur.*

Cant. 5. Nyſſen.

49. *Qui à tergo putat ſe Deo poſſe loqui, proximior factus videt minimè fabilem eſſe tantam perfectionem.*

Interrogatus olim Simonides. Quid nam eſſet Deus? deliberandi vnum ſibi diem poſtulanit. Cùm idem poſtridie ex eo quæreretur, biduum petiit; ac cùm ita ſæpiùs duplicaſſet numerum admiratúſque rogans Hiero tyrannus efflagitaret, cur ita faceret? *Quia inquit, quantò proximius conſidero, tantò mihi res videtur obſcurior.* Sic ex Tullio lib. de Nat. Deo. Bruſonius lib. 2. cap. 26. Putat quidem qui à tergo Deum conſiderat, ſe labia munda habere, vt de diuinitate loquatur. At proximius conſideranti Dei puritatem res videtur obſcurior, quia labia immundiſſima comperiuntur. Nec mirum, Iſaiam, qui à tergo, Dei reuelauerat præſcripta, proximiorem effectus ſe minimè locutum eſſe aſſeruerit.

Tull. Bruſ.

SECTIO NONA.

Puella reſurgens.

TEXTVS.

VERS. 23. ET cùm veniſſet Ieſus in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, 24. Dicebat, Recedite; non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. 25. Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit, Puella, ſurge. Et ſurrexit puella. 26. Et exiit fama hæc in vniuerſam terram

COMMEN

COMMENTARIVS
Literalis.

§. I.

De Tibicinibus.

1. *Vſus tibicinum ad defunctos deflendum, apud Iudæos, & Ethnicos.* Ioſeph.

E*T cùm veniſſet in domum Principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem.* Ad luctum tibicines ſolebant adhiberi; autore Ioſepho lib. 3. de Bello, cap. 15. *Per ſingulas domos, itemque cognationes amiſſorum quiſque lugebatur à ſuis, luctus vero ducis publicus erat. Et hi quidem hoſpites, alij propinquos, amicos alij, nonnulli etiam fratres flebant, Ioſephum autem vniuerſi. Adeo vt per dies viginti, nunquam lamenta in ciuitate Ieruſalem ceſſarent, magnâque mercede conducerentur tibicines nænarum.* Næniæ quidem cantus lugubres appellantur. Apud ethnicos quoque tibicines funeribus adhibitos docet Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 7. *Lecto conſtrato purpurâ, aut linteis ſplendentibus, & in eo defuncti corpore collocato, poſt vltimam conclamationem tibicine præcedente, qui næniam funebrem, quâ laudes defuncti, & facta recenſebant, tum pudorem, integritatem, & fidem, non ſaltabundus, vt olim, ſed ſtans Phrygio modulo caneret, funus procedebat. Senatoribus verò, & Patritijs, atque ſummis Ducibus tubâ: minoribus, & plebeijs exequiali tibiâ canebant ſiticines.* Siticines autem appellari (Gellius ait lib. 2. cap. 2. Noct. Attic.) qui apud ſitos canere ſoliti eſſent, hoc eſt, vita functos, & ſepultos.

Alexand. — Gelli.

2. *De mulieribus præficis.* Præterea ethnici præficas fœminas, quæ luctui præeſſent, aduocare, & pretio conducere ſolebant, quæque carmine funebri lamentarentur, quæque geſta defuncti non ſine miſeratione laudarent. Legendus Alexander loco citato.

3. *Reijcitur ſententia Theophylacti.* Putat Theophylactus puellam Archiſynagogi filiam ideo tibijs fuiſſe deploratam, quia nondum nuptui tradita. *Quoniam non dum* (inquit) *nupta erat Archiſynagogi filia, deflebant eam nuptialibus tibijs, ſecundùm legem hoc facientes.* Porrò non ſolùm innuptas puellas, ſed reliquos etiam tibijs deflere ex more fuiſſe Iudæorum è Ioſepho tradidi.

Ioſeph.

§. II.

De Puellâ ad vitam, attactu Domini reuocatâ.

4. *Ordo miraculi.* R*Ecedite, non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Peruenit ergo Chriſtus domum Principis Synagogæ, tibicines ſubmouit, & turbam luctu tumultuantem, paucíſque miraculi teſtibus introductis, mortuam duodecim annorum puellam in vitam reuocauit. Mortua namque puella erat, licet Chriſtus non mortuam, ſed dormientem aſſeruerit: tam facilè enim poterat à morte eripere, quàm excitare à ſomno. Theophylactus, & Euthymius. *Non eſt mihi mortua puella, ſed dormit; tam facile, enim mihi eſt, mortem, quam ſomnum pellere.* Et D. Hieronymus, *Non eſt mortua puella, quia Deo viuunt omnia.* Sic autem expono, Vobis perſuadere, puellam non eſſe mortuam, ſed dormire: hoc mortem non eſſe, ſed ſomnum: perinde enim ac ſi dormiret, mox excitabitur. Sic Apoſtolis, *Lazarus amicus noſter dormit, vado vt à ſomno excitem illum.* Ioa. 11. Vbi Caietanus, *Explicat, tam facile ſibi eſſe ſuſcitare Lazarum à morte, quam facile eſt, hominem dormientem excitare à ſomno, propterea enim mortuum dixit dormire.* Et quia perinde ac ſi dormiret, mox voce Domini excitandus erat. Plura myſticè Patres.

Theoph. — Hieron. — Ioan. 11. — Caiet.

5. *Hebræa verba à Marco expreſſa.* *Et deridebant eum. Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit, Puella ſurge. Et ſurrexit puella.* Marcus verba Hebræa, narrationi inſeruit, quibus Chriſtus puellam in vitam reuocauit; quemadmodum qui dormientem à ſomno excitare vult, illum tangit & clamore edito vocat. Chriſtus tangit, & clamat טליתא קומי *Talitha cumi.* Marcus idem interpretatur, Puella, tibi dico ſurge. Iuſſit præterea Dominus puellæ cibum apponi, vt veræ reſurrectionis ſignum exhiberet. Chryſoſtomus hom. 23. *Cibum dari iuſſit, ne phantaſma ſuſcitatio videretur.*

Chryſ.

6. *Fama miraculi peruulgata ea Ieſu humili cura, ne peruulgaret.* *Et exijt fama hæc in vniuerſam terram.* Cur Dominus parentibus puellæ (vt adnotat Marcus) *vehementer præcepit, vt nemo id ſciret,* ſi miraculum erat omnibus reuelandum? Certè Chriſtus id admonet (non præcipit) humilitatis ſtudioſus: illi autem affectu gratitudinis proferebant. *Seruis ſuis Chriſtus exemplum dedit, vt ipſi virtutes ſuas occultare deſiderent,* (ait Gregorius lib. 19. Mor. cap. 14.) *& tamen, vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti.* Caietanus, *Non præcepti, ſed humilitatis ſunt verba.*

Gregor. — Caiet.

IN

IN IESVM DEFVNCTORVM SVSCITATOREM.

PANEGYRICVS MORALIS NONVS CIRCA LITERAM.

EX PVELLA RESVRGENTE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit, & tenuit manum eius.

Qui curabat ſecretum miraculi claudi ſigillo, tres Diſcipulos tamen, ac patrem, & matrem puellæ ad clauſtrum admiſit.

Pudicitiæ enim virginis conſulebat, quam non decebat cum viro aliàs ſanctiſſimo ſolam in cubiculo commorari; mordaci dum vulgo Christi deitas reuelata non erat.

7. *Magiſtri Virginitatis, aut alterius virtutis, cauendo in ipſa excellere.*

QVARE turbam Dominus ablegauit antè miraculi patrationem? Ne peruulgaretur. Si autem oportebat non peruulgari, quare tres Diſcipulos, & puellæ parentes ad clauſtrum admiſit, quorum poſt & narratione fama miraculi per Orbem auolauit. Si ſtudes ſecreto, remoue arcani teſtes; vt enim cecinit Periander.

Perian.

Vel vnus arbiter violat arcanum. Equidem ſatius duxit Dominus ſecretum euulgari, quàm in ſecreto cubiculo ſine arbitris cum puella, licèt defuncta, commorari. Ea etenim commendabilis omninò puritas, quæ nec leui vulgi rumore læditur. Sic Virgo Virginum Sponſus Eccleſiæ, flos immarceſcibilis apparet, conſulitque puellæ illius puritati. Tam purus exponatur alumnis, qui præcepta, ſeu conſilia præſcripturus eſt virginitatis.

8. *Magiſtra puritatis adeo ſit pauens, vt alius minimè vel cum diua virgine commoretur.* Macrob.

Bona Dea (quæ apud Romanos Calendis Maijs colitur) filia Fauni adeo pudica deſcribitur à Macrobio lib. 1. cap. 12. *vt extra gynaceium nunquam ſit egreſſa, nec nomen eius in publico fuerit auditum, nec virum vnquam viderit, vel à viro viſa ſit: propter quod nec vir in Templum eius ſolus ingreditur.* Dextne pudoris fama periclitaretur, ſi vel templum virginis vir ſine arbitris auderet inire? Hæc lex eorum, qui puritatis aut alterius virtutis gerunt magiſterium, non ſolum eadem ornari virtute, ſed & nimiâ (ſi fas ſit dicere) puritate niteſe. Et quidem fama virginis deturpatur, cùm vulgaribus iudicijs traditur diſcutienda: Sola cum ſolo commorata eſt. Illâ puritatis candore ſine controuerſia nitens: illa lilium ipſius ſymbolum gerit puritatis. Porro nec ipſa Bona Dea à viro ſolo in Templo conuenitur.

Ea (mihi credite) egregia puritas, quæ iniquis ſuſpitionibus nunquam dedit ſpeciem. D. Hieronymus lib. 1. in Iouin. *Claudia virgo Veſtalis cùm in ſuſpitionem veniſſet ſtupri, & ſimulacrum matris Ideæ in vado Tiberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam ſuam, fertur cingulo duxiſſe nauem, quam multa millia hominum trahere nequiuerant. Melius tamen (inquit Lucani Poetæ patruus) cum illa eſſet actum, ſi hoc quod euenit, ornamentum potius fuiſſet exploratæ pudicitiæ, quam dubiæ patrocinium.* Tunc præclarum vir, ſeu fœmina caſta habet ſuæ pudicitiæ ornamentum, cùm adeo claret, vt ne ſuſpitione alterius valeat fœdari. Legi, excitatam de ſtupro ſuſpitionem, aduersùs Claudiam, ex adoleſcente ſingulariter è cubiculi foribus exiliente. 9. *Illa egregia puritas quæ ſuſpitionis non exhibet ſpecimen, dum ſolus cum ſola commoratur.* Hiero.

Ad Virginis Dei Matris Diua Bona melioris pudicitiam contemplandam eleuemur. *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta Sole, & luna ſub pedibus eius.* Apoc. 12. En Virginis prægnantis apud Nazareth typum, ſi Doctoribus credendum. Cur in Solis ac lunæ conſpectu deſcribitur? Dum Deipara in vtero de Spiritu ſancto haberet, ei datus ſponſus Ioſeph vir quidem puritate ineffabili ornatus, qui ſolus cum ſola Angelus in conſpectu Angelorum Reginæ moraretur. Ne igitur pudicitia notulâ inuri poſſit, dum ſola Virgo cum ſolo viro degit, teſtes cœlitus adhibentur. David cecinit, *Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis.* Pſal 88. Vbi grauis Interpres non ſolum Lunam, ſed & Solem fidelem teſtem aſſerit appellari. Ne igitur Maria puritatis Magiſtra cum ſolo viro, licet ſponſo, commoretur, teſtes adhibeantur cœleſtia luminaria, quæ quidem efficiant puritatem Virginis apparere Deiparæ, in vteroque de Spiritu ſancto Regem virginum confouere. Tertullianus lib. de cultu fœm. *Hoc eſt, quod luminaria Mundi faciunt, pudicitia Chriſtiana ſatis non eſſe, verum & videri.* Tunc autem cæleſtia luminaria noſtræ pudicitiæ adhibentur in teſtes, cùm in conſpectu Solis huius viri cum fœminis (ſi ſit opus) loquuntur, haud ad latibula diuertunt delictorum opportunitatem, aut ſaltem ſuſpitionum illectamenta.

10. *Vt Ioſeph vir ſanctiſſimus cum diua Maria commoraretur ſoli teſtes è cælo fideles adhibentur.* Apoc. 12. Pſal. 88. Tertul. *Teſtes adijciuntur puritati luminaria, cum in conſpectu ſolis huius verſamur.*

Aiebat Apoſtolus, *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Epheſ. 4. O viri pudici, ô fœminæ caſtæ, omnibus modeſtiam veſtram notam 11. *Modeſtia ſit omnibus no-*

ta, ne ſuſpitiones generari valeant. Epheſ. 4. Tertull.

notam eſſe procurate: cùm viri cum fœminis, cauſa pietatis colloquuntur, omnibus puritas innoteſcat, teſtimonio aliorum adhibito. Tertullianus citat. *Ad quid niſi vt malitia* (aut ſuſpitio aliorum) *ad vos acceſſum omnino non habeat; vt malis exemplo, teſtimonio, ſitis.* Malitia igitur ad Christum, ad puellam acceſſum omnino non habuit in tot calumniatorum conſpectu, quia adhibitum Apoſtolorum, ac patrum virginis teſtimonium. Ediſcant Chriſtianæ perfectionis Magiſtri pudicitiæ tueri opinionem conſiliarij, ſcilicet puritatis.

Observatio II.

Ad illa verba:

Intrauit, & tenuit manum eius.

Non ſolùm tres Diſcipuli ad ſecretum reſurrecturæ puellæ admittuntur, & alibi non ſemel; ſed & puellæ parentes aduocantur, quaſi neceſſariò.

Nec enim poteſt viuere filia, quæ parentum præſentia non illigatur.

12. *Parentes neceſſariò adhærere debent filiæ?*

Neminit Transfigurationis myſterium adeò ad gloriam Filij Dei proferendam appoſitum, vt ſtudioſus humilitatis Ieſus ſolummodò aduocauerit neceſſarios teſtes Petrum, Iacobum, & Ioannem, nam *in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum*; quibus Dominus ſecretum indixit, *Nemini dixeritis viſionem, &c.* At Diſcipuli nemini vſque ad reſurrectionem reuelârunt, ideo non adijcit Matthæus, *Et exijt fama hæc in vniuerſam terram.* (Mat. 17.) Profectò hodie parentibus puellæ indixit, *Ne alicui dicerent, quod factum erat*: & exijt fama in vniuerſam terram. An tres Diſcipuli Petrus, Iacobus, & Ioannes peruulgârint? Minimè, namquia ſecreti obſeruatores compererat, eos ad Transfigurationis myſterium teſtes admiſit. Ergo parentes puellæ reſurgentis peruulgarunt arcanum. Iam requiro, ſi oportebat ſecretum obſeruari, quare Dominus ad miraculum non ſolos tres teſtes admiſit, parentibus, qui peruulgaturi erant, excluſis? Profectò vt puella viueret, neceſſariò (myſticè expono) erant parentes aduocandi. Nec enim in abſentiâ parentum verè filiæ vitâ fruuntur. Filiarum vita, fragilitate preſſa ineffabili, nimiâ parentum aſſiſtentia conſeruanda eſt. Plautus in Epi. (Plaut.)

Non nimis poteſt
Pudicitiam quiſque ſua ſeruare filia.

13. *Filiæ Lothi non poterant viuere niſi in conſpectu patris?* Gen. 19.

Angelus Lothum, familiamque eius ab incendio liberaturus, ait: *Tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes: ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis.* Gen. 19. Illud preme: *Filias, quas habes.* Id eſt, quæ tecum commorantur. Cur filiæ Angelorum ſimul manu non educuntur, ſed patri & matri committuntur ab excidio eripiendæ? Credo, quia filia in abſentiâ parentum vix poſſit à morte liberari. Vt viuant filiæ quas habes, & ideo viuunt, adfer tecum vxorem, vt in conſpectu parentum poſſint à morte liberari. Caietanus acutè. *Tanquam & iſtæ filiæ relictæ fuiſſent, niſi inuentæ fuiſſent cum Loth.* (Caiet.) Filia à parentibus abſtracta mox depereat quodammodo neceſſum eſt.

Et quænam filia in parentum abſentiâ aſſolet fidelitatis, aut pudicitiæ vita potiri? Chaldæus ſic locum paraphraſi illuſtrat. *Tolle vxorem tuam, & duas filias tuas, quæ inuentæ ſunt fideles tecum.* Fidelitatis illæ iura ſeruarunt, vitam pudoris conſeruare potuerunt? *Tecum* neceſſariò commoratæ ſunt. In abſentiâ enim parentum poteſt-ne filia viuere?

14. *An filia poteſt in abſentia parentum vitam fidelitatis, aut pudoris tueri?* Geneſ. 19. Chald.

Iephte profatus, *Quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.* Victori redeunti, occurrit prima filia, quam videns pater flebili voce ait: *Heu me, filia mea, decepiſti me, & decepta es.* Iudic. 11. (Iud. 11.) Vnde tam miſeræ adoleſcenti exitium? Porrò in abſentiâ patris iam morti addicta, cùm è cubiculo, licèt ad excipiendum parentem, ſine parente egreſſa quaſi ciuili morte affecta eſt, vnde poſſit virginitatem (myſticè) emortuam deflere.

15. *Filia Iephte in abſentia patris myſticè pudore moritur.*

Teſtor Dinam ſine parentibus egreſſam *vt videret.* An non mortua pudicitia miſerè deploratur. Ambroſius ad virg. *Nullus ſit tibi ſine matre progreſſus, quæ ſit anxia tui cuſtos pudoris.* Anxia quidem cuſtos, quia *non nimis poteſt* (Plautus aiebat) *pudicitiam quiſque ſua ſeruare filia.* (Ambroſ.) Dina *filia Liæ* ſine matre progreditur, ſine patre videt, & viſa deperire cogitur. Hieronymus Epiſt. ad Demetri. (Hiero.) *Eſto auia* (dic patri) *matrique ſubiecta; nullum niſi cum illis videas.* Excuſaris, egreſſa ſum ſine parentibus, vt viderem *mulieres regionis illius.* O puellæ dementia! ſine parentibus videre quemquam, omnino lethale pudicitiæ. Vt ergo poſſit puella viuere, pater, & mater eius ad ſecretum admittantur.

16. *Dina mortua, quia ſine parentibus auſa videre.*

Observatio III.

Ad illa verba:

Non eſt mortua puella, ſed dormit.

Aptè puella duodecim annorum dormire, non mortua eſſe à Domino aſſeritur.

Quia virginitas neſcit occaſum.

Adnotat Chryſologus ſer. 35. duodecimum annum puellam gerere, & Emorrhoiſſam duodecim annos ægram numerare: quem numerum ad verbi tempora myſticè aſſerit pertinere. Quid puellæ annis cum Verbi æternitate? Profectò virginitatis flos illis puellaribus annis expreſſius occiduos neſcit annos; virginitas enim immortalitate potitur.

17. *Xaueriùs Virgo vel mortuus viuit.* Chryſol.

Moyſes

Moyſes coniugatus, moritur: Elias virgo, prius immortalis, quam mortuus.

18. Moyſes Dei chariſſimus indefatigabilis vineæ Domini Sabbaoth operator ſanctus in deſerto, in aulà purus, in deſerto fidelis, obediens in morte, poſt tot egregia facinora, quæ vix poſſunt libris multiplicibus recenſeri; tandem *mortuus eſt.* At Elias fervidus quidem Dei miniſter, ſed non tot facinoribus illuſtris raptus eſt curru igneo, nec mortem guſtauit, in Paradiſo collocatus. Dignus plane ſanctiſſimus Elias, qui à mortis iaculis præſeruaretur vſque ad tempus nouiſſimum; ſed Moyſes ob innumeros exanthlatos labores an non dignior hoc munere apparebat? Certè à morte eripi non eſt maioris iuſtitiæ ius, ſed virginitatis priuilegium. Gener proinde Iethro moritur, qui Sephoram duxerat vxorem, virgo autem Elias à morte præſeruatur.

Hiero. D. Hieronymus lib. 2. in Iouin. *Si in Moyſi nuptias, in Elia virginitatem dixerint demonſtrari: breuiter audiant Moyſem mortuum, & ſepultum; Eliam igneo curru raptum antè immortalem eſſe cœpiſſe, quàm mortuum.* Apollodorus apud Zenodotum ait.

Virgo licet anus puella eſt, quia virginitas ad florentem currit ætatem immortalis.

19. Eripam anum quandam fuiſſe, quæ dicta ſit γραῦς ἱερὸς, quòd in virginitate conſenuiſſet; perinde quaſi eadem & anus eſſet per ætatem, & puella, quod virgo: ſic in prouerbium abiiſſe *Anus puella.* Quid mirum anum ipſam adhuc puellarem ætatem retinere, ſi virginitas neſcit occaſum? ſemper virginitas immortalis ad florentem recurrit ætatem; vnde anus ſemper puella erat vocitanda.

Ioſue etiam mortuus viuens deſcribitur; quia virginitas nec mortua mori poteſt. Ioſ. 24. Iud. 2.

20. Ampliùs à Domino aſſeritur virginitatis immortalitas, dum de mortuâ inquit virgine: *Non eſt mortua puella.* Quomodo non mortua, ſi mortua verè lugebatur? An quia virgo etiam mortuus non moritur? Ita planè. *Mortuus eſt Ioſue filius Num ſeruus Domini, ſepelieruntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ.* Ioſ. 24. Porro poſtmodum in Iudicum libro aſſeritur. *Dimiſit ergo Ioſue populum.* Iudic. 2. Si mortuus, & ſepultus iam fuerat deſcriptus, cur rurſum de eo quaſi viuente memoria peragitur? Profectò quia virgo etiam mortuus & ſepultus minimè moritur. Hieronymus lib. 1. adu. Iouin. *Cùm in ſepulturâ Ioſue Liber, qui ex nomine eius appellatur, expletus ſit, rurſum in Iudicum volumine, quaſi viuens deſcribitur.* Ac ſi virgo nec mortuus quidem potuerit mortis tyrannidem experiri.

Non ploratur mors Ioſue, qui viuens inter mortuos virgo. Ioſ. 24.

21. De ſepulturâ Ioſue Textus profatur, *ſepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Tamnathſare: ſeruiuitque Iſrael Domino.* Ioſ. 24. Mirum, quod tantus Princeps, ita populo ſalutaris nullo planctu ſepeliretur. Diebus ſeptuaginta Iacob defunctus deploratur; Aaron triginta; totidem Moſes; Samuel quoque planctu ſepultus. An illis filij, ac familiares plus, quàm Ioſue debitores? Minimè. Cur ergo mors communis munificentiſſimi patris, qui Solem fecit conſiſtere in populi ſalutem, non deploretur? Exiſtimo, quia vir præſtans virginitate etiam poſt mortem, & ſepulturam viuus obiicitur. Hieronymus citatus, *Moyſes moriens plangitur à populo Iſrael, Ieſus autem quaſi victurus poſt mortem non plangitur; nuptiæ enim finiuntur in morte, virginitas poſt mortem incipit coronari. Immortalis eſt enim, &c.* Hiero.

Ioannes etiam mortuus viuens manet; quia virginitate præfulgidus. Ioa. 21.

22. Cùm Dominus de Ioanne profaretur, *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Exit ſermo iſte inter fratres, quod diſcipulus ille non moritur.* Annotat autem Euangeliſta ipſe dilectus. *Et non dixit Ieſus, Non moritur, ſed ſic eum volo manere.* Ioan. 21. ſi non dixit, minimè moriturum, ſed moriturum planè innuit Saluator, quomodo ſic manere diſponebat viuentem? An ſimul mortuus & viuens poterat oſtentari? Ita equidem, nam virginitas etiam in morte viuit. Volo mori Ioannem, ſed ſimul volo Ioannem ſuperſtitem manere; quia virginitas mori non poteſt. Pulchrè Hieronymus, *Ex quo oſtenditur virginitatem non mori, & dormitionem eius tranſitum eſſe, non mortem.* Siste malis; ſomnum (vt de puella Dominus) vocitari: *Non eſt mortuus Ioannes, ſed dormit.* Hiero.

Virginitas balſami inſtar condit mortuos, ne corruptioni tradantur.

23. An naturæ corruptibilitas inuoluit repugnantiam, quia membra dat in corruptionem? Certè virginitas condire videtur membra mortalia vt inter mortuos virgo indemnis perſeueret. Balſamo apud Ethnicos (imo apud noſtrates non ſemel) cadauera condiebantur, balſami enim vis aduersùs corruptionem mortalitatis membra integra oſtentantur. Profectò virginitas inſtar balſami eſt homines à corruptione mortis ipſa mortua cadauera præſeruans: vt ſit cadauer inter mortuos liberum. D. Bernardus epiſt. 42. *Hæc enim (ſcilicet virginitas) eſt inſtar odoriferi balſami, quo condita cadauera incorrupta ſeruantur.* Id quod Diuo meo Franciſco Xauier apprimè quadrat, cuius cadauer in ſepulchro incorruptum teſtem adduco. Nec calce à viuente membra illa potuere deuorari; quia balſamo virginitatis mortuum cadauer contra mortem armatum exſurgit. Plura Volum. 5. de ſanctis.

D. Xauier incorruptibilitas.

LIBER VNDECIMVS.

AQVA IN VINVM.

Paraphraſis, Commentariíque literales ad Caput ſecundum Ioannis.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum naturæ Dominum.

PROLVSIO.

VIRGINVM Dominus pudicas inuitatur ad nuptias; merum iam pene abſumitur, vndam frigidam naturæ Conditor calidum mutauit in merum, primo miraculorum ſuorum Cana vicum Galilææ cohoneſtans. *Nolo, auditor,* (ait Ambroſ. ſer. 19.) *nomina tantùm perſpicias vini & aquæ: ſed ſi vis potentiam comprobare, virtutem rerum aſpice. Nam cùm Dominus aquam vertit in vinum, non tantùm hoc operatur, ne diſcumbentibus deſit ebrietas, ſed vt credentibus abundet æternitas.* Ideo Maria diu tacens tam ſedula properauit ad preces. *Maria* (Doctor addit ſerm. 16. ad Pſal. 118.) *rogabat pro nobis*, vtique in merum immortalitatis, authore Ruperto, commutandis, *Maria feſtinabat, dicens, Vinum non habent.* Et quæ ſciebat Filij affectum, dicit miniſtris, Quodcumque dixerit vobis facite. Bibite amici, inebriamini, nec enim deficiet cæleſtis lætitiæ merum, non deficiente Virginis patrocinio.

IOANNES Cap. II.

VERS. 1. NVPTIÆ factæ ſunt in Canâ Galilææ, & erat Mater Ieſu ibi.

2. Vocatus eſt autem, & Ieſus, & Diſcipuli eius ad nuptias.

3. Et deficiente vino, dicit

PARAPHRASIS.

1. *CVM Dominus diem tertium ab adita Galilæa ageret, nuptiæ in Cana eius Regionis oppido celebrantur. Ad has ob affinitatem vocata fuerat Mater Ieſu.*

2. *Atque hic occaſione & Ieſus ipſe vnà cum quatuor Diſcipulis, quos modò collegerat, eſt inuitatus. Traxit præſentia Mariæ Saluatorem.*

3. *Certè cùm conuiuium incaluiſſet, ac deficiente vino, pudore periclitaretur ſponſus,*

Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.

ſponſus, Quod parum liberaliter nuptias apparâſſet: Mater Ieſu Maria cupiens huic incommodo mederi (iam enim tantam mediatricem communia aſpectabant incommoda) Fili, inquit non ignara potentia eius, vinum non habent.

4. Et dicit ei Ieſus, Quid mihi,& tibi, mulier? nondum venit hora mea.

4. Ieſus autem iam Euangelij negotium aggreſſurus, cuius ſolum Patrem auctorem eſſe volebat, non patitur vllam humanam authoritatem admiſceri. Quid mihi tecum rei eſt mulier? Eſt tempus præſcriptum à Patre, quando & quibus modis agere debeam humanæ ſalutis negotium: id nondum aduenit. Hactenus tuæ voluntati me præbui morigerum; Quod nunc reſtat, ex arbitrio Patris gerendum eſt.

5. Dicit Mater eius Miniſtris, Quodcumque dixerit vobis facite.

5. Maria verò Mater Ieſus, immenſæ eius bonitatis minimè ignara, accitis clam miniſtris in aurem dicit: Quidquid vos facere iuſſerit, facite.

6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex, poſitæ ſecundùm purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas.

6. Sex inibi hydriæ lapideæ in eum vſum ſtabant, vt ſi quis iuxta Iudæorum conſuetudinem lotione ſe purgare vellet, aquæ haberet copiam præparatam. Porrò hydriæ ſingulæ binos, aut ternos cados capiebant.

7. Dicit eis Ieſus, Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum.

7. Ieſus ergo tempus iam inſtare ſentiens, quo ſuis innoteſceret, miniſtris mandat, vt hydrias aquâ implerent. Paruere famuli, & vt iuſſi fuerant, hydrias aquâ vſque ad ſummum impleuerunt.

8. Et dixit eis Ieſus, Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.

8. Id vbi factum eſſet, iuſſit, vt ex hydrijs haurirent, & quod haurirent, architriclino offerrent, qui conuiuio curando erat præfectus.

9. Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat, vndè eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam, vocat ſponſum architriclinus.

9. Architriclinus autem ſimulatque vinum ex aquâ factum deguſtâſſet, nec ſciret, vnde eſſet hauſtum, ſuſpicans factum miniſtrorum errore, quod tale vinum in extremum conuiuij diſtuliſſent, vocat ad ſe ſponſum diſcere cupiens, quanam error occaſione accidiſſet.

10. Et dicit ei, Omnis homo primùm bonum vinum ponit; & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt. Tu autem ſeruâſti bonum vinum vſque adhuc.

10. Cæteri, ait, qui ſolemne conuiuium exhibent, conuiuij initio optimum quodque vinum apponunt: poſt vbi iam temulenti minùs diiudicant palato, & hauriunt intemperantiùs, apponunt id quod deterius eſt. Tu contra vinum hoc, quo nullum adhuc appoſitum eſt generoſius, ad finem vſque conuiuij reſeruâſti.

11. Hoc fecit initium ſigno-

11. Ab hoc facto in Canâ Galilææ Dominus miraculorum geſtionem eſt auſpicatus,

rum Ieſus in Canâ Galilææ: & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli eius.

ſpicatus, paulatim Mundo ſuæ Diuinitatis argumenta prolaturus. Tum temporis ſignum hoc non ita multis animaduerſum eſt, ſed poſt maiore cum fide res manauit ad plures, Interim tamen Diſcipulorum fides qui aderant, eſt confirmata. Nuptiæ honorantur noſtræ, Calicis Euchariſtici pocula prælibantur.

SECTIO PRIMA.

Maria indicans meri defectum.

TEXTVS.

VERS. I. NVPTIÆ factæ ſunt in Canâ Galilææ, & erat Mater Ieſu ibi.
2. Vocatus eſt autem & Ieſus, & Diſcipuli eius ad nuptias.
3. Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum, Vinum non
habent. 4. Et dicit ei Ieſus, Quid mihi & tibi, mulier? nondum venit hora mea.
5. Dicit Mater eius miniſtris, Quodcumque dixerit vobis facite.

COMMENTARIVS Literalis.

§. I.

De Canâ Nuptijs.

1. *Quanam hæc tertia dies?* DIE *tertiâ nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ.* Poſt vocationem Diſcipulorum nuptiæ ſequuntur, quæ ſextâ Ianuarij die celebratæ ſunt: quâ eadem die ſuperiori anno Chriſtus eſt baptizatus. Porro die tertiâ inquit Ioannes nuptias peractas: *Die tertiâ.* Quanam? *Faber.* Faber, *Tertia die, hoc eſt, Feriâ tertiâ nuptiæ factæ ſunt.* Nam Iudæi hebdomadæ dies à Sabbato numerabant. Prima Sabbati dies erat Dominica; ſecunda Sabbati feria ſecunda; tertia Sabbati feria erat tertia. Si dixiſſet, die tertia Sabati nullum eſſet dubium: ſed dixit, *Die tertia*; vnde omnino non probo interpretationem. *Lyran.* Lyranus, *Tertiâ die à vocatione Philippi, & Nathanaelis.* Et Caietanus, *Tertia die, à die, quâ venit Nathanaël.*

2. *Authoris ſententia.* Facilius, & congruentius explico; *Tertiâ die*, quâ Chriſtus profectus eſt in Galilæam. Capitis primi vltimo loco ſic Ioannes ſcribit: *In craſtinum voluit exire in Galilæam.* Poſtea cùm ait, *Et die tertia*, ſic eſt intelligendus: *die tertiâ* ab vltimâ, quam ſignauimus, ſcilicet ab illâ, qua in Galilæam profectus eſt. Manè è Iudæâ diſceſſit, iter fecit illâ die, & ſequenti, peruenitque in Galilæam: die verò tertiâ ad nuptias eſt inuitatus. Ita Origenes initio tom. 9. in Ioan. *Cùm exire vellet Chriſtus in Galilaam, inuenit Philippum, & dixit ei: ſequere me. Die verò tertia poſt nuptiæ ſiunt.* Orig.

3. *De Cana.* *In Canâ Galilææ.* Eſt oppidum Galilææ diſtans à Nazareth, vbi Deipara cum Chriſto habitabat, milliaribus decem versùs Septemtrionem, authore Aranda tract. 2. cap. 4. *Cana zelum* ſignificat, vnde Simon Cananæus *Zelotes* appellatur à patriâ. Sic de Canâ Brochardus p. 1. cap. 6. §. 1. *Ab Achone quinque leucis diſtat Cana Galilaæ verſus Eurum. Vſque in diem noſtrum, triclinium, & locus, vbi diſpoſita erant ſex hydriæ, oſtenduntur.* D. Bonauentura, Vit. Chriſ. cap. 20. *Canà a Nazareth quatuor fere milliaribus disiuncta eſt.* Bonau. Credo Andradæ terræ exploratori.

§. II.

De ſponſo vtroque.

4. *Ioannes ſponſus.* *NVptiæ factæ ſunt.* Quinam fuerit harum nuptiarum ſponſus? Ruperti temporibus communis ferebat opinio Ioannem Euangeliſtam fuiſſe ſponſum. *Euangeliſtam Ioannem* (ait lib. 2. in Ioan.) *relictis nuptijs Dominum ſequi cœpiſſe arbitramur, Ipſius enim iſtas fuiſſe nuptias opinio fere omnium eſt. Tradunt namque hiſtoriæ, quòd cum de nuptijs volentem vxorem ducere vocauerit Chriſtus: & propterea quem à carnali voluptate retraxerat, potiori amoris ſui* dulce

dulcedine donauit. In Prol. antiquo ad Ioan. Hieronymo adſcripto, ſic : *Ioannem de nuptiis volentem nubere vocauit Dominus.* In alio Auguſtino dato : *Iſte eſt Ioannes, quem Dominus de fluctiuagâ nuptiarum tempeſtate vocauit.* ſubſcribunt diuus Thomas Caietanus, Sotus, Maior, Ludolphus, Echius, Carthuſianus, Bonauentura, Antoninus, Lyranus.

Hiero. August. Thom. & alij.

5. *Oppugnatur opinio.*

Sed tantorum Doctorum veniâ, haud leuibus argumentis opinio hæc poteſt impugnari. Primò, quoniam antiqui Ioannem vxorem numquam duxiſſe aſſeruêre. Adducor, quia ſi aliquis bonus auctor dixiſſet, Hieronymus diligentiſſimus obſeruator hoc telo aduersùs Iouinianum fuiſſet vſus nuptias virginitati exæquantem. Deinde quia Chriſtus propterea noptiis interfuit, vt matrimonium approbaret. Ac ſi matrimonium iam ratum diſſoluiſſet, reprobare potiùs coniugium, quàm approbare videretur. Præterea ſi nuptiarum fœdere Ioannes fuiſſet liberatus, ſtatim vxore, cæteriſque rebus relictis Chriſtum ſecutus fuiſſet : id verò poſteà fecit, à Chriſto cum fratre Iacobo ex mari Tiberiadis aduocatus. Matth. 4. Cæterùm vocatio ex nuptiis digniſſima fuit, quæ Euangelicis mandaretur monumentis, fuiſſetque à Ioanne proculdubio prodita memoriæ, ſi contigiſſet. Nullam verò illius mentionem nec Ioannes, nec alius egit Euangeliſta. Denique (vt innui to.3.) virginitati Ioannis vocatio hæc minimè fauet. Præſtantior enim virginitas, quæ à coniugij facibus abſtrahitur. Vnicam reputo Deiparam inter coniugij flammas ampliùs coruſcantem.

6. *Aſſero Ioannem minimè Sponſum.* August.

Vnde aſſero minimè Ioannem fuiſſe Sponſum. Auguſtinus pro alterâ ſententiâ citatus, ſic noſtræ adhæreſcit tract. vlt. in Ioa. *Sunt qui ſenſerint, & hi quidem non contemptibiles ſacri eloquij tractatores à Chriſto Ioannem Apoſtolum propterea plus amatum, quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritiâ caſtiſſimus vixerit. Hoc in ſcripturis Canonicis non euidenter apparet. Verùm tamen id multum adiuuat congruentiam huius ſententiæ, quòd illa vita per eum ſignificata eſt, vbi non erunt nuptiæ.* Epiphanius hær. 51. *Tertiâ die factum eſt primum diuinum ſignum, cum quidam Diſcipuli cum Chriſto eſſent, non Andreas, non Petrus, non Ioannes, non Iacobus.* Affirmat apertè Ioannem nuptiis, & miraculo non interfuiſſe. Simon de Caſ. lib. 5. cap. 1. *Cùm omnem congregationem Apoſtolorum primo anno prædicationis Chriſtus fecerit, luce clarius patet non fuiſſe Ioannem vocatum de nuptiis, in quibus aquam ſecundo anno ſuæ prædicationis in vinum conuertit.* Rationem infirmam fateor, ſed concluſionem fauentem retinet Barradius, Tolet. & alij.

Epiph.

Caſſi.

7. *An Sponſus Simon Cananæus?* Niceph.

Quinam ergo Sponſus ? Nicephorus lib. 8. cap. 30. ſcribit, *Helena Conſtantini mater in Cana Galilææ, vbi Simonis Cananæi nuptiæ celebratæ ſunt, ædem ædificauit.* Exiſtimo infirmo fundamini hærenti opinioni huic Cananæi nomen dediſſe : vnde reiicienda.

8. *An Magdalena Sponſa? Anton.*

Porrò & nuptiarum aſſignant Sponſa. D. Antoninus 3. p. ti. 21. §. 3. aſſerit exiſtimâſſe nonnullos Mariam Magdalenam Sponſam extitiſſe, quæ propterea quod ſponſo eſt priuata, libidini ſe mancipârit. Nihil id veriſimilitudinis habere affirmo. Conſtet igitur de vtroque ſponſo minimè conſtare.

Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I.

§. III.

Vndenam Chriſtus & Deipara inuitati?

9. *Chriſtus & Deipara inuitati.*

Et erat mater Ieſu ibi. Credo alicuius familiaris, vel conſanguinei Chriſti celebratas nuptias, cùm video Deiparam (inuitatam proculdubio) è Nazaretha Canam veniſſe, reuertentémque è Iudæa Nazaretham Chriſtum ad eaſdem nuptias cum Diſcipulis aduocatum.

10. *Cur nuptiis interfuerunt?*

Cur non recuſauit nuptiis, (vbi lætitia frequenter immodica, vbi ciborum ſuperfluitas, ac indulgentia meri) dignentur intereſſe ? An vt primi miraculi edendi haberet occaſionem, quo ſuam potentiam manifeſtaret ? Cyrillus lib. 2. cap. 22. *Miraculi potiùs gratiâ, quod facturus erat, quàm conuiuij gratiâ ad nuptias profectus eſt.* An vt ſuâ præſentiâ nuptias approbaret ? Auguſtinus trac. 9. *Quod Dominus inuitatus venerit ad nuptias, confirmare voluit, quod ipſe fecit nuptias.* Cyrillus, *Hoc ſigno ſanctificabantur nuptiæ.* Beda hom. de Nupt. to. 7. *Si nuptiis debita caſtitate celebratis culpa ineſſet, nequaquam Dominus ad has veniret, nequaquam eas ſignorum ſuorum initiis conſecrare voluiſſet.* Et Euthymius, *Qui nuptias condiderat, venit, vt eas honoraret, ſuâque præſentiâ ſanctificaret.*

Cyril. August. Cyril. Beda. Euthy.

11. *An Ioſephus interfuerit.* Epiph.

Rogas, cur memoria non fiat de Ioſepho Deiparæ Sponſo ad nuptias inuitato ? Reſpondeo inuitari non potuiſſe, qui iam ex viuis exceſſerat aſſerente Epiphanio hær. 78. & aliis. de quo tom. 3. lib. 3.

§. IV.

De vini defectu à Deiparâ indicato.

12. *An vinum omnino defuiſſet cum orauit Deipara?* August. Thom. Carth.

Et deficiente vino. Defecit-ne omnino vinum, antè quàm Deipara Chriſtum oraret? Auguſtinus ſer. 41. de Temp. *Debemus aduertere, quod de nuptiali vino pars aliqua adhuc fortè reſederat.* D. Thomas, *Virgo non diſtulit vſque ad extremam neceſſitatem, ſed deficiente vino, id eſt, dum eſſet in deficiendo.* Lyranus, *Vinum non habent, ad ſufficientiam. Voluit enim Virgo præuenire totalem vini defectum, ne appareret confuſio.* Carthuſianus & alij conteſtantur.

13. *Huic hæreo ſententiæ.* Caiet.

Quibus hæreo, licet Textus Græcus fauere minimè videatur. ὡς ὑστερήσαντος οἴνου. Hoc eſt, *Vbi defeciſſet vinum*, vt vertit Pagninus. Intelligo tamen defeciſſe vim meri, non pene exhauſtam. Caietanus, *Non dixit Euangeliſta, Et cùm defeciſſet vinum, ſed deficiente vino ; ad ſignificandum, inchoatum defectum vini, non conſummatum.*

14. *Vndenam meri defectũ Deipara agnouit?*

Dicit mater Ieſu ad eum, Vinum non habent. Pro ſuâ eximiâ charitate Deipara à Filio petiit, vt nuptiarum defectui ſuccurreret, vinumque, quod deerat, ſuppeditaret. Vndenam meri defectum Deipara agnouit ? Miniſtri Sponſo, & Deiparæ conſanguineæ penuriam indicauerunt. In cuius robur quærito, an Virgo propè Filium diſcumberet, an inter fœminas ? Inter viros aſſero prope Filium minimè accubuiſſe. Si inter fœminas accumbebat, ſurrexit-ne è lecto, vt Filium alloqueretur ? Exiſtimo Deiparam cum fœminis accumbentem propè Filium adeſſe, qui

extremus virorum, ideóque facile Filium allocutam. Sive malis, viros priùs ſumpſiſſe cibum, fœminas poſtmodum. Cùm vinum defecit, conuiuium virorum erat, inter quos Dominus edebat. Fœminæ interim conſanguineæ miniſtris miniſtrabant, quæ conuiuio opus erant, quibus cum Deipara aderat. Vnde factum eſt, vt vini defectum agnoſceret. Poſtquam agnouit, ad Filium diſcumbentem acceſsit, defectúmque hiſce verbis, *Vinum non habent*, fecit certiorem.

15. *Arbitror ſo- nes Virginem neceſſaria curare.* Profectò illis verbis niſus: *Et erat Mater Ieſu ibi*, arbitratus ſum ſemper inuitatum quidem Chriſtum ad nuptias, ſed Deiparam ſpecialiter præceſſiſſe, vt velut conſanguinea, aut familiaris admodum coniugum ad præparationem eorum, quæ ad conuiuium neceſſaria erant ſuum præſtaret miniſterium. Vnde Bonauentura de vit. Chri. (Bonau.) *Deipara non accubuit menſa, ſed eorum geſſit curam, quæ ad nuptias attinebant. Id quod probatur, quoniam ipſa vinum defeciſſe ſenſit, ipſa Filium precata eſt, miniſtros admonuit, vt illius imperata facerent.*

§. V.

Chriſtus Deiparæ reſpondet.

16. *Haud repulſam indicant verba.* ET dicit ei Ieſus, *Quid mihi, & tibi mulier?* Miraculum illico excitatum manifeſtè probat falli eos, qui iudicant Chriſtum moleſtiâ aliqua affectum, vel à petendo, Matrem repuliſſe. (Iuſtin.) Iuſtinus Explic. qq. à Gent. propoſ. quæſt. 36. *Chriſtus Matrem verbo non obiurgauit, quam re honorauit.*

17. *Duplex expoſitio.* Sententiam Domini exponamus. *Quid mihi, & tibi mulier?* Id eſt, quid ſpectat ad me, & te vini penuria. (Epiph.) Epiphanius hære. 51. *Quid mihi, & tibi curæ eſt.* Caietanus, Carthuſianus, & alij. *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Id eſt, Quid tibi mecum eſt in edendis miraculis. (Auguſt.) Auguſtinus lib. de vera Relig. cap. 8. *Aquam in vinum conuerſurus Chriſtus vt Deus, recede à me mulier, inquit: quid mihi, & tibi eſt?* (Gregor.) Gregorius lib. 8. Epiſt. ex Regiſtro epiſt. 42. *In miraculo, quod ex tua natura non habeo te minimè recognoſco.*

18. *Secundam approba.* Initio ergo miraculorum voluit oſtendere, quonam pacto ea eſſet excitaturus, diuinâ ſcilicet poteſtate. Nam præter naturam humanam, quam accepit ex Matre, diuinam habebat ex Patre miraculorum operatricem. Eandem rationem reddit Euthymius, (Euthy.) cur mulierem, non Matrem Dominus Virginem appellarit. *Non dixit Chriſtus: Mater: ſed, mulier, tanquam Deus; id eſt, quia Deus erat, Deum ſe oſtendens Matrem appellauit mulierem.*

19. *Maria mulier vocatur non aſpero ſermone.* (Epiph.) Aliter Epiphanius aſſerens mulierem vocatam, vt intelligeremus Deiparam nec eſſe Deum, nec diuinâ latriæ adoratione venerandam. (Iuſtin.) At Iuſtinus quæſt. 136. *Non obiurganda Matris causâ à Seruatore dictum eſt. Mulier; ſed vt hoc declararet, Ne nos dicant eos eſſe, qui nobis vinum in nuptiis conſumptum, curæ eſſe polliciti ſimus. Tamen, ô pia mulier abundantia amoris, ſi vis ne eit vinum deficiat, dic miniſtris, vt ea, quæ iubeo, faciant.*

20. *Mulier Hebraice idiomate, non ſonat durè.* Aſſero Hebræis minimè aſperum vocabulum, phraſis enim vſitata erat, quæ verba aſſolent emolleſcere. (Tolet.) Toletus adhæc: *Quare Chriſtus mulieris vocabulo vſus ſit, ex ſi mo cauſam fuiſſe conſuetudinem, & loquendi modum eo tempore communem.* (Cath.) Et Carthuſianus, *Mulier, non ſonat durè ſecundùm idioma Hebræum.* Apertè oſtenditur, ſi Dominus ſe filium Matris curam gerentem manifeſtans, hoc eodem vſus vocabulo apud Caluariæ montem ait Deiparenti, *Mulier, ecce filius tuus.* Ioa. 19.

21. *Quanam Chriſti hora non venerat.* *Nondum venit hora mea.* Quamnam Chriſtus ſuam horam appellat? An hora paſſionis? (Auguſt. & alij.) Aſſerit Auguſtinus, Gregorius, Beda, Athanaſius. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius vt tranſeat de hoc Mundo ad Patrem.* Ioa. 13. *Pater, venit hora.* Ioa. 17. *Nondum venerat hora eius.* Ioa. 7. (Ioa. 13. 17. & 7.) An hora ad miraculum opportuna? (Chryſoſt. Theoph. & alij.) Chryſoſtomus, *Nondum venit hora mea, id eſt, nondum cognitus ſum præſentibus. Nondum etiam ſciunt vinum deeſſe. Sine id primum intelligant. Oportet indigentes petant, vt miraculum vniuerſis appareat,* Hærent Theophylactus, Euthymius, & Caietanus. An hora edendi miraculi à Patre præcognita? (Iren.) Irenæus lib. 3. cap. 18. *Nihil incomptum, atque intempeſtiuum apud verbum. Præcognita enim ſunt hæc omnia a Patre: perficiuntur autem à Filio apto tempore. Propter hoc properante Mariâ, & ante volente participare compendij poculo: Dominus repellens intempeſtiuam eius feſtinationem, dixit: Quid mihi, & tibi eſt, mulier? nondum venit hora mea: expectans eam horam, quæ eſt a Patre præcognita.*

22. *Authoris expoſitio.* Puto equidem Chriſtum de horâ, ſeu tempore locutum, quòd miraculorum principio deſtinârat, niſi Mater interueniſſet apud ſe potentiſſima. Petis, Mater, vt miraculum primum geram; nondum venit hora; ſtatui enim Ieroſolymis alio tempore inchoare. Verumtamen, te poſtulante, tempus anteuertam, & quod petis efficiam. Simile illud apud eundem Ioannem. (Ioa. 7.) *Ego non aſcendam ad diem feſtum iſtum, quia meum tempus nondum impletum eſt.* Cap. 7. ſcilicet tempus ad diem feſtum aſcendendi. Impletum autem paulo poſt. Nam ad eam feſtiuitatem paulo poſt eſt profectus. Adnoto, quantum Dominus Deiparæ precibus detulerit, (Cyril.) Cyrillo profante; *Quantus honor parentibus debeatur, Chriſtus oſtendit: cum ſtatim ad actum propter Matrem accedit: quem quantum in eo erat, parumper diſtuliſſet.*

§. VI.

Miniſtrantibus Virgo imperat, vt quidquid Dominus iuberet exequerentur.

23. *Virginis fiducia.* DIcit Mater eius miniſtris, *Quodcumque dixerit vobis facite.* Virginis fiduciam circa excitandum miraculum adnoto. (Bernard.) Bernardus ſer. de verb. Apoc. *Non deſperauit Virgo miniſtros admonens facere, quod Chriſtus eis diceret.* Et de grad. ſuper grad. 12. *Diſce in Matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere. Non defuit pietati fides, efficacia voto.* Ambroſ. ad Pſal. 118. Octon. 16. *Mater, quæ Chriſti ſciebat affectum, dicit miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite.*

Vndenam

24. *Vndenam nouerit, Christum aliquid imperaturum?* Iusti.

Vndenam nouit Virgo Chriſtum miniſtris aliquid imperaturum: ſi poterat Dominus ſine miniſterio illorum vel in hydriis vinum facere, vel in poculis, vel in menſâ? Iuſtinus putat à Chriſto Matri dictum: *Si vis, ne eis vinum deficiat, dic miniſtris, vt ea quæ iubeo, faciant.* Attamen Iuſtini ſententia verborum Domini continet paraphraſim, & expoſitionem. Euthymius, & Bonauentura arbitrantur Deiparam miniſtros monuiſſe, vt miraculum cum ipſa peterent. Ite ad Filium meum, petite &c. Non probo, cur enim Ioannes illius ſententiæ. *Quodcumque dixerit vobis facite*, meminiſſet; illa verò. *Ite ad Filium meum, petite, &c.* ſilentio inuolueret?

Euth. Bonau.

25. *Authoris placitum.*

Arbitror ergo verbi illius. *Quodcumque dixerit vobis facite*, indictionem ex eximiâ ortam prudentiâ, Filiique notitiâ. Perſuaſerat enim ſibi tempus iam adeſſe Chriſto excitandi miracula: nihilque ſibi petenti Filium abnegaturum. A miniſtris verò rem exordiendam intellexerat, per quos vinum miniſtris diſtribuebatur. Quòd ſi Chryſoſtomi vera interpretatio illorum verborum: *Nondum venit horà mea*, nempe nondum eſt tempus patrandi miraculi; quod excitabo, cum tempus aduenerit: Virgo interpretationem intellexit; & ideo miniſtros monuit, vt quo tempore Chriſtus miraculum edere vellet, cunctis in rebus iubenti obtemperarent.

Haymo denique approbandus affirmans Virginem ſpiritu prophetiæ nouiſſe miraculum à Filio patrandum; atque ideo ſic fuiſſe miniſtris allocutam. *Licèt Dominus taliter fuiſſet locutus, tamen Virgo ſciebat per ſpiritum prophetiæ, quòd ad hoc venerat Dominus ad nuptias, vt miraculum ibi patraret, conuertendo aquam in vinum. Et ideo fiducialiter imperauit miniſtris, vt obedirent voci Filij iubentis.* Et Gaudentius tract. 9. *Non Virgo mandaret miniſtris, Quodcunque, &c. niſi Spiritu ſancto plena virtutem reſponſionis Chriſti cognouiſſet.* 26. *Aliter probabiliter.* Haymo. Gauden.

IN IESVM NATVRÆ DOMINVM,

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX MARIA INDICANTE Meri defectum.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ, & erat Mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem, & Ieſus ad nuptias.

Illæ nuptiæ, quæ inuitato Deo, colligantur, minimè diſſoluuntur.

Edocco fœminas coniugio illigandas, præcedentem nuptias impudicitiam cauſam eſſe diuortij.

27. *[illegible] fœminas faci[illegible] labo[illegible] vel [illegible] ſponſi voluptates [illegible]citias: mem[illegible] oſcula, &c.*

QVAM prudenter coniuges Ieſum ad nuptias inuitarunt! Hinc colligo coniugium illud minimè diſſolutum fuiſſe, nec ex vocatione ſponſo effectâ: vt innuatur illud coniugium ſtabile (nullâ diuortij abſtractione intercedente) quod amico Deo contrahitur. Vidi fœminas antè coniugium puritatis contemptrices, vt futuris placeant ſponſis, qui quidem eas vulgares reputantes, & facilitate laborantes ingenij, poſt coniugium deſpiciunt, vnde cordium vnitas, diuortio intercedente diſtrahitur. At quæ antè matrimonium initum conſtantes, ac fortes oſtenduntur, Deo ad nuptias inuitato, tenaciter à viris aſſolent magno pretio haberi, & feliciter reputari. Mihi credite, fœmina nec videatur à coniuge, donec coniugium ſit celebrandum.

Coniugio primo peragendo operam daturus Conditor, *immiſit ſoporem in Adam, cúmque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & ædificauit coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Gen.2. Vbi Hugo Cardin. *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem, non ſomnum, ſed ecſtaſim, in quâ creditur interfuiſſe cæleſtis Curia.* Et cur Adamus, dum ei paratur ſponſa, in cœlum abripitur? An vt ſummam Angelorum pacem contempletur, Perſonarum beatiſſimæ Trinitatis vnitatem, vt ſint *duo in carne vna?* Non ambigo, ſed accommodatiùs, ideo reor ecſtaſi affectum, ſeu mentis eleuatione futurum ſponſum; cùm ne vſque ad coniugij tempus circa ſe intueatur ſponſam, tum vt ad cælum aſcendens totam cæleſtem Curiam inuitet ad nuptiarum celebrationem. Qui vacat ſpiritualibus orationis, ac meditationis exercitamentis, dum coniugio illigandus eſt, exiſtimet ſe Deum ad nuptias inuitaſſe. Quàm felix coniugium *Erunt duo in carne vna*, ex Angelica præmiſsâ puritate!

28. *Adamus coniugio illigandus ecſtaſi afficitur, ne videret iuxta ſe futurã ſponſam, & vt ad nuptias Deum inuitaret ſpiritualibus vacando.* Genes. 2. Hugo.

29\.
Non creantur ſimul Adam & Eua, ne ſponſa ante coniugium à viro familiariter videatur.
Geneſ. 2.
Baſil. Seleu.

Corpore Adami formato, *Inſpirauit Deus in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Gen. 2. Poſt conditionem Adami, exædificationi fœminæ Conditor operam expendit. Voco ad quæſtionem, Quare non ſimul Eua cum Adamo crearetur? An non in reliquis animantibus ſimul vtrúmque ſexum, vná voce excitauit? Ita planè, ſed humanos coniuges formaturus priùs excitat virum. D. Baſilius Selc. Ora. 2. reſpondet reliquorum animantium ſexum vtrumque ſimul excitatum, quia nihil refert, quod mas fœminam videret priuſquam coniugio colligarentur. At homo ſeparatim aptè creatur, ne ante coniugium futuram videret ſponſam. *Si enim* addit, *ſcriptum eſſet, quòd ſimiliter ſufflauerit Deus, in faciem formatæ mulieris & facta fuerit in animam viuam, iam quidem plurimum lucis accederet.* Nimia eſſet aſpectatio, ſi ſimul conderentur. Nimia eſſet notitia. Vulgariter expono. *Fuera eſtar la muger muy à viſto del que auia de ſer ſu marido.* Quod aſſolet (ſi adſit licentia nuptiarum ſpe,) coniugali obeſſe vnitati. O quàm vnum coniuges, ex illâ

Summa vnitas coniugum ex præuia caſtitate futuræ vxoris.

creationis ſeparatione, fuere excitati. *Non ex terra,* (ait Præſul) *ſed ex latere membrum mutuatur: partitur corpus, vt mentem coaptet; & natura vna diſſipatur arte formantis, vt vna mens conſtruatur ad imitationem naturæ.* Vnus animus haud diuidendus reſultat ex partito corpore, ex ſeparatione fœminæ à viro, eo tempore, quo de contrahendo coniugio agitur.

Baſil.

30\.
Deus inuitatus ad nuptias (ex coniugum præuia puritate) ſtabilem efficit vnionem.
Geneſ. 2.

Illatum Dominus nuptiarum author *ædificauit coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.* Gen. 2. Tam recluſa coniux antè coniugium, ne à viro poſſet aſpici, ipſa fuerit domus, aut tabernaculum, quo reciperetur. Porrò Deus inuitatus ad nuptias ſimul denuo videndam viro apponit ſponſam, & intereſſe dignatur nuptiali ſolemni. Quàm meritò clamauit ſponſus, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Ibid. Vxor enim non viſa vſque ad coniugij inſtantiam, ad nuptias inuitato Deo, æternùm eſt ſponſi menti colliganda.

Chryſol.

Chryſologus ſer. 99. *Quos Deus coniunxit, natura ſociat; & facit Deus, vt ſit homo vnus duo, duo vnus: alter ipſe homo.* Et quandonam deficit (materiali, aut ſpirituali odij diuortio) animorum colligatio, ſi Deus inuitatus ad nuptias coniugem pudicam ab ſponſi ſeparauit aſpectu, & conſuetudine. Quam diuortij infallibiliter ſequendi amatrix, quæ impudici ſponſi morem gerens vel permiſſam indulget voluptatem! O

Perian.

ſi prudens Gentilis monitum didiciſſet! *Bonum ſcortum, mala vxor.* Liceat materna exprimere lingua, *Buena para dama, mala para muger.*

Observatio II.

Ad illa verba:

Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum, Vinum non habent.

Illicò apud nuptias vinum deficit.

Vbi de mundialium bonorum inanitate, mendacio.

VIDIMVS apud appoſitum ex accuratâ præparatione conuiuium, vbi inuitati ſobrij Chriſtus & Diſcipuli, (vel ipſis præſentibus) illicò merum defeciſſe. 31
O quam ..., vel coniugij lætitiæ defectus! Quis crederet coniuges hodie lætitiâ affectos, mox mœrore conturbandos. Coniugij natura citò panem nuptialem abſumi, inopiâ ſuccedente.

32\.
Aduata eſt coniugio tribulatio.
1\. Cor. 7.

Iam Paulus monuerat, *Et ſi nupſerit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* 1. Cor. 7. Obiicite vobis virginem pudicitiâ ornatam quæ non peccauit, nupturi cadendam, (vti dicebamus proxima Obſeruat.) ſed caſtitate præuiâ viri ad ſe abripuit amorem. Illigati ſunt, vnum ſunt. An mœſtitiâ diſturbabuntur? *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Id eſt habebunt huiuſmodi tribulationem, ſcilicet ipſius coniugij. Idem enim eſt coniugium initi, & curis innumeris diſturbari. Et quonam modo, ais, vniti animi amoris vinculo, poſſunt mœſtitudine vulnerari? Reſpondet D. Paulinus Epiſt. 39. *Nunquam in carnalibus affectionibus ita quieſcit animus, vt cruciatu careat: dum neceſſitudines ſuas aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto: in vtroque miſerijs ſuſtinendis ſemper obnoxius.* Illud ad argumentum: *Aut bonas amat cum amittendi metu.* Quo ardentior probam in vxorem mariti defertur animus, aut vxoris bonum in maritum, eo grauiori metus vulnere ſauciatur: ſi ægritudine afficitur? ſi corripitur fato?

Paulin.

33\.
Apud cælicolas voluptates noſtræ defæcatæ reperiri videntur præter nuptias, quia malorum ſunt epilogatio.

Cum Dominus, vt ſe ſe noſtræ ruditati accommodaret, cœleſtis patriæ gaudia manifeſtari curat, mundialium rerum deliciis temporalibus exprimit æterna. Sæpe conuiuij typo cœleſtem obiecit exultationem; meraciſſima gaudia meri hauſtu expoſuit; calicis aquæ frigidæ grati quidem ſitienti memoria nos ad cœleſtia gaudia inuitauit. Attamen cùm præſtantiſſimum hominum gaudium ſit licitæ expectatæ nuptiarum voluptates, non ſolùm non inuitamur ad huiuſmodi nuptias, ſed omnino hæ à patriâ cœleſti ablegantur, Fante Domino, *Non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Mat. 22. Agni ſolummodo metaphoricæ nuptiæ puritatis amatoribus, præſentantur. Cur igitur à patriâ cœleſti non exulat concentus, conuiuium, chorea: exulant tamen nuptiarum voluptates? Quia bonum eſt inſidiis plenum, tótque oppletum laboribus, vt poſſet expertos à cœleſti veſtibulo ablegare, ſi ſibi perſuaderent ad nuptias æternas aduocati. Vnde monet Ambroſius ad Pſal. 39. *Et tu iam nullas inſidias pertimeſcas. Adam vt caderet, à ſerpente deceptus eſt, & flexus eſt ab vxore. Ideo iam nullæ in Paradiſo nuptiæ, ſed omnes erunt ſine celebritatibus nuptiarum ſicut Angeli Dei.* Ac ſi diceret, Non terreamini, non fugiatis à patriâ cæleſti memores Paradiſi. Terrena illa patria erat, nuptiæ aderant, conſequenter inſidiæ parabantur: apud cœleſtem patriam nullæ nuptiæ; vnde Angelicæ vos expectant voluptates. An non poſſent nuptiæ defæcari, ſi cum conuiuia, concentus, aliaque mundialia bona abſtrahuntur à fæcibus, vt ad cœlicolas referantur? Certè nuptiæ adeo omnium incommoditatum epilogatio ſunt, vt fæcibus abſtractis, nihil puri liquoris poſſit remanere

Matt. 22.
Ambro.

remanere epotandum in patria.

34. Plutarchus de audi. Poët. *Gorgias dicebat, tragœdiam totam eſſe deceptionem.* Si velis tragœdiam exprimere, vt ablegato mendacio, veritas perſiſtat, minimè poteris, quia tota deceptio eſt. Nuptias liceat tragœdiam appellare totam vtique deceptionem. D. Baſilius lib. de vera virg. ſic Virginem nuptias repellentem commendauit. *Quippe coniugij finem corruptionem, & iniuriam eſſe conſiderans, ex ipſo fine totam nuptiarum tragœdiam prudenti ratione collegit: declinanſque primam triſtium cauſam, manentem quoque ex ea preſſuram effugit.* Nuptiarum planè voluptates *tota deceptio*, quia *tota tragœdia*, ſi cures detrahere incommoda, vt ſola voluptas perſeueret, ſolæ preſſuræ manent: *Manentem quoque ex ea preſſuram.* Vnde reliquum nihil, quod poſſit cæleſtis patriæ æternitati reſeruari.

[.]pſa tota tragœdia, nil ex ea poteſt gaudij veri exprimi. [..]tar.

35. Adhuc pondero particulam, *Totam nuptiarum tragœdiam.* An non aliqua particula voluptatis? Nec nuptiarum panis, aut vinum, mica, aut ſtilla confingenda eſt, quia nulla apud nuptias merax voluptas. Vulgariter expendo: *No ay ni el pan, ni el vino de la boda.* Non adeſt panis particula, nec vini ſtilla; hic enim non deficit vinum, ſed omnino non eſt. Epicurus tam ſedulus, ac diligens voluptatum veſtigator requiſiuit à nuptiis, num particulam voluptatis ex eis capere poſſet, & poſt diligentiſſimam inquiſitionem minimè inuenit. Clemens Alex. lib. 2. ſtrom. *Democritus repudiat matrimonium propter multas, quæ ex ipſo oriuntur, moleſtias. Ei autem Epicurus quoque aſſentitur, & quicumque in voluptate bonum collocant.* Quia ſcilicet in coniugio nec diligentiſſimo veſtigatori particula ſubeſt voluptatis. Aiebat Hipponactes, *Bini ſunt cum vxore iucundiſſimi dies, alter quo ducitur, alter quo mortua effertur.* Illam particulam *ſunt* à primo die repello, quia licet illa dies, qua ducitur vxor iucundiſſima videtur, verè non eſt, ipſo in diei veſtibulo lætitiæ vino deficiente.

Non deficit in nuptijs paulatim vinum, ſed totum vini defectum integrad.

Clemens. Alex.

Hippon.

Observatio III.

Ad illa verba:

Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum, Vinum non habent.

Deipara, vino deficiente lætificante, procurat coniugibus mirabilem vini conuerſionem, ſeu Euchariſtiæ frequentiam.

Ad innumera enim matrimonij incommoda ſubeunda, neceſſarium ſubſidium frequentia Communionis.

6. EX D. Gaudentij mente apud Canæ nuptias Euchariſtiæ *prælibatum eſt Sacramentum* ea aſſumendum frequenna, vt poſſit participatione calicis deſignari, quæ quidem ſacerdotalis eſt. Videns ergo Deipara quàm illicò vel apud nuptias vinum lætitiæ deficit ob irruentia incommoda, nuptis prouidere curat Euchariſtici meri ſubſidium, quo facilè poſſint mala irruentia ſuperare. Laborantibus vobis, ô coniuges, frequens huiuſmodi Dei viſitatio neceſſaria eſt.

[..]ecta.

37. Apparebat Deus frequenter Abrahamo vxore ſuperſtite, obeunte autem Sara, aſſiduis illis viſitationibus priuatur. Rupertus lib. 6. in Gen. 35. *Notandum, quia Deus vberius Abrahæ apparuiſſe non legitur.* Apparebat profectò aliquando, ſed vberius velut antea minimè Patriarcham inuiſebat. Cur ita? Profectò quia coniugio perſiſtente plurimis Dei viſitationibus egebat Abraham, vt tot neceſſariò ex ipſa coniugij conditione exorientes poſſet incommoditates ſuſtinere. At diſſoluto coniugio haud tanti ponderis vini defectus, hoc eſt, viſitationum cæleſtium carentia. Neceſſariæ vobis, ô coniuges frequentes Dei in Euchariſtico vino viſitationes, vt poſſitis innumera incommoda tolerare. Nam *deficiente* hoc *vino* virtus deficiet animæ, vnde ſub onere ſit gemendum.

Dum vxor ſuperſtes, Abraham frequenti Dei viſitatione fulcitur, vt edoceantur coniuges.

Rupert.

38. Ait D. Cyprianus aduersùs diabolum neceſſariam eſſe Euchariſtiæ frequentiam. Stobeus ſer. 69. *Quando maritus vxorem domum ducit, non ſolum vt videtur, vxorem accipit; ſed vnà cum ipſa quoque introducit, aut bonum ſibi dæmonem, aut contrarium.* Bona vxor dæmon bonus? Vel bonæ vxoris bonitas dæmoniaca eſt? Quid ſi dæmon contrarius, & improbus? Anaxandrides, *Non amplius tibi iucunda eſt vita, cum improba, & maledicta, & amentia plena vxor obtigerit; ita te ipſum munito, vt omnem eius improbitatem laturus.* Munito te igitur Euchariſtiæ frequentia dæmoni formidabili, vt Cyprianus aſſeruit.

Aduerſus coniugu nequiſſimi diabolicos auſus Euchariſtia neceſſaria eſt.

Cypr.

Stobæ.

Anaxan.

39. Emphaticum accipe Tertulliani teſtimonium lib. de Monog. cap. 11. *Matrimonium poſtulas ab Epiſcopis, à Presbyteris, à Diaconis. Et illi planè ſic dabunt viros, & vxores, quomodo buccellas.* Ad quæ Pamelius *Buccellas Euchariſtiam* interpretatur, quam olim fideles à Presbyteris accipiebant domum relaturi. Cur ergo ſic dantur viri & vxores quomodo buccellæ, quomodo Euchariſtia? An quia Euchariſtia aliud eſt, & aliud videtur: ſicut matrimonij ſtatus? ſic noſter ingenioſus in Iudith Interpres. Aſt ego aſſero ſic dandos connubio viros & vxores ſicut buccellas: ſic buccellas Euchariſticas dandas ſicut virum & vxorem. Hoc eſt, pariter à ſacris miniſtris præparandum eſſe & nuptiarum apparatum, & Euchariſtiæ adminiſtrationem; quia coniugium ſine Euchariſtiæ præſidio captiuitas eſſet: & ſic coniux vnus alteri inuicem traderetur, ac diſtorquendus à diabolo.

Simul nuptiæ celebrantur, & Euchariſtia traditur nuptis, in præſidium ærumnarum.

Tertull.

Pamel.

40. Dum videris Chriſtum nuptias honoraturum aduentare, non inde colligas, vndéquaque felicem ſtatum. Profectò fælix illud coniugium, quod inſtituit ipſe Euchariſtici poculi inuentor. Aiebat acutè Hieronymus Epiſt. 2. ad Nepot. *Prædicator pœnitentiæ nuptias conciliat.* Sic allicio ad intentum: Conciliet nuptias, qui ſimul prædicat confeſſionem, ſiue pœnitentiæ frequentiam. Et ille interſit nuptias honoraturus, qui ſimul non ſolùm prædicabit, ſed inſtituet ſalutaris poculi Sacramentum. Conciliatores nuptiarum, ſimul ſitis pœnitentiæ, & Communionis frequentiæ prædicatores; ne inſidias præparetis eis, quos felici ſtatu donari procuratis.

Fælix coniugium, quod conciliat confeſſionis, & communionis prædicator.

Observatio IV.

Ad illa verba.

Et deficiente vino, dicit Mater Ieſu ad eum, Vinum non habent.

Cùm vinum non omnino euacuatum eſſet, aſſerit Deipara, illos vinum non habere.

Etenim vel mundialis deliciarum abundantia carentia delitiarum eſt.

AD illa verba: *Deficiente vino*, ait Caietanus, *Aperitur quod vinum non penitus defecerat. Non enim dixit, Cum defeciſſet vinum, ſed deficiente vino, ad inchoatum defectum, non conſummatum.* Si vinum non penitus defecerat, ſed tantum inchoatio defectus apparebat, (quæ quidem omnibus rebus conſumptibilibus adnata eſt, nam incipiunt deficere, cùm incipiunt abſumi) quonammodo Deipara dixit: *Vinum non habent*? Profectò ſi Clem. Alex. authore mundialis voluptas deſignatur in nuptiis, non ſolùm quando deficit, ſed quando pleniſſima, verè poſſumus inclamare: *Voluptatem non habent*; quia abundantia mundialis vini, ipſius vini eſt euacuatio: *Vinum non habent.*

41. *Cum, mundiales vino voluptatis abundant verè vinum non habent,* Caiet.

Clemens.

Clamabat Sponſa Salomonis deliciis affluens ſecularibus, Pharaonis vtique filia. *Introduxit me Rex in cellaria ſua, exultabimus, & lætabimur in te.* Cant. 1 Cur introductam in cellaria vini ſe profitetur Sponſa, ſi non licebat ei vel ſtillam meri abſumere? *Oſculetur*, ait, *me oſculo oris ſui.* Ibid. τὸ *Oſculetur* reſpicit vxorum conſuetudinem à vino adeo abſtinendi, vt Tertullianus Apolog. 6. dixerit, *Cùm mulieres vſque adeo vino abſtinerent, vt matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos ſui inediâ necàrint: ſub Romulo verò quæ vinum attigerat, impunè à Mecenio marito trucidata eſt: id circo & oſcula propinquis neceſſitas erat, vt ſpiritu iudicarentur.* Igitur oſculetur me, & iudicabor, num hauſerim vinum: à quo omnino lubuit abſtinere? Iam requiris, Quid cum introductione ad cellaria vini, vbi abundantia, tam ineffabilis abſtinentia? Certè ipſa redundantia vini, ipſa lætitiæ, & exultationis ſecularis abundantia ſitis eſt, penuria eſt: tunc penitus deficiente vino, cùm abundans vitis præſentatur.

42. *Pharaonis filia abundãs deliciis vini, penuriam ſitiens patitur.* Cant. 1. Tertull.

Salomonem audiamus iam ſponſum, *Cogitaui in corde meo abſtinere à vino carnem meam. Ædificaui mihi domos, & plantaui vineas.* Eccl. 2. Si cogitat abſtinere à vino quonammodo vineis plantandis operam impendit? Profectò, quia experientiâ edoctus nunquam tam ſe abſtractum putabat à vino voluptatum, quàm cum earum patiebatur abundantiam. Vis à vino abſtinere? Vinearum copia, ſeu deliciarum redundantia apponatur; quia abundantia vini mundialis voluptatis tam adnata defectui: vt exundanti torculari, poſſit expertus inclamitare, *Vinum non habent.*

43. *Salomon ipſe in vini voluptatis abundantia abſtinens ab ipſa voluptate.* Eccl. 2.

Audiſti diuitem proclamantem, *Pater Abraham, mitte Lazarum, vt intingat digitum in aquam, & refrigeret linguam meam.* Luc. 16. Myſticus (ex Chryſologi mente) adeſt mundialium deliciarum vini potator. An ſatiatus ex abundantia fuerit? Cur ô Domine tot delicias in vno diuite copulari permittis? D. Zeno. Vero. ſer. de Euang. Luc. *Si fortè ipſum nimietate ipſa ſatiatum ad ſenſum, & intelligentiam humanitatis adduceret.* Nimietas ſatiat alios, ſed miſer ille voluptatum amator in nimietate meri ſitit: *Mitte Lazarum &c.* Et quando non ſecularium deliciarum copia, tota penuria eſt?

44. *Diues ſitiens, dum redundans vini cellaria.* Luc. 16. Zeno.

Quare? Quia apparatus abundantiæ vini illius, ſine ſatisfactione, ſine veritate boni. Solum continet apparatum. *De vinea Sodomorum vinea eorum*, (ne à vini metaphorâ recedamus,) *& de ſuburbanis Gomorrhæ.* Deut. 33. Mundiales deliciæ vino Sodomæ comparantur, quia ſpecie tenus, Ægeſippus lib. 4. cap. 18. *Species illic ad ſpeciem poma viridantia, formatos vuarum racemos, vt edendi generent ſpectantibus cupiditatem, Si carpas, fatiſcunt, & reſoluuntur in cineres.* En Mundi voluptates.

45. *Mundialis voluptas ſolam ſpeciem refert vuarũ, vua non ſunt.* Deut. 33. Egeſip.

Observatio V.

Ad illa verba:

Quodcumque dixerit vobis, facite.

Monet Virgo miniſtros, vt ipſi propriam cauſam gerentes miraculum cum ipſa efflagitent.

Oratio etenim multorum in propria cauſa efficaciſſima eſt.

PVTAT Euthymius Deiparam miniſtros monuiſſe, vt miraculum cum ipſa peterent. *Virgo menſæ miniſtros admonet, vt ipſi adſint, & ipſi quoque alio modo cum ipſa deprecentur.* Et Theophylactus. *Miniſtris dicit Mater. Quidquid dixerit vobis facite. Atque ita cùm maior fieret petitio, cúmque acceſſiſſent & illi, ac petiiſſent*, conſequerentur. Tam efficax-ne multorum oratio, vt miniſtri menſæ ſimul cum Virgine miraculi patrationem conſequantur, quam ſola Virgo deprecans conſequuta non eſt? Attẽde.

46. *Interceſſionibus ſanctorũ non omnino nitaris, niſi de propria ſis etiam cauſa ſollicitus.* Euthy Theoph.

Excogitationem hanc expendo de mente Chryſoſtomi. Deficiente vino ait Mater, *Vinum non habent.* Aſperius videtur Ieſus reſpondiſſe: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Illa autem miniſtris, *Quodcunque dixerit vobis facite.* Si Ieſus tenuit miraculum facere, importuna videtur negotiatio. *Id circo* (ait Pater) *palam miniſtros accerſiuit, vt à pluribus rogaretur.* Ad miniſtros confugit Dei Mater, vt impetrent ipſi, quod ipſa Dei Mater non obtinuit? Certè hinc orationis communis, ſeu multorum precum virtus innuitur; ſed altioris doctrinæ documentum Virgo tradit, oportere ſcilicet nos non omnino credere interceſſioni Diuorum, ſed de propriâ causâ ſolicitos oſtentari. Vnde apprime Euthymius, *Et ipſi quoque cum ipſa deprecentur.* Efficaciſſima planè Deiparæ

47. *Debemus precari cum ipſa Deipara, vt conſequamur.* Chryſoſ.

paræ interceſſio, ſed videtur à Filio refutari, donec ipſi miniſtri, ad quos attinebat, ſimul cum Virgine precarentur. Vnde Dominus, *Quid mihi, & tibi?* Poſtulent illi, ad quos pertinet cura conuiuij.

48. *Hoc Nomen Ieſu ſine aduocatis noſtris precibus vult vtrorum gerere aduocatum.* Iſa 9.

Aſſerit Iſaias Nomen Saluatoris hominum gerere aduocatum. *Et vocabitur nomen eius Deus, Fortis, conſiliarius.* Cap.9. Pro *conſiliario*, *Aduocatum* appono ex Hebræi verbi fœcunditate. Tam diligens Ieſu Nomen hominum aduocatus eſt, vt nullatenus Eccleſia ſine interceſſione Nominis Ieſu aliquid à Patre impetrare præſumat. Ideo ſæpe, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Profectò Eccleſia, quæ ſine interceſſione Ieſu non præſumit aliquid conſequi à Patre, nihil audet petere ex ſolo Ieſu, ſed ipſa ſimul ingerit petitionem. Hoc fiat mihi aut illud, *per Dominum noſtrum Ieſum: Et ipſa quoque cum ipſo deprecatur.*

49. *Si multi orãt ſimul cum Nomine Ieſu ob'equuntur.* Mat. 18. Ambroſ.

Id Dominus expreſſit apud Mathæum. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in calis eſt. Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Cap.18. Vbi imprimis pondero communis orationis efficaciam, de qua Ambroſius lib. de Pœnit. *Multi animi, dum congregantur vnanimes, fiunt magni: & multorum preces impoſſibile eſt contemni.* Deinde premo illam particulam. *In nomine meo.* Debent precaturi homines in Dei Nomine congregari, & ſimul cum Chriſti Nomine ad Patris thronum accedere. Non ſolùm pergat Nomen Ieſu actutum aduocatum, ſed nos, quorum agitur cauſa comitemur.

50. *Paulus ſanctorum preces precibus proprys copulari curabat.* Chryſoſt.

Paulus curabat è periculis plurimis fidelium interceſſione liberari. *Qui ex periculis.* (ait apud Chryſoſtomum hom. 3. de incomp. Dei naturâ.) *tantis eripuit nos, & eruit, etiam ſperamus, quòd adhuc eripiet, vobis quoque in oratione pro nobis ſubuenientibus.* τὸ *Quoque* ponderandum. Alij enim referunt ad pericula prælapſa, è quibus ob fidelium preces fuerat ereptus: alij aptiùs ad ipſum Paulum ſuam cauſam gerentem, & ſimul cum Sanctis precantibus exorantem. Nos quidem pro nobis orabimus, ſed vobis quoque pro nobis orantibus, conſequemur.

51. *Orantes ſimul cũ Maria, munere poſtulato donamur, non ſolâ precante.* 3.Reg 2.

Sed plus ad argumentum accedamus. Deipara poſtulans ſola non aſſequitur, quod miniſtris petebat: id autem adiunctis ipſorum precibus conſecuta eſt. Olim ad Berſabee Adonias, *Petitionem vnam precor à te, ne confundas faciem meam. Precor vt dicas Salomoni Regi, nec enim negare tibi quidquam poteſt*, &c. Cui Berſabee, *Bene ego loquar pro te Regi.* 3.Reg.2. Accedit ad thronum, benigniſſimè excipitur, Rege in occurſum occurrente, adorante. An quod pro Adoniâ petiit, impetrauit? Minimè; quia tacens ipſe in propriâ cauſâ, totum ſe credidit Matris Regis interceſſioni. Petrus Damianus ſerm.1. de Nat. *Audi nos ô Virgo, nam Filius tuus nihil negans honorat te.* Et Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt. *Aduocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam Iudicis Mater, & Mater miſericordiæ ſuppliciter negocia noſtra pertractabit.* Quonammodo ergo Mariæ potentiſſima oratio, & interceſſio Adoniæ non proficit? Quia Adonias peccator ſilet, cùm

Damia. Bernard.

Maria clamitat. Non poteſt negare quidquam Ieſus Virgini, ſed cùm peccator propriæ cauſæ haud ſtudere curat, reſpondebit: *Quid mihi, & tibi, mulier?*

52. *Interceſſionẽ Mariæ complemus, dum ipſa precante precamur.* 3.Reg.1. Chryſoſt.

Prudentior Natham ad Berſabee interceſſionem confugiens, ait, *Ingredere ad Regem, & dic ei, Non-ne tu Domine*, &c. *& adhuc te loquente cum Rege, ego veniam poſt te, & complebo ſermones tuos.* 3. Reg. 1. Non vult Propheta ſolam Reginam deprecari, cum ipſa ipſe precaturus accedit. Non adeo credas Virginis, aut Sanctorum interceſſioni, vt ſola ipſa, ipſi ſoli accedant exorare: ipſe pro te cum ipſis deprecari cura. Chryſoſtomus, *Quando quod ex nobis eſt ſimul afferimus, & acceſſit interceſſio Sanctorum, plurimum nobis confert. Quòd ſi negligentes fuerimus, & ſpem in illis ſolis collocamus noſtra ſalutis, nihil amplius nobis prodeſt. Non quòd infirmi ſunt iuſti, ſed quia propter deſidiam nos ipſos perdimus.* Alibi plura.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Quid mihi, & tibi, mulier? nondum venit hora mea.

Miraculum Dominus excitauit, precante-ne Matre, an ipſa neceſſitate poſcente?

Aſſero, neceſſitatis preces à Domino exauditas, quia ipſi labores orationis locum exerunt.

53. Chryſoſt. *Vocales labores.*

HORAM patrandi miraculi nondum aduentâſſe Dominus affirmat, quia vinum deficiebat quidem, abſumebatur, ſed non penitus exhauſtum, vt vidimus. Precanti Matri vinum ex aqua factum non datur? Cuinam exhibebitur? Profectò precibus neceſſitatis. Chryſoſtomus hom. 20. in Ioan. *Quid mihi, & tibi, mulier? Alia præterea cauſa afferri poteſt. Ab indigentibus enim, non à Matre id quærendum erat?* Quæſierúnt-ne indigentes? Non petiiſſe in Comment. aſſerui. Si non petierunt, quonammodo Chryſoſtomus affirmat indigentes quæſiiſſe, aut poſtulâſſe. Num quia ipſa neceſſitas, aut indigentia vocalis quidem nunquam non in conſpectu Domini deprecatur? Sanè.

Chryſoſt.

54. *Cum ſilet laboribus affectus, tunc ipſi labores vociferantur.* Exod.14. Orig.

Hebræi inter vndas & gladios, hinc æſtuante pelago, inde ære coruſcante, conſtituuntur. Quibus indicit Moſes: *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Silet populus, obticet Moſes, & Deus ait, *Quid clamas ad me?* Exod.14. Vbi quærit Origenes, *Quomodo clamat? Nulla nec Moyſis, nec Populi vox clamoris auditur, & tamen dicit Deus, Quid clamas ad me? Velim ſcire, quomodo ſancti ſine voce clament ad Dominum?* Reſpondèbo, Moyſes Dux ingenti tribulatione afficitur, hinc ſpumanti mari, inde iam gladio feriente: populus

lus fato ineuitabili adducitur. Ipſa tribulatio, ipſa indigentia eleuatiſſima voce clamabat.

55. *Petro dormiēte orationi inſtat Eccleſia pro eius liberatione.* Act. 12.

Vinculis Petrus illigabatur Herodianis, *oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. In ipſa nocte* (qua producturus eum erat Herodes) *erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus.* Angelus aduentans eum liberat a cuſtodiatu. Act. 12. Aſſerunt Patres orationi profuſæ tribuendam Petri liberationem. Sic ne Apoſtole, Eccleſia preces profundente, obdormis, & ſiles? An non Dominus Ieremiæ? *Ne ores pro populo hoc quia non exaudiam te.* Cap. 7. Quare Chryſoſtomus, *Vt intelligerent Iudæi, quod nihil eis prodeſſet orans propheta, niſi & ipſi, quæ ſua ſunt proferre velint.* Quonammodo ergo ſilenti, imo dormienti Apoſtolo communes preces profuere? Puto, quia perſonante Eccleſiæ oratione, ipſius tribulationis, & indigentiæ Petri preces inſonabant. Tertullianus lib. 4 adu. Marcio. cap. 12. *Humanam opponit neceſſitatem tanquam deprecatricem.*

Ierem. 7. Chryſ.

Tertul.

56. *Cunctus populus tribulatione affectus vna voce clamabat* Iudith.

Cùm populus Hebræorum ab Holopherne premeretur, *factus eſt fletus, & vlulatus magnus in Eccleſia omnibus vna voce.* Iudith 8. An particula illa: *Vna voce* ſit vti ſonat exponenda? Vná-ne omnes nemine excepto pueri, viri, ſenes, fœminæ clamitarent? Reſpondeo non omnes vna externa, & exaudibili voce clamaſſe, ſed omnes ipſius tribulationis, & indigentiæ preces profudiſſe. Ambroſius ad Pſal. 118. memor ſententiæ illius: *Quid clamas ad me? ait, Sonum Moyſis non audio, vocem eius agnoſco; ſilentium eius lego, clamorem eius in operibus deprehendo.* In operibus, inquam, id eſt in ipſa communi populi tribulatione & indigentiá. Haud aliter omnes nunc Hebræi vná voce clamabant. Quis grauetur tolerare labores, quibus precantibus, clamantibus præſto adeſt auxilium? *In operibus durís licet, & laboris*, quibus affligimur, noſtrum præſidium adeſt, ſi ipſorum operum clamantium donamur patrocinio.

Ambro.

OBSERVATIO VII.

Ad illa verba:

Nondum venit hora mea.

Licèt hora nondum aduentârit, tamen precibus Dominus exoratur, vt ante tempus hora præſentetur.

Ea eſt enim vis orationis, vt non opportunè quodammodo exaudiatur.

57. *Importuna, ſeu aſſidue aut multiplicata preces commendantur.*

MIRABAR Deiparam poſtulantem tam iuſtè, tam piè, tam benigniter à Filio non ſolùm exauditam, ſed & ſeucto exceptam ſermone: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Attamen iam magis miror effectum, ſcilicet aquæ in vinum conuerſionem. Nam reſpondente Filio, *Nondum venit hora mea*, id eſt, (ex mente Theophylacti) *opportunum tempus nondum adeſt*: deberet Dominus miraculum differre in tempus illud opportunum. An preces Deiparæ tam efficaces, vt diuinę diſpoſitionis ordo ſit inuertendus? Profectò tam benigniter preces afflictorum, aut pro afflictis orantium exaudiuntur à Domino, vt, licet importuno tempore effundantur, ſemper videantur opportunæ.

Theoph.

58. *Propter iſtam importunitatem Deus panes exhibet importunè petenti.* Luc. 12.

Euangelicus ille amicus poſtulanti panes nocturno importuno tempore reſpondit, *Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi.* Addit, *Et ſi ille perſeuerauerit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit ille ſurgens eò, quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius, ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* Luc. 11. τὸ *Propter improbitatem* alij legunt, *Propter importunitatem.* Id eſt, quia tempore importuno acceſſit ad poſtulandum, & quia importunus preces multiplicauit. Ea eſt enim importuna inſtantia eius, qui afflictus petit, vt exaudiatur à Domino tanquam opportuna.

59. *Preces non opportunæ exaudiuntur, & importantiquæ importunæ, ſiue multiplicata.* Geneſ. 18.

Vnam & alteram præfata importunitatem præſeferebat illa oratio Abraham cùm pro Sodomitis Dominum deprecatus, ait, *Abſit à te Domine, vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio. Non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.* Quàm importunè, ſiue non opportunè! Dominum conſulit famulus, Deum homo admonet? Quid minus opportunum orationé, quá Deus & conſilium, & admonitionem à famulo accipit? Porro Textus perſeuerantiam ſeu importunitatem huiuſmodi orationis exprimit, fatus, *Abraham verò adhuc ſtabat coram Domino* Gen. 18. Lipomanus, *In Chaldæo habetur, Abraham verò adhuc ſtabat in oratione coram Domino. In quo oſtenditur eius oratio continua.* Iam expendo vtramque orationis importunitatem. Non opportunè orat, qui Dominum admonet, importunè orat, qui preces haſce multiplicat. Rupertus, *Auſus fuit dicere Abſit a te, vt rem hanc facias. Conſulebat Domino fidelis famulus* adhuc orans. *Proinde mitis, & miſericors Dominus monitorem hominem non aſpernatur, & quodammodo arguentem non dedignatur, & eius petitioni annuit.*

Lipom.

60. *Aliquando opportunè patis, qui importunè obſecrat, inſtat.* Chryſ.

Illud expende, *Et quodammodo arguentem*, ſcilicet vt Paulus aiebat, *Inſta opportunè importunè*, 2. Tim. 4. Quomodo opportunè ſi importunè? Quia preces importunæ oſtenduntur, nempe tempore opportuno minimè effuſæ, & tamen quia importunæ ſiue inſtantes, multiplicatæ, perſeuerantes fuere, optatis donantur. Chryſoſtomus hom. 20. Dixit, *Nondum venit hora mea.* Intempeſtiuè poſtulas. *Poſtmodum fecit quod Mater dixerat.* Quare? Quia cùm preces intempeſtiuæ eſſent, multiplicatæ ſunt. Illud enim, *Quodcumque dixerit vobis facite*, inſtantiam explico, & in oratione perſiſtentiam.

***

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

Miraculi patratio.

TEXTVS.

VERS.6. ERANT autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundùm purifi-
cationem Iudæorum, capientes ſingulæ metrétas binas, vel ter-
nas. 7. Dicit eis Ieſus, Implete hydrias aquâ. Et impleuerunt eas
vſque ad ſummum. 8. Et dicit eis Ieſus, Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et
tulerunt. 9. Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat
vndè eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam: vocat ſponſum Architri-
clinus. 10. Et dicit ei, Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati
fuerint, tunc id, quod deterius eſt. Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.
11. Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ: & manifeſtauit gloriam
ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli eius.

COMMENTARIVS LITERALIS.

§. I.

De Hydrijs lapideis.

1. *Hydria quid?* ERANT *autem ibi lapidea hydria ſex poſita.* Quid Matri pietatis piè petéti pro filiis Filius pietatis fons denegaret? Aderant ſex amphoræ, ſeu aquaria vaſa ex lapide. Aqua à Græcis ὕδωρ ſiue *hydor* dicitur, à quo ductum nomen *hydria*, hoc eſt, *vas aquarium.*

2. *Quare inibi appoſita?* *Secundùm purificationem Iudæorum.* Indicat cuinam vſui vaſa inſeruirent. Erat Iudæis in vſu frequens purificatio, ſeu ablutio ſante Marco, *Phariſæi, & omnes Iudæi niſi crebrò lauerint manus, non manducant: tenentes traditionem ſeniorum, & à foro niſi baptizentur,* (id eſt, abluantur) *non comedũt. Et alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis, ſeruare baptiſmata* (ſeu ablutiones) *calicum, & urceorum, & æramentorum,* &c. cap. 7. Queis addo legales immunditias, propter quas etiam ſeſe ſolebant abluere. Aqua ergo, quæ in hydriis hiſce aſſeruabatur, erat incolarum frequentibus purificationibus præparata. Sic Caietanus, *Græca dictio eſt Hydria ab aqua deriuata. Latinè Aquales dicuntur. Conſueuerant Iudæi multis purificationibus uti, & propterea erant ibi Aquales cum aquâ mundâ, ad purificationem idoneâ.*

3. *De Hydriarũ menſura.* *Capientes ſingula metretas binas vel ternas.* Nõ ſolùm hydriarum numerus, ſed & menſura memoriæ traditur, vt Chriſti munificentia ampliùs innoteſcat. Vaſa erant magna. Duplicem ſenſum admittunt verba hæc: *Capientes,* &c Prior eſt Toleti: *Ex hydriis quadam capiebãt binas metretas: alia vero ternas numero definito.* Poſterior, capiebant ſingulæ hydriæ vel binas metretas, vel ternas: ita vt certum numerum metretarum, quem ſingulæ hydriæ caperent nolit Euangeliſta definire; ſed indefinitè dicat ſingularum hydriarum menſuram vel duarum, vel trium metretarũ extitiſſe. Haymo, *Non dixit Ioannes, Hydria alia capiebant binas metretas, & alia ternas: ſed ſingula binas vel ternas; vt intelligeres, quia aqualiter tenebant.* Attamen præferendam priorem expoſitionem duco, quam ex Caietano confirmo. *De-Eſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T. I. ſcribuntur Aquales illa non aquales: ſed alia binas, alia ternas metretas capientes.*

4. *Quanam menſura ſit Metreta.* Quænam menſura ſit Metreta? Continet authore Budæo lib. 5. de aſſe ex Dioſcor. cõgios decem. Decem autem congij ſexaginta ſextarios valent. Georgius Agricola lib. 2. de Menſur. Græcis, metretis tribuit congios duodecim ſextarios ſeptuaginta duos. Congius conſtat ſextariis ſex; ſextarius ſimilis eſt noſtro *Quartillo,* ſed maior. Metreta ergo iuxtà Budæi opinionem continet ferè almudem vnum cum dimidio. Iuxta Agricolæ autem circiter duos almudes continet. Epiphanius lib. de Ponder. & Menſur. *Artaba ſextariorum eſt 72. eandem menſurã habet & metreta iuxtà menſuram ſanctam.* Item *congius ſanctus ſextariorum ſex, quæ eſt duodecima pars metreta.* Quælibet itaque hydria capax duarũ metretarum quatuor almudes; capax verò trium metretarum ſex almudes capiebat. Integrum ergo dolium vini optimi quale illud fuit miraculo effectum liberaliſſimè Chriſtus nuptiali epulo largitus eſt.

5. *Authoris ſententia.* Profectò maiorem arbitror vini copiam è munificentiſſimo Domino profluentem extitiſſe, ſentiens cum Agricola lib. 1. de Menſu. externis metretam apud Syros menſuram eſſe ſextariorum centum & viginti Italicorum. Iudæam autem partem Syriæ quis abnegat? Idem Author admonet Battum, Metretam, Cadum, & Ceramium menſuras eſſe æquales.

§. II.

Hydriæ implentur, liquor fertur Architriclino mutatus in merum.

6. *Cur iuſſerit hydrias aqua impleri?* IMplete hydrias aquâ. An vacuæ hydriæ? Aut vacuæ, aut ſaltem minimè plenæ aquâ. Quare Dominus miniſtros aduocatos, ſiue à Virgine immiſſos iubet eas omnes aqua complere. Cur id iuſſerit? An vt miniſtri teſtes exiſterent oculati, qui immittentes aquam, merum hauſerunt? *Chryſ.* Chryſoſtomus, *Cur Chriſtus* (hom. 21.) *hydrias aquâ nõ impleuit, deindè in vinum vertit; ſed miniſtros implendas mandauit? Vt miraculi miniſtros ipſos teſtes haberet, qui aquam hauſiſſent: ne qua fraus, ne quod præſtigium putaretur.*

7. *Vinum optimum.* Chryſ.

Obſequium miniſtri à Deiparâ inſtructi ad obedientiam, iubenti Domino præſtitere, aquámque ſex hydriis infuſam Conditor Chriſtus ſubitò conuertit in merum. Quale? Chryſoſtomus exiſtimat fuiſſe ſuauiſſimum. Quæ enim per miraculum præſtabat, naturalibus præſtantiora erant. *Fecit aquam vinum, nec ſimpliciter vinum, ſed vinum optimum, Eiuſmodi enim ſunt Chriſti miracula, vt quam qua natura perfecta ſunt, longè pulchriora, melioráque reddantur.* Cyril. Cyrillus, *Non aliter niſi optimum vinum eſſe poterat, quod factum à Chriſto miraculosè fuit.*

8. *Id teſtatur Architriclinus.* Theoph. Euthym.

Teſtor Architriclinum fantem. *Bonum vinum ſeruâſti vſque adhuc.* Theophylactus, *Vinum fecit Chriſtus optimum. Hæc enim, quæ per miracula Chriſti ſunt facta multo meliora his ſunt, quæ per naturam ſiunt. Quòd verò optimum fuerit, Architriclinus teſtatus eſt.* Et Euthymius, *Non ſimpliciter aquam vertit in vinum, ſed in bonum vinum,* Sicut Architriclinus teſtatus eſt.

9. *Cur merum fecerit ex materia.* Chryſ.

Cur vinum ex aquâ, & non ex nihilo effecerit? Credo, vt miniſtris aquam hydriis infundentibus, & haurientibus, miraculum ampliùs innoteſceret. Chryſoſtomus, *Aliud eſt ſubiectæ materiæ qualitatem mutare, aliud ipſam ſubſtantiam ex nihilo facere. Hoc profectò mirabilius, non tamen ita credibile. Hac gratiâ nonnunquam miraculorum magnitudinem Chriſtus conſultò imminuit, vt facilius crederentur.* Thom. Et D. Thomas, *Ex nihilo aliquid facere maius eſt, & mirabilius, quàm facere aliquid ex ſubiectâ materiâ; ſed non eſt ita euidens, & credibile multis. Et ideo volens Chriſtus magis credibile eſſe, quod fiebat, ex aquâ fecit vinum, capacitati hominum condeſcendens.*

10. *Cuiuſnam coloris vinum?*

Cuiuſnam, rogas, coloris miraculoſum extiterit merum? Aſſerit Eccleſia fuiſſe rubrum canens, *Aquæ rubeſcunt hydriæ.* Reſpondeo licèt vinum eſſet eius coloris, quod apud noſtrates album vinum vocitatur, hymni verba congruere; omnia etenim alba mera antè conditionem (vulgariter, *antes de darle color*) aſſolent rubri coloris ſpeciem immittere, de quo Salomon *Vinum cum flaueſcit*: Attamen veroſimile valde omnino rubri fuiſſe coloris, (quod appellamus *tinto*,) vt miraculum eſſet euidentius.

11. *De Architriclino.*

Haurite nunc, & ferte Architriclino. Poſtquam oculati miraculi teſtes hydrias aquâ ad ſummum vſque compleuerunt, illáque ſuauiſſimum tranſiuit in merum, Dominus imperauit, vt ex hydriis non iam aquam, quam ipſi infuderant, ſed merum, quod ipſe fecerat, haurirent, & Architriclino propinarent. Quid *Architriclinus*? A triclinio, triclinij Princeps. Græcè κλίνη *lectus* dicitur. Vndè triclinium locus trium lectorum appellatur. Nam antiqui in lectis diſcumbentes cibum ſumebant, quibus molles ſternebantur culcitræ. Iuuenalis Sat. 5.

Tertia ne vacuo ceſſaret culcitra lecto.

Igitur D. Thomas Architriclinum principem fuiſſe, ſeu primum inter conuiuas aſſerit: ideoque iuſſiſſe Dominum ei vinum primò inter diſcumbentes propinari. Lyranus, *Architriclinus ſignificat eum, qui principaliter inter conuiuas ſedebat. Et probabile eſt,* (addit) *quòd fuerit aliquis Sacerdos illius temporis, qui ſtabat in nuptiis, ad benedicendum, & ad oſtendendum, qualiter debebant procedere ſecundum legem, & ſtatuta ſeniorum.*

12. *Aſſero Architriclinum*

Affirmo Architriclinum fuiſſe miniſtris conuiuij præfectum ad quem attineret curare, quòd ordine debito fercula menſæ inferrentur, & quod vinum propinaretur. Sic Euthymius, *Architriclinum dicit Euangeliſta conuiuij præfectum, qui conuiuium procurat; triclinia enim vocantur aulæ conuiuiorum.* *propoſitum conuiuij.* Euthym.

13. *Probabiliter Sacerdotem.* Gaudent.

Probabile puto huiuſmodi præfectum de ordine fuiſſe ſacerdotali, antiquiſſimi D. Gaudentij teſtimonio hæreſcens. *Nuptiæ* (inquit tract. 9.) *apud Iudæos cùm fierent vnus (quantum traditione comperimus) dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitimè gubernaret, pudoriſque curam gereret coniugalis. ſimul etiam conuiuiorum apparatui miniſtros, atque ordinem diſpenſaret: & pro hoc officio Architriclinus, id eſt triclinij præpoſitus dicebatur.*

14. *Cur merum Architriclino propinaturi*

Rogas, quare Dominus ferri iuſſerit merum Architriclino. Quia ipſe conuiuium procurabat? Quia volebat Dominus ipſum conuiuij præfectum teſtem eſſe miraculi? Quia Architriclinus menſæ non decũbebat, ſobrióque palato de vini præcellentis ſapore, odoréque ſingulari iudicare poterat: Tertiam hanc admitto, & retineo cauſam, quam ex Chryſoſtomo confirmo. Chryſ. *Non dixit Euangeliſta conuiuas de miraculo tuliſſe ſententiam: ſed Architriclinum, qui ſobrius nihil adhuc guſtauerat. Etenim nemo ignorat in huiuſmodi conuiuiis munera maximè ſobriis, & temperantibus demandari quorum ſolum officium eſt, vt debito ordine, & apparatu omnia diſpenſentur. Idcirco ſobrium virum in miraculi teſtimonium adduxit. Non enim dixit Chriſtus, vt recumbentibus miſcerent, ſed ferrent Architriclino.* Et Theoph. *Iubet Chriſtus vinum guſtandum dari Architriclino, qui ſobrius erat.*

§. III.

Architriclini de vino ſententia.

15. *Guſtat, non bibit.* Caiet.

VT autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam, &c. Guſtauit Architriclinus ſolum pro munere ſuo aquam vinum effectam, Caietano authore. *Guſtauit*, an bibit? Guſtauit ſolummodo. *Non dixit Euangeliſta* (cum Caietano loquor) *bibit vinum, ſed guſtauit, ad ſignificandum officium Architriclini.* Admirandum tum ſaporem, tum odorem perſentiens, ignorans vndenam tam ſuaue merum aduentâſſet, (quod miniſtri ſciebant) aduocauit ſponſum, ab ipſo rogaturus.

16. *Quonammodo vocarit ſponſum?*

Vocat ſponſum Architriclinus. Colligam ſponſum menſæ non accubuiſſe, ſed generalem omnium geſſiſſe curam; quia ſi accubuiſſet, non eſſet ab Architriclino vocatus? Exiſtimo haud veroſimile, ſponſum, propter quem conuiuium nuptiale in communi triclinio fiebat inter conuiuas cibum non ſumpſiſſe, & Architriclini geſſiſſe munus, quaſi duo opera Architriclini eſſent. Vocauit quidem Architriclinus non recumbens recumbentem ſponſum, & à remotiori loco hunc in morem compellauit.

17. *Accumbens audit, & reſpondet ſponſus.*

Heus tu, omnis homo primò vinum bonum ponit: poſtremo loco deterius. Tu ordinem inuertiſti: vinum præcellentiſſimum in finem præter morem reſeruâſti, peius initio conuiuis propinari iuſſiſti. Nam licet bonum primò miniſtratum vinum fuiſſet, in conſpectu ſuauiſſimi à Domino facti meri quaſi aceſcere videbatur. Admiratione correptus ſponſus ſe rem ignorare adfirmauit. Tum à miniſtris miraculum patefactum eſt, omnibus videndi ſtudio ad hydrias accurrentibus communi lotioni in loco communi nuptiali (me authore) appoſitas, eaſ-

que

que præcellenti mero ſuauiſſimum odorem halante plenas reperientibus.

18. *Primum cur bonum vinum ponitur?*

Omnis homo primum bonum vinum ponit. Cur bonum vinum priori loco propinaretur? Quoniam conuiuij initio ſenſus ad iudicandum de vini ſapore acrior eſt: poſteaque cibo hebeſcit, ac potu.

19. *Quid ebrietas hæc?*

Et cum inebriati fuerint. An ebrietas hæc mentis ex immodico mero alienatio? Minimè, ſed potus ſignificat abundantiam. Adnoto denique neque ſponſum, neque Architriclinum quidquam de miraculo cognouiſſe, antequam patraretur: atque adeo Virginem ſubmiſſâ voce clam cum Filio de miraculo egiſſe.

§. IV.

De initio ſignorum Ieſu.

20. *An hoc miraculum abſolutè primum?* Chryſ. Zachar. Hugo.

HOc fecit initium ſignorum Ieſus in Canâ Galilææ. Num hoc miraculum primum abſolutè extiterit? Reſpondet Chryſoſtomus primum fuiſſe eorum, quæ in Canâ Galilææ geſſit, *Inter multa ſigna*, (ait Zacharias in concor.) *quæ fecit in Canâ Chriſtus, fuit hoc primum.* Et Hugo Card. *Non dicit Euangeliſta abſolutè primum ſignum: ſed in Canâ Galilææ primum.*

21. *Primũ fuiſſe miraculum aſſero.* D. Thom. Caiet. & alij.

Communi hæreo opinioni aſſerenti primum miraculorum abſolutè fuiſſe. Sic D. Thomas, Caietanus, Lyranus, Carthuſianus, Maldonatus, Toletus, Barradius, Cornelius, & alij. Id ſignificat Ioannes, *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus.* Id eſt, hoc miraculum fuit initium miraculorum Ieſu; ergo antea aliquod miraculum minimè excitàrat. Alioqui illud non hoc, initium ſignorum fuiſſet. Quid aliud innuit illud: *Manifeſtauit gloriam ſuam*, nondum alio miraculo manifeſtatam? & illud: *Et crediderunt in eum Diſcipuli eius*, qui hoc primum miraculum aſpectarunt?

22. *Exponitur Ioannes.*

Quid reſpondendum alterius ſententiæ Doctoribus? Particula *Canâ Galilææ* non ſignificat hoc fuiſſe primum ſignum ex iis, quæ fecit in Canâ: ſed voluit Euangeliſta locum ſignare, in quo primum miraculum patratum fuit. Si autem loqueretur de miraculorum apud Canâ Galilææ primo, deberet etiam primum apud Ieroſolymam geſtorum aſſignare.

23. *Sententia roboratur.* Tertull.

Roboro ſententiam ex Patrum conſenſu aſſerentium primũ miraculum ab aquâ auſpicatum. Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 9. *Prima rudimenta poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias ab aquâ auſpicatur.* Hieronymus epiſt. 83. ad Ocean. *Saluator primum ſignum in aquis facit.* Epiphanius hær. 51. *Neque omninò Chriſtus aliquod diuinum ſignum ante tentationem fecit. Tertiâ die factum eſt primum* Ambroſius ſerm. 19. *Dicitur Chriſtus hoc primum feciſſe miraculum, vt aquam mutaret in vinum.* Theophylactus, Euthymius, Chryſoſtomus conteſtantur.

24. *Cur nullum factum à Domino in pueritia ſignum?* Thom.

Colligo Chriſtum in pueritiâ nullum miraculum excitâſſe. Nam ſi primum mirum Chriſtus geſſit in nuptiis; ergo ante nuptias nullum geſſerat. An non ex ſententiâ D. Thomæ 3. p. q. 43. a. 3. miracula à Chriſto facta ad doctrinæ confirmationem? Sanè: ergo non debuit excitare miracula antequam docere inſtitueret. Addo ex Chryſoſtomo hom. 16. in Ioan. Si miracula in pueritia geſſiſſet, notus populo haud opus fuiſſet à Ioanne manifeſtari. Præterea, *Non immeritò* (ait idem Doctor hom. 20.) *à teneris annis Ieſus à miraculis abſtinuit, arbitrati enim eſſent, ſe præſtigia videre. Nam ſi annorum acceſſu id ſuſpicati ſunt, quid de puero credidiſſent?* Ex Euthymio confirmo. *Docuit Ioannes, hoc principium fuiſſe ſignorum. Nam quia id ſcitu dignum erat, & ab alijs præteritum, ſcripſit illud. Vtpote ad hoc vtile, ne fides adhibeatur ijs, quæ dicuntur pueri Chriſti miracula. Hoc enim fuit initium ſignorum. Illa verò ſunt opus virorum, qui à veritate aberrauit. Nam ſi puer mirabilia operatus eſſet, id ſtatim omnibus innotuiſſet, neque Iſraëlitis fuiſſet opus Ioanne, vt eum manifeſtaret. Meritò ergo expectauit ætatem decentem viros, ne phantaſmata eſſe putarent, quæ fierent.*

Et manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli eius. Miracula enim Chriſtus geſſit; cùm vt ſuam gloriam manifeſtaret, tum vt ex manifeſtatione fidem, ſibi hominũ conciliare poſſet. Chryſoſtomus hom. 47. in Mat. *Chriſtus propterea miracula fecit, vt cùm fide dignus videretur, ad ſe homines attraheret, & virtuosè viuere perſuaderet.* 25. *Cur miracula geſſerit* Chryſ.

Quonammodo Diſcipuli in Dominum credidere: Ampliorem fidem acceperunt. Theophyl. *Quod Diſcipuli eius crediderunt in eum, ita intellige, quod fidem ampliorem, & firmiorem acceperint: quia & prius quidem crediderant, ſed non tam firmiter.* Haymo, *Crediderunt Diſcipuli in eum, non quòd anteà nõ credidiſſent, quia niſi credidiſſent, nullo modo eum ſequerentur. Sed firmius crediderunt, quàm antea credidiſſent.* 26. *Quænam credulitas Diſcipulorum?* Theoph. Haymo.

An crediderint firmius eſſe Deum? Exiſtimo, hoc tempore Chriſtum Deum eſſe, minimè credidiſſe, ſed firmius tenuiſſe eſſe Meſſiam. Hoc tempore inquam, id eſt, ante miraculi huius patrationem. At poſt miraculum Deum credidiſſe. Vnde D. Thomas aſſerit poſt miraculũ credidiſſe in eum, tanquam in Deum: ante miraculum credidiſſe ei tanquam viro bono iuſta prædicanti. Adhæret Caiet. Ambr. ſer. 20. affirmat credidiſſe in omnipotentiam Saluatoris poſt miraculum. Cyrill. lib. 1. de rectâ fide ad Regin. *Cùm crediderunt Diſcipuli in Chriſtum, num in hominem ſanctum ſimpliciter? quia & antè ſignum ſecuti ſunt eum admirantes vt ſanctum. Sed propter ſignum contuiti ſunt eum habere virtutem, ac poteſtatem maiorẽ, quàm homines. Vnde crediderunt tanquam in Deum. Sciendum autem, quòd multi Sancti fecerunt multa, & admirabilia, & admirati quidem ſunt multi: nullus autem in eos credidit.* 27. *An crediderint eſſe Deũ*

Diſcipuli eius. Quinam fuerint hi Diſcipuli, qui cum Chriſto ad nuptias ſunt inuitati, & viſo miraculo crediderunt? Epiph. hær. 51. *Tertiâ die factum eſt diuinũ ſignum, cùm quidam Diſcipuli cum Chriſto eſſent: non Andreas, non Petrus, non Iacobus, non Ioannes.* Cognoſcere datur, quòd etiã alios Diſcipulos ſecũ aſſumpſit, qui cũ ipſo manſerant; fortaſſis ipſum Nathanaël, & Philippum, & alios quoſdam. Nam Andræas, & qui cum ipſo erant, ſeceſſerant. Qui verò apud Chriſtum manſerunt, vocati ſunt ipſi ad nuptias. D. Auguſtinus lib. 2. de Conſ. cap. 17. eos, qui cum Chriſto ſunt inuitati Diſcipulos ait per anticipationem hoc ſenſu appellatos: *Vocati ſunt Diſcipuli ad nuptias, id eſt, qui poſtea fuerunt Diſcipuli, ſed nondum erant.* Quemadmodum dicimus Apoſtolum Paulum natum in Tharſo Ciliciæ, cum tamen, 28. *Quinam hi Diſcipuli?* Epiph.

quo tempore natus eſt, nondum eſſet Apoſtolus.

29. *Authorum ſententia.* Profectò incertum eſt, quinam Diſcipuli tunc Chriſtum ſecuti fuerint. Attamen ex Ioannis cap.1. colligo Diſcipulos hic Petrum Andream, Philippum, & Nathanaëlem appellari, quos iam Chriſtus prima vocatione conciliarat, ob quam iam Diſcipuli appellabantur. Fauet Ambroſius ſerm.2. hos Diſcipulos vocans Apoſtolos. *Prædicanda Apoſtolorum fides, quæ viſo vno ſigno credidit in omnipotentiam Saluatoris.* Nondum tamen Apoſtoli erant, ſed Apoſtoli dici poterant, quod poſtea ſunt electi.

IN IESVM NATVRÆ DOMINVM,

PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX MIRACVLI PATRATIONE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba:

Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum.

Sex hydriis Dominus totidem cæleſtis doctrinæ documenta prælibat, quam quidem ſalutarem doctrinam miraculo intendit confirmare.

Vbi Euangelij miniſtri edocentur, cuncta opera in proximorum vtilitatem gerenda. Coniugati, dilectionis vinculo colligari. Virgines ſuum ſtatum coniugio præferendum. Sponſi, Chriſtum ad nuptias inuitare. Peccatores, Deiparæ neceſſariam protectionem. Chriſticolæ ex Gentibus, mero gratia potari ex virtutum exercitamento.

30. *Chryſoſt.* Recolo Chryſoſtomi ſententiam hom.47.in Mat. *Chriſtus propterea miracula fecit, vt cùm fide dignus videretur, ad ſe homines attraheret, virtuosè viuere perſuaderet.* Aquâ repleri hydrias imperat, quæ in merum conuerſa (ex mente Andreæ Cret.) conuiuis propinatur, documentorum ſalutarium infundens dulcedinem.

31. *Cuncta opera in proximorum ſalutem gerenda ab Euangelij miniſtris.* Primò edocet Chriſtus Euangelij miniſtros, cuncta ad proximorum vtilitatem eſſe gerenda. Apoſtolis ad mira edenda poteſtas exhibetur. *Sermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Mar. vlt. Ac ſi diceret poteſtatem ad patranda miracula eis ſolummodo traditam in fidei cõfirmationem, ad proximi ſolummodo vtilitatem. Abulenſis Mat.10.q.58. *Conceſſit Deus Apoſtolis tot genera miraculorum, quo quidquid audientes peterent ab eis, ipſi facere poſſent. Nam illi non peterent, niſi quod eis erat vtile. Si autem peterent, quod facerent ſtare Solem, &c. etiamſi Apoſtoli poſſent facere, non deberent. Quia iſtud non erat ad vtilitatem, ſed ad curioſitatem,* &c. Petit Diabolus apud deſertum a Ieſu, *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Mat.4. Id quod Dominus minimè præſtitit; quia nulla inde vtilitas proximi oritura. Gregorius hom. 4. in Euang. *Gregor.* *Ad hoc miracula coruſcant, vt corda videntium ad fidem inuiſibilium pertrahant.* An diabolus crediturus? Auguſtinus ſerm.41.de verb.Dom. *Auguſt.* *Non fecit Chriſtus de lapidibus panes, qui vtique ſic potuit facere ſicut de aquâ vinum. Recole quando fecit de aquâ vinum, quid addidit Euangeliſta: Et crediderunt in eum Diſcipuli eius. Numquid tunc diabolus fuerat crediturus?*

Secunda ex hydriâ potum hauriant ſponſi. 32. *Coniugati dilectionis mutuæ vinculo colligentur.* *Qui nuptias* (ait Euthymius) *condiderat, venit, vt eas honoraret.* Quam venerabile coniugium, quod à Domino honoratur! Chryſoſtomus ex præſentiâ Chriſti colligit Matrimonij ſanctitatem. *Euthym.* *Matrimonium* (ait hom.12.ad Col.) *non eſt theatrum, eſt myſterium, & res magnæ typus: etſi ipſum non reuerearis, reuerere id, cuius eſt typus.* Mente voluens Paulus Dominum Eccleſiæ ſponſum fidelium nuptias honorantem fatur, *Viri, diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiam.* Epheſ.5. *Epheſ.5.* Chryſoſtomus hom.38.in Gen. *Chryſ.* *Illa vera ſunt diuitiæ, illa maxima ſunt facultates, ſi vir cum muliere non diſcordet, ſed coniuncti ſint vt corpus vnum. Tales & ſi in paupertate ſint, ſunt beatiſſimi.* Hom.10.ad Coloſſ. *Nihil amarulentius, quàm ſi viro pugna ſit aduerſus vxorem.*

Tertia ex hydriâ iidem coniuges compotentur. 33. *Chriſtum felix inuitet coniugium.* Vt nuptiæ feliciſſimæ ſint, Chriſtus eſt aduocandus. O felix matrimonium, de quo verè, *Eſt Mater Ieſu ibi, & vocatus eſt Ieſus ad nuptias.* Haud deerit vinum lætitiæ, de quo Auguſtinus lib.9.de Gen.ad liter.cap.7. *Bonum nuptiarum tripartitum eſt, Fides, Proles, Sacramentum.* Quàm fidelem, quàm fœcundam plerumque ſortitur vxorem, qui ad nuptias aduocat Saluatorem! Sed qui dæmonem ad nuptias inuitat actionum præmiſſarum impudentiâ vinum videbit conuerſum in aquam adulteria, rixas, liberorum iniquitatem, domuſque experietur perturbationem. Tobiam audite, *Domine, tu ſcis, quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſolâ poſteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum.* cap.8. Ante coniugium ſit fœmina ſoror, poſt coniugium autem ſit ſoror ſponſa ſolo affectu liberorum accipienda.

piendæ. Clemẽs Alex.lib.2.pædag.c.10. *Iis qui matrimonio iam iuncti ſunt ſcopus ſit liberorum ſuſceptio.* Qui autem nondum iuncti ſunt matrimonio adeo debent debent puritate fulgere, vt nec intuitu filiorum (vel cogitatione) debeant futuram coniugem aſpectare.

34. *Præferendum virginitati coniugium.* Hiero.

Quarta ex hydria poculum virginibus miniſtrabo. Si Ioannem ſponſum nuptiarum honoratot Chriſtus ad virginitatem tuendam adduxit, approbat quidem nuptias, ſed præferendam aſſerit continentiam. Hieronymus epiſt. ad Euſt. *Non eſt detrahere nuptiis, cum eis virginitas antefertur. Glorientur & nuptiæ cùm à virginibus ſint ſecundæ.* Et lib.1. adu. Iouin. *Eccleſia matrimonia non damnat, ſed ſubycit.* Loth Angelus, *In monte ſaluum te fac.* Gen. 19. Mons tutiſſimus virginitas, aut continentia eſt. Gregorius 3. p. Paſt. Admo. 28. *Sodomam fugere, eſt illicita carnis incendia declinare, altitudo verò montium eſt munditia continentium.* Aſt coniugium eſt Ciuitas parua de quâ Loth, *Eſt ciuitas parua, & ſaluabor in ea.* Ibid. Vbi idem Doctor, *Quaſi paruam ciuitatem inueniunt coniugati, in quâ ab ignibus defendantur. Quia coniugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira eſt*, (vt continentiæ mons) *ſed tamen à ſuppliciis ſecura.* Theophylactus 1. Timoth. 4. virginitatem præſtantiſſimo auro vult ſimilem, inferiori coniugium argento. Hieron. citat. *Laudo nuptias, ſed quia virgines generant. Collige de ſpinis roſam, de terra aurum, de concha margaritũ.* Et lib.1.con.Iouin. verſans illud Cant.1.ex LXX. lectione: *Similitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argẽti*, fatur. *Antequam reſurgeret Dominus, & Euangelium coruſcaret, non habebat aurum Sponſa, id eſt virginitatem: ſed ſimilitudines auri. Argentum autem quod in nuptiis habere ſe pollicetur, habebat varium, atque diſtinctum in viduis, continentibus, ac maritatis.*

Gene. 19. — Theoph. — Hiero.

35. *Deipara neceſſaria protectio, pietas ineffabilis.*

Ex amphorâ quintâ ſuauiſſimum Deiparentis miſericordiæ merum propinabo. *Et erat Mater Ieſu ibi.* Præmiſſa-ne à Domino ad nuptias venturo, an ab hominibus ad conuiuium inuitata? Profectò & Dominus acceſſurus Matrem immiſit; & homines Chriſtum aduocaturi, Matrem priùs aduocarunt; quia Chriſtus ſine Mariâ minimè incederet. Caietanus, *Ideo præmiſit Matrem, vt intelligamus, quia ratione Matris vocatus eſt & Ieſus.* Chriſtus ergo volens nuptiis præeſſe, vtrique ſponſo dominari, inuitari ad conuiuium, præmiſit Matrem, hoc eſt, menti illorum immiſit, vt Virgini præſtarent obſequium, ſciens non poſſe Virginem apud homines commorari, niſi Chriſtum ipſa afferat ad conuiuium ſuggerens nobis, vt ipſum inuitemus. O quàm neceſſaria egentibus Mariæ præſentia! ſiti æſtuans cur pietatis non accedis ad fontem? *Vinum*, inquit, *non habent.* Bernardus ſer. 1. de Nupt. *Quid de fonte pietatis procederet niſi pietas? Quid mirum ſi pietatem exhibent viſcera pietatis?* Et ſer. 2. *Si piè à nobis Virgo fuerit pulſata, non deerit neceſſitati noſtræ.* Videnam colligis? Non inuocata ſuccurrit ſponſis: ergo inuocata nobis opitulabitur. *Si compaſſa eſt verecundiæ illorum, à quibus fuerat inuitata:* (ſed non inuocata:) *multò magis compatietur nobis ſi piè inuocata fuerit.* Impetrat proculdubio petens, quia ſollicita Filij explorat voluntatem. *Vinum non habent. Quam breuiter*, (Abbas ait de 12. grad. ſuper. *quàm reuerenter Virgo ſuggeſſit, vnde piè fuit ſollicita. Non frontosè acceſſit, non palam locuta eſt; priuatim potentem Filium adiit, non potentiam tentans, ſed voluntatem explorans.*

36. *Vberrimè Chriſticolæ ex Gentibus mero gratiæ potamur ex virtutum exercitamento.* Cypr.

Denique Hydria ſexta nos ſitientes totâ Hydriarum potat abundantiâ. D. Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcil. ſcribit vini in Canâ defectum ſpiritualis gratiæ in Iudæorum populo deſignaſſe. *Vinea Domini exercituum domus Iſrael eſt; expectaui, vt faceret vuas, fecit autem labruſcas.* Iſa. 5. *Quia apud Iudæos* (ait Doctot) *defecerat gratia ſpiritualis, defecit & vinum in Canâ Galilææ: vinea enim domus Iſrael eſt. Chriſtus autem oſtendens Gentium populum ſuccedere, de aquâ vinum fecit. Aquas namque populos ſignificare Scriptura declarat*, Apoc. 17. Siti igitur, deficiente mero, Iudæi premebantur, Chriſticolæ autem ex Gentibus vberrimè potamur, ſex ſimul hydriis in potum cedentibus. Bernardus ſerm. 1. aſſerit ſex hydrias in Eccleſia ſecundùm purificationem Chriſtianorum collocari. *Prima eſt compunctio; ſecunda Confeſſio; tertia eleemoſynarum elargitio; quarta remiſſio iniuriarum; quinta afflictio corporis; ſexta obedientia præceptorum.* E ſingulis licet tibi vina meri exhaurire.

Observatio II.

Ad illa verba:

Quodcumque dixerit vobis facite.

Non verbi externum ſonum, ſed internum præcipientis Domini affectum obedientiæ magiſtra Maria exequitur.

Perfectus etenim obediens præcipientis paret ad nutum.

37. *Ieſuitarum obedientia ad Superioris nutum Mariana prophetica obedientia imitatrix eſt.*

PRÆMITTO ſapientiſſimum Barradium noſtrum fantem. *Quid mirum, ſi obedientiam doceat ea, quæ non Matrem, ſed obedientiſſimam ancillam ſe appellat Domini.* Profectò *ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ: ſic oculi noſtri, &c.* Cur ancilla in manus dominæ aſpiciens deſcribitur? Quia obediẽtiſſimus ſubditus non prolata attendit ſolùm ad verba, vt exequatur: ſed nutus contemplatur, actionum præſcripta veſtigare curat, vt mandet executioni. Virgini precanti Dominus dixerat, *Quid mihi, & tibi eſt, mulier? nondum venit hora mea.* Queis verbis videtur Deipara repulsâ affecta: & tamen miniſtris præſcribit: *Quodcumque dixerit vobis facite.* Si Dominus renuit miraculo operam dare, cur præparationi conuerſionis mirabilis aquæ in merum incumbit? Quia verborum Virgo non ſolùm attendebat imperia percallere: verum & nutus, veſtigatura voluntatem Domini, aſpicere curabat. Et quidem Filius cum Matre dilectiſſima loquẽs eâ ſubmiſſione, eâ animi alacritate negaret, vt colligeret Virgo promptam ad effectum præparationem. Vos ô Ieſuitæ ad nutum voluntatis Superioris contemplandum aduoco, vt de mente & præſcripto Parentis Ignatij obedire à Virgine ediſcatis. Queis illud Diuus Hieronymi lubet aptare de regul. Monach. c. 10.

Hiero. *Obedientia prophetas.*

Subditi anto conabantur iuſſa implere, quam forent omiſſa, & quibuſdam quodammodo indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis. Veſtra obedientia ad Superioris nutum quædam eſt prophetia.

38. *Virginis obedientia prophetabat, videbat quid Dominus vellet, cum verba non manifeſtaret.* Emiſſe. Maxi.

Quod igitur Ieſus facere cogitabat (loquor cum Emiſ. hom. Dom. 2. poſt Epiph.) *hoc Maria vt faceret, admonebat: inter ſe loquebantur Mater & Filius, ipſi ſe intelligebant, ipſi ſua ſecreta nouerant.* Obedientia etenim Virginis prophetabat. *Quibaſdam* enim *quodammodo indiciis nitebatur prophetare de mandantis voluntate.* D. Maximus hom. 1. in Epiph. *Venerabilis Maria ſollicitè miniſtros admonuit dicens, Quodcunque dixerit vobis, facite. Sciebat profectò Mater ſanctam obiurgationem illam Domini, Filiique ſui non iraſcentis offenſam prætendere, ſed miſerentis portare myſterium.* Quo nam modo *ſciebas?* Quia vera obediens quibuſdam quodammodo indiciis de voluntate mandantis prophetabat.

39. *Principes obedientiſſimi ad ſignum primum voluntatis obſequuntur, vulgus autem expreſſiorem vocem expectat, minime prophetare curans.* Ignat. Num. 10.

Egregij obedientis eſt ad ſignum aut nutum voluntatis Præpoſiti adſurgere in obſequium. Ieſuitis indixit D. Ignatius, *Aunque no ſe vea ſino la ſeñal de la voluntad del ſuperior, ſin expreſo mandamiento.* Ad primum ſignum voluntatis Præſulis Principes obſequentiſſimi exſurgunt, vulgares autem obedientes vocem expectant expreſſiorem. Moyſi Deus, *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare poſſis multitudinem. Si ſemel clangueris, venient ad te Principes & capita multitudinis Iſrael. Si prolixior, atque conſciſſus clangor increpuerit, mouebant caſtra.* Num. 10. O Ieſuitarum ſeu fortiſſimorum Eccleſiæ militum exercitus, Dei vox duplici more inſonat, vno quidem ſolum primum voluntatis imperantis ſignum exhibens, altero autem expreſſiori proferens accentu imperia. Porro Principes ad ſignum, ad nutum obediunt, vulgus militum expreſſiorem expectat præſcriptionem. Procopius, *Vnius tuba ſonitu conuocantur Principes acutiùs cernentes, & citiùs obedientes. At verò plebs conuocatur ad Tabernaculum Domini ſæpius à Moyſe repetito clangore.* Preme illud: *Principes acutius cernentes.* Cur non dixit, *Audientes?* Quia Principes obedientiſſimi non expectant audire vocem imperantis, eis ſufficit ſigna voluntatis ſine imperio expreſſo ſpectaſſe; quia Prophetico ſpiritu voluntatem mandantis intuentur.

Procop.

40. *Maria videns nutum audit Prophetia.* Pſal. 44. Chryſ.

Dauid fatur ſponſæ Matri: *Audi filia, & vide.* Pſal. 44. An ſimul cum Principibus obedientiſſimis Princeps Maria vocatur ad videndum ſigna voluntatis mandantis, & ſimul cum vulgo ad audiendum? Solummodo ad videnda ſigna aduocata eſt, quæ quidem vocis expreſſæ vicem exerat. Chryſoſtomus, *Audi ergo verba mea videns opera.* A te exigo Principum obedientiam, quibus videre ſigna, aut nutus, quaſi audire eſt. Videns igitur audi.

41. *Verùm obediens in morem ancillæ Domini Maria, ad manus reſpicit prophetans, ſine autem voluntatis ſpectat.*

Carmen Dauidicum initio obſeruationis datum vberius expendo. *Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Pſal. 122. Tanquam Prophetæ videntes ſint, non audientes, ad manus attendant, ex nutu, aut ſigno mandantis voluntatem coniectari curent. Hilarius, *Sicut in manibus dominorum oculi ſeruorum ſunt, ita ad Deum fidei ſuæ oculi intenti ſint; quia fidelis ſeruus ad omnem obedientiam voluntatis Dominicæ ſollicitos, indéque flexos oculos ſemper intendat.* D. Bruno accommodatior inſtituto. *Sicut oculi ſeruorum ſunt poſiti in manibus dominorum ſuorum attendentes in ipſas manus: vt quacumque horâ Dominus eis nutum fecerit, ipſi ſtatim obediant; & vt magis quid dicam, ſicut oculi ancillæ, quæ magis eſt ſubdita, & ad obediendum parata, ſunt poſiti in manibus dominæ ſuæ attendentes, vt ad ſolum nutum ſequatur obedientia: ita oculi noſtri interiores attenti ſunt ad Dominum, vt ei in omnibus eius voluntatibus* (nutibus quidem non vocibus expreſſis) *obediamus.* Ac ſi diceret, ſicut Domini ancilla Maria ad nutum voluntatis Dominicæ obedijt, ſic nos voluntati Domini, Præſulis expreſſæ nutibus, & ſignis, haud expectato vocis ſono, Prophetico quodammodo ſpiritu pareamus.

Pſal. 122. Hilar. Bruno.

Observatio III.

Ad illa verba:

Impiete hydrias aquâ.

Vilis aquæ commutatione, facili ſumptu magnum à Domino conuiuæ munus acceperunt.

Si enim Mundus magna commutatione vilia dona largitur. Deus commutatione nullâ, nullo ſumptu (leniſſimo vtique pretio) dona magna largitus eſt.

QVis non crederet audiens à Virgine, *Quodcumque dixerit vobis facite*, grauiſſimum à Domino imperandum laborem, ad egregium miraculum excitandum? Eis ſolummodò indicitur aquæ ad dolia aſportatio. Si vidiſti beneficia mundialia leuiſſima pluribus in labore, in facultatibus, in valetudine te incommodis affeciſſe: cæleſtia magno pretio habenda ducas, quæ egregia cùm ſint, nullo diſcrimine, nullo labore, aut ſumptu impenduntur. 42.

Nobis, Virginis interceſſione, ſic aquæ in vinum mutatæ beneficium eo more quodammodo impendit, quo Deiparenti ipſi optimum vinum Maternitatis propinarat. *Quo modo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Vineáne fiam Domini Sabbaoth botris onuſta vt cæleſti ſponſo poſſim dulciſſimum potum præparare ſine culturæ iniuria? *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, &c.* Luc. 1. ſine ſumptu, ſine commutatione, tibi ſitienti hominum ſalutem merum hoc propinabitur. An non ideo Dominus Matrem elegit, quæ virgo conciperet, virgo pareret, vt Maria merum ſine vlla commutatione deguſtaret? Proclus hom. de Nat. in Conc. Epheſ. to. 6. cap. 7. *Si ea, quæ genuit, virgo non permanſit: me. is, qui natus eſt, alius quàm purus homo extitit.* Quia eò differunt 43.

Deipara Maternitatis vinum ſine ſumptu propinatur. Luc. 1. Procl.

Deus

Deus & purus homo, quod hic magno præmiſſo ſumptu minima dona largitur, ille autem ſine vlla ſumptus præmiſſione ingentia munera impendit.

44. *Iſraeliticus populus e ſeruitute eripitur ſine vllo læſionis incommodo.* Exod. Caiet.

Moyſi Dominus apparuit in rubo oſtentans, quomodo Populum è ſeruitute eſſet liberaturus. *Vidit, quod rubus arderet, & non combureretur.* Exo. 3. Dominus in rubo, libertas ingenti coruſcatione beneficiorum in Populo Hebræorum. Rubus ſine læſione coruſcat, quia Hebræi beneficio liberationis egregio ſine vllo læſionis impendio afficiuntur. Acutè Caietanus, *Deſcenſus iſte fuit, ad liberandum Iſrael de Ægypto. Perſpicuum eſt autem, quòd Deus liberando Iſrael de Ægypto, fuit in ipſo populo tanquam ignea flamma lucens multitudine prodigiorum, & ardens in eorum cordibus, ad exeundum de Ægypto, ita vt nullus remaneret. Sic tamen in eis ardebat, vt nihil eorum conſumeret. Vſque adeo, vt cum infantibus, mulieribus, pecoribus, & vniuerſis facultatibus, & demum ſanitate corporis (ita quòd nullus in tanta multitudine erat æger) adduxerit eos. Dixit ergo Moyſes, Vadam & videbo.* Tam inſolitum homines ſine diſpendij vſurâ beneficio donari, vt vix mihi credibile obijciatur. O Moyſes iuſtè miraris, qui apud homines degis, ſed ad rubum accede, vt credas dum ſcias hoc beneficium à Deo hominibus præparari, nempe ſine ſumptus commutatione. Nec aqua doliis immittenda eſt, vt Hebræi libertatis mero inebriati exultent.

45. *Redemptionis merum ſine noſtro labore exoritur.* Iſa. 53. Leo Caſt.

Redemptionis merum torcularis Crucis effectus totius generis humani porrigitur in aceti corruptionis ablegationem. O quàm ſine hominum labore, & commutatione! *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Iſa. 53. Leo Caſtr. legit, *ſicut radicatus, & ſicut natus ex terra inuiâ, & inacceſſâ.* Quare vinum corruptioni hominum (ex Ruperti mente) præparatum è terra inuiâ ſiuè non inculta exoriturum prædicatur? Vt conſtet cæleſte beneficium nullius humani laboris facto ſumptu nobis impendendum. Vt liceat cum Auguſtino ſer. 18. de Temp. pane in vinum conuerſo, profari: *Vinum, quod in eremo terra produxit, eius ſemen*, aut propaginem *agricola nullus induxit.*

Auguſt.

45. *Mundialia bona penſione, ac ſummopere magno accipiuntur.* Matt. 4. Lyran.

O temporariorum bonorum inanitas! quanta penſione numquam non ſiti æſtuaturo in potum cedis! Qui panem obtulerat Saluatori apud deſertum, honorum mero eundem curans potare inquit, *Hæc omnia* (nempe Regna mundi expreſſa mendaciter) *tibi dabo, ſi procidens adoraueris me.* Mat. 4. Vbi Lyranus, *Princeps hominum mundanorum non per creationem, ſed per ſeductionem venit ad Chriſtum ipſum tentando. Hæc omnia tibi dabo.* Pone quod non eſſet penſio adorationis ſoluenda: admitteret Dominus munus oblatum? *Venit Princeps huius Mundi, & in me non habet quidquam.* Ioa. 14. Strabus, *Quia noluit Dominus habere, quod perderet: pauper venit, ne haberet diabolus, quod auferret.* Mundialia igitur bona gratis oblata non accipienda. liceat vulgariter expendere, *De valde ſon caros.* Quid ſi ſumptu exhibito ſacrilegæ adorationis, reliquarumque moleſtiarum commutatione recipienda offerantur? Alibi ſæpe.

Ioa. 14. Strab.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Implete hydrias aquâ.

Chriſtus quodammodò nolens à Mariæ precibus coactus eſt.

Ea enim vis orationis, vt Deum quodammodò nolentem ad effectum alliciat.

BEDA ad illud Mariæ, *Quodcumque dixerit vobis facite*, inquit: *ſciebat quidem Mater eius humanitatem Filij ſui, licet hoc modo videtur negare, quod poſcebatur: Mater tamen Filij ſciens pietatem, quod negare nollet, quod petebatur, fiducialiter mandauit miniſtris, vt mandata implerent iubentis Filij.* Quomodo ſi Chriſtus negat quod poſtulat Maria, pia Mater ſcit ipſum nolle abnegare? Quia ſcit Dominum quodammodo nolentem velle quod perſeueranter deprecans Mater poſtulauit. Impetrare à Chriſto vltrò volente miraculum, quid magnum fuiſſet: huiuſmodi vim inferre recuſanti, abnuenti, potentiæ Dei parentis precum eſt documentum. 46. Beda.

Luctatori Iacobo Angelus poſt pugnam diuturnam ait: *Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis.* Gen. 32. Vbi Theodoretus quæſ. 91. aſſerit Angelum magni conſilij, Verbum ſcilicet, cum Iacobo dimicaſſe. Pende illud: *Contra Deum fortis:* An Iacob à Domino renuente, inuito benedictionis munus impetrauit? Ex planè precum vires, vt quodammodo nolens Deus cogi videatur: Contra Deum fortis fuiſti. Quid mirum, ſi (authore Ruperto) naſcituræ ex Iacob Auroræ Mariæ inſtabat exortus? Maria precatur in parente, Marianæ precis vi cedit victoria, etiam dum Numen abnuens oſtenditur. An noſtræ preces vim inferent Deo?

47. *Iacob ex Mariæ reſpectu à Domino quodammodò abnuente benedictionem precibus extorſit.* Gen. 32. Theod. Rupert.

Amico illi tres panes poſtulanti amicus è cubili reſpondet, *Noli mihi moleſtus eſſe, non poſſum ſurgere, & dare tibi.* Addit Dominus. *Propter improbitatem tamen ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* Luc. 11. Alij, *Propter importunitatem.* Preme particulam, *Quotquot habet neceſſarios*, dabit, quia neceſſariò dandi ſunt. Chryſologus ſer. 39. *O quam neceſſitatis eſſe ſua, quod ſuæ poteſtatis eſt, vult videri.* Vndenam huiuſmodi neceſſaria Deo panum elargitio. Certè quia oratio Deum quodam modo nolentem cogit ad muneris collationem. Ac ſi diceret, Velim, nolim, profuſis precibus, poſtulata munera impendam. En non ſolum Deiparæ, ſed vel hominum quorumlibet preces Deum abnuentem quodammodo attrahunt ad beneficij elargitionem.

48. *A nolente Domino amicus importunus panes accipit, quaſi neceſſarium eſſet Domino id præſtare vi precum.* Luc. 11. Chryſol.

Aiebat Bernardus apud Amant. *Quando fidelis oratio fuerit, cœlum ſine dubio penetrabit; vnde certum eſt; quòd vacua redire non poſſit.* Non poſſit? An non Deus abnuit ſæpe ſe ſe noſtris precibus accommodare: Deum abnegâſſe petita plurimis in locis ſacra hiſtoria teſtatur. Deut. 1. 45. Iud. 10. 1. 2. Reg. 8. 18. & alibi ſæpe. Quonam modo igitur fruſtrari vis orationis non

49. *Semper Deus infallibiliter cōcedit, quod petimus, vel cum abnegat, quia non poteſt oratio vacua redire.* Bernar.

poteſt ? *Nemo noſtrum parui pendat orationem ſuam. Dico enim vobis, quod ipſe ad quem mittimus, non parui pendit eam. Poſtquam egreſſa eſt ab ore noſtro, ipſe ſcribit eam in libro ſuo, & vnum de duobus indubitanter ſperare poſſumus: quoniam aut dabit, quod petimus, aut quod nouit vtilius.* Cum aſſerit Scriptura Deum aliquid poſtulatum à nobis abnegaſſe, non omnino abnegatum fuiſſe reor, quia ſi non dedit, quod petimus, largitus eſt, quod nouit vtilius; illud enim ipſum abnegaſſe, dediſſe fuit. Nunquam igitur preces hominum fideles euaneſcunt, quia quodammodo cùm abnuit, annuere cogitur. Græcus ille, *Precis iuſta exauditor ſemper Deus.* Quia neceſſariò impendit, aut quod petimus, *aut quod nouit vtilius.*

Menan.

Observatio V.

Ad illa verba:

Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, id, quod deterius eſt: tu autem ſeruâſti bonum vinum vſque adhuc.

Mundus primò bonum vinum apponit, in fine fæces: (ſi ſic vocitandi labores) Deus autem primùm fæces, in fine meri ſuauitatem.

Vnde cæleſtium, ac terreſtrium bonorum diſſidio obiecto, ad cæleſtia inuitamur.

50. PRINCIPIS cæleſtis contemplare menſam, ex ſpecula comedentes, & bibentes intuere: ac ſimul mundialis conuiuij menti obiicias apparatum. Porrò Mundus primùm bonum vinum apponit, fæcibus fini conuiuij reſeruatis: Deus verò fæcibus initio propinatis, in finem meri ſuauitatem reſeruat.

51. Mundialis ille Diues *epulabatur quotidie ſplendidè.* Vinum ſuaue Mundus initio conuiuij propinauit, in finem fæcibus, ſeu æternâ ſiti reſeruatâ. *Recordare, quia recepiſti bona in vita tua, nunc autem cruciaris.* Luc. 16. Liceat mihi ſapientiſſimi, & piiſſimi Barradij noſtri ſententiâ hoc teſtimonium roborare. *Recepiſti bona in vita tua, hoc eſt, Omnis homo primùm bonum vinum ponit. Addit, Nunc autem cruciaris, hoc eſt, & cùm inebriati fuerint id, quod deterius eſt.*

Epuloni primum vinum bonum apponitur, in fine fæces. Luc. 16. Barra.

52. Aſſuerus Rex Aman ſuaue vinum conuiuij appoſuit initio. *Rex Aſſuerus exaltauit Aman, & poſuit ſolium eius ſuper omnes Principes, quos habebat; cunctique ſerui Regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman.* Defecit vinum, fæcibus ſub termino conuiuij dolia redundarunt. *Suſpenſus eſt Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo.* Eſt. 3. & 7. In cœnaculo Eglon mero inebriatur, inibi deficiente vino, fæx necis redundat. Iud. 3. Isboſeth in lectulo potatur nectare & fæcibus, lætitiæ ſuccedente mœrore, morte inſidias præparante. 2. Reg. 4. In conuiuio Amoni merum dulce nuptiale propinatur, fæces in eiuſdem epuli termino exhauſit, gladio irruente. 2. Reg. 13. Balthaſar initio conuiuij potatus, in fine aureis calicibus venenum abſumpſit. Dan. 5. Bibentibus atque edentibus dulciter amariſſima diluuij pocula superuenére. Gen. 7. Mundo denique in deliciis, voluptatibuſque à conuiuij initio vernanti, extremi diei amariſſima potio ſuperuenict. Mat. 24. *Ne intuearis vinum cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, & in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut Regulus venena diffundet.* Prou. 23. Blandè mundialis voluptatis merum ingreditur, ſuaue eſt initio conuiuij, ſed in termino Baſiliſcus.

Hanc menſæ mundialis conditionem pluribus exemplis oſtendo. Eſt. 3. Eſt. 7. Iud. 3. 2. Reg. 4. 2. Reg. 13. Dan. 5. Geneſ. 7. Mat. 24. Prou. 23.

53. Addit Salomon, *Quando ſederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ poſita ſunt antè faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo.* Prou. 23. Guttur tuum bono vino primùm appoſito indulcoratur? O quàm infallibiliter minax gladius conuiuij finem fæcibus faciet abundare! Tullium audi Tuſc. 5. *Cùm quidam ex Dionyſij Syracuſanorum Tyranni aſſentatoribus Democles commemoraret in ſermone copias eius, opes, maieſtatem, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaréſque vnquam beatiorem quemquam fuiſſe: Vis-ne igitur, inquit Dionyſius, ô Democle, quoniam hæc te vita delectat, ipſe eandem deguſtare, & fortunam experiri meam? Cùm ſe ille cupere dixiſſet, collocari dixit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo, magnificis operibus picto: abacóſque complures ornauit argento, auróque cælato, tum ad menſam eximia formâ pueros delectos iuſſit conſiſtere, eóſque ad nutum illius intuentes diligenter miniſtrare. Aderant vnguenta; coronæ, incendebantur odores, menſa conquiſitiſſimis epulis extruebantur, fortunatus ſibi Democles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſetâ equinâ appenſum demitti iuſſit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam; denique exorauit Tyrannum, vt abire liceret, quoniam beatus nollet eſſe.* Quis niſi Tyrannus menſam extrueret, quæ bono mero primùm redundans, fæcum gladium termino præparauit?

Cum merum deguſtas, gladium circa conuiuij finem intuere. Prou. 23. Tull.

54. O cæleſtis Sponſe ſeruans *bonum vinum vſque adhuc!* Hàc in vitâ amârâ, ſed dulcibus conditâ, poſt vitam omnia dulcia admodum elargitur. *Lazarus (ait Abraham) recepit mala in vita ſua, nunc autem hic conſolatur* Luc. 16. Chriſtus appoſitum ſibi vinum cum felle mixtum deguſtauit, non bibit. Mat. 27. Chriſticolæ non bibimus fellis amaritudinem, ſed paucis huius æui diebus deguſtamus. Fel epotant, & in viſcera tranſmittunt illi miſeri, qui æternùm cruciantur. Bernardus ſer. 12. & 13. int. paru. *Semper ſponſus noſter ſeruat ad vltimum bonum vinum; quod vero in eius comparatione deterius eſt, ante propinat dicens Eccl. 2. Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore. Si ex timore feceris te ipſius ſeruum, faciet te ex charitate amicum ſuum; & ſic aqua timoris commutabitur in vinum dilectionis.* Quam eligis menſam? Hanc-nè vbi nunquam fæces propinantur, ſed vinum bonum quidem cum laborum felle mixtum initio conuiuij, & in fine ebrietas æterna: vel illam, vbi mendacem dulcedinem verè felleam immortalis mortis amaritudo ſequitur, cuius calicis fæx non eſt exinanita?

Menſa Chriſti quam alia! Luc. 16. Mat. 27. Bernar.

LIBER

LIBER DVODECIMVS.

TRANSFIGVRATIO.

Paraphraſim, Commentarium Literalem, ac Panegyricos Morales circa literam perquire Tom.1.lib.... Quia tamen in Euangeliis de Tempore idem Myſterium vnâ & alterâ die inſtauratur, in vberiorem Concionatorum materiam, noui exponantur.

PANEGYRICI MORALES CIRCA Literam in Ieſum transfiguratum.

PROLVSIO.

DVM video Thaboris in vertice Chriſtum transfiguratùm, & albedine veſtis, & faciei fulgore vtrumque obcæcantem luminare, & de lumine exulto, & de calore veritus vmbraculum requiro. Ne Diſcipuli à fulgore nimio perſtringerentur, eos nubes lucida obumbrauit. *Nubes & lucida?* Ergò lux obumbrat, ergo lucem emittit vmbraculum. Richardus Victorinus de Deiparâ fatur, *Si lucida fuit nubes, quæ obumbrauit Diſcipulos, quàm lucida fuit nubes gratiæ, quæ obumbrauit Matrem Chriſti? Sed ſi illud vmbraculum, quod ei Spiritus ſanctus exhibuit, lucidum erat, ergo & lucem, & vmbram exhibebat.* Cæleſtis enim lux nunquam non cum vmbraculo colligatur. Lux gratia, Maria ipſa nubes obumbrans eſt, Diei nubes. Gratia connotat nubem Mariam, nubes hæc diei lucem ſimul exhibet, & vmbraculum.

Vitalis ligni Chriſti Admirabilis, ſiue miracula gerentis, FRVCTVS DVODECIMVS.

SECTIO PRIMA.

Transfigurati ſpecies.

TEXTVS.

VERS. 1. ASSVMPSIT Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum. 2. Et transfiguratus

tus eſt antè eos. Et reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. 3. Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.

IN IESVM TRANSFIGVRATVM, PANEGYRICVS MORALIS PRIMVS CIRCA LITERAM.

EX TRANSFIGVRATI SPECIE.

OBSERVATIO I.

Ad illa verba;

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.

Egregios teſtes Chriſtus adducit, vt poſſint aſſerere Transfigurationis gloriam.

Laudes enim proximi difficilè creduntur, etiam poſt teſtium aſſertionem; cùm opprobria, aut defectus ſine teſte credantur.

1\. TESTES Dominus ad Transfigurationis miraculum aſſerendum adduxit Petrum, Iacobum, & Ioannem omni maiores exceptione. *Hi enim* (ait Euthymius) *erant reliquis præſtantiores, Petrus fide feruebat, Ioannes erat ille dilectus, Iacobus grauis erat Iudæis, qui gratiam habuerunt Herodi, quando Iacobum occidit.* Et quare ad Transfigurationis aſſerendum Myſterium tot teſtes illuſtres adhibentur? Quia difficilè egregia de proximo creduntur facinora. Si opprobria eſſent prædicanda, ſine teſte illicò crederentur.

Euthy.

2\. *Loquebantur* (ait Matthæus noſter) *de exceſſu, quem completurus erat in Ieruſalem.* Euthymius, *loquebantur de Cruce. Alij libri dicunt, loquebantur de gloria: Crux enim, quæ alijs probrum fuit, Chriſto gloria fuit. Quis enim non glorificet Chriſtum, qui pro nobis voluit crucifigi?* Poſt perfectum Myſterium Dominus teſtibus adductis, *Viſionem, quam vidiſtis, nemini dixeritis, donec Filius hominis a mortuis reſurgat.* Cur non addidit, *Viſionem, quam vidiſtis*, & ſermonem, quem audiſtis, (nempe illum de exceſſu, ſeu Cruce tractatum) nemini peruulgaritis, donec, &c.? Certè quia de Cruce, ac opprobrio paſſionis hiſtoria ſine teſte creditur, vt autem gloria viſionis credatur grauiſſimis teſtibus indigemus.

Ad Transfigurationis gloriam adhibentur teſtes: ad opprobria euulganda, vt credantur, teſtes neceſſarij non ſunt.

Euthy.

3\. Poſt Reſurrectionem Dominus Diſcipulis, *Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Act. 1. Cuiuſnam fidei articuli teſtes nos eſſe ab Spiritu ſancto roborati, inſtructi, præcipis? Hugo Card. *Eritis mihi teſtes Reſurrectionis verbo, & exemplo, & ſignis.* Vt credamini gloriam Reſurrectionis prædicantes, verbum proferte vitæ moribus probis colligatum. Proh hominum nequitia! Nec verbum exemplo addictum ſufficit? Addantur miracula: *Et ſignis.* Quare tot teſtibus egregijs ab Spiritu ſancto inſtructis qualitates adiiciuntur? Ea equidem eſt conditio hominis ad credenda aliorum illuſtria, vt teſtes indigeant tantâ pollere perfectione. Iam rogas, cur non eoſdem ad teſtificationem ſimul paſſionis, flagellorum, Crucis, necis induxit? Quia ad opprobriorum aſſertionem, (ex quibus Diuinitas quaſi obſcurata videbatur) neceſſaria non erat teſtium adductio, ipſæ vltrò res credibiles obiiciebantur.

Ab Spiritu ſancto inſtituuntur teſtes gloriæ Ieſu, *ſine teſte creditur eiuſdem mors.* Act. 1. Hugo.

4\. Ioannes Baptiſta *venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Ioan. 1. Ad quam teſtificationem proferendam tam magnus extitit ille vt neceſſium fuerit alterum Ioannem inclamare: *Non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine?* Quærit Rupertus lib. 1. in Ioan. *Quo indigebat lux hominum, vel quod ſibi proſpiciebat emolumentum, vt in conuenticulis hominum tantopere ſibi prouideret tam magni præconij teſtimonium? Num quòd parum luceret ipſa lux?* Imo quia multùm lucebat, opus erat egregio admodum teſte, vt ab hominibus crederetur. An Ioannes ſimul immittitur, vt teſtimonium perhiberet tenebrarum, illius ſcilicet Solis, cuius ſicut tenebræ eius ita & lumen eius? Certè licèt in cœleſti hoc luminari tenebræ non ſint vllæ, captus lumine ob hominum ſalutem apparuit, quam quidem lucis obſcurationem Ioannes non prædicat, quia adeo ex ſe prædicabiles tenebræ paſſionis, vt ſine teſtis aſſertione nullus poſſit dubitare.

Baptiſta vir magnus venit lucem teſtans præſtantiam, opprobriorum tenebræ ſine teſte viſibiles. Ioa. 1. Rupert.

5\. Quinque panibus Dominus quinque millia virorum præter fœminas, ac pueros apud deſerta pauit. Poſt epulum autem exactum Diſcipulis indicit, *Colligite, quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.* Ioa. 6. Cur fragmenta imperat aſſeruari? Baſilius Seleu. Orat. 33. *Ideo Dominus panes multiplicat præter neceſſitatem in potentiæ defenſionem.* Non ſolum quinque panes multiplicauit vſque ad [illegible] tot millium annonam, ſed vſque ad duodecim ſportas fragmentis opplendas vt in ore duodecim illorum teſtium tam glorioſum miraculum ſtaret. An non longè mirabilius Deum eſurire, mori, impaſſibilem

Ad miraculum panum duodecim teſtes adhibentur: ad famem Ieſu aſtruendam, teſtis neceſſarius non eſt. Ioan. 6. Baſil. Seleu.

paſſibilem pati? Ita planè. Teſtes ergo adhibeantur, vt credantur opprobria. O Domine Crux tua, paſſio, mors, reliquáque tuæ humanitatis teſtimonia credibilia facta ſunt nimis. Nun conſideraſti proximi immutationem, virtutem, compoſitionem morum, ſanctitatem? Quos adhibes teſtes? Improbus eſt, ſcandalorum excitator? Quiſnam aſſerit? Per ſe perſpectum eſt. Quantâ teſtificatione proximi quæque egregia non credimus: quàm ſine teſte eiuſdem opprobriis fidem exhibemus!

Observatio II.

Ad illa verba:

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.

Hi præcipuè ad Transfigurationis gloriam aſſumuntur amici, & propinqui Ieſu reliquis præſtantiores.

Nam ſi propinquus, & amicus celſioris meriti ſit, haud debet poſthaberi, quia propinquus, & amicus: ſed potiùs reliquis anteferri?

6. Ambro. AMBROSIVS aſſerit hiſce Diſcipulis electos à Domino ſanctos deſignari. *Multi viderunt Chriſtum in carne, & in Cruce. Sed non niſi electi vident eum in gloriâ. Tres verò* (electi præcipuè) *vident. Iudæi licèt ſuum Moyſem viderint à monte deſcendentem, non aſcendunt tamen in montem cum eo, vt Chriſtum videant.* Vndenam trium illuſtrium virorum priuilegium? ſpeciales amici Saluatoris, propinquitate eidem additi. An ô Domine prudentem Præſulem geris, propinquos & amicos eligens ad ſuperiora munera? Profectò ſi ſanctitudine, aut meritis reliquis ſunt præſtantiores, haud debent ex propinquitate, aut amicitiâ minus dignis poſtponi: ſed cunctis præferri. Liceat vulgariter mentem expendere. *No fuera buena razon de eſtado*, digniorem poſt habere, quia amicus, aut propinquus eſt.

7. *Amica, ac propinqua Domini adoleſcentula cunctis in honore, & muneribus præfertur.* Cant. 2.

Amica & *propinqua* Saluatoris ait, *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Cant. 2. Ordinauit in me, id eſt, à me incipiunt charitatis & benignitatis documenta fulgurare, me cunctis præpoſuit. An cœleſtis Regis decens politica ſponſam amicam, proximam, aut propinquam illuſtrioribus muneribus donare? Quid non adoleſcentulæ conquerantur? O ſtulta querela! Aliàs dignus ſupponendus aliis, quia amicus, quia propinquus eſt? Bernar. An non *Deus* (authore Bernardo) *in hominibus ipſis præponit imperfectioribus filiis perfectiores mercenarios?* At ſi filius Iſraelita perfectior eſſet, Gentibus ſeruis fuiſſet à Domino præponendus. *Cœlum* (ait Pater) *terræ præponitur.* Quia domeſtica creatura, quia domus ipſa Altiſſimi terræ ſupponatur, ne creaturarum acceptor Conditor habeatur. Petro id ipſum veraciùs eſſet creaturarum acceptio.

Regius hinc Vates, *laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis*, ſcilicet pſalterij & citharæ. Pſal. 150. Num digna cœleſti Conditori in pſalterio, in cithara, in chordis laus, & modulatio? Vt reſpondeam, Tertullianum præmitto lib. 2. adu. Marc. cap. 12. *Bonitas Dei operata eſt Mundum, iuſtitia modulatur.* Vulgariter explico: *la miſericordia criò el mundo, la Iuſticia le sañe.* An mundus cithara, quæ percuſſa concentum emittat? Ita planè. Dei prouidentia modulatura chordarum voces tentat, primum locum ſuperioribus, ſuauioribus aptando, infimum groſſioribus. Quia Ioannes primas fert apud citharam, ad nouiſſimum locum deſcendat, Iudas primum obtineat: ne Dominus perſonarum acceptor appareat. Appareret ſanè, ſi meritiſſimum Ioannem non reliquis præponeret, ſi non Petrus ſanctiſſimus cunctos antecelleret. 8.

Chordæ graciliores & dulciores primo citharæ loco accommodandæ ſunt, licet adſit propinquitas, aut ſpecialis amicitia. Pſal. 150. Tertul.

Roganti Domino, *Quem* dicunt homines eſſe Filium hominis? & reſpondentibus Diſcipulis, *Alij Eliam, alij Ieremiam, &c.* & inſtante Magiſtro, *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Petrus reſpondit, *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Mat. 16. Vbi Baſilius Sele. Orat. 25. fatur, *Primatem inclinat, velut citharam quandam ratione præditam ictibus excuſſitans.* Collegium Apoſtolicum citharam Præſul appellauit ratione præditam. *Primatem inclinat*, ſeu primam chordam excuſſitat Dominus, ſeu reſonare facit, cum pulſat inſtrumentum: cunctis chordis obmuteſcentibus prima inſonat chorda: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* An Bartholomæus, Andreas, Iacobus primum locum in citharâ obtinebit? Minimè, Petro amico addicatur Præſulatus, Primatis munus acquirat, qui primæ chordæ melodiam emittit. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* 9.

Ideò Petrus cunctis in cithara Apoſtolica chordis præfertur. Matt. 16. Baſil.

Dominus olim appellabatur Deus *Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Quod aſſerit Lucas cap. 5. An non Principes conquerentur te Deum trium virorum ſolummodo vocitari? Vix audebit Dauid inclamare, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Num acceptionis perſonarum incuſaberis? Chryſoſtomus, *Sic & Deus ſpecialiter ſe horum Deum dicebat, non coarctando dominium, ſed ampliando.* Tunc ampliatur Dei dominium, tunc vniuerſalior Dominus apparet, ſeu minus perſonarum acceptor, cum ob præſtantia merita Abraham, Iſaac, & Iacob cunctis antiquæ Eccleſiæ Proceribus præponuntur. Haud Apoſtoli reliqui de trium Procerum Petri, Ioannis, & Iacobi primatu conquerentur; chorda enim prima quia gracilior, quia dulcior debet ſibi locum primum apud citharam vendicare. 10.

Tunc vniuerſalior Dominus, ſeu minus acceptor perſonarum apparet, cum digniores præponit. Luc. 5. Chryſ.

OBSER

Obſervatio III.

Ad illa verba:

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelſum, &c.

Non omnes Diſcipuli, ſed neceſſarij teſtes ad Chriſti gloriam intuendam aduocantur, vt Iudas ſine infamiæ notâ poſſit abeſſe.

Nè videlicet cum excuſatione quodammodo delinqueret, ſe affectum à Præſule ſuo infamia ſic fuiſſe operatum adfirmans.

11. *Quaſi cum excuſatione delinquit, qui infamatur à Præſule.* Damaſc.

QVÆRIT D. Ioannes Damaſc. *Cur non omnes, ſed aliqui vocati ſunt ad hanc viſionem? Vnus quidem erat, qui ſolus indignus erat Diuinitatis viſione, ſcilicet Iudas, ſecundum illud: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Si ſolus ergo eſſet omiſſus Iudas, tanquam inuidus, ad malitiam maiorem eſſet prouocatus. Proinde Proditori tollit proditionis occaſionem.* Infamia affectus ſum à Magiſtro ablegatus, non exceptus à Præſule omnibus aduocatis, vindictæ-ne operam dabo? Certè ſi non vindictæ ſtudeam, ſaltem non obligatus operabor. Cum excuſatione quodammodo delinquit, qui incuriâ Præpoſiti notatur infamiâ.

12. *Curat Dominus Petrum conuertendum non infamari, quia obeſt infamia conuerſioni.* Luc. 22. Beda.

Petro Dominus, *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua* Luc. 22. Qui triticum purgat granum à paleis curat ſeparari. O quantâ affectæ verecundiâ elapſis granis paleæ vacuo oſtentantur in cribro! Precibus ô Petre, à Patre impetrabo, ne tua fides deficiat, id eſt, ne veluti paleæ ſine tritico conſpiciaris. Beda, *Satanas expetiuit vos, vt cribraret, veluti qui triticum purgat ventilando concutere. Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Nam quia poſt delictum te ad meliorem mentem reuocabis, curo, ne infamiâ apud fratres à te confirmandos notari poſſis, ne quodammodo vlteriùs cum excuſatione delinquas.

13. *Nullam excuſationem habebat Cain impœnitentia, ſi quidem infamatus à Deo non fuerat.* Geneſ. 4.

Poſtquam Abelis ſacrificium à Domino acceptum, flammâ teſtante, *iratus eſt Cain vehementer* Cui Dominus, *Cur concidit facies tua?* Gene. 4. Ad quæ Carthuſianus, *Quaſi dicat, Non habes rationabilem cauſam harum deteſtabilium paſſionum, ſcilicet impatientiæ, & indignationis.* Patet, quia non te à fratre exteriùs ſegregaui adeò, vt poſſet ab aliis mea circa opera tua diſplicentia dignoſci: vnde infamatus poſſes quodammodo cum excuſatione profari. Opera geram, quæ hominem à Deo ſummo Præſule infamatum decent.

14. *Iudas non ſeparatur à Diſcipulis, ſed Eucharistiam à Domino accipit, ne cum excuſatione quodammodo delinqueret.* Leo.

Collegium Apoſtolicum ſuauiſſimo Dominus Euchariſtico epulo ſatiauit, nocte illâ tanta luce conſpicuâ, tam horribilibus tribulationum Ieſu tenebris obcæcatâ. Quærit D. Leo. ſer. 7. de Paſſi. an Diſcipulos ſanctos ab iniquo Iuda retraxit? Reſpondet autem Iudam adfuiſſe ſacro conuiuio, & Euchariſtiam à Dominicâ manu accepiſſe. Reddit cauſam. *Neque ab hoc myſterio ſubmoto traditore. Vt oſtenderetur Iudas nullâ iniuria exaſperatus, qui impietate voluntariâ erat præſcitus.* An publica à Præſule ſobditi nota anſam præberet iniquo Dominum cum excuſatione quodammodo tradendi?

15. *Zizania conuertenda non ſeparantur à tritico, ne infamia notentur.* Auguſt.

Reſpondeo ex zizaniorum Parabolâ. Clamant in conſpectu agricolæ Patris familias ſerui, *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Vis imus, & colligimus ea?* Queis Præſul agricola, *Non; ne colligentes zizania, eradicetis ſimul è triticum....* Quonam modo ab agricolis diſcernentibus poſſet triticum ſimul cum zizaniis eradicari? Reſpondet D. Auguſtinus quia zizania illa erant *in triticum* aliquando *conuertenda.* Ad conuerſionem quid obeſt à tritico ſæparari? Imò potiùs aliquando prodeſt, ſicuti in excommunicatis experimur, qui a fidelibus ſe ſe videntes abſtractos, velocius reditum pœnitentes moliuntur. O quàm prouidè agricola curat ne zizania infamentur, nota enim infamiæ obeſt conuerſioni, dum quodammodo peccator excuſabiliter producit inſtitutæ filum iniquitatis.

16. *Quem infamia ex vulgo non facit corruere, infamia orta à Præſule conturbat.* Petrar.

Pulchro Franciſci Petrarchæ Dial. 25. ſententia roboro. *D. Vulgi linguis exagitor. R. Quid ſi oratoris, aut Poetæ inſignis ſtilum impegiſſes? vt multi olim, quos infames poſteritati traditos inimici eloquentiâ videmus. Vulgaris aura cæcis ignorantiæ pulſa turbinibus ſumma rerum cacumina verberat, ſed non quatit: & ſi quatiat, non euertit. D. Graui Præſulis premor infamiâ. R. Timui tuâ ne conſcientiâ premereris.* Vndenam ex infamia à Præſule exorta timet ille ne infamatus conſcientiâ prematur, ſi non timet ex infamiâ vulgari euerſionem? Quia qui à Præſule infamia affectus delinquit, quodammodo prætendit excuſationem.

Obſervatio IV.

Ad illa verba:

Duxit illos in montem excelſum ſeorſum.

A Diſcipulis ſedentibus Petrus Ioannes, & Iacobus ad montis ſuperandi laborem aſſumpti, non repugnant, Dominum comitantes.

Qui enim videt Deum ſeu Præſulem laborum ſocium minimè de ſpectalibus tribulationibus, quas patitur (vel reliquis pace fruentibus) conqueritur.

17. Strabus.

SEQVVTVRVS Dominum ad montana, ad ardua, ad difficilia, ex Strabi mente debet eſſe firmus in fide, vt Petrus, videns Deum, vt Iacobus, adſcribens omnia gratiæ Dei,

Ioannes. Diſcipuli conſident, tres præcipuè ad tribulationem, quâ gloria transfigurationis præparatur, aſſumuntur ex reliquis, nec conqueruntur; quia Deum laboris comitem fidei oculis intuentur.

18. *Feliciter Abram domū reliquit, videns Deum ſocium.* Geneſ. 12. Abræ Dominus indicit, *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Gen. 12. Quam difficile imperium. Domum relinquam propriam, ad alienum hoſpitium peregrinus accedam, itineris labores ſuſtinebo? Quam facile illam particulam prementi! *Et veni in terram.* August. Non Dominus Patriarcham ſolum emittit, ſed ſocium excitat ad viæ inſtitutionem: *Veni.* Auguſtinus ſer. 68. *Quis hoc ſine fidel viribus poſſet audire?* Audiat difficile illud imperium, qui oculis fidei, vt Apoſtoli noſtri Deum laborum ſocium intuentur, facile reddendum.

19. *Sepulti cum Chriſto ſecum viuunt viuimus, non mortui conſocemus.* Rom. 4. Tertull. Paulus Romanis, *An ignoratis, quod quicumque baptizati ſunt in Chriſto Ieſu, in ipſius morte baptizati ſunt? Conſepulti enim ſumus cum illo.* Cap. 6. Difficillima Chriſticolis vitæ inſtitutio ſemper mori, aut mortificari, & ſepulturæ addici. Attamen cum Chriſto ſocio ſepulti vitalis proculdubio noſtra eſt mortificatio. Tertullianus ad Scap. cap. 1. *Nos quidem neque expaueſcimus, neque pertimeſcimus ea, quæ patimur, cùm ad hanc ſectam pactâ conditione venerimus.* Quænam pacta conditio nos liberat à cruciatu? *Vt ea quæ patimur*, ſocij Domini patiamur.

20. *Videns Deum ſocium, haud grauatur vnigenitum immolare.* Gen. 22. Chryſoſt. Rursùm Abrahæ Conditor, Mihi offeres Vnigenitum Iſaac in monte, *quem monſtrauero tibi.* Gen. 22. Dixerat, *Tolle filium tuum Iſaac, & vade in terram viſionis.* O Domine, quàm difficile, quàm penè impoſſibile præceptum imponis! ſi diceres, *Veni* in montem, ſeu terram, te ſocium itineris laborioſi ſortitus Patriarcha libens graderetur. At particula illa *vade* à te immiſſum indicat Abrahamum. A Deo certè Patriarcha immittitur, ſed non ſine Deo: *Vade in terram viſionis.* Chryſoſtomns lib. 1. de Prouid. *Abraham cùm audiſſet, vade in terram, quam monſtrauero tibi, omnia mente circuibat, ac perluſtrabat.* Vt ſcilicet Deum terræ monſtratorem videret. Videam te ô Domine, itineris directorem, comitem difficillimæ viæ, omnia quidem facillima reddentur.

21. *Ille verè laborat, qui ſine ſocio Deo in obedientiâ quieſcit.* Mat. 4. Paſch. Non ergo laborat, qui ſocio Domino ad ardua properat, aſcendit ad ſublimia. Ille verè afficitur labore, qui à Deo ad vitam arduam excitatus ſine Deo ſocio inobediens decumbit in lecto. O quàm laborioſa quies! Centurio aiebat, *Domine puer meus iacet in domo Paralyticus, & male torquetur.* Matth. 8. Vbi Paſchaſius lib. 5. *In domo, inquam, de quâ dictum legimus ad animam: Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. In hac quippe domo paralytica eſt anima.* Ille verè laborat, qui ſine Ieſu, vt fugiat itineris labores (faciles ipſu ſocio) domi coniacens detinetur.

***

Observatio V.

Ad illa verba:

Transfiguratus eſt antè eos, & apparuerunt Moyſes, & Elias cùm eo loquentes.

In conſpectu amicorum Dominus glorioſus apparet, ſine amicis conſortibus nolens externâ illâ felicitate frui.

Nec enim felicitatem appellarim, quæ amicis non communicatur.

CVR in conſpectu Apoſtolorum dilectiſſimorum, Moyſis & Eliæ ſeſe Dominus amictum gloriâ oſtentauit: Vt poſt reſurrectionem euulgarent. Plura myſteria ſine teſte operatus eſt Deus, quæ Eccleſiæ ab Spiritu ſancto reuelata fuere. Credidetim, ideò Dominum coram amicis glorioſum ſe oſtentaſſe, quia illum diem felicem reputabat, quo non ſolus ipſe frueretur, ſed quo felicitatem ſuam communem amicis aſpectandam exponeret. Et quonammodo Ieſus Solem verè hodie indueret, ſi Solis communicabilem non obiiceret conditionem? 22.

Dupliecm temporis particulam in Iacobi cum Angelo certamine contemplor. Vnam, 23. *Cum Iacob*
quando *vir luctabatur cum eo* vſque manè: alte- *benedixit*
ram quum *benedixit eum in eodem loco.* Gen. 32. *Deus ſuam*
D. Petrus Chryſologus ſer. 131. aſſerit victorem *victoriam*
Deum in tempore vtroque: attamen victoriam *oſtentauit.* Gen 32.
non primo, ſed ſecundo interſtitio temporis in- Chryſol.
notuiſſe. In primo namque Dominus ait, *Dimitte me*, ac ſi ſe à Iacobo ſuperatum profiteretur. In ſecundo autem ſe omnino ſuperiorem oſtentauit, dum *benedixit eum.* Cur igitur non primâ, ſed ſecundâ temporis inſtantiâ ſe victorem oſtendit? Reſpondet acutè Præſul, *Tunc videbatur vincere, quando victor cæleſtia dat dona, munera dat diuina.* Loquebantur de exceſſu, de pugnâ, de victoriâ. Nec victoriæ gloriâ ſe putauit fruiturum Dominus, niſi aſpiciendam fæliciter amicis exponeret, eos cæleſti benedictiune afficiens.

Deſcribit Paulus aſcendentis Domini trium- 24.
phum. *Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam* *Chriſtus*
duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Eph. 4. *quaſi captiuus adhuc*
Vbi Auguſtinus lib. de eſſent. Diuin. *Filius Dei* *oſtenditur,*
carnem de nobis aſſumptam in cælum velut capti- *dum dona*
uam adduxit, ſicut eſt in Pſalmo 67. Die ſupremi *hominibus*
triumphi Domini caro Chriſti (cui paratur de *non exhibet.*
hoſte victoria) captiua adducitur? Quonammo- Epiph. Auguſt.
do captiua, ſi triumphat? Preme illam particu- Pſal. 67.
lam: *Sicut eſt in Pſalmo 67.* Quid inibi Vates? *Aſcendiſti in altum, captiuam duxiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* Dona Chriſtus aſcendens accipit, & non potiùs effundit Diſci-

Iſcob. & Mend. in Euang. de Temp. T.I.

pulis, quibus ex mente Patrum dies iudicij plenus honorare indicatur illis verbis: *Viri Galilæi, quid aſpicitis in cælum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet,* &c. Act. 1. An victor aſcendit, vel captiuus adducitur? Certè ſe non glorioſum, ſed captiuum quodammodo oſtentat, dum gloriam ſuam amicis communem non exponit.

25. *Ideo dies Pentecoſtes victoriam Aſcenſionis publicauit.* Eph. 4. Chryſ. In lectione Pauli. *Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Dauid autem, *Accepiſti dona in hominibus.* Data Paulus docet, accepta Vates. Accepit quidem dona Aſcenſionis die in hominibus aliquando donandis, nempe Pentecoſtes ſolemni, quando dedit hominibus ea vberrima munera quæ in ipſis acceperat. Chryſoſtomus ad Act. 2. *Effudit Chriſtus hunc Paracletum. Hic dignitatem euidenter tradit cum vbertate.* Id eſt, quando vbertatem donorum dilectiſſimæ exponit Eccleſiæ, dignitatem ſuam euidenter oſtentat, ſe victorem aſſerit, aſcendentis gloriam, & triumphum celebrari curat. *Hic dignitatem ſuam euidenter tradit*, non *ibi*, cum incommunicabili tunc gloria perfruitur.

26. *Deus quaſi nõ diues cum non dat.* Rom. 10. Damaſc. Ad Romanos Apoſtolus, *Diues eſt in omnibus, qui inuocant illum.* Cap. 10. Quid ſi non inuocent homines? An erit Ieſus diues? Haud videtur Dominus diues appellandus quando diuitias ſuas hominibus inuocantibus non exponit? D. Damaſcenus lib. 3. Paral. cap. 100. *Deus cùm ſcelerum gratiam facit, tunc maximè diteſcit.* Non dixit, Tunc maximè diues oſtenditur, ſed tunc maximè diteſcit, ac ſi quodammodo diues nolit haberi niſi quando diuitiæ hominibus communicantur. Si igitur hodie expetis Chriſtum gloriâ eſſe amictum, veniâ donari cura, præmiſſâ pœnitudine. Accipiens enim donum veniæ Chriſtum diuitem in miſericordijs manifeſtabis.

Observatio VI.

Ad illa verba:

Et duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.

Transfigurationis dies, inſtitutâ oratione, inchoatur.

Innuitur, lætitiam, fælicitatem, diem bonum ex præmiſſâ oratione auſpicandum.

27. Luc. 9. LVCAS ſic ſcribit, *Aſcendit in montem, vt oraret; & facta eſt, dum oraret, facies eius altera.* Cap. 9. Lætiſſimus Saluatori tribuſque diſcipulis elucet dies, cuius gloriam, ac fælicitatem Dominus ab oratione matutinâ procurat auſpicari. Vulgaris expono; *Aſſeguro la felicidad commençando por la oracion.* Si velis ſecure gloriæ ſplendore condecorari, diem bonum à precibus inſtitui procura. Inſtituto apto illud Nazianzeni orat. 1. Nazianz. *Optimus hic ordo eſt, vt qui rem aliquam auſpicatur, à Deo initium ducat.* Præcipuè ſi res ſit futura glorioſa. Nec enim lux cæleſtis præcordia illius exhilarat, qui à precibus non exorditur.

Exurgit Cain ad ſacrificium munere cæleſti ditandus, cupidus ſanè, ne ſe boni illius particula præteriret. Sed quia ab oratione rem non fuit auſpicatus, pro lætitiâ, pro gloriâ æterno mœrore affectus eſt; Caino ergo Dominus, *Cur concidit facies tua? Non-ne, ſi bene egeris, recipies?* Gen. 4. LXX. *Non-ne, ſi rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccâſti.* Taxatur Cain, quòd non rectè diuiſerit. Ambroſius lib. 2. de Abel. cap. 6. *Non rectè diuiſit, quia antè omnia, Deo debuit deferre primitias; vt à gratiâ inchoaret Authoris.* Primitias deferendas Deo orationis exercitamentum expono, vndè animi gaudium erat oriturum. Meritò ergo dum Abel orans inflammatur, transformatur in imaginem Conditoris, Cain frigidus coniacet, concidit mœrore correptus. Diem enim bonum debuerat oratione inſtitutâ æternare. 28. *Cain ſine die glorioſo, quia non inchoauit ab oratione opus.* Gen. 4. Ambro.

Quàm lætis diebus Dauid fruitus eſt, cùm deuictis hoſtibus fœminæ inclamitarunt, *Saul percuſſit mille, & Dauid decem millia?* Profectò nunquam non Dauidis tempora coronâ cinguntur. Vndenam tam bonæ Regi dies tot hoſtibus tentato, inter tot pericula conſtituto? Semper ſtuduit ab oratione auſpicari victorias. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 35. *Nunquam Dauid, niſi conſulto Domino bellum adorſus eſt; ideo in omnibus Victor prælijs.* 29. *Cuncta glorioſa Dauidi orantis ante operationem.*

Moſes Iudæ benedicens, eique gloriam futuram annuncians fatur, *Audi Domine, vocem Iuda, & ad populum ſuum introduc eum.* Deuter. 33. Nam vt glorioſa Tribus Iudæ ad Populum introducatur, neceſſarium eam à te precantem exaudiri. Gloria enim ſequitur orationem. Oleaſter, *Ne glorietur fortis in fortitudine ſua, ſed ſciat prius precibus eſſe bellandum.* Precibus namque ſi certamen primò inſtituitur ad debellandum Deum, gloria victori præparatur. 30. *Iuda gloria ab oratione auſpicatur.* Deut. 33. Oleaſt.

Æternam transfigurationẽ apud cæleſtis montis verticem deſcribens Salomon, ait: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Cant. 7. Palmæ æternæ, ſiuè cæleſti gloriæ in imaginem transformatur ſponſa. Porro dum orat *facta eſt facies eius altera.* Paraphraſtes Chaldai. *Tempore, quo Sacerdotes tui extendunt manus ſuas in oratione, ſimiles ſunt digiti manuum eorum extenti ramis palmarum, & ſtatura eorum eſt ſicut palma*, ſeu præmium cæleſte. Illud enim ipſum in gloriam transfigurari orare eſt; quia dum preces profunduntur, in cæleſtem palmam, ſeu gloriam transformamur. Haud te bonæ diei particulâ præteribit, ſi gloriam, lætitiam, gaudium, auſpicaris à Deo initium eo orationis exercitamento ducens. 31. *Eccleſia ſtatim glorio ſa ex oratione.*

Observatio VII.

Ad illa verba:

Et transfiguratus eſt ante eos.

Non ſolitarius Dominus transfiguratus eſt, ſed in Diſcipulorum conſpectu.

Optat enim cæleſtis Dominus famulos gloriæ ſuæ ſocios adhiberi.

32. *Contra Principes, Præſules, Duces, qui communium operum gloriam ſibi adrogare curant, ſubditos ſocios in gloriis relinquentes.*

QVARE in Diſcipulorum conſpectu transformatur, qui aſſolet egregia quæque (vnde gloria ſit hominum comparanda) in abſcondito gerere? Exiſtimo, vt ſeſe oſtendat Principem munificentiſſimum, qui curet gloriam famulis fidelibus communicare. Quàm auari Principes, qui fideles famulos in laboribus ſocios, à proſperitaribus conantur excludere. An eorum gloria & voluptas imminuetur, quia communicabitur? Imo eo gloria maior, quò fidelibus ſociis communicarior eſt.

33. *Gl. ria Dominus fruituros fratres, fideles famulos adducit.* Ioan. 20.

Poſt Reſurrectionem Dominus ad transfigurationis cæleſtis gloriam aſcenſurus, aiebat: *Aſcendo ad patrem meum, & Patrem veſtrum.* Ioa. 20. Cur Diſcipulos fratres vocitauit? Credo, vt innueret illis eandem Ieſu gloriam communis Patris hæreditatem præparari. An timeret gloriam in tot partibus innumerabilium fratrum portionibus diuiſam, ſibi imminuendam? Imò ratus eſt eò gloriam futuram eſſe maiorem, quò communicatior fuiſſet. D. Cyprianus ſer. de Aſcenſ. *Hæc gloria Vnigeniti dilecti accumulat, quod beatitudinis ſuæ non patitur eſſe ſolitariam magnitudinem; ſed addit fratres (Aſſumpſit Petrum, & Iacobum & Ioannem) non qui minuant quaſi in plures diuiſam excellentiam, ſed altitudinem diuitiarum exornent participes, & conſortes.* — Cypr.

34. *Curat Dominus glor. & miracula excitandi Diſcipulis fidelibus communicari, an propria gloria incrementũ.* Mat. 10. Matt. 11.

Quum Dominus in Thaboris vertice (excitato miraculo, aut miraculi ceſſatione) Solis fulgentiſſimi radios oſtentat, Diſcipuli eius ſpeciem obumbrati ſeu tecti à nube lucidà imitantur. Ipſius enim miraculi participes fratres eſſe diſpoſuit, qui olim gloriam ſuam alteri minimè conferebat: *Gloriam meam alteri non dabo.* Dederat Dominus Diſcipulis, *poteſtatem ſpirituum immunderum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem.* Matth. 10. *Tranſiit inde* Ieſus, *vt doceret, & prædicaret in Ciuitatibus eorum.* Cap. 11. Cur inde recedit Dominus, & ad Ciuitates pergit concionaturus? Credo ne ſolus miracula facere videretur, turbámque ad ſe ſolum allicere, qui fratres, famulos vtique fideles haberet, queis geſtiret miraculorum gloriam communicari. Theophylactus, *Miſſis Diſcipulis, ipſe ceſſat facere miracula, & ſolum docebat in ſynagogis: nam ſi ipſe præſens curáſſet, nulli tunc acceſſiſſent ad Diſcipulos. Vt igitur & illi habeant locum ſanandi, Ipſe progreſſus eſt.*

35. Cecinerat Dauid, *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Pſal. 135. Olim enim miracula patrandi gloriam vix alteri dabat. Aſt Chriſtus curat ſuis fidelibus famulis gloriam ſanandi communicare, vt fulgeant; ne Præſul totam operum gloriam ſibi adrogare videatur. Bernardus epiſt. 23. *Cùm Chriſtus ſit mirabilis in Maieſtate ſua, etiam in Sanctis ſuis glorioſus apparere dignatur, ne ſolus habeat gloriam.* Efficit profectò mirabilia ſolus, quia eius virtute Sancti mira excitant: ſed ſic eos ex miraculis honorari geſtit, ac ſi ipſi ſolum famuli patrauiſſent.

Chriſtus ſolus faciens mirabilia communicat ſociis gloriã ipſorum patrandorum. Pſal 135. Bernard.

An qui ſimul cum Chriſto exercitus cæleſtis Duce aduersùs hoſtes dimicauerant, à Tabernaculi participatione recederent? Reor Petrum clamantem, *Faciamus tria Tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum,* ideo ab alio Euangeliſta taxatum, *Neſciens, quid diceret;* quia cùm Diſcipuli ſimul cum Domino dimicauiſſent, ſe, & duos fratres Ioannem, & Iacobum à gloriæ illius participatione excluſiſſet. Si Imperatori extruitur thronus, militibus fidelibus ſimul extruatur. *Amen dico vobis,* (ait,) *quod vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, ſedebitis & vos ſuper ſedes iudicantes duodecim filios Iſrael.* Matth. 19. An patiar me ſedente Diſcipulos certaminis ſocios ſine throno conſiſtere? Chryſoſtomus, *ſedebitis & vos. Conregnabitis ſcilicet, & illius gloriæ participatione fruemini.* Quia ſcilicet *ſequuti eſtis me.*

36. *Sedem Chriſtus curat præparari glorioſam ei, qui ſimul decertauit.* Matt. 19. Chryſoſt.

37. *Agnus oues aſſumit ad gloriæ participationem.* Luc 12. Chryſol.

Agnus apparuit Dominus à lupis diripiendus Paſtor ouium, Diſcipulorum ſcilicet ouium, lupis crudelibus exponendorum. Poſt victoriam Agnus Regno donatur, quo & oues donari dignatus eſt. *Complacuit Patri veſtro, dare vobis Regnum.* Luc. 12. Haud auarus Dominus circà gloriam ſociis tribulationis communicandam. Chryſologus ſer. 23. Bonitas effuſa, ineffabilis affectio in ſocietate cenſus. *Paſtor Agnus oues aſſumit, atque ad conſortium dominationis ſeruos Dominus aſciſcit. Ad participationem Regni Rex gregem populi totius admittit.* Nec enim deceret Domini æquitatem ſubditorum fidelium operatione vti ad victoriam comparandam, & ſibi totam certaminis gloriam adrogare.

Observatio VIII.

Ad illa verba:

Et transfiguratus eſt ante eos.

Ante eos, quia dura erant certamina poſtmodum toleraturi, aprè Dominus gloriæ obiicit imaginem.

Vt ſcilicet ſpe præmij infallibilis, ac ineffabilis ad quæque ſubeunda roborarentur.

CVR in conſpectu Petri, Ioannis, & Iacobi transfigurari curat? Reor, vt ad horribilia certamina ſubeunda præmij cæleſtis obiectu lubentes exurgerent. 38.

trus poſt innumeros labores toleratos, poſt Eccleſiam extructam Cruci erat alligandus. Iacobus poſt Hiſpaniam greſſibus, ac prædicatione illuſtratam, Herodis gladium ſanguine erat purpuraturus, Ioannes diuturnæ vitæ prolixo Martyrio tot tribulationibus egregio in pace (bello horribili geſtienti Martyrio coronari) animam efflaturus erat. Tanta tribulatio tanti præmij alleuetur aſpectu. Beatitudo cæleſtis vincenti præparatur? Quàm leuia certamina!

39. *David iuſto labores ſub oculos obiiciens, ſimul præmium futurum præſentat.* Pſal. 1.

David iuſtum deſcribens tribulationibus actum, cui agnati labores, ait: *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum, nec in viâ peccatorum ſtetit, & in cathedrâ peſtilentiæ non ſedit. Sed erit tanquam lignum,* &c. Pſal. 1. Et ab iniquitate recedendo, & amplectendo æquitatem grauiſſimis iuſtus tribulationibus, defatigandus eſt. Omnia leuiſſima certamina, ſi vocabulum primò appoſitum ponderemus. *Beatus vir.* Beatitudo primùm oculis præſentatur, vt homines ex ſpe præmij ad ardua quæque fortiores exurgant. Ambroſius appoſitè, *A præmio cœpit, vt pondus futuri certaminis leuaret.* (Ambro.)

40. *Certamina vndique ſpe præmij vallantur.* Eph. 6.

Paulus conteſtatur, dum inquit, *Non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem, & ſanguinem, ſed aduersùs Principatus, & Poteſtates, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus.* Epheſ. 6. Proximam particulam, *In cæleſtibus* Patres Principibus, ac Poteſtatibus accommodant; ac ſi diceret, Certamen inſtituimus contra illos cæleſtes Principatus, & Poteſtates, quæ è nequitiâ exciderunt. Nos autem ſic expendimus argumento conuenientius: *In cæleſtibus*, id eſt, pro cæleſtibus dimicantibus non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem, & ſanguinem, ſed aduersùs Dæmones. Quàm pulchrè cæleſtium mentio peragitur, vt ex præmij memoriâ leuia ſint horribilia certamina. Sentio cum Chryſoſtomo fante, *A præmijs propoſitis eos excitat. Illud enim: In cæleſtibus, eſt pro eo quod eſt, Pro cæleſtibus.* Quæ quidem particula cum illa Dauidis copulanda eſt: *Beatus vir.* Hæc enim in fine clauſulæ apponitur: *Contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus:* illa initio: *Beatus vir qui non abijt &c.* Vt quacumque viâ direxeris oculos certamina ſepto præmij munita concludantur. (Chryſ.)

41. *E memoria præmij iugum, & onus grauiſſimum leue eſt.* Mat. 11.

Indicit Dominus Diſcipulis vitam & rectis operibus, & ingentibus laboribus redundantem. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris; iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Mat. 11. Quodnam iugum, & onus? Profectò à cunctis malis recedere, omnes amplecti virtutes, Dominum horribilibus perſecutionibus actum nunquam non mitem imitari. An iugum hoc ſuaue, leue onus? Illa particula, *& ego reficiam vos,* vberiores patientibus labores indicit: refectio enim eſt tollere iugum, pane veſci lacrymarum. Et iugum ſuaue? & onus leue? Præmiſerat Dominus futuræ fœlicitatis memoriam proximè antè dicens: *Nemo nouit Filium niſi Pater: neque Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, &c.* Ad me pertinet Patrem hominibus reuelare? Patris viſio laborum præparatur in præmium? Quàm ſuaue iugum, quam leue onus! Hieronymus ad Demetriad. *Omne opus* (ſiue rectè agendi, ſiue patiendi) *leue fieri ſolet, cùm eius pretium cogitatur, & ſpes præmij ſolatium eſt laboris.* Preme particulam. *Omne opus*, id eſt, omnia Chriſti mandata leue onus eſt, quia præmium futurum obiicitur. Theophylactus, *Dicuntur omnia mandata Chriſti iugum leue quoniam propter futuram retributionem leuia.* (Hiero.)

42. *Reſpice præmium cæleſte, & omne legis onus tibi aderit quaſi tegminis filum, aut vitta.*

Moyſi Dominus, *Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cùm viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas: ſed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, ſintque ſancti Deo ſuo.* Num. 15. Illud expende. *Ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint recordentur omnium mandatorum Domini, nec ſequantur cogitationes ſuas.* Non ſolùm omnia mandata videre eos iubet; ſed & tam perfectæ eorum omnium obſeruationi accingi, vt nullis vel leuibus cogitationibus diſtrahantur. Quid ergo difficilius? Imo nihil facilius eſt. Nam vittis hyacinthinis, quibus omnia mandata deſignantur, ſimul cæleſte repræſentatur præmium fante D. Gregorio lib. 30. Mor. cap. 10. *Hyacinthus ſignificat ſpem cæleſtium.* Videant igitur vittas hyacinthinas vbi vitæ norma aſſeritur, vbi cuncta difficillima mandata figurantur: ſed ne tanto pondere corruant, ſed leuiſſimum filum tegminis, aut vittæ reputare valeant, ſimul in ipſis mandatis cæleſtis præmij hyacinthus eluceat, cuius ſpe ad difficiliora adhuc exurgant.

43. *Nitentes ſpe cæleſtis præmij, per viam difficilem properantes incedimus.* Chryſ.

Non dubium, quin Chriſtum ſequentes, grauiſſimum pondus ſuſtineamus. Crucem enim portantes, viam percurrimus. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Aiebat Chryſoſtomus Paulum nominis ſalutaris baiulum *magnis viribus* indiguiſſe, ne corrueret in viâ: quid de crucifero profaretur? Vis tamen ſic ferri per viam, ac ſi non pondus portandum aſſumas, ſed calamum, ſed pennam venti ſibilô iactitandam geſtes? præmij ſpe niti procura, hyacinthi calceis vtere à Domino præparatis. *Calceaui te hyacintho.* Ezech. 16. Vbi Hieronymus. *Philo diſertiſſimus Iudæorum hyacinthum aeri comparat, in quo cæleſtia ſignificari putat.* Cum Chriſto currentes crucis addito pondere appoſitè hyacintho calceantur, vt greſſus è pondere graues, præmij cæleſtis nitentes gloria roborentur, leuêique ad curſum reddantur. (Ezech. 16. Hieron.)

44. *Quam ſegnes ſimus chriſticolæ ad tanti præmij aſſecutionem.* Bruſon. ex Plutar.

Rogatus Socrates (loquor cum Bruſonio libr. 5. cap. 8.) *quanam Ciuitas ritè gubernari poſſet? reſpondit: Cùm boni inuitantur præmiis.* Cur non dixit, cum mali præmiis innitantur? Quia mali haud experti virtutis difficultatem deberent ſolà ex pulchritudine allici. At boni humeris apponentes totius legis pondus, tot laborum, ac tribulationum ſarcinam

debent

debent appoſitis præmiis ad reliquum curſum excitari. *Nihil* (ait Liuius decad.1. lib. 4.) *non aggreſſuri ſunt homines, ſi magna conantibus, magna præmia proponantur.* Proh Chriſticolarum dementiam! An poſſunt præmia eadem trutinâ appendi. Si vt illi corruptibilem coronam accipiant, tot ſubeunt incommoda: quid non patiamur, vt incorruptibili diademate ſtipemur?

OBSERVATIO IX.

Ad illa verba:

Et apparuerunt Moyſes, & Elias cum eo loquentes.

Cum Legiſlatore, & Propheta confert Dominus imminentis Paſſionis proceſſum.

Vt edoceat Principes res egregias geſturos, probos priùs adire Conſiliarios.

45. *Quam legis cultor debeat eſſe Regius Conſiliarius,* Hieron.

HIERONYMVS, *Loquebantur Elias, & Moyſes de his, quæ Dominus paſſurus eſſet. Lex enim & Prophetæ de Paſſione prænunciant.* Cur igitur Moyſes & Elias de Paſſione à lege, ac Prophetis prænunciata cum Domino loquuntur? Vt Dominus iuxta prædicta à Lege & Prophetis paſſurus quaſi conſulere Moyſem, & Eliam videatur. Edoceantur Principes tunc iuxta diuinum prætextum opera exeri, cùm probos Conſiliarios adire non dedignantur. Chriſtus in Maieſtate apparet in monte, vt Dei Filius oſtendatur, & tunc cum cæleſti lumine vtitur quaſi veſtimento, cum à Patre clamante celebratur: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite: non dedignatur Conſiliarios legem, & Prophetas aduocare, vti apud illos conferri poſſit, quonammodo exceſſus, quem completurus erat in Hieruſalem deberet legis prætextui, & Prophetarum vaticiniis accommodari.

46. *Strictè ſe accommodat veus Deus nus legis, ac Prophetarum præſcriptis in Paſſione, con-*

O quàm ſtrictè Dominus in Paſſione oraculis legis ac Prophetarum illigabatur! Comprehenſioni proximus, ait: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſtâ nocte; quia ſcriptum eſt, Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oues.* Mat.26. Prædixerat Zacharias cap.13. Curanti Petro ſtricto gladio comprehenſionem. Hoc eſt, perfecturus implendo Prophetarum ſcripturas. Quàm prudenter Princeps noſter ad gerenda opera iuxta legis præſcriptum adhibet ſibi probos Conſiliarios.

47. *Princeps aggreſſus opus arduum ſine conſilio legis, miſerè corruit.* Iſai.14. Bernard.

Vereor, ne Princeps aggreſſus opus arduum, & auguſtum ſine conſilio circa iuſtitiam ipſius actionis, miſerè corruere cogatur. Lucifer ille diluculò exortus Dei ipſius ſimilitudinem ambire non veretur. Solus aggreditur facinus, Conſiliarium non aduocat, ſed ſolitarius ſecum meditatur. *Sedebo in monte Teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo.* Iſa.14. Vbi Bernardus de verb. Iſai. *Solus ſedere volens, tanquam fulgur cecidiſti de cælo.* Adnotat Propheta vbinam huiuſmodi monſtrum conflaretur: *Qui dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam,* &c. Ibid. Sine Conſiliario tantum opus aggrederis? Si à Michaële conſilium exquireres, reſponderet vtique, *Quis ſicut Deus?* Si ad ipſum magni Conſilij Angelum Dei Filium accederes, profaretur, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem.* Ille etenim proculdubio ſedet in Teſtamenti, aut legis monte, qui Domini humilitatem imitatur. O miſer, ſine Conſiliario periiſti!

48. *Probos aduocet Princeps Conſiliarios, non exleges: ſine lege enim Conſiliarius obſeruanda legis non feret conſilium.* Prou.3. Ambr.

Chriſti igitur circa conſilium capiendum documenta accipite. Non adduxit Conſiliarios Regis Babylonis; ſed ipſum legiſlatorem Moſem, & zelo feruentem Eliam. *Cuſtodi* (ait legis Conditor) *legem meam, atque conſilium meum: & erit vita animæ tuæ.* Prou. 3. Illius probum conſilium, quod ſimul cum legis obſeruantia incedit. Huiuſmodi conſilium à Sanctis petendum, non à legis contemptoribus. Ambroſius lib.2. de Offic. *Aduertendum, quod in acquirendis conſiliis, plurimùm valet vitæ probitas, virtutum prærogatiua. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis de turbidâ aquâ potum petat? Itaque vbi luxuria eſt, vbi intemperantia, vbi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimet? Quis vtilem iudicet cauſæ alienæ, quem videt inutilem vitæ ſuæ? Quomodo enim potero, eum iudicare conſilio ſuperiorem, quem video moribus inferiorem? Supra me debet eſſe, cui me committere paro. An ne eum idoneum putabo, qui mihi det conſilium, quod non dedit ſibi? & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacat? cuius animum voluptates occupant, libido deuincit, auaritia ſubiugat, cupiditas perturbat.*

49. *Illud conſilium, illud opus ſtat, quod legis baſi nititur.*

A bono ergò conſiliario exquirenda conſilia, quæ negotium gerendum cum legis obſeruatione ad finem dirigant. Illud enim facinus egregium ſolum ſtat, quod obſeruationis legis fundamini hæreſcit. Aiebat ſancta illa, *In corde meo Domine, conſilium corrobora, vt domus tua in ſanctificatione permaneat.* Iud.9. Conſilium corroborat animum, ſed ad legis obſeruationem, vt opus ſuper ſanctitatis fundamina perſiſtat æternùm. Ioannes Petrus Cermenatus

aliter, quam ſtabili fundamento nitantur, cauſáſque tam ad Regnum quam ad Religionem pertinentes æquiſſimè diſponant. Princeps itaque tunc ſtabilis columna eſt, cùm optimi conſilia-rij baſi nititur, qui quidem conſiliarius ſimul & Regni ſtabilitati, & Religionis indemnitati ſtudeat. Regna enim ſtabiliuntur, cùm rebus gerendis Religio documenta præſcribit.

SECTIO SECVNDA.

Ieſu à Patre Commendatio?

TEXTVS.

Vers. 4. Eſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum, Domine, bonum
eſt, nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria Tabernacola, tibi
vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum. 5. Adhuc eo loqoente,
ecce nubes lucida obumbrauit eos; & ecce vox de nube dicens: Hic eſt Filius
meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite. 6. Et audientes
Diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè. 7. Et acceſſit Ieſus,
& tetigit eos: dixitque eis, ſurgite, & nolite timere. 8. Leuantes autem oculos
ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum. 9. Et deſcendentibus illis de monte
præcepit Ieſus, dicens, Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mor-
tuis reſurgat.

IN IESVM TRANSFIGVRATVM, PANEGYRICVS MORALIS SECVNDVS CIRCA LITERAM.

EX PATRIS COMMENDATIONE.

Observatio I.

Ad illa verba:

Domine, bonum eſt, nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria Tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum.

Solæ gloriæ à longè coruſcationes Petri animum videntur compleuiſſe.

Vbi de ineffabili prorſus cœleſtis beatitudinis præſtantiâ.

1. Ambro. CVr ô Petre, apud Thabor curas Tabernaculum exædificare? Ambroſius lib. 9. in Luc. *Capitur à dulcedine Petrus.* Et cùm cœleſtis gloriæ tanta ſit immenſitas, vt in ipſam Diui debeant intrare iuxtà illud: *Intra in gaudium Domini tui:* videns Petrus ſe capi à gloriâ, in cœleſte gaudium reputat intrauiſſe. Vnde Tabernaculum Domino ædificare curat, vt inibi poſſit æternùm in conſpectu Domini glorioſus commorari. Proh futuræ gloriæ pondus immenſum! ſi particula gloriæ Petrum capiebat: quid totius pelagus beatitudinis?

2. Illa gloriæ particula tanta eſt, vt verbis haud valeat exponi. Quæritur, cur Dominus Apoſtolos teſtes futuros gloriæ ſuæ ad montem adduxerit? An non potuiſſent ex auditu teſtes gloriæ Transfigurationis eſſe, ſicut Paulus ex relatione Apoſtolorum, & fidei prætextu fuit Reſurrectionis teſtis? Profectò Reſurrectionis triumphus potuit Apoſtolis non videntibus, verbis exponi ab aliis. At gloria cœleſtis in Transfiguratione obiecta neceſſariò videnda eſt, vt de illâ teſtimonium feratur; quia non poterat ab hominibus non videnti verbis exponi; ineffabilis enim prorſos eſt. Ideo Paulus, *Nec auris audiuit, quod præparauit Deus diligentibus ſe.* 1. Cor. 2. A nullo audita eſt præmij illius præſtantia, quia à nullo vnquam verbis fuit expoſita prorſus ineffabilis. Quod ſi non eſt viſibilis perfectè ab homine viuente, ſaltem ex fulgore à longè callet eius immenſitatem. Videant ergo Diſcipuli vt teſtes poſſint adhiberi, quod ab alijs minimè eis poſſit verbis exponi. At non curent verbis proferre, quod ineffabile eſt; ſed clamant ex vnius videntis Ioannis ore: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* Cap. 1. Cur non addidit, Et talis erat illa gloria? Quia

Voluit Dominus gloriam Transfigurationis à Diſcipulis videri, vt teſtarentur; nec enim narrari eis ab alijs poterat.

1. Cor. 2.

Ioan. 1.

Quia poſſunt videntes Diſcipuli dicere : *Vidimus*, ſed ineffabilem gloriam minimè valent verbis proferre.

3. *Dei glorioſum habitaculum verbu demonſtrari non poteſt.* Ioan. 1. Beda.

Chriſti duo ex primis ad Collegium Apoſtolicum tendentibus Diſcipuli, à Domino quæſierunt, *Vbi habitas?* Ioa. 1. Vbi Beda contemplatur illos de æternæ domus gloriâ quæſiiſſe! & ore ex Dominico reſpondet, *Venite, & videte.* Cur non dixiſti, ò Domine. In hoc, aut illo vico mea domus conjacet: ſed *Venite, & videte.* An quia habitaculi æterni, ſeu gloriæ cæleſtis cuncta ſunt ineffabilia? Ita plane. Videte vos, quod minimè poſſit verbis explicari. *Vultis (ait ille) videre habitaculum meum? ſermone explicari non poteſt, opere demonſtratur; venite, & videte.*

4. *Quod mente æquari non poteſt, nec verbu attingetur.* 1 Cor. 2. Nazian.

Addidit Paulus, *Nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe.* 1. Cor. 2. An confingendo fælicitatem eleuatiſſimam non poſſit æquare præmij illius perſpicax intellectus magnitudinem? Nec leuiter attinget poſt diuturnam confictionem gaudij æterni particulam. Nazianzenus Orat. Apol. 3. *Quæ neque humanus intellectus pro poteſtate, atque arbitrio beatitudinem fingens, vnquam informabit.* Et quomodo poteſt verbis exponi, quod mente haud poſſit æquari?

5. *Summa gaudia concepta quaſi ſomnia ſunt, ſi cum veritate comparentur beatitudinis cæleſtis.* Geneſ. 28. Damia.

Iacob ſomno indulgens, vidit ſcalam illam veſtibuli domus Domini ſomniatam imaginem, & exclamat euigilans. *Quàm terribilis eſt locus iſte! Verè non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli.* Gen. 28. Atriorum domus Dei gloria ſomniata tam auguſta? D. Petrus Damia. ſer. 59. *Iam ſtamus in atrijs Ieruſalem, iam è veſtibulo magnæ Ciuitatis gaudia ſomniamus.* Cuncta ſomnium, ſi cum veritate cæleſtis beatitudinis comparentur.

6. *Haud felicitas cæleſtis præparata iuſtis, quæ verbis poſſit exprimi.* Perian. Claudi.

Elyſiorum cum Periander camporum audiiſſet verbis expreſſam amœnitatem, ſapienter clamauit. *An vera felicitas, quæ verbis exprimitur?* Pluribus Claudianus verbis vtitur; vt Elyſios campos deſcribat, 2. de Raptu Proſ.

Amiſſum ne crede diem, ſunt altera nobis
Sydera, ſunt orbes alij, lumènque videbis
Purius: Elyſióſque magis mirabere campos,
Cultoréſque pias, illic pretioſior ætas:
Aurea progenies habitat, ſempérque tenemus
Quod ſuperi meruere ſemel: nec mollia deſunt
Prata tibi: Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Æthna.
Eſt etiam lucis arbor prædiues opacis
Fulgentes viridi ramos curuata metallo.
Hæc tibi ſacra datur, fortunatumque tenebis
Autumnum, & fuluis ſemper ditabere pomis.

An poſt conflictionem mentis in cor hominis

OBSERVATIO II.

Ad illa verba:

Hæc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos, &c.

Solis iuſtitiæ ſocij Diſcipuli neceſſariò erant ſolari illuſtrandi fulgore.

Tanta vis bonæ, aut malæ ſocietatis, vt accedens ad ſolum Ieſum illumineris: hærens tenebris impio offuſo, tenebroſus appareas.

AIEBAT Zeno Vero. apud Thabor duplicem Solem emicaſſe. Septem luminaria magna in monte contemplor, vt hodierna dies ſeptempliciter valeat rutilare. Chriſtus enim iuſtitiæ Sol & cæleſtem Solem ampliùs fecit (iuxta Patris mentem) elucere, & Moyſem, Eliam, Petrum, Ioannem, & Iacobum ſocios accedentes illuminauit, iuxta Propheticum illud: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Tenebrarum ſocius tenebris offunderis, lucidiſſimi Solis comes Solis in morem fulgurabis. 7. Zeno.

8. *Solis reclinatorium, ſeu Ieſu ſolis ſocij aureum eſt, quia aureus Sol.* Cant. 5. Cant. 2.

De Chriſti fulgore aiebat Sponſa, *Caput eius aurum optimum.* Cant. 5. Sociorum autem fulgentiſſimi Domini (qui capitis comam Solis perſtringentem radios oſtentat, fulgorem deſcribens, ait: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon: reclinatorium aureum.* Cant. 2. Cur ſi purpureus aſcenſus, columnæ argenteæ non eiuſdem materiæ reclinatorium? Quia amici aurei Solis, vbi caput ille reclinat, ex ſocietatis identitate aurei neceſſariò obiiciendi erant. Gillibertus acutè ſerm. 18. *Similem tibi reddis, Ieſu bone, ſi quem irradias.* Sol ſocios nos fulgentiſſimum conuertit in Solem. *Similes ei erimus, cùm apparuerit. Aurei ſiunt tuum quibus aurum refulget. Caput tuum aurum optimum, reclinatorium aureum non inuenit, ſed reddit, vbi ſe reclinat.* Ideo ait, *Fecit* reclinatorium. Gillib.

9. *Familiaritatis gratia iunctus petra fulgenti lapis fulgens efficeris.* Pſal. 140. Bernar.

Vates Regius, *Abſorpti ſunt iuncti petræ Iudices eorum* Pſal. 140. Apoſtoli Iudices, de quibus ait; *Sedebitis & vos ſuper ſedes iudicantes duodecim Tribus Iſrael*, ad Dominum petram accedunt, ſiue adamantem, ſiue ſardium, ſiue Carbunculum Solis radios emittentem; & fulgentiſſimi lapides emicârunt. Bernardus ſer. 8. in Pſal. *Qui habitas, Qui adhæret Deo* (inquit) *vnus ſpiritus eſt cum eo:* [illegible] *vere iungitur la-*

Chriſtus quodammodo tenebris Sol iuſtitia effundi videtur. Ioan. 13. *xit Ieſus : Nunc clarificatus eſt Filius hominis.* Ioan. 13. Paulò ſuperius Euangeliſta, *Cum ergo*, ait, *accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò ; erat autem nox.* Iuda igitur abſcedente nox aufugit, Sol cœpit emicare. Quamnam obſecro dependentiam haberet Ieſu fulgor à Iudæ præſentiâ, aut receſſu : vt præſente illo quaſi offuſus non illuceſcat, abſente autem radios emittat? Reſpondet Caietanus, *Explicatur tempus nocturnum, ad ſignificandum noctem mentis Iudæ. Cùm ergo exiſſet, Filius hominis clarificatus eſt.* An tam exitialis ſocietas vnius improbi, vt quodammodo Soli Ieſu tenebricoſus vapor adhæreſcat? O familiaritatis iniuria! Caiet.

11. *Dauid ſplendidus, & purus, Saulis tenebricoſi fugiens ſocietatem.* 1. Reg. 21. Fame preſſus Dauid ab Achimelech Propoſitionis panes efflagitat. At Sacerdos de puritate militis fortiſſimi ſociorúmque periculum fecit : *ſi mundi ſunt pueri* : 1. Reg. 21. Vbi Ambroſius innuit Sacerdotem de Dauidis puritate interrogare intendiſſe, licet ad pueros, ob reuerentiam Dauidis, ſermonem dirigeret. Cur autem de Dauidis puritate dubitaret? ſciebat eum apud iniquum Saulem diu verſatum, vnde aliquod contagium trahere potuiſſet. E tenebris enim quid niſi tenebras conciliaſſet. *Et quidem* (Dauid inquit) *ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur.* Ibid. noſtra puritas incipit cum egreſſione. *Surrexit Dauid, & fugit in die illâ a facie Saul.* Iuſtè de puritate Dauidis dubitaretur, ſi adhuc ſocius Saulis iniqui perſiſteret, è contagioſo fugiens, quando egreſſus iam liber à contagio. Bellè Ambroſius lib. de Iſaac cap. 3. Ambroſ. *Fugiebat Dauid ſanctus à facie Saul, non vtique vt terras relinqueret, ſed vt inobſeruantes declinaret contagium. Fugiebat adhærens Deo, ſicut ipſe ait : Adhæſit anima mea poſt te.* A Saule tenebroſo recedens nullas tenebras ſpargit : Deo ſoli adhæreſcens, ſolares emittit radios. *Dedit ergo ei Sacerdos ſanctum panem.*

12. *Socij boni te ſplendidiorem efficiunt.* Senec. Mundus ergo Dauid ſanctum panem cum mundis ſociis abſumpſit. An neceſſarium fuit puro cum puris conueſci? Audi Senecam ep. 11. *Conuictor delicatus paulatim eneruat, & emollit, neceſſe eſt, aut imiteris, aut oderis. Vtrunque autem deuitandum eſt, ne aut ſimilis malo fias, quia multi ſunt : vel inimicus multis, quia diſſimiles ſunt. Cum his conuerſare, qui te ſplendidiorem facturi ſunt : illos admitte, quos tu potes facere ſplendidiores.* Ex fulgore enim Solis huiuſmodi ſocij ſolares emittentes radios conſpiciuntur : ſicut ex ſocij tenebris tenebricoſi admodum oſtentantur.

***

Observatio III.

Ad illa verba :

Reſpondens autem Petrus dixit : Domine bonum eſt, nos hic eſſe.

Transfigurati Ieſu gaudia imminentis paſſionis opprobriis interſecantur.

Sic Deus dulcia amaris immiſcet, ne filij (iuſti videlicet) ſuperbiâ diſtrahantur.

13. Hieron. DIVVS Hieronymus, *Loquebantur Elias, & Moyſes de his, quæ Dominus paſſurus eſſet.* An non importuna tranſfigurato Filio Dei inſtantis mortis ac paſſionis memoriâ? Si Petrus reſpondens de exceſſu hodie inter Ieſu transformati fulgores loquebatur, meritò dictum putamus, *Neſciens, quid diceret.* At Moſes, & Elias à Patre immiſſi ea planè loquuntur, quæ ſtatum illum Filij (hominis imaginem agentis, ſeu perſonam) maximè decebant. Etenim proſpera ſunt aduerſis immiſcenda, ne animus noſter ſuperbiâ teneatur.

14. *Lex & Gratia, ſiue dulcia & amara immiſcentur, vt filiorū Dei proſperitas non ſit cauſa ſuperbiendi.* Matt. 17. Auguſt. Illud expende : *Et apparuerunt Moyſes & Elias cum eo loquentes.* Matth. 17. Ad Filium, quem voce emiſsâ profitetur : *Hic eſt Filius meus dilectus &c.* Moyſes & Elias immittuntur, vnus quidem aſſeuerans proſpera, alter indicens aduerſa : vt ſcilicet transfigurati gloriâ ſit Filij Dei, dum proſperis & aduerſis conditur. Auguſtinus lib. 5. de Hæreſ. cap. 7. *Loquebantur* transfigurato Filio, *Lex, & Gratia, lenitas & aſperitas, manſuetudo & terror, adiutorium & præceptum, medicus & ferramentum, lux & tenebræ.* Congruè Filio obiiciuntur dum proſpera, aduerſa indicuntur, prouidente Patre. Proprium enim cæleſtis Parentis proſperitatem filiorum amaritudine condire, ne animus ſuperbiâ diſtrahatur.

15. *Dextera Moſis transfigurati in Deum leprâ vulneratur, ne ſuperbiat.* Exod. 4. Eliam, Moyſemque ipſum veritatis huiuſce adducam in teſtes. Hic quidem adeo transfiguratus videtur à populo, vt potiùs apud cælicolas commorari, quàm inter morituros habitare putaretur. Teſtor fulgorem illum, quo circum ornatus excedebat à monte : *Nec poterant filij Iſrael intendere in faciem Moyſis.* Manus igitur fulgentiſſimi Ducis leprâ affecta oſtentatur. *Dixit Dominus rurſum : Mitte manum tuam in ſinum tuum. Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis.* Exod. 4. Et quare manus illa egregia, quæ tot ſigna operatura erat, leprâ vulneratur? Profectò cùm homo in Deum transfiguratur, tanta proſperitas aduerſitati copulata eſt, authore cæleſti Parente, ne tanto lumine conſpicuus ſuperbiâ diſturbetur. Theodoretus quæſt. 10. Theod. *Dextera, quæ admiranda illa perpetrârat cùm prius fuiſſet leproſa, ſignis diuinis inſeruiuit, & elementa mutauit. Quæ res Moyſem etiam admonuit, non ſuperbire*

perbire debere : ſed agnoſcere naturam cum recordatione dexteræ lepra priùs infectæ.

16. *Elias, cuius verba & actiones Reges formidabant, minis mulieris exterretur, humilitatis gratia.* 3. Reg. 19. Theodor.

Elias autem, qui Prophetas Baal interfecerat Dei indutus potentiâ in conditorem transfiguratus, poſt illuſtres de Achabo victorias Iezabelis nuncium accipiens animo decidit. Contemptor hominum, Regum debellator, mulierculæ minis exterrêris? *Timuit ergò Elias, ſurgens abiit.* 3. Reg. 19 Leoni febris illa additur, ne proſperitate geſtorum incidat in ſuperbiam. Theodoretus quæſ. 57. *Timor erat diuinæ diſpoſitionis. Nam ne miraculi magnitudo eius ſpiritus nimis attolleret, conceſſit gratia naturæ, vt timorem ſuſciperet, vt ſuam agnoſceret imbecillitatem.* Quàm proprium æterni Parentis filios fulgore indutos tenebris irruentibus offundere, vt eos in humilitate contineat.

17. *Petrus, ne, ſuperbiat, ad recordationem criminum adducitur.* Luc. 5. Ambro.

An Petrus audiens Eliæ, & Moyſis ſermonem de exceſſu Ieroſolymitano imminente Ieſu, edoctus euaſiſſet? Porrò didicit ſua proſpera quæque amaris condire, ne ſuperbiâ vulnerari poſſet. Feliciſſima illa piſcium captura Petrum ad cæleſtem increatamve naturam transfiguratum adduxerat. At propriæ fragilitatis habitus ſanè communis memor inclamitauit, *Exi a me, Domine, quia homo peccator ſum.* Luc. 5. Vbi Ambroſius lib. 3. de Virgin. *Vir ſapiens, & grauis, in quo eſſet Eccleſiæ fundamentum, & magiſterium diſciplinæ, nihil vtilius ſibi eſſe proſpexit, quam ne ſecundis operit extolleretur euentu. Et ideo, Exi inquit, à me, Domine. Non rogat, vt deſeratur; ſed ne infletur.*

18. *Inuiſus Deo, qui in proſperis non ſentit aduerſa.* Bruſo.

Demetrius (Bruſonio lib. 3. authore) nihil ſibi dicebat infælicius videri eo, cui nihil in vitâ accidiſſet aduerſum: *quod oporteat talem hominem ſe hominem non agnoſcere, vt qui nunquam ſui periculum fecerit: aut diis inuiſum, vt quem prætererint velut ignauum, nec idoneum ad fortunæ conflictum.* Cum etenim Deus hominum efficit proſpera aduerſis diſturbari, ſe Patrem oſtendit: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Aduerſa enim nos efficiunt humilitatis terminis contineri.

Observatio IV.

Ad illa verba:

Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.

Pater æternus Chriſtum aſpiciens in miſerationibus prædiuitem, Solis in morem effulgentem, Filium ſuum eſſe inclamauit ſpecialiſſimè.

(ex nouâ ſpeciali filiatione) elogiis, commendari. Ille enim verè appellandus eſt Filius qui Patris virtutes imitatur. Vndè non dixit: Hic eſt Deus, Meſſias, Dominus, Redemptor, Saluator: ſed Filius meus. Nihil enim glorioſius probo Filio, quàm illuſtris ſanctitatem Parentis referre. Bis Ieſus Filius Dei? — *Ieſu paternarum virtutum imitator.*

20. *Seth hominis filij Dei filij vocantur, quia patris virtutis imitatore.* Geneſ. 6. Chryſ.

Sethi poſteros Moſes honoris causâ, Dei filios appellauit. *Videntes filij Dei filias hominum.* Gen. 6. An non Seth homo? Quis dubitet? Cur ergo poſteri eius non filij Sethi, ſed Dei filij vocitantur? Quia qui ſancti parentis imitantur virtutes, debent filiorum Dei eleuatiſſimâ appellatione condecorari. Chryſoſtomus, *Filij Dei appellantur, propterea quòd eò vſque parentum virtutem imitati ſunt.* Cum ergo Pater æternus clamat, Hic eſt Filius meus ex imitatione virtutum, qui Filius iam naturâ eſt, bis filium Dei eſſe profitetur, quia ſpecialem Dei filiationem efficit paternarum virtutum imitatio.

21. *Hebræi, qui non ſunt imitati probos parentes filij hominum, & non Dei ſunt appellati.* Pſal. 4. Lyran.

Dauid, *Filij hominum vſquequò graui corde?* Pſal. 4. Duros, & impœnitentes Hebræos filios hominis vocitauit. Cur non filios Dei appellat? Quia Abraham, Iſaac, & Iacob parentum non ſunt virtutes imitati. Lyranus, Non ſunt *filij iuſtè viuentium, quales fuerunt Abraham, Iſaac, & Iacob, ex quibus deſcenderunt Saul, & filij eius.* Si Saul, eiúſque filij Abrahæ, Iſaaci, ac Iacobi virtutes fuiſſent imitati, non filij hominum, ſed Dei filij vocarentur. Quia ſcilicet filio paternarum virtutum imitatori Dei filij debetur appellatio.

22. *Oblitus Populus parentum virtutes imitari, Dei filiationis obliuiſcitur.* Ierem. 18. Vatab.

Ieremiæ ex ore Dominus queritur, *Oblitus eſt mei populus meus fruſtra libantes, & impingentes in viis ſuis in ſemitis ſeculi.* cap. 18. Vbi Vatablus, *Hoc eſt, antiquit ſiue maiorum ſuorum fidelium, & piorum parentum, vt relicta viâ regià iter per vias nouas direxerint deuiando.* Copula duplicem Prophetæ & Interpretis particulam: *Oblitus eſt mei, Oblitus eſt parentum piorum.* An Dei obliuiſcitur Patris, qui parentum pietatis obliuiſcitur? Ita planè. Nam ſicut Dei Parentis recordatur eius imitator virtutis, qui proborum parentum pietatem refert: ſic Dei Patris obliuiſcitur, qui paternas virtutes non imitatur; qui enim boni patris imitator eſt, Dei filius à cæleſti Patre inclamatur: *Hic eſt Filius meus.*

23. *Conſeruat Populus filiationem Dei, dum curat parentum imitari virtutes.* Exo. 28.

Filiis ſuis fidelibus Hebræis prouidit, quonammodo illuſtriſſimum filiationis titulum tuerentur infidelitatis errore minimè deprauandum. Iuſſit Aaroni nomina filiorum Iſrael in Rationali ſcripta portare. *Portabitque Aaron nomina filiorum Iſrael in Rationali iudicij ſuper pectus ſuum.* Exo. 28. τὸ *Filiorum Iſrael* ad patres referendum: *Portabit nomina* patrum fidelitate conſpicuorum. Quare? Vt poſteri curantes imitari parentum virtutes, in Dei filiatione perſeuerent, nec erroris contaminatione fœdari, illuſtriſſimi nominis gloria priuentur.

naturâ Filius, nouo hodie ex titulo Dei Filius appellatur à Patre, nempe quia Sole munificentiſſimo indutus Patris virtutes eſt imitatus; quaſi bis Dei Filius exiſtat.

Observatio V.

Ad illa verba:

Et audientes Diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.

Corruunt Diſcipuli tantæ gloriæ pondus humeris comportantes.

Vt contemplari valeas, quale, ac quantum gloriæ cæleſtis pondus Diſcipulo fideli præparatur!

24. *Recolo Xauier noſtri ſententiam illam: ſatis eſt Domine, ſatis eſt*

PETRVS*, Iacobus, & Ioannes ex immensâ Chriſti claritate ſcintillam accipiunt, Petri rutilat inde fides egregia, Iacobi robur militare, Ioannis niuea puritas, quarum virtutum immenſurabili vi protinus corruére, Quid, obſecro, ſi veri æterni gaudij vel particulâ complerentur? Remigius, *Ieſu gloria non potuit ferri ab Apoſtolis, quando à Domino oſtenſa eſt in monte, quia ſtatim lapſi ſunt in terra velut mortui.* An Deum perſpicuè viderunt? Minimè, ſed ſolummodo corporis glorioſè obiecti aſpexére claritatem. Tantum ponderis gaudij illius particulæ? tanta ſtillæ profunditas? Quid ſi, Deo aſpectato, cæleſti beatitudine donarentur? Certè vel ſtillæ illius fælicitatis, quæ hîc ſanctis communicatur, intolerabilis eſt magnitudo. Velim excogitationem mediteris memor Franciſci Xauier noſtri, qui conſolationibus cæleſtibus affectus minimè tantam vim gaudij poterat tolerare, fatus: *Satis eſt, Domine, ſatis eſt.*

Remig.

25. *Sanctis particula hic donantur gaudij cæleſtis, & tamen pondere corruunt.*

Aiebat Paulus, *Tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia vt ſit Deus omnia in omnibus.* 1. Cor. 15. Apud Patriam totus Deus beatis communicatur omnibus, vt omnia ſit eis: Hic autem gloriæ illius immenſæ particulas dilectis infundit: qui quidem vix poſſunt earum tolerare magnitudinem. Hieronymus Epiſt. ad Amand. *Saluator nunc non eſt omnia in omnibus, ſed pars in ſingulis.* Cùm Xauierium exaudis, *Satis eſt, Domine, ſatis eſt*, non putes omni donatum beatitudinis immenſitate: ſtillâ dulcedinis potatur; cuius tantum pondus vt gigantem corruere cogat.

1. Cor. 15.
Hiero.

26. *Virtutum fulgoris par te donantur hic ſancti, & vix poſſunt tolerare.*

Nec ſingulis particularum totam dat perfectionem. Saluator ſapiens, bonus, patiens, fidelis, zelator, virgo, bona hæc pluribus diuis diſtribuit. Salomoni ſapientiam, Dauidi bonitatem, Iobo patientiam, Petro fidem, Paulo zelum, Ioanni vtrique virginitatem: non quidem totam ſingulis, ſed particulam. Hieronymus, *Dominus eſt nunc pars in ſingulis. In Salomone eſt ſapientia* (non omnis, ſed pars.) *in Dauid bonitas, in Iob patientia, in Ioanne virginitas, in cæteris cætera. Cum autem rerum omnium finis aduenerit, tunc omnia in omnibus erit, vt ſinguli Sanctorum omnes virtutes habeant, vt ſit Chriſtus totus in cunctis.* Quemadmodum beati Deum totum videntes minimè comprehendunt, cunctis virtutibus Ieſu beati (intenſione totâ minimè) donabuntur. Hîc particulæ vnius virtutis fulgor eſt tantus, vt corruere faciat Eccleſiæ Principes? Fides Petro communicata; niuea Ioanni virginitas; particula Dominici fulgoris Petrum, & Ioannem conturbârunt non potentes tanti gaudij pondus ſuſtinere.

Hiero.

27. *Qui particula Ieſu hic fruitur, quaſi tota beatitudinis immenſitate repletur: vnde corruat pondere, neceſſum eſt.*

Adæ Deus, *De omni ligno comede.* Gen. 3. *Omne lignum comede.* Cunctæ arbores tibi in alimoniam præparantur. Damaſcenus lib. 2. de fide, cap. 11. aſſerit lignis variis Paradiſi varias Ieſu ſignari virtutes. *De omni* igitur *ligno comede.* Particulam virtutum Domini imitare, & puta omne lignum comediſſe. *De omni ligno comede eſcam, nam Chriſtus eſt omne.* Quælibet particula cæleſtis guſtus totus Chriſtus eſt? Certè totum ſapit Chriſtum adeo, vt qui particulam Dominicæ virtutis abſumat, totum Chriſtum ſumpſiſſe videatur. Quid mirum ex partibus Diuos impotentes ſuſtinere pondus, corruére, ſi vel momentum totum eſt pondus, buccella tota meſſis, immenſum pelagus quælibet ſtilla.

Gen. 3.
Damaſc.

28. *Viator tanta cum Ieſu vnitate donatur ex ſtilla illius gaudij communicatione, vt corruat, non potens ſuſtinere.*

Profectus in Meſopotamiam Iacob, vt indulgeret ſomno *tulit de lapidibus, qui iacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco.* Euigilans autem inclamauit, *Quam terribilis eſt locus iſte!* Gen. 28. De quonam ille incommodo querebatur? An de ſcalæ pondere? de onere tot aſcendentium ad Superos filiorum? De loci onere queritur: *Locus iſte.* Quinam locus? Ex mente Lyrani ipſi lapides quos capiti ſuppoſuerat, vt obdormiret: *Tulit de lapidibus, qui iacebant.* Iam difficultas oboritur. Addit enim Textus, *Iacob tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo.* Si multi erant lapides, quo modo de vnico lato fecit mentionem? Lyranus, *Satis videtur ex Textu, quòd accepit plures ex eo quòd dicit, De lapidibus: & quando euigilauit, inuenit, quod illi lapides facti erant vnus lapis; & dicunt Hebræi, quod hoc fuit in ſignum, quod Dominus vniretur cum eo.* O cæleſtis beatitudinis immenſitas! Per ſomniata gaudia, quæ Diuis in exilio impenduntur, (ſomniata quidem, ſi cum Dei viſione comparentur) tanta cum Ieſu vnitate donatur viator, vt Dei ſibi videatur in domo beari: *Non eſt hic aliud niſi domus Dei: & corruens inclamat, Quàm terribilis eſt locus iſte*: quid quando totâ gaudij immenſitate repleamur, ſiue in ipſam immenſitatem intremus iuxtà illud: *Intra in gaudium Domini tui?*

Geneſ. 28.
Lyra.

OBSER

Observatio VI.

Ad illa verba:

Nemini dixeritis viſionem donec Filius hominis à mortuis reſurgat.

Imperantur Diſcipuli, nemini viſionem reſerare, ne condiſcipuli conquererentur.

Edocentur Præſules, ſic digniores ſubditos præmio afficere, vt reliqui fideles quidem famuli querelas non excitent.

29. *Cur ſoli tres aſſumpti ad Transfigurationis gloriam?*

SI ad montem Petrus, Iacobus & Ioannes aſſumuntur, vt miraculo Transfigurationis teſtes adhiberentur, quare prohibentur à Domino euulgare, quod viderant, vſque in Reſurrectionis tempus? Ne ſcilicet Diſcipuli reliqui audientes quererentur, quòd ſimul aſſumpti ad Transfigurationis gaudia non fuiſſent. Poſt Reſurrectionem iam conſtabunt Apoſtolis Iudæ flagitia, ob quæ (Euthymio adnotante) ſoli ad verticem montis neceſſarij teſtes aſcendunt, reliquis dimiſſis, ne vnus Iudas, qui aſcendere non poterat iniquus ad gaudia, cum notâ ſolus excluſus à gaudio remaneret. Tunc euulgate, nunc minimè, ne condiſcipuli (quibus cauſa non eſt tam citò aperienda) meritò de perſonarum acceptione conquerantur. Præmia dignioribus, ſed ſine aliorum aliàs fidelium ſubditorum querelâ à prudente Præſule exhibeantur. (Euthym.)

30. *Princeps Iacob digniorem Ioſephum præmio afficit inuidia fratrum.* Gen. 37.

Olim *Iſrael diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, eò quòd in ſenectute genuiſſet eum.* Gen. 37. Burgenſis, *Eo quod eſſet filius ſapiens ſibi.* Meritò diligebat ſuper omnes eum, qui meritis cunctos ſuperabat. *Fecitque ei* (Textus addit) *tunicam polymitam.* Non debuit ſapiens Pater tam viſibili præmio filium digniorem afficere, ne inuidiæ cauſa excitaretur. D. Baſilius Seleu. Ora. 8. *Patris Iacobi charitas aduerſus filium Ioſeph alios filios exercuit, & chariſſima pignora inuidentia ebria contra ſemet incendit ſeditione. Scriptura verò affectionis illius cauſam euulgat, Iſrael diligebat Ioſeph eò quòd in ſenectute genuiſſet eum, & fecit ei tunicam polymitam.* Iuſtè amabatur præ cæteris ſanctus puer, iuſtè auguſtiori munere donaretur, ſed occulta quidem elargitione ne reliqui filij inuidia exardeſcerent. (Baſil. Seleu.)

31. *Princeps ſol eſt ſtellas illuminans vberius capaciores, ſed ſine inuidia reliquorum.* Geneſ. 1.

Solem Deus ſuccendit, *vt præeſſet diei*, Lunam autem, *vt præeſſet nocti.* Gen. 1. Theophylactus affirmat. Prælatos Solem imitaturos circa ſtellarum illuminationem: cunctæ ſtellæ lucem accipiunt duplici qualitate. Vna quidem, iuxta capacitatem lumine complentur. Altera autem, ſic omnes iuxta magnitudinem ſuam radios emittunt, vt in luce nulla videatur inæqualitas, ſed ſolummodo in magnitudine. Luna, Venus, & Iupiter Planetæ à Sole accenſi adamantes cæli torqui hærentes oſtentantur hac ſolum differentiâ, quòd luna ſit magnus adamas, parui alij Planetæ. Vulgariter expendo, *la luna es peñaſco de diamante, los otros Planetas puntas.* Lumine, beneficio Solis Præſulis, cuncti ſubditi compleantur. Attamen ſic iuxta merita ſinguli munerentur, vt non tribui poſſit præcellentia luminis viuacitati ipſius in corpore æquali, ſed magnitudini, ac capacitati præſtantiori. Ampliùs rutilat Luna, quia capacior eſt, non quia radius Solis anguſtioris naturæ. Appareat ſubditus vberiori fulgore conſpicuus non ex viuaciori Præſulis Solis influxu, ſed ex ipſius vberiori capacitate. Quàm difficile!

32. *Diuinum quoddam eſt, digniores præmio afficere, ſine aliorum querela.* Xiph.

Oportet Principem (aiebat Xiph. Cæſ. Auguſt.) *non ſolum nihil facere per iniuriam in præmiis diſtribuendis perſonarum acceptor: ſed nec omnino facere videri, dum reliqui fideles ſubditi queruntur. Priuatis quidem hominibus ſatis eſt nil delinquere, Principem verò decet, nec ſuſpectum eſſe delicti in diſtributione præmiorum.* Difficillimum planè eſt dignioribus auguſtiora præmia largiri, & non videri aliis perſonarum acceptor. Concludit ille pulchrè: *Hoc quidem diuinum quoddam eſt.* Vnde Menander,

Imago autem Rex eſt animata Dei.

AD DEIPARAM MEAM
DOMINAM
EPILOGVS.

LIGNVM vitale Chriſtum, ô Domina, mirabile omnino, profitemur. Quid mirum, ſi omnipotentis Deitatis germen? Quid mirum, ſi ex te Horto aprimè mirabili exortum? Fatur Richardus Laurent. lib. 12. *Maria Hortus mirabilis eſt præcipuè in tribus, in ſe ipſo, in flore, & in fructu. In ſe ipſo, quia Hortus Maria ſuprà naturam, ſuprà rationem, ſuprà conſuetudinem, ſuprà humanæ conditionis meritum, ſuum peperit Hortulanum. Vndè clamat Propheta, Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Pſal. 45. Item alio modo mirabilis in ſe, quia ibi Deus factus eſt homo; antiquus dierum, puer: Verbum, infans: æternus, temporalis: immortalis, mortalis: immenſus, paruulus: Leo, Agnus: Creator, creatura. Mirabilis hinc Hortus in fructu, cuius fructus mirabilis Chriſtus lignum vitæ eſt.* An ſicut Deus de mirabili Deo, mirabili mirabilis de Maria? Profectò Deus tam mirabilem fecit Marianum Hortum, vt mirabile lignum Dominicum mirabile vndique ex Horto mirabili aptè germinaretur.

Laus Deo, Virgini, Ioſepho, Ignatio, Xauierio, Antonio.

VAI A521038